HERVAEVS Natalis, aliàs Henricus Brito, Ordinis Prædicatorum, in 3. Sent. diſtinct. 3. & in Quodlib. 2. & in Quodlib. 4. quæſtione vltima. *Turrecremata cap. 29. folio 119. Anonymus, Auctore 97. Bandell. cap. 23. Deza folio 40. Vincentia, Capreol. Gryſald. Soncin. S. Antonin. Barelete.*

VERITAS 120.

HIC Auctor notus eſt inter Scholaſticos, quem Capreolus vocat Eurucum: claruit ad annum 1320. Eius primam auctoritatem ſic adducunt: Item ad idem eſt eiuſdem Ordinis Pater Dominus Henricus Natalis, nomine Brito, eximius quondam Magiſter Generalis totius Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui in 3. Sent. diſtinct. 3. narrata opinione dicentium, quòd Beata Virgo Maria non contraxit originale peccatum, dicit ſic: *Iſta autem opinio non videtur mihi poſſe ſtare cum auctoritate ſacræ Scripturæ, dictis communibus Sanctorum, & Doctorum. Et adducit auctoritates ſacræ Scripturæ.* Hucuſque Aduerſarii. Et verum eſt quod dicunt. Nam Heruæus ſcripſit ſuper 4. libros Sentent. opus impreſſum Venetiis anno 1505. apud Lazarum de Soardis in folio, & in 3. Sent. quærit, vtrum B. Virgo fuerit ſanctificata in inſtanti creationis animæ; & reſpondit ſic: *Dicendum circa iſtam quæſtionem: ſunt tres opiniones, quæ omnes ſunt falſæ, vt mihi videtur: Prima opinio eſt, quòd non incurrit peccatum originale. Secunda, quòd in eodem inſtanti, quo incurrit peccatum originale, fuit ſanctificata. Tertia, quòd in ſolo inſtanti fuit in originali peccato, &c.* Deinde impugnat primam opinionem breuiter, ſed nullam adducit auctoritatem Sanctorum.

Secundam auctoritatem adducit ſic Turrecremata: Item eiuſdem ſententiæ eſt in Quodlibeto 2. diſputato Pariſiis, vbi quærens, vtrum Beata Virgo Maria ſanctificata fuerit in inſtanti infuſionis animæ ſuæ, confutata opinione dicente, quòd ſic, tenet partẽ negatiuam quæſtionis, & ad argumentum quod fit ex aduerſo, dicit: *Quòd ad bonum filium pertinet nobilitare matrem, quantum congruum eſt eam nobilitare, ſaluo debitò honore filij: non ſaluaretur autem debitus honor filij, ad cuius honorem pertinet, quòd ſit caput totius Eccleſiæ, ſi eius Mater non indiguiſſet redimi per eum; & ideò decuit, quòd eam permitteret incurrere peccatum originale, & quòd ab hoc eam rediméret. Hæc ille.* Error calami, vel Impreſſoris fuit illa cita in 2. Quodlibeto, quia eſt in 4. quæſt. 15. vt infra dicam.

Tertiam auctoritatem adducunt Bandellus, Deza, ac Vincentia ſic. Idem tenet Heruæus Doctor Pariſiẽſis clariſsimus, & Generalis Magiſter Ordinis Prædicatorum in ſuo Quodlib. 4. quæſt. vltima, ſic dicens: *Decuit, vt Beata Virgo in originali peccato conciperetur: Tum, quia ad honorẽ Chriſti pertinet, vt tota natura humana, quæ deſcendit ſeminaliter ab Adam indiguerit redemptione facta per ipſum: Tum, quia ad dignitatem Chriſti pertinet, quòd ipſe ſolus ſit mortuus liber, & debitor mortis. De facto etiam contraxit originale peccatum: Tum, quia ſeminaliter deſcendit ab Adam per concubitum parentum: Tum, quia hoc conſonat ſacræ Scripturæ, & dictis Sanctorum. Hæc ille.* En duæ auctoritates deſumptæ ex eodem Auctore, quodlibeto, quæſtione, ac concluſione; & ſunt inter ſe primò diuerſæ, quia hæc vltima Bandelli, & aliorum a primo vſque ad vltimum verbum eſt ficta, & falſa; & ſi hoc efficiunt non vnus, ſed omnes, in Auctore proprio, & qui aliàs pro ipſis eſt, quid mirum, quòd omnes extraneos tam enormiter adulteraſſent? Audi Heruæi verba, fortè tu inuenies in illis, quod ego inter tot, tum, & tum, & iterum tum dicere non poſſum.

Heruæus ergò in ſuis Quodlibetis excuſsis Venetiis anno 1513. in fol. lib. 4. quæſt. 15. quæ vltima eſt fol. 113. recognitis per P. F. Antoniũ Zimara, eiuſdem Ordinis, ſic inquit: *Secundum quòd quærebatur pertinens ad defectum, eſt, vtrũ B. Virgo fuerit concepta in peccato originali, & argumentatur, quòd non, &c. Circa iſtam quæſtionem videnda ſunt tria. Primum, quid fieri potuit. Secundum, quid decuit fieri. Tertium, quid tenendũ eſt de facto. Quantum ad primum, non eſt dubium, quin Deus potuerit abſolutè loquendõ facere, quòd B. Virgo non conciperetur in peccato originali, quia nõ eſt dubium, quòd Deus potuit animã eius creare in gratia, & per cõſequens non fuiſſet in originali peccato concepta. Quantũ autem ad ſecundum ſcilicèt, quòd decuit fieri, ſecundùm quod illud in omnibus eſt decentius fieri, quod magis cedit in honorem Dei: Licèt enim ad honorem filij pertineat puritas matris, tamen ad honorem Dei pertinet magis totam naturam humanam, deſcendẽtem ab Adam per generationem indigere redemptione facta per ipſum: quam aliquos indigere, & aliquos, vel aliquam non indigere, &c. Quantum ad tertium dico, quòd tenẽdum eſt de facto, B. Virginem in originali peccato conceptã, & hoc probatur ſic, &c.* Hæc ſunt Heruæi verba; vide ergo, an in illis reperias, quæ ab Aduerſariis adducuntur. Taceo, quia res iſtæ fructum afferunt in patientia.

Si verò eſt certum, quòd aliqui Doctores non infimæ notæ affirmant, ſcilicèt, Expoſitionem ſuper Epiſtolas Pauli, excuſſam Pariſiis anno 1549. in folio, & Venetiis anno 1547. in 4. &

in exemplari excuſſo anno 1534. correcto per Renatum à Caſtaneo, eſt Heruæi, vel fuit varius in ſua ſententia, vel retractauit opinionē Quodlibetorum, & Sententiarum. Nam in prædicta Expoſitione Epiſt. 2. ad Corint. cap. 5. ad illa verba: Ergo omnes mortui ſunt, fol. 114. impreſ. Pariſien. coium. 1. littera C. ſic inquit: *Vel ſi vnus Chriſtus mortuus eſt pro omnibus, id eſt, vt omnes viuant: ergo neceſſe eſt fieri, quia omnes mortui ſunt in anima per peccatum, &c. omnes itaque mortui ſunt in peccatis, nemine prorſus excepto, dempta Matre Dei, ſiue originalibus, ſiue etiam voluntate additis, vel ignorando, vel ſciendo, nec faciendo quod iuſtum eſt, &c.* Auctoritas expreſſa eſt pro immaculata Virginis Conceptione, ſed Auctor eſt incertus, quia hanc Expoſitionem aliqui tribuunt S. Anſelmo, alii Heruæo: quis ergo iudex erit?

HIERONYMVS Sanctus, ac Eccleſiæ Doctor, in Expoſitione Pſalm. & in Epiſtola ad Theophil. & ad Galatas capit. 3. & in libro contra Pelagium, & in Epiſtola ad Laurentium Epiſcopum, & ad Helcidium, & in Epiſt. ad Galaſiam, & ſuper Cantica, vt Auguſtinus dicit in 2. contra Iulianum. *Caprcol. Anonymus, Auctore 21. & 3. via parte 2. auctor. 16. Bandel. capit. 11. & in Officio lect. 8. Deza fol. 18. Spina part. 6. cap. 2. Petr. de Vincent. Caſtellan. Barelete; S. Antonin.*

VERITAS. 121.

HVIVS Inſignis Eccleſiæ Doctoris, cuius opera omnium teruntur manibus, vtpotè excuſſa Pariſiis 1579. & 1537. in folio magno, & 1623. Lugduni 1530. Baſileę 1516. Antuerpiæ 1578. Nurimbergiæ 1479. ac deniq; Coloniæ 1616. Primam auctoritatem ſic adducunt. Beatus quoque Hieronymus hanc Saluatoris ſingularem prærogatiuam teſtatur. Vndè in Expoſitione verſus Pſalmi: Erue à framea Deus animam meam, ſic dicit: *Vnica eſt anima Chriſti, quæ ſola ſine peccato fuit. Hæc ille.* Sancti Hieronymi auctoritas Pſalm. 21. tomo 7. folio mihi 25. ſic ſe habet: *Erue à gladio, vel malitia Iudæorum, vel erue animam meam de illa poteſtate, quæ ſeducendo iugulat, & de manu carnis vnicam meam. Canes Iudæi, vnica, id eſt anima Chriſti, vnica dicitur, quia non habet peccatum illa anima, & aliæ animæ ab ipſa mundantur: vel vnica Eccleſia, &c.* Vitiarunt ergo totam auctoritatem, prætermittendo prima, & vltima verba, & penitùs adulterando media, quia dicere · *Anima Chriſti non habuit peccatum*, nec quoad litteram, nec quoad ſenſum, eſt idem cum iſta: *quæ ſola ſine peccato fuit.* Quomodo verò ex his verbis, *Anima Chriſti non habuit peccatum*, deducant ſuam conſequentiam: ergo Maria contraxit peccatum originale, res eſt quæ nunquam in corde hominis aſcendit.

Secundam ſic adducunt: Item idem in Epiſtola ad Theophilum de libero arbitrio: *De Chriſto*, inquit, *ſcriptum eſt quaſi proprium, & peccatum non fecit: ſi autem hoc & mihi, vel alteri commune eſt cùm Chriſto, quid ille habuit proprium? Hæc ille.* Hæc auctoritas nullo modo extat in Sancto Hieronymo, nam inter eius Epiſtolas tres reperiuntur ad Theophilum abſolutè, & vna ad Theophilum aduerſus Ioannem Hieroſolymitanum, ſed nulla iſtarum tractat de libero arbitrio, neque in ipſis ſunt verba prælegata, nec ipſis ſimilia: incidenter verò in multis locis agit Hieronymus de libero arbitrio, ſed hæc verba reperire non potui. Vndè exiſtimo fuiſſe ficta à Bandello, quia ſapiunt eius ſtylum: & dico, exiſtimo, quia ſolùm timeo humanam fragilitatem, quam nemo vitare poteſt; nam de reliquo affirmo, & iterum affirmo, non eſſe Hieronymi, neque extare in quolibet alio Sancto.

Tertiam adducunt ſic: Item idem ſuper illud ad Galatas 3. concluſit omnia ſub peccato: *Nullus*, inquit, *homo extitit ſine peccato, ſed concluſit Deus omnes homines ſub peccato, vt omnibus miſereatur, excepto eo ſolo, qui peccatum non fecit. Hæc ille.* Verba autem Hieronymi in prælegata Epiſt. Pauli ad Galatas tomo 8. folio 235. columna 2. littera H. ſic ſe habent: *Sed concluſit Scriptura omnia ſub peccato, &c. Aduenientе Chriſto, qui ſub lege Moyſi erant, concluſi ſunt peccato, ſi vltra in legis obſeruatione permanere voluerint. Quia maledicti, qui vmbræ legis deſeruierunt veritate præſente. Item oſtendit, quoniam non potuit inueniri, qui daretur credentibus, vt neceſſe eſſet ſola fide ſaluari credentes.* Hæc Hieronymus, nec aliud habet Iota, ex quo patet, quòd in hac auctoritate non defecerunt in vno, vel altero verbo quoad litteram, ſed totam finxerunt ex proprio cerebro ſine vllo reſpectu, aut conſideratione ad Hieronymi verba: quantum verò ad ſenſum, diſtat hæc auctoritas à propoſito intento, ſicut diſtat hoc antecedens à ſua illatione Iudæi noluerunt credere veritati: ergo Maria contraxit originale peccatum, vel iſta Iudæi qui poſt aduentum Chriſti, & veritate præſente voluerunt permanere ſub legis obſeruatione, concluſi ſunt ſub peccato: igitur Mater Dei contraxit originalem maculam.

Quartam adducunt ſic: Item idem in 2. libro contra Pelagium hæreticum: *Iuſtos*, inquit, *homines poſſe eſſe concedo, ſine autem omni peccato*

nemi-

neminem posse esse affirmo, Etenim absque omni peccato esse soli Christo competit, omnisque humana creatura peccato subiacet, & indiget Dei misericordia. Hæc ille. Hieronymi verba libro contra Pelagianos tom. 2. cap. 2. fol. 235. litt. G. in qua introducit interlocutores Critobolum, & Atticum, sic inquit: CRITO. *Ne contendere videar, & in diuersum absque mensura funem trahere, saltem hoc mihi concede, iustos in Scripturis plurimos appellari.* ATTI. *Non solùm plurimos, sed innumerabiles.* CRITO. *Si innumerabiles iusti sunt, & hoc negari nō possit, quid malè locutus sum; posse esse hominē sine peccato si velit? Hoc est aliis verbis dicere, posse iustū sine peccato esse, in eo quòd iustus est?* ATTI. *Iustos esse cōcedo: sine omni autē peccato omninò nō assentior; etenim absque vitio, quod græcè dicitur: κακίᾳ hominem posse esse aio ἀναμάρτητον, id est, sine peccato esse nego, id enim soli Deo competit, omnisque creatura peccato subiacet, & indiget misericordia Dei, &c.* Quasi diceret Hieronymus, ex vi vocum græcarum; homines esse sine vitio, malitia, vel maleficiis, concedo, sed esse insontes, vel impeccabiles; nego. Ex his liquet, quanta in hac auctoritate vitiarunt: siquidèm primo vbi Hieronymus: *Iustos esse concedo*, ipsi: *iustos homines posse esse concedo*, transmutantes pernitiosè actum, in potentiam. Secundò, vbi S. Doctor, *sine omni autem peccato omnino non assentior*, ipsi sic, *sine autē omni peccato neminem posse esse affirmo*, addiderunt illud, *neminem posse esse*, & mutarunt pro, *assentior*, illud, *affirmo*. Tertiò, tacuerunt illam clausulam: *etenim absque vitio hominem posse esse aio*, quia erat propositio ex diametro opposita suæ sententiæ; aliud enim est agere de vitio, aliud de peccato. Quartò, vbi Hieronymus, *sine peccato esse nego*; ipsi sic, etenim absque *omni peccato esse*, addentes illam vniuersalem, *omni*. Quintò, vbi Hieronymus, *id enim soli Deo competit*; ipsi, soli *Christo* competit. Et sic tota vitiata est, & adulterata quoad litterā, & multò magis quoad sensum; nam hic loquitur S. Doctor de peccatis actualibus, vt ipsa littera demonstrat.

Quintam auctoritatem sic: Item idem in Epistola ad Laurentium Episcopum: *Christus*, inquit, *torcular calcauit solus, quia ipse solus est, qui peccatum non habuit, & per suam misericordiam peccatum mūdi abstulit. Hæc ille.* Verba autē Hieronymi in prædicta Epistola quæst. 19. tom. 9. fol. 68. col. 1. litt. D. quæ habet pro titulo: symbolum Ruffini ad Laurentium Episcopum, sic inquit, explicans illud Esaiæ: Quis est hic qui venit de Edon, &c. *Vndè & ipse respondit. Torcular calcaui solus, filiæ Sion, solus est, qui peccatum non fecit & abstulit peccata mūdi: Si enim potuit per vnum hominem mors introire, quanto magis per vnū hominem, qui Deus erat potuit vita restitui.* Constat igitur, quòd tacuerunt illud, *filiæ Sion*, & mutauērunt illud *calcaui*, in tertiam personam, & addiderunt illud, *quia ipse*, ac denique adulterarunt verbum illud, *fecit*, in verbo, *habuit*, quod ferè in omnibus auctoritatibus faciunt; quia vnum latiùs patet, quàm aliud, vt sæpè dixi. At vbi est Virgo? vbi peccatum originale?

Sextam, sic Bandellus, & Vincentia: Item idē ad Helicidium: *Peccauimus*, inquit, *omnes, & nemo mundus est à peccato, nisi Christus, qui peccatum nullum habuit. Hæc Hieronymus.* Ad hanc auctoritatem dico, quòd talis Epistola ad Helicidium non extat in Hieronymo. Est vna ad Lucinium Hispanum, quæ est in ordine 28. & incipit: *Nec opinanti*, sed ibi nec verbum extat; est & alia aduersus Heluidium, de perpetua virginitate Mariæ, quæ incipit: *Nuper rogatus à fratribus*, sed nec ibi extant verba adducta, vt videbimus infrà; vnde verè, & realiter dicendū est, quod ad fingendam auctoritatem, excogitarunt incognitam Epistolam, vt sic ipsorū impostura nunquam deprehenderetur, & quod plus est, quòd verba adducta non extant in operibus Hieronymi, nec credam esse illius, nisi ipsa viderit oculus meus. Lege infrà auctoritatem 9.

Septimam auctoritatem sic: Et Hieronymus ad Algasiam: *Nullus*, inquit, *homo sine peccato fuit, excepto eo solo, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius.* Verba ista in prælegata Epistola tom. 3. fol. 361. col. 1. litt. D. quæst. 8. sic se habent: *Neque hæc dicentes adulamur vitijs, sed auctoritates sequimur Scripturarum, quòd nullus homo sit absque peccato, sed concluſit Deus omnia sub peccato, vt omnium misereatur, absque eo solo, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Ex quibus patet, quomodo adulterata sit auctoritas; nam vbi Hieronymus, *quòd nullus homo sit absque peccato*; ipsi, *sine peccato fuit*, mutando verbū, *fuit*, vt comprehenderet præteritos, & sic etiā Virginem Mariam: deindè prætermiserunt totam illam clausulam, *sed concluſit Deus omnia sub peccato, vt omnium misereatur*, quæ ad integritatem sensus pertinet. Tandèm vbi Hieronymus, *absque eo solo*; ipsi, *excepto eo solo*. Velle autem ex his colligere, Virginem Mariam contraxisse peccatum originale, est loqui sine fundamento, nam ibi loquitur S. Hieronymus de peccatis actualibus, cuius discursus explicans illud Apostoli: Cū enim gētes, quæ legem nō habent naturaliter ea; quę legis sunt, faciunt, &c. incipit sic: *Ista lex, quæ in corde scribitur omnes continet nationes, & nullus hominū est, qui hanc legem nesciat, vnde omnis mundus sub peccato, & vniuersi homines præuaricatores legis sunt: & id circò iustum iudicium Dei est, scribētis in corde humani generis. Quod tibi fieri nolueris, alteri ne feceris. Quisenim ignoret homicidium, adul-*

te-

terium, furtum, & omnem concupiſcentia eſſe malum, &c. Nota quid commune poſſunt habere iſta cum peccato originali Conceptionis B. Mariæ.

Octauam auctoritatem ſic adducunt: Item Hieronymus in 3. Homil. ſuper Cantica: *Laquei* inquit, *tentatorum, & diſciplinæ inſidiarũ diaboli retia appellantur, nullus alius fuit niſi Chriſtus, qui retia iſta ſuperare potuerit, omnes peccauerunt, ſicut ſcriptum eſt, & rurſus ſicut Scriptura dicit: non eſt iuſtus ſuper terram, qui fecerit bonum, & non peccauerit; & iterum: Nemo mundus à ſorde, nec ſi vnius diei fuerit vita eius. Solus ergo Dominus, & Saluator noſter Ieſus Chriſtus eſt, qui peccatum non fecit; venit ergo ad iſta retia, ſed inuolui in eis ſolus ipſe nõ potuit, quis autem contriuit laqueos, niſi ſolus ille, qui abeis teneri non potuit; ſolus enim ipſe eſt, qui fuit inter mortuos liber. Hæc ille.* Auctoritas autem Hieronymi tom. 8. hom. 3. fol. 156. litt. B. ſic ſe habet: *Verus etenim gigas, quis alius, eſt niſi diabolus, qui etiam aduerſus Deum rebellat? Laquei ergo tentationum, & decipulæ inſidiarũ diaboli retia appellantur. Et quoniam hæc retia vbique tenderat inimicus, atque in ipſis penè omnes inuoluerat, opportebat eſſe aliquem qui fortior, & eminentior fieret his, & contereret ea, vt ſequentibus ſe viam poſſet aperire. Id circò ergo & Saluator, priuſquã in coniugium, & ſocietatẽ veniret Eccleſiæ, tentatur à diabolo, vt vincens retia tẽtationum, per ipſa proſpiceret, & per ipſa vocaret eã ad ſe: docens ſine dubio, & oſtẽdens ei, quòd nõ per otiũ, & delicias, ſed per multas tribulationes & tentationes veniẽdum ſibi eſſet ad Chriſtũ. Nullus ergo alius fuit, qui retia iſta ſuperare poturit. Omnes enim peccauerunt, ſicut ſcriptũ eſt, & rurſus, vt Scriptura dicit: Non eſt iuſtus ſuper terram, qui ferit bonum, & nõ peccauerit. Et iterum Nemo mundus à ſorde, nec ſi vnius diei fuerit vita eius. Solus ergo eſt Dominus, & Saluator noſter Ieſus Chriſtus, qui peccatum non fecit, ſed peccatum eum Pater fecit pro nobis, vt in ſimilitudine carnis peccati de peccato damnaret peccatum. Venit ergo ad iſta retia, ſed inuolui in eis ſolus ipſe non potuit: quinimo diſruptis eis, & contritis, dat Eccleſiæ ſuæ fiduciam, vt audeat iam caſſare laqueos, & tranſire per retia; & cum omni alacritate dicere: Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venãtium, laqueus cõtritus eſt, & nos liberati ſumus. Quis autem contriuit laqueos, niſi ille qui ſolus in eis teneri non potuit? Quamuis & ipſe in morte fuerit voluntariè, & non vt nos, neceſsitate peccati. Solus eſt enim, qui fuit inter mortuos liber, & quia liber inter mortuos fuit id circò deuicto eo, qui habuit mortis imperium, abſtraxit captiuitatem, quæ tenebatur in mortem. Et non ſolus ſemetipſum reſuſcitauit à mortuis, ſed & eos, qui tenebãtur in mortem ſimul excitauit, ſimul-que ſedere in cœlis fecit, &c.* Hæc auctoritas in multis eſt vitiata, & ferè in omnibus alterata; quia Aduerſarii tantũ curabant colligere vocẽ illam, *ſolus*, quam in ſuis circũciſis verbis quater repetunt derelinquentes illam, *& non ſolus, &c.* Quod autem Hieronymus non loquatur de peccato originali, ſed de actualibus & mortis vinculo, ex ipſis verbis, conſtat. Deindè vellem ſcire ab Aduerſariis, ex qua clauſula colligunt illam ſuam concluſionem. Virgo Maria cõtraxit peccatum originale? Cùm nec Maria, nec originale, nec verbum contraxit continetur in tota auctoritate.

Nonam auctoritatem ſic adducit Anonymus auctoritate 16. Item Hieronymus in libro aduerſus Heliudium, de perpetua virginitate B. Mariæ: *Chriſtus*, inquit, *peccatum nullum fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius, ad quẽm venit Princeps mundi huius, & in eo peccati nihil inuenit. Qui ergo peccatum non fecit, pro nobis mortuus eſt, nos autem peccauimus, & nemo mundus eſt à peccato, nec ſiquidẽ vnius diei fuerit vita eius; tenemur enim rei omnes in ſimilitudine præuaricationis Adæ, vndè & dicẽdũ: Ecce enim in iniquitatibus cõceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea, ſed aduocatum habemus apud Patrem Dominum Ieſum, qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris, nõ autem pro noſtris tantum, ſed etiam pro totius mundi. Hæc ille.* Fatemur, quòd S. Hieronymus ſcripſit tractatũ contra Heluidium de perpetua Virginitate Mariæ, nõ Heliudium, qui incipit: *Nuper rogatus à fratribus*, & extat tom. 2. à fol. 212. nouiſsimę impreſsionis. Sed in tali tractatu hæc verba ab Aduerſariis adducta non extant, nec aliquod ſaltem ipſis ſimile; vndè abſque dubio, vel cõtrouerſia, auctoritas eſt ficta, & falſa, ac mendaciter adducta. Vnde autem extraxerint hæc verba ipſi videant. Lege iterum ſuprà auctoritatẽ 6. quia coincidunt; ſi autem ſunt diuerſæ, erit duplicata fictio.

Decimam auctoritatem ſic adducunt: Item Hieronymus in Sermone de tribus virtutibus, videlicèt Prudentia, Sapientia, & Temperantia, qui incipit: *Tres quodammodo virtutes aſſumẽs Dei Propheta, &c. Omnes*, inquit, *per peccatum corruimus in orbem terrarum, & Dominus qui erigit eliſos eleuauit nos iacentes. In Adam enim omnes morimur, atque ità per peccatum corruit orbis terrarum. Vt erectione indigeat, quatenus omnes viuificemur. Hæc ille.* Hæc auctoritas extat in prælegato Hieronymo tom. 9. fol. 36. At non eſt Sermo, ſed Epiſtola in ordine 9. in qua aliqua vitiarunt. Nam prætermiſerunt illa verba: *Quicumque eſt in orbe iſto, ante erectionem cecidit. Si autem cecidit, conſequenter erigendus fuit. Nemo quidèm ſine caſu ſubleuatur, ſi autem erectus eſt, videamus quæ ruina præceſſerit. Omnes, &c.* In quibus expreſsè

preſsè loquitur de peccatis actualibus. Deinde quærens radicem loquitur de ruina vniuerſali, qua omnes ceciderunt in Adam. Secundo, non dicit: *orbem*, ſed, *orbe*. Tertiò, vbi Hieronymus, *in Adam omnes morimur, atque ita corruit orbis terrarum*; ipſi addiderunt peſsimè, *atque ita per peccatum*, vt ſic caſum mortis reducerent ſpecialiter ad lapſum peccati. Quantum ad ſenſum dicimus, quòd eſt verum omnes corruiſſe per peccatum in Adam, & ſic in Adã omnes morimur, id eſt, in illo peccato in diuiduo Adami, omnes, & ſinguli remanſerunt obnoxii morti, ſiuè ſanctificatus ſiuè præſeruatus, aliquis fuiſſet ab originali peccato, quod nos explicabimus alibi ex profeſſo: ſufficit enim pro nunc videre, quod hæc auctoritas non eſt ad rem. Et ſi eſt ſolùm probat regulam vniuerſalẽ: Omnes in Adam peccauerunt. Vel omnes in Adam ceciderunt, & in illo omnes mortui ſunt.

HONORIVS Tertius, Summus Pontifex, Beatus in Sermone Purification. & Aſſumption. & S. Ioannis Baptiſtæ, & Dominicæ de Paſsione. *Bandel. cap. 18. Deza fol. 27. à tergo. Vincentia. Gryſald.*

VERITAS. 122.

HIC Magnus Eccleſiæ Pontifex (à nullo tamen, quod ſciam, vocatus Beatus, aut Sanctus) ſcripſit ſermones aliquos, cùm eſſet in minoribus conſtitutus, id eſt, cùm eſſet Cencius Sabellus, quos S. Dominico, Ordinis Prædicatorum Patriarchæ dicauit. Vide Bibliothecam Pontificiam Ludouici Iacobi à S. Carolo, fol. 112. Et ſic conſtat de Auctore, ac opere Sermonum. Difficultas ſolùm eſſe poteſt circa auctoritates, an ſint veræ, vel ſuppoſitæ; quia illas non adducunt Turrecremata, & Anonymus, ſed ſolus Bandellus, à quo Vincentia, & Deza; nam de Gryſaldo nihil eſt curandum, qui ſolùm videtur ſcripſiſſe propter formam: nam huius auctoritatem ſic adducit: Honorius III. in Purification. *Beatam Virginem Altiſsimus ſanctificauit, & eam in vtero Matris ab omni originali peccato mundauit.*

Bandellus verò, & alii ſic adducunt Honoriũ: Idem tenet Beatus Honorius Tertius, qui confirmauit Ordinem Prædicatorum, & poſteà Minorum, qui in Sermone Purificationis exponens illud Pſalmi, Sanctificauit tabernaculum ſuum, &c. *Hoc*, inquit, *tabernaculum, id eſt, B. Virginem Altiſsimus ſanctificauit, quia eam in vtero matris ab originali peccato mundauit. Hanc enim habuit B. Virgo prærrogatiuã, quòd non ſolùm fuit à peccato mundata, ſed etiam fuit poſtmodũ in Conceptione filii à fomite peccati liberata, ita quòd poſteà peccare nõ potuit. Et propter hoc ſubiungitur: Deus in medio eius non cõmouebitur. In ſola enim B. Virgine poſt Conceptionem filij habuit Deus hoſpitum quietis, quia extunc nullum in ea peccatum inuenit, nec fomitem peccati: in alijs verò ſanctis inuenit hoſpitium commotionis; qui in eis ſaltẽ inuenit fomitem peccati, à quo in hac vita non fuerunt totaliter liberati. Hæc ille.* In præſenti opere, cùm ſit veritatis Ventilabrum, non mendacium, abſit, aut rem dubiam pro certa, ſed neque minimum verbum temerariè prolatum vellem proferre: fateor, & millies affirmo, Honorii Sermones me non vidiſſe, aut inuenire potuiſſe in Bibliothecis inſignioribus à me viſis: & quid mirum, ſi nullus Nomenclator illos hucuſque vidit, tamen quòd auctoritates à Bandello hìc adductæ ſint fictæ, atque ſuppoſitæ, abſque aliquo conſcientiæ ſcrupulo affirmare non formidarem. Nam ipſæmet auctoritates indicant Auctorem illarum eſſe modernum, & artificium pariter demonſtrat, in Bandelliano Armario fuiſſe fabricatas. Deſiderabat enim demonſtrare Sixtum IV. in hac materia Conceptionis determinaſſe contra mentem omnium ſuorum prædeceſſorum, & ſic agglommerauit Summos Pontifices per fas, & nefas, vt ſuis locis demonſtrabimus: audiens autem Honorium III. ſcripſiſſe Sermones, finxit quidquid ſibi in mentem venit. Etenim vbi Bandellus ſcribens in Brixia, & Ferraria reperire potuit opera Honorii, quæ nec extant in Vaticana, nec vidit aliquis Nomenclator antiquus, vel modernus? Item Honorius floruit ante annum 1216. in quo aſſumptus eſt ad Summum Apoſtolicæ Sedis apicem: quomodo ergo adhuc Scriptores ex ipſa Dominicana familia, vt Guillielmus de Gannaco, Ioannes Capreolus, Turrecremata, S. Antoninus, Anonymus, nec alius vllus, tale opus Sermonum, imò neque notitiam, quòd Honorius ſuam ſuſtinuiſſet opinionem, adepti fuerunt? Ex his exiſtimo Bandellũ, qui omnes alios Auctores in hac Vẽtilatione adductos, nullo dempto, enormiter vitiauit, vel fœdè adulterauit, vel temerariè finxit in Honorio omnia exercuiſſe, & in hoc nihil nouum fecit ſuper terram.

Secundam auctoritatem ſic adducit: Item idem in Sermone Aſſumptionis *A macula*, inquit, *peccati originalis, quod anima contrahit in vnione ad carnem ſeminaliter propagatam, quidam ex ſpeciali priuilegio in vteris matrum fuerunt mundati ante Natiuitatem, vt Heremias, & Ioannes Baptiſta, & B. Virgo, licèt de ipſa nõ habeatur expreſſum. Hæc ille.* Ex hac auctoritate euidentius confirmatur Bandellianum figmentum, nam nullus Doctor antiquus loquutus eſt his terminis: macula, originale, peccatum, contrahit, vnio ad carnem, propagatam, ſpe-

ſpeciali priuilegio &c. Et ſic quoad hoc quod ſcripſi, ſcripſi.

Tertiam auctoritatem ſic adducit: *Idem dicit in ſermone Ioannis Baptiſtæ, & Dominicæ de Paſſione.* Idem etiam ego dico, ò Bandellè, omnia tua verba eſſe plena dolo, & fallacia. Sed dato, quòd iſtæ auctoritates ſint veræ ſaltem abſque veritate adducis Honorium, quia hos ſermones laboranit Auctor, vt Centius Sabellus, non vt Honorius III. Dixi, quod ſentio de his auctoritatibus, alius ſentiat quid dicat.

HOSTIENSIS Canoniſta S.R.E. Cardinalis, in Summa ſua titulo de Pœnitent. & Remiſsion. §. ſi quis debet, &c. *Turrecrem. part. 6. cap. 36. fol. 125. à tergo. Anonym. Auctore 188. Bādel. cap. 19. Deza fol. 29. à tergo. Vincent. Gryſald. Barelete.*

VERITAS 123.

PROPRIVM Nomen huius fuit Hēricus Seguſia, Archiepiſcopus Ebredunenſis, & poſteà Cardinalis Hoſtiēſis, & floruit ad annum 1255. Atque in primis eſt multiplicatus ab Aduerſariis: nam ipſe compoſuit Summas duas, vnam in libro Decretalium, quæ incipit: *Ad Dei omnipotētis gloriam, & vniuerſalis Eccleſiæ decus, & decorem, &c.* impreſſa Pariſiis anno 1512. in folio magno, in qua agit de Pœnitentiis, ac remiſsionibus, à fol. 97. Cum verò infrà in Ioanne Gallico adducant Aduerſarii Apparatum, qui incipit: *Ad decorem ſponſæ, &c.* videtur hunc fuiſſe duplicatum. Scripſit etiam Hoſtienſis aliam Summam, quæ incipit: *Alpha, & Omega, vnum in eſſentia,* impreſſa Lugduni 1526. & Venetiis 1490. ſemper in fol. Hoc ſuppoſito.

Auctoritatem eius ſic adducunt: Idem tenet Dominus Hoſtienſis Cardinalis in ſua Summa titul. de Pœnit. & Remiſ. §. quis debet confiteri, vbi ſic dicit: *Sine peccato originali nullus cōceptus eſt de ſemine viri, & mulieris, quamuis aliqui in vtero matris ſanctificati legantur, vt Hieremias, Ioānes Baptiſta, & glorioſa Virgo Maria. Hæc ille.* Gryſaldus verò ſic: *Sine peccato originali nullus conceptus eſt, ſed glorioſa Virgo Maria ſanctificata.* Verba autem Hoſtieſis in 5. libro præallegato titulo, & cap. fol. mihi 1753. & in alio originali fol. 406. ſic ſe habent: *Quis debet confiteri? omnis peccator quicumque ſit ille, qui actuale peccatum commiſit, hoc ideò dico, quia ſine peccato originali nullus eſt genitus de ſemine viri & mulieris, quamuis in vtero matris aliqui ſanctificati legantur, ſicut Hieremias, & Ioannes Baptiſta, & glorioſa Domina noſtra. Negant enim veritatem ſeducti, ſecundum Auguſtinum, qui ſe abſque peccato iactare audent, &c.* Ex his patet, quòd nec hanc auctoritatem fideliter tranſcripſerunt, nam eam adulterarunt in principali, ac præcipuo verbo. Vbi enim Hoſtienſis, *nullus eſt genitus*; ipſi ſic, *nullus cōceptus eſt.* Etenim Hoſtienſis loquitur more antiquorum, qui peccatum originale, conſtituebant in generatione viri, & mulieris, id eſt, in luxuria, concupiſcientia, ſeu carnali delectatione parentum. Vndè hoc præuidentes Aduerſarii, malitiosè illud, *genitus*, tranſtulerunt in, *conceptus*, vt hoc termino comprehenderent animationem. Item Hoſtienſis ſolùm dicit, quod aliqui fuerunt in vtero ſanctificati; an verò hoc fuerit in primo, vel ſecundo inſtanti, in Maria non exprimit Hoſtienſis, vndè ſaltem inter æquiuocos numerandus eſt.

HVGO De Argentina, Ordinis Prædicatorum in Compendio Veritatis Theologiæ, lib. 4. & lib. 5. cap. 5. & 7. *Turrecrem. par. 6. cap. 29. fol. 119. Anonym. Auctore 66. Bādel. cap. 23. Deza fol. 41. à tergo. Vincentia, & Gryſald. Alphab. 5. littera V.*

VERITAS 124.

HIC Hugo de Argentina, qui ab aliquibus Nomenclatoribus vocatur Huloricus, ab aliis Vrigo, &c. fuit, & nō fuit, quia eſt fictus, atque multiplicatus, & idem cum Vlrico Argentinenſi, de quo latè num. 312. Vide ibi varias huius Auctoris transformationes. Opus verò allegatum eſt verum, & extat, ſed non eſt iſtius Hugonis, nec illius Vlrici, habet enim multos Patres. Nam Summa Theologiæ citata in hoc Auctore, tribunt etiam Ioanni Richardo, vt videre eſt num. 185. & etiā Ioanni Rigaldo, vt videre eſt num. 186. Item cum hoc opere adducunt Thomam de Suetonia, vt conſtabit infrà num. 299. Tandèm ſub eodem adducunt Reginaldum Rothomagenſem, vt dicam num. 266. Et hoc de opere. Inſuper ex altera parte, etiam eſt ſex duplicatus, nam hæc eadem Summa Theologiæ tribuitur Alberto Magno, Dino Thomæ, Pedro de Tarantaſia, Ægidio Romano, Hugoni, & S. Bonauēturæ, Auctores iam adducti ab Aduerſariis. Vide ergo, quantos Dominos habet hoc Compendium Thæologiæ?

Auctoritatem ſic adducunt: Item, ad idem eſt eiſudem Ordinis Pater, & Magiſter Hugo de Argentina, in Compendio veritatis Theologiæ, qui in libro 4. eiuſdem ponens tres ſanctificationes B. Virginis dicit: *Quòd prima fuit in vtero, quæ tres effectus habuit, videlicēt, originalis culpæ expiationem, & gratiæ infuſionem, & fomitis tantàm reſtrictionem, quòd non poſſit aliquod peccatum ducere, licēt ipſe maneret ſe-*

cun-

cundùm essentiam. Hæc ille. Auctoritas verò, vt extat in præallegato Compendio Theologiæ (ab Aduersariis in particulari, & expressè, quinquies multiplicato, in generali verò, & tacitè decies) lib. 4. seu Rubrica 3. littera H. sic se habet: *Circa quartum sciendum, quòd tres fuerunt sanctificationes Matris Dei, prima fuit sanctificatio in vtero, & hæc habuit effectus tres, scilicèt originalis culpæ expiationem, & gratiæ infusionem, & fomitis tantam restrictionem, quòd non posset in aliquod peccatum duci, licèt tamen ipse fomes maneret secundùm essentiam. Secunda sanctificatio fuit, &c.* Sicut est certum, quòd hęc auctoritas est eadem cum adducta ab Aduersariis, etiam est certum, quòd sub hoc Compendio, & auctoritate adducunt alios quatuor Auctores. Hic multa prætermiserunt verba, quæ in aliis exprimunt, vt sic non deprehęderetur tam ingens fraus. Sed tandèm, tandèm qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana.

Nota etiam, quòd hic Hugo de Argentina à Paulo Gryſaldo vocatur Vvrrigo de Argentina in Alphab. 5. Ordinis Prædicatorum, eum citans *Libro 5. ſuæ Summæ cap. 5. & 7.* Si diceres, Auctorem istum esse fictũ, non errares, sed cùm Gryſaldus non adducat in littera H. Hugonem de Argentina, ego misericorditer iudicãdo, dico, fuisse solùm errorem in nomine, sed illud quod dicit, de libro 5. cap. 5. & 7. totum est falsum, quia in illo Compendio, seu Summa Theologiæ, eius Auctor (quisquis ille fuerit ex decem enumeratis) capite 5. agit de fine actionum, & capite 7. de merito, & sic Gryſaldus in hoc Auctore, sicut in aliis, errauit sicut ouis, &c. Nisi dicamus, quod Vtrigo citatus à Gryſaldo, est Vlricus de Argentina, de quo iterum Aduersarii & nos, infrà num. 312. vide ibi, quia sunt, & inuenies scitu dignà nõ pauca, & si volueris huius Compendii cognoscere proprium Patrem vide num. 185. & 299.

HVGO Ferrariensis Episcopus Canonista, in cap. Firmissimè de Consecret. dist. 4. *Turrecrem. Par 6. cap. 36. fol. 125. à tergo. Anonym. Auctore 180. Bandel. cap. 19. Dezafol. 29. Gryſald. Vincent. S. Antonin.*

VERITAS. 125.

CVM verba istius Hugonis fuerint petra scandali, atque lapis offensionis omnibus Canonistis, operępretium erit, illum à fundamẽtis amouere, sequentibus suppositionibus iuxta rei veritatem. Supponẽdum ergo est primo, quòd postquam Gratianus, Monachus Benedictinus, compilauit Bononiæ codicem Decretorum ad annum 1127. vel secundùm alios ad annum 1150. de quo egimus supra num. 93. Surrexit quidam Hugo, seu Hugutius, quem hic Aduersarii vocant Ferrariensem Episcopum, si autem hoc verum sit, nec ne, incertum mihi est. Hic ergo Hugo, seu Hugutius, fuit primus Glossator illius Decreti Gratiani, seu Commẽtator, qui discurrẽdo per textum à Gratiano adductum, aliquas interposuit Glossas, seu breues declarationes. Deindè ad idem ingressus est quidam Ioannes, dictus Theutonicus, ex Ordine Prædicatorum, qui Glossas Hugonis corrigens, alias de nouo superaddidit, & hic fuit secundus Glossator Decreti. Tertio assumpsit hoc opus quidam Batholomæus Brixiensis, & has Glossas Hugonis, & Ioannis noua lima illustrauit, nihil tamen addens de nouo, vel demens à Glosis suorum prædecessorum, vt dixi supra num. 36. De his tribus Decreti Glossatoribus inquit Balthasar Pachecus in Methodo Iuris Canonici ex S. Antonino: *Primus Glossator eius, seu Commentator fuit Hugo, seu Hugutio. Secundus, qui glossauit fuit Ioannes Theutonicus, & ista est Glossa communis in textu. Addit prædictus Sanctus alio in loco, agens de isto Hugone, ipsum nimis scrupulosum fuisse in suis determinationibus, & quòd Glossa communis Decreti, est Ioannis satis bona. Insuper addit, quòd Bartholomæus Brixiensis addidit quædam ad dictas Glossas, &c.*

Secundo suppono, huiusmodi Hugonem, seu Hugutium, fuisse tam infimæ notæ, ac opinionis Auctorem, vt nullus fuerit Nomenclator Ecclesiasticus, Theologus, vel Iurista, qui de ipso specialem faciat mentionem, de eius scilicèt statu, scientia, vel tempore, quo vixerit, nam in Cathalogo Iurisconsultorum solùm citatur Hugo, & alibi Hugutius super Ius Canonicum, in Summa Angelica Angeli de Clauasio citatur Hugo Vercellen. inter Scriptores Iuris Canonici. Conradus Gesnerus fol. 364. solùm inquit: *Nescio quis Hugo nominatur, qui multas Glossas scripsit in Decretum.* Hæc est omnis notitia, quæ de hoc Auctore inuenitur. Siuè ergo Commentator, & Auctor illarum sit Hugo, vel Hugutius, vel Ioannes Ferrariensis, Vercellensis, vel Theutonicus, Episcopus, aut Frater, non solùm fuit scrupulosus in suis determinationibus, vt inquit S. Antoninus, sed etiam in multis fuit nimis audax, ac temerarius. Si quidem apposuit quam plures Glossas, non solùm à sana, & vera doctrina alienas, sed à fide Catholica penitùs deuiantes, quarum aliquas adducit præallegatus Balthasar Pachecus fol. 57. & concludit: *Aliæ sunt Glossæ quam plurimæ à vero omninò aberrantes, quæ Lectorem postulant cautum, &c.* Et adducit Decretum expeditum Romæ anno 1572. di 22. Augusti à Magistro sacri Palatii, circa correctionẽ Glossarũ Decreti: antiquæ ferè omnes scatent erroribus, & additionibus detestandis, præcipuè impressio facta Lutetiæ Pa-

Parisien. per Antonium de Mochara ann. 1561. vnusquisque enim addebat ad libitū, imò aliqui in Glosis seminarunt suos errores.

Tertiò suppono, quòd in Decreto dist. 3. cap. Pronuntiandum verbo: *Natiuitas*, in ipso corpore Decreti est quædam Glossa tenoris sequētis: *De festo Conceptionis nihil dicitur, quia celebrandum non est, sicut in multis regionibus fit, maximè in Anglia, & hæc est ratio; quia in peccatis concepta fuit, sicut & cæteri sancti, excepta vnica persona Christi.* Hæc Glossa sic extat in omnibus impressionibus Iuris Canonici, tam antiquis, quam modernis, nulla excepta, & in omnibus clarè, & expressè, dicitur hāc Glossam esse Hugonis, posito hoc signo *Hu.* Sed in Decreto impres. Paris. anno 1540. in 4. fol. 558. ad marginem istius Glossæ sic dicitur: *Virgo B. fuit sine originali concepta, quidquid dicat Glossa, & sencientes cum Glos. sunt hæretici, textus est in Extrauaganti Sixti IV. quæ incipit, Grauemimis de Reliq. & Ven. Sanct.* Distinctione verò 4. cap. 2. per Baptismum, verbo: *miraculo*, extat alia Glossa sic. *Vt in B. Maria, & Ioanne Apostolo, quia neutrum eorum potuit peccare. Item Natiuitas Mariæ in vtero non celebratur, sed Natiuitas ex vtero bene.* Hæc etiā est in omnibus impressionibus, in corpore Glossarum sicut antecedens, tamē absque signo, & nota Hugonis. Alia deniq; Glossa est in cap. 3. Firmissimè, ad illud verbum: *Omnem hominem*, quæ sic se habet: *Vt melius inteligas, scias, quòd duæ sunt natiuitates, scilicet, in vtero, alia ab vtero. In vtero nasci, est animam corpori infundi, ex vtero nasci, est, ex vtero in lucē prodire. Vndè B. Virgo, & Ioannes Baptista, & Hieremias cum originali peccato in vtero nati fuerunt; & hoc vult dicere littera, cap. in principio, ibi, omnem hominem, &c. Vndè Conceptio B. Mariæ non debet celebrari, sed Natiuitas ex vtero bene celebratur, & S. Ioannis, quia fuerunt in vtero sanctificati, & eis fuit dimissum originale peccatum.* Hæc Glossa etiam est cum nota Hugonis, sicut aliæ, at hæc quæ fuit & est petra scandali, non extat vt duæ antecedētes in corpore Glossarum, sed ad marginem, quod valdè est notandum.

Quartò suppono, quòd Decretum Canonicum fuit in diuersis mundi partibus excussum, vt diximus in Gratiano num. 93. & etiam repetitur manuscriptū in quamplurimis Bibliothecis, præcipuè verò in Bibliotheca Regia Scorialis extāt quatuor originalia in membranis, pulcherrimis characteribus scripta, in quibus nulla potest esse suspicio legalitatis, & extant ista quatuor originalia littera M. arca 1. nu. 1. 2. 4. & 5. In vno ergo ex his manuscriptis extant illæ Glossæ, scilicèt prima, & secunda; at nulla inserta in corpore, sed ad marginem, ac diuersissimo charactere scriptæ, nullaque est prænotata illis indicationibus, seu dictionibus: *Hu*, vel *Io*, aut: *Ber*, sed neque in hac neque in tribus aliis, extat tertia Glossa illa marginalis incipiens: *Vt hoc melius intelligas, &c.* quæ ex diametro opponitur Immaculatæ Conceptioni, & clarè, expressèque est pro Aduersariorum opinione. Similiter in Bibliothece S. Ecclesiæ Toletanæ extāt alia quatuor originalia manuscripta eiusdē Decreti, vbi tertia illa Glossa marginalis non extat, sed solùm duæ primæ & illæ habent indicationes oppositas, vt latiùs dicam infrà num. 205. atque 247. vide ibi, & hæc de originalibus manuscriptis. De impressis verò hæc eadem tertia Glossa non reperitur in impressione facta Venetiis per Baptistam de Tortis anno 1485: in fol. quā existimo fuisse primā, nec extat in impress. Parisien. facta ann. 1540. in 4. fol. 561. Itē in impressionibus Paris. apud Iolandam Bonhomen. anno 1536. & 1542. fol. 667. ex tota illa auctoritate marginali solū extant sequentia verba: *Scias, quòd duæ sunt naturæ, scilicèt, in vtero, alia ab vtero; in vtero nasci, est, in vtero animam corpori infundi, ex vtero nasci, est, ex vtero in lucem prodire.* Et nihil ampliùs; à quo autem fuerit addita sequens illa clausula: *Vndè B. Virgo, & Ioannes Baptista, & Hieremias cum originali peccato nati fuerunt in vtero, &c.* quæ expressè, ac clarè comprehēdit Virginem sub originali peccato, & inuenitur in aliis impressionibus: diuinare potest Lector; quia nullum inuenio Auctorem. Quod autem ego affirmo, est, quòd secunda clausula videtur superseminata ab aliquo inimico homine: Nam illa illatio; *vndè B. Virgo, &c.* nullam connexionem habet cum antecedenti, nā quæ consequentia est hæc: Duæ sunt natiuitates vna in vtero, & alia extra vterum; vndè Virgo, Ioannes, & Hieremias nati fuerunt in vtero cū peccato originali? Aliqua ergo interfuit malignitas in additione secundæ clausulæ illius tertiæ Glossæ marginalis.

Quintò suppono, quòd in aliquo antiquo originali manuscripto erat hæc tertia Glossa, quia D. Guidus Archidiaconus qui scripsit ante Typographiæ inuentionem illam adducit, vt vidimus num. 99. Item Ioannes de Grasis in cap. Vnum oratorium xxv. dist. vt videre est in repetitionibus Doctorū impres. Venetiis 1587. tom. 6. volum. 1. fol. 34. colum. 1. sic inquit: *Capio Glossam sequentem super verbo: pœnæ, pro cuius expositione quæro, quare textus dicat. pœnæ, Glossa respōdet ibi: in vtero. Ista est prima solutio, quæ est vera in se. Ex qua colligite, quòd cum æquiparetur Virgo Maria Ioanni Baptistæ, quòd non fuit immunis à peccato originali, sicut nec Ioannes, & sic festum Conceptionis, quod hodie colimus, non esset colendum, & ita tenuit Glossa cap. 1. de Consecrat. dist. 3. Sed hæc opinio hodie est reprobata per Decretum sacri Concilij Basilien sis, quod approbauit opinionem Mi-*

no

norum, & meritò, quia non est credendum Christum, Deum vnum voluisse incarnari in vase corrupto aliqualiter, aliqua peccati macula. Nec obstat illa similitudo, quia fortè Glossa ita dixit, sequendo illam suam opinionem, de qua in dicto capitulo 1. vel licèt ambo fuerint in vtero sanctificati, non tamen vniformiter, sed differmiter; quia Virgo in ipsa Conceptione, Ioannes post, est tamen dubium, quia anima non infunditur in Conceptione, sed post, lege si pater, ff. de solu. 1. antiqui, ff. si pars hæred. p. ista est secunda solutio, quæ plus placet, &c. In hac auctoritate notare debes duo, primum illud: *quia fortè Glossa ita dicit sequendo illam suam opinionem.* Quibus satis clarè insinuat Ioannes de Grasis Glosam illam tertiam marginalem, fuisse cuiusdam Patris Dominicani, qui propter suam opinionem ibi illam inseruit. Secundum notandum est illud: *Quia Virgo in ipsa Conceptione, Ioannes post. Est tamen dubium, quia anima non infunditur in Conceptione, sed post.* Igitur secūdùm Canonistas antiquos, aliud erat Conceptio, aliud animatio, seu animæ infusio, illa præcedebat, quia sumebant Conceptione pro ipsa generatione, seu seminis susceptione in vtero matris. Stante ergo hac Conceptionis acceptione, quid mirum, quod dicerent Conceptionem Mariæ non esse celebrandam, quia fuerat in peccato, vel in peccatis? Hanc termini Conceptionis æquiuocationem benè sensit, ac notauit Grasis, sed Aduersarii absque vlla distinctione, ex destinato animo omnem Conceptionem transferunt ad animationem. Item loquēdo de eadem Glossa inquit Steph. de Gaeta Neapolitan. in eisdem repetitionibus vol. 1. cap. ad limina 30. quæst. 1. num. 34. fol. 16. col. 1. circa mediū: *Sed de B. Virgine dicunt Fratres Minores, & aliqui alij, quòd concepta fuit ex humano semine, concupiscentia tamen refrenata, sicut fuerat in statu innocentiæ, & sic absque peccato originali, non ex natura, seu iustitia, sicut Christus, sed ex misericordia, alioquin daretur, quòd aliquali mora fuisset sub potestate diaboli, quòd dicendum non est. Sed Prædicatores cum Canonistis dicunt, quòd imò cum concupiscentia carnis, & peccato originali, sed infusa anima, in instanti, & simul fuit purgata, & mundata à tali macula, ita quòd nunquam fuit in potestate diaboli, quia tamen non est de Articulo fidei; optarem quod Papa imponeret silentium vtrisque, &c.* Ex hac auctoritate colligitur, qualis fuerit mens antiquorum Patrum Prædicatorum.

Sextò supponamus, istas tres Glossas Decreti, vel esse Hugonis, vel Ioannis Theutonici, si Hugonis, vt indicare, seu meliùs affirmare videtur Decretum, Archidiaconus, & ipsimet Aduersarii hìc; quomodo duæ Glossæ sunt in corpore textus, altera verò in margine? si sunt eiusdem Auctoris Hugonis, quomodo duæ existentes in corpore Decreti, seu Glossarum, extant in omnibus impressionibus, illa verò marginalis nō? si sunt Hugonis, quare Aduersarii relictis illis duabus in corpore iuris adducunt pro Hugone illā marginale? Hoc in rei veritate nō capio, si sunt Hugonis, quomodo, vt videbimus inf. à num. 129. sub eisdē Glosis, adducunt etiā iterū Hugutium? Deindè discurrendo viceversa, si Glossæ illæ sunt Ioannis Theutonici, vt vult S. Antoninus dicens: *Et quòd Glossa cōmunis Decreti est Ioannis satis bona*, quomodo istæ Glossæ sunt subscriptæ nomine Hugonis? Si sunt Ioānis Theutonici, quomodo num. 173. tribuunt has easdē Glossas Ioanni Gallico Glossatori Decreti? Denique si sunt Glossæ illæ Ioannis Theutonici, qui fuit ex Ordine Prædicatorū, vt Aduersarii ipsi dicunt, & fatētur num. 192. quodo sub eisdēmet Glosis adducūt ad areā suam, & contra Immaculatā Virginis Conceptionē Auctores sequentes. Primo, Ioannē Theutonicū. Secundò, Hugonem Ferariensem. Tertiò, Hugutiū. Quartò, Ioannem Gallicū. Quintò, Bartholomæu Brixiesiensem. Sexto, Guidonē Archidiaconū. Septimò, Laurentiū Glossatorem antiquum. Octauo, Bernardū Papiensem. Nono, Petrū Medionalensem. Decimo, Petrū de Braco. Vndecimo, Iannem Cōpilatorem Decreti, vt suis locis dicetur? Nec hic sistimus, quia multi ex his Auctoribus sunt iterū multiplicati: nā ipsemet Ioannes Theuticus quinquies adducitur. Et quis intelliget hæc?

Septimo, suppono, auctoriatem adductam ab Aduersariis sic se habere: Idē tenet Doctor Hugo, Episcopus Ferariēsis super cap. Firmissimè de Cōsecrat. dist. 4. sic dicens: *Duæ sunt natiuitates, videlicèt in vtero, & extra vterū, in vtero nasci, est, animā corpori infūdi, & nasci ex vtero, est, in lucē prodire. B. igitur Maria, & Ioānes Baptista, & Hieremias fuerūt cū originali peccato nati in vtero; vnde Beatæ Mariæ Conceptio non debet celebrari, quia in peccato concepta est, sed postmodum fuit sibi dimissum peccatum originale, & sanctificata fuit in vtero, vnde Natiuitas eius celebratur. Hæc ille.* Si hanc auctoritatem conferas cum illa vltimo loco suprà posita, inuenies; quòd in aliquibus sit vitiata. Et primo prætermiserunt illud, *vt hoc melius intelligas, scias quod.* Secundo, vbi Hugo, *in vtero, alia ab vtero*; ipsi sic, in vtero, *& extra vterum.* Tertio, tacuerunt illud, *est in vtero.* Quarto, prætermiserunt illam clausulam, *& hoc vult dicere, &c.* Quinto, absque vllo timore addiderunt illud, *quia in peccato concepta est.* Sexto, in vltima clausula non dereliquerunt lapidem, componentes verba ad suum placitum. Septimo, malitiosè addiderunt illud, *& sanctificata fuit in vtero*, vt introducerent suam sanctificationem.

Propoſitis ergo, atque recognitis omnibus difficultatibus, ac viſis quam plurimis originalibus, ac denique quidquid pro huius materiæ indaganda veritate excogitari poterant: Concludo, affirmando, quod ex illis tribus Gloſsis poſitis in Decreto (quæ hucuſque terruerunt Canoniſtarum animos, ac Theologorum mētes) nulla eſt Hugonis Ferrarienſis, vel Hugutii primi Gloſſatoris Decreti, ſed duæ quæ ſunt in corpore Iuris, fuerūt Ioānis Teuthonici de Friburgo, Ordinis Prædicatorum, ſecundi Gloſſatoris Decreti, vel alterius Ioannis Theutonici, Tertiam verò marginalem, fuiſſe cuiuſdam incogniti Auctoris, Ordinis Prædicatorum, & fortè fuit appellatus Ioannes Gallicus, cui infrà attribunt hanc Gloſſam Aduerſarii, vt videre eſt num. 173. Qui quidem ad maiorem ſuæ opinionis auctoritatem, illas ſubſcripſit illis dictionibus: *Hu.* Vt denotaret illarum Auctorem fuiſſe Hugonem, vel Hugutium primum Decreti Gloſſatorem, at, vt dixi, in rei veritate nō ſunt, quod conſtare videtur ex ipſis Aduerſariorum verbis, quia illas eaſdem auctoritates adducunt infrà, ſub nomine Ioannis Gloſſatoris Decreti, Ioannis Teuthonici, & Ioānis Gallici, de quibus num. 166. & 173. & 193. tacentes tamen ſemper, quòd Auctor illatum Gloſſarum eſſet ex Ordine Prædicatorum, volentes ſic introducere Auctorem in ouile aliundè, & cum ouina pelle; quia Auctor illarum non eſt H. ſed I. Nec obſtat, quòd Guidus Archidiaconus adducat illam Gloſſam ſub nomine Hugonis, vt vidimus num. 99. quia Archidiaconus ſcripſit, & tranſcripſit, quòd inuenit in Decreto, abſque alio examine, vt cōmuniter fit. Vel ſaltem cōponāt hoc Aduerſarii: Archidiacōnus dicit Gloſſam, illam eſſe Hugonis, Turrecremata, & alii Dominicani, quòd eſt Ioannis Teuthonici, Gallici, Gloſſatoris Decreti, manuſcripta originalia, hanc tribuunt aliis, vtlatè videbimus num. 247. Ipſi ergo videant, cui credendum ſit?

HVGO Gallicus, Archiepiſcopus, ac Cardinalis Hoſtienſis, Ordinis Prædicatorum in 3. Sent. diſt. 3. *Ita Turrecrem. par. 6. cap. 29. fol. 112. à tergo, Anonym. Auctore 50. & Barelete.*

VERITAS 126.

POSTQVAM Ioannes de Turrecremata in claſsi, Ordinis Prædicatorū, Auctore primo adduxiſſet Hugonē Poſtillatorem Bibliæ, de quo nos num. ſequenti, immediatè habet hæc verba: Item ad idē eſt Dominus Hugo Gallicus, eiuſdē Ordinis Pater, qui tandèm pro excellentia ſuarū virtutum factus eſt Archiepiſcopus, & Cardinalis Oſtienſis in 3. Sent. diſt. 3. ita in forma dicēs: *A corruptione vitij originalis purgata fuit Virgo B. in vtero quantū ad infectionē, & reatū, quia adhuc deſcēdiſſet in limbū, ſi deſcendiſſet ante conceptum Filij Dei, ex debito originalis peccati, quod nunquā plenè fuit purgatū ante aduentū Chriſti vndè in aduentu eius Spiritus Sanctigratia repleta; omninò purgata eſt ab hac corruptione, & ita bis ſanctificata fuit. Hæc ille.* Et hæc Turrecremata de ſuo Hugone. Anonymus verò poſt Albertū Magnum, Hugonē Cardinalē, de quo num. ſequenti, & Petrum de Tarantaſia ſic inquit: *Idē tenet Dominus Hugo Gallicus, Cardinalis Hoſtienſis in 3. Sent. diſt. 3.* & nullā adducit auctoritatem. Barelete poſt S. Thomam, & Petrum de Tarantaſia enumerat iſtū ſic: *Vgo Gallicus in 3. diſt. 3.* & nihil amplius. Bandellus autē, Vincentia, Deza, & Gryſaldus, qui alias à dextris, & à ſiniſtris recollegerunt omnes adductos à ſuis præceſſoribus, imò finxerunt alios de nouo, de hoc Hugone Gallico Archiepiſcopo, & Cardinali Hoſtienſi nullā faciunt mentionē. Vndè exiſtimo, quòd Auctor iſte ex aliqua parte eſt fictus.

Vt ergo à radice aperiamus veritatem, ſciendū eſt, quòd Lean. Alber. lib. 1. fol. 42. adducit ad ann. 1331. quendam Hugonem Gallicū 16. generalem, ſed nihil dicit de eius ſcriptis, nec de aliis ſupra poſitis. Ant. Senenſis in ſua Biblioth. fol. 119. adducit tres Hugones Cardinales, & ſcriptores ex Ordine Prædicatorum. Primum Hugonem de S. Theodorico, ſeu de S. Caro, de quo numero ſequenti. Secundum, Hugonem Auernenſem, & Tertium Hugonem Barchinonenſem. Ex quibus iſte vltimus abſque vlla controuerſia, ac dubitatione eſt fictus, quia talis Hugo Barchionenſis nunquam fuit in Ordine Prædicatorum; nec in rerum natura; conſtat hoc euidenter. Primò, quia nec Ciaconius in Nomenclatura Cardinalitia, nec aliquis alius ex antiquis Scriptoribus (excepto Franciſco Maria, qui deceptus fuit à Senenſi) de tali Hugone Barchinonenſi mentionem facit. Secūdò, quia S. Antoninus 3. part. Hiſt. tit. 23. cap. 11. §. 1. fol. 678. referens Cardinales, qui fuerunt in ſua Religione vſque ad annum 1458. enumerat viginti tres; ac inter eos ſolummodo duos Hugones, vnum de Sancto Caro, alterum de Belinciolo, Prouinciæ Franciæ, Magiſtrum in Theologia, & Epiſcopum Hoſtienſem. Idem dico de Alphonſo Placentino in Cathalogo Cardinalium Prædicatoriæ familiæ, & Michaele Pio par. 1. lib. 4. colum. 552. Tertiò, quia Petrus Frizon in ſua Gallia pupurata loquens de primo Hugone de Sancto Caro fol. 221. inquit: *Vocatur à quibuſdam Barchioneſta, non quòd fuerit Barchinonæ Hiſpaniæ Tarraconenſis vrbe natus, aut Epiſcopus Barchinonenſis, vt putauit Sixtus Senenſis, ſed à*

Con-

Conuentu Dominicano Barchionettæ inter Alpes, vulgò, Barcellonetæ, &c. Cōstat ergo ex his & aliis quæ adducere poteram, quòd in Ordine Prædicatorū solùm fuerunt duo Hugones Cardinales, de illo notissimo Hugone de S. Caro Postillatore totius Bibliæ loquemur num. sequenti; de altero nunc restat inquirere.

Fuit igitur in Ordine Prædicatorū, quidā Hugo cognominatus Seguin de Billon, vel de Billonio, qui secundùm Auctores suprà relatos, fuit Archiepiscopus Lugdunensis, & creatus Cardinalis anno 1288. primo tituli S. Sabinæ, & posteà Hostiensis, & mortuus anno 1328. licèt varient in Pontifice; nam aliqui dicunt fuisse creatum Cardinalem à Nicolao V. alii autem à Celestino V. alii dicunt, fuisse Cardinalem tituli S. Sabinæ; alii verò fuisse Lectorem illius Conuētus, vt Ciaconius col. 785. Alii non appellant ipsum Hugonem, sed Guillielmū, vt videre est apud Turrigium in Biblioth. fol. 22. quæ variationes videntur labefactare subsistentiam huius Cardinalis de Billonio. Sed quidquid sit de hoc adhuc nostra vētilatio inquirit, an hic adductus à Turrecremata sub abscuro nomine Hugonis Galli, Archiepiscopi, & Cardinalis Hostiēsis, sit Hugo de Billonio, & videtur, quòd sic ex nomine, patria, Archiepiscopatu, atq; Cardinalatus titulo, & præcipuè quia cùm non sit alius Hugo Cardinalis Gallus, vel nō Gallus in tota Prædicatorū familia necessaria illatione, vel est hic, vel erit fictus, vel saltē multiplicatus cū Thoma Iorsio, quē Turrigius vbi suprà vocat Guillielmū Iorsiū, & fuit Cardinalis S. Sabinæ, & scripsit super Sentētias. Vide quæ dicimus infrà num. 301. His suppositis secundum veritatem

Dico, quòd licèt Auctor non sit fictus, tamen opus, & auctoritas vidētur omninò suppositæ, ac chimericè fabricatæ, quòd sic probo. Primò, quia de operibus talis Hugonis Gallici, seu de Billonio nullus Nomēclator antiquus mētionē facit; imò, ipsemet S. Antoninus, qui inter Cardinales adducit Hugonē de Billonio Gallum, & Archiepiscopum; §. sequenti agit de Scriptoribus suæ Religionis, inter quos enumerat Petrum de Tarantasia, & Hugonem de S. Caro, atq; alios quā plures, sed de Hugone de Billonio Gallico nō meminit. Frācis. Maria Turrigius in Bibliot. Cardinalitia fol. 26. enumerat quinque Hugones scriptores, sed de præsenti, nec verbum habet: ergo signum est, quòd hic non scripsit. Secundo, quia adhuc Antonius Senensis dubitat de hoc Scriptore cuius ratio (& quidèm efficax) talis est: S. Antoninus in 3. part. suæ Hist. fol. 1. recensēt omnes Hugones celebres mundi, qui fuerunt septem, scilicèt, Hugo Cluniacensis, Hugo Gratianopolitanus Carthusianus, Hugo de S. Victore, Canonicus Regularis, Hugo de Folieto, etiam Canonicus, Hugo, seu Huguccio, Glossator Decreti, Hugo de S. Caro Postillator Bibliæ, Ordinis Prædicatorum, ac tandem Hugo Monachus Floriacensis, isti sunt septem Hugones celebrati à S. Antonino: si ergo Hugo ille Gallicus esset adeò celebris, vt ipsum depingit Turrecremata, non a suo Cathalogo S. Antoninus illum excluderet, hoc est argumentum ipsiusmet Senensis. Tertiò, quia Scriptores Dominicani affirmant, istum Hugonem scripsisse super 4. libros Sentent. librum de vnitate formæ, librum de immediata visione Diuinæ essentiæ, & librum cōtra corruptorium D. Thomæ, id est, contra Henricum de Gandauo; & hæc eadem opera referunt de aliis sex Doctoribus Parisiensibus, Gallis, Ordinis Prædicatorum, v. g. de Ioanne Parisiensi, qui ad annum 1294. scripsit super 4. lib. Sent. lib. de vnitate formarum, & lib. contra Henricum de Gandauo. Item de Ioanne de Tortocollo super 4. lib. Sent. & contra Henricum de Gandauo ad ann. 1300. Item de alio Ioanne Parisiensi, qui vixit eodem anno, & scripsit in 4. lib. Sent. de vnitate esse, & essentiæ Diuinæ, & contra corruptorium D. Thomæ, & Henricum de Gandauo. Item dicunt de Heruæo Natali, siuè Henrico Britone, qui floruit eodem tempore, quòd scripserit super sententias, de vnitate formarū, ac contra Henricum de Gandauo. Item de Bernardo de Claramonte, etiam Gallo, qui vixit ad annum 1292. dicunt scripsisse cōtra Henricum de Gandauo, vt vidimus num. 45. item Leander Albert. lib. 4. fol. 137. refert de quodā Ægidio de Lisciuis Bacchalario, qui scripsit de vnitate formarum, & immediata visione Diuinæ essentiæ. Et statim refert de alio Ricardo Clapoel Anglo qui scripsit cōtra corruptorium D. Thomæ, de vnitate formarum, & immediata visione Diuinæ essentiæ. Quomodo ergo est credibile, quòd intra claustra vnius conuentus Parisiensis, eodē tēpore scilicèt, ab anno 1288. vsque ad 1300. essent sex Magistri Parisienses, Ordinis Prædicatorum scribentes eosdem libros, tractatus, ac materias? Vide alia huiusmodi infrà num. 183. in Ioanne Parisiensi, etiam Ordinis Prædicatorum. Quartò, & potissimè quia huius Hugonis opera referunt Nomenclatores moderni Dominicani ab Ant. Senensi, & hic ab Anonymo; inquit enim sic: *Hugonis prænominati fit mētio in libro illo recollecto ex omnium Sanctorū Patrum testimonijs, ad probandum, quòd B. Virgo fuit concepta in peccato originali impref. Mediolani anno 1475. sine alicuius Auctoris nomine, cuius tamen creditur fuisse noster Bandellus Auctor, &c.* Anonymus verò, siuè Bandellus desumpsit notitiam à Turrecremata, & hic sistit tota genealogia huius Hugonis Gallici Dominicani, quia, vt dixi, nullus Auctor Antiquior ipso adducit talem Cardinalem Hugonem Gallicum, & multò minùs opera ipsius; auctoritatem, aut verba inpul-

la materia. Ideò fortè ipsemet Bandellus quando voluit proprio nomine, & aperta facie scribere secundum opusculum contra Immaculatam Virginis Conceptionem, vt non deprehenderetur in tam aperta fictione, absolutè prætermisit istum Hugonem Gallicum, & idem fecerunt Vincentia, Deza, atque Gryfaldus. Cùm enim Bandellus adduxisset illum in primo tractatu, licèt sine auctoritate, in secundo, ac tertio nullum alium Auctorem ex adductis à Turrecremata prætermisit nisi istum: hoc autem non potuit ex altera causa prouenire, nisi quia priùs iudicauit auctoritatem non esse ad propositum, & posteà re maturiùs præmeditata inuenit Auctorem etiam fuisse fictum.

Igitur ex his, & aliis breuitatis causa omissis (quousque Aduersarii aliquid aliud in contrarium demonstrarent) nostra firma, & constans resolutio est, quòd Auctor iste fuit fictus secundū quid, quia Hugo Gallicus nō scripsit, neque ipsius opera visa, aut audita, vel saltem somniata ab aliquo Ecclesiastico Scriptore fuerunt: at excluditur vt multiplicatus simpliciter cū Hugone de S. Caro, eiusdē Ordinis Prædicatorum, de quo n. sequēti, Gallico, Archiepiscopo, ac Cardinali, Postillatore Biblicæ, atq; Scriptore super 4. libros Sententiarum. Ex Hugone enim Gallo Cardinali exprimendo proprium nomen, & Postillam, fecit Turrecremata Auctorem vnum & ex eodem Hugone tacendo cognomē, & ex libro Sent. fecit alterum. Hinc Nomenclatores Dominicani cernentes, quòd Turrecremata adducebat secundū Hugonem Cardinalem Gallū distinctum à primo Carensi, & quòd in sua Religione talis nominis, ac qualitatum solummodo restabat Hugo Guilin de Billonio, adscripserunt ipsi opus Sententiarum, &c. Et sic creuit incendium per omnes ab ista scintilla Turrecrematæ. Sed iam gratis admisso, quòd Auctor sit certus, & auctoritas vera, Hugo in ipsa solū probat debitum proximum: Fatemur enim, quòd in vtero Matris fuit Maria purgata à corruptione vitii originalis peccati, & à reatu, atque debito, quo caro illa erat infecta in semine; sed hæc non est originalis, ac formalis macula peccati, sed tantùm causa, aut dispositio ad illam: fatemur etiam pariter, quòd si illa non esset purgata, & præuenta per sanctificationē, necessariò contraheret maculam, & quia Maria habuit illam corruptionem, reatum, ac debitum, descendisset ad limbum, quia descensus diminabat à reatu, & debito; sed ex omnibus istis nihil deducitur contra ipsum animationis punctum, & quòd Hugo loquatur de semine, seu carnis purgatione, constat, quia in carne est debitum, & in anima solutio, in carne corruptio peccati, in anima macula illius corruptionis, reatus est in carne, id est, obligatio ad pœnam, sed in anima non est reatus, sed rei actus, id est, ipsa culpa, & pœna in executione, distinguuntur enim hæc omnia tanquam medium, & extremum, potentia, & actus: Item probo, quod non loquatur Hugo de ipsa formali macula animæ ex vltimis verbis: Quia si Maria bi fuit purgata, & sanctificata, scilicèt in Conceptione actiua, & passiua, & in actiua non fuit purgata, aut sanctificata ab aliqua macula animæ, sed à carnis titilatione, vel delectatione, quæ inesse poterant in illa Conceptione, idem sentiendum erit de sanctificatione, seu purgatione conceptionis passiuæ. Et hæc dicta sufficiant de isto Hugone incognito. & si hæc non conuincunt, saltem non negabunt fuisse ex Ordine Prædicatorum.

HVGO De Sancto Theodorico, siuè de S. Caro, Cardinalis S. Sabinæ, Ordinis Prædicatorum, super Lucam cap. 1. & super Ecclesiasten cap. 7. *Turrecrem. part. 6. cap. 29. fol. 112 à tergo. Anonym. Auctore 48. Bandel. cap. 23. Deza fol. 39. Vincent. Gryfal. Brixienfis, & Barelete.*

VERITAS. 127.

NOTVS, Atque communis hic Auctor, cuius opera fuerunt excussa Basileæ anno 1502. Coloniæ 1621. Parisiis 1539. fuit Cardinalis S. Sabinæ, Gallus, atque Doctor Parisiensis, nō Barchinonensis, vt non rectè Trithemius, & Sixtus Senensis fol. 249. De hac æquiuocatione diximus numer. antecedenti, habuit diuersa nomina, scilicèt, Hugo Carensis, vel de S. Caro. Hugo de S. Theodorico, vel Celidoro, vel de S. Iacobo. Inter alia scripsit Postillā super totam Bibliam, in quatuor libros Sententiarum, & Compendium Theologiæ veritatis in septem libros distributum, vt post multos alios dicit Frizon in Gallia purpurata fol. 221. Est denique idem ipse num. antecedenti, vocatus à Turrecremata, & Anonymo; Hugo Gallicus in 3. Senten. dist. 3. vt sic mutato Cardinalitio titulo, ex vno Hugone Gallo duos efficerent contra Immaculatam Virginis Conceptionem.

Primàm huius auctoritatem sic adducunt Aduersarii: Item ad idem est D. Hugo Cardinalis totius Bibliæ Postillator, Ordinis Prædicatorum, Magister eximius Parisiensis antiquus, super Lucam in primo capite, in expositione illius: Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrauit tibi. Quod iam superius extitit allegatum. Ita Turrecremata par. 6. cap. 29 Parte verò 5. cap. 2. fol. 83. sic dicit: Dominus Hugo Cardinalis in Postilla sua super Lucam, ita dicit: *Obumbrabit tibi, id est, refrigerabit tibi mentem, fomitem extinguendo. Vn-*

dè

dè ait Gloſſa, quæ eſt Bedæ: Superueniens Spiritus Sanctus in Virgine, mentem illius ab omni ſorde vitiorum caſtificauit, & fomitem vitiorum. Vndè Gloſſa Interlinealis dicit contra omnia nitentiam vitiorum. Hæc Hugo Cardinalis. Auctoritas verò Hugonis in præallegato cap. tom. 6. in omnibus impreſsionibus tam antiqua, facta Pariſiis ann. 1545. quàm modernis ſic ſe habet: *Et virtus Altiſsimi, id eſt, Spiritus Sanctus, ſiuè gratia Spiritus Sancti obumbrauit tibi, id eſt, refrigerabit te fomitem extinguendo. Vndè Gloſſa: Superueniens Spiritus in Virginem, & mentem illius à ſorde vitiorum caſtificabit. Et nota, quòd poteſt eſſe in tranſitio, vbi dictum eſt; A ſorde vitiorum, id eſt, à vitijs, quæ ſunt ſordes, vel tranſitio, vt ſit ſenſus: à ſorde, id eſt, à fomite vitiorum: Vndè dicit Interlinealis, contra omnia incentiua vitiorũ.* Ex hac vera patet, quod auctoritas adducta ab Aduerſariis eſt adulterationibus vitiata. Primò, addendo illud verbum, *mentem.* Secundò, illud, *Gloſſæ quæ eſt Bedæ.* Et nota quòd hãc Gloſſam adduxerunt ſuprà in S. Ambroſio, & vtrobique errarunt à veritate, quia illa Gloſſa nec eſt Bedæ, nec S. Ambroſii, ſed Strabonis: nam Bedæ eſt alia, licèt huic ſimilis. Tertiò, falliſsimè addiderunt illam vniuerſalem, *ab omni.* Quartò, abſque vllo timore abſtulerunt totam illam clauſulam intermediam, in qua Hugo ſuam declarat mentem, dicens: *Et nota, quòd poteſt eſſe in tranſitio, vbi dictum eſt, à ſorde vitiorum, id eſt, à vitijs quæ ſunt ſordes; vel tranſitio, vt ſit ſenſus; à ſorde, id eſt, à fomite vitiorum.* Quæ maximam claudunt intelligentiæ, ac explicationis latitudinem. Quintò, vbi Hugo habet ex Interlineali, *contra omnia incentiua*, tranſtulerunt, contra omnia *nitentiam*; quid autem voluerũt ſignificare in hac voce, *nitentiam*, nec ſecundùm grammaticam, nec ſecundùm ſenſum locum habet, niſi à verbo, nitor, extraxerint hanc *nitẽtiam*, & hìc ad quid? Excluſis ergo his quinque adulterationibus, auctoritas Hugonis nihil habet contra Immaculatam Virginis Conceptionem: quia ſi Hugo vult ponere ſordes, & vitia in Virgine tempore Incarnationis nõ ſolũ peccatum originale, ſed & actualia admittit, quòd eſt blaſphemum; ſi autem per ſordes, & vitia intelligit illa, quæ ab innata natura eueniunt mulieribus in Conceptione fœtus, in hac parte abſque fundamento adducitur ad probãdum ex illis peccatum originale.

Secundam auctoritatem ſic adducunt: Idem tenet Dominus Hugo de S. Theodorico, Cardinalis tituli S. Sabinæ in Poſtilla ſua ſuper Eccleſiaſt. cap. 7. dicens: *Beata Virgo Maria contraxit in ſua Conceptione originale peccatum; propter quod eius Conceptio non celebratur, ſi qui tamen celebrant, dicunt habere reſpectum ad ſanctificationẽ ſubſecutã ipſam Conceptionẽ quia in vtero Matris à peccato ſanctificata fuit. Hæc ille.* Auctoritas verò ſic extat in Hugone tom. 3. fol. 92. col. 2. *Virũ de mille, &c. ſcilicèt Chriſtũ, qui caput eſt omnium bonorũ, & ſuper omnes bonos, quod ſignificatur per millenariũ, qui perfectus eſt numerus, vndè dicit ſponſa Canticorũ 5. Dilectus meus candidus, & rubricundus, electus ex millibus. Mulierem verò, &c. quæ aliquid muliebritatis non haberet, ſaltem originaliter. Etiam B. Virgo originale habuit: propter quod eius Conceptio non celebratur, tamen qui celebrant, debent habere reſpectũ ad ſanctificationem eius, qua ſanctificata fuit in vtero matris ſuæ.* Hæc auctoritas in multis extat adulterata. Primò cùm integra auctoritas incipiat ab illis verbis: *Mulierem verò, quæ aliquid muliebritatis non haberet, ſaltem originaliter*, omnia prætermiſerunt, nam illud, *muliebritatis, originaliter*, indicat illum defectum cõmunẽ noſtri originis in matribus, ſcilicèt delectationem carnalem, &c. ſed de hoc infrà. Secundò, vbi Hugo, *etiam B. Virgo originale habuit*; ipſi ſic, *Beata Virgo Maria contraxit in ſua Conceptione originale peccatũ.* Conſidera, qualis ſit hæc adulteratio! Et in hoc rectè iudicarũt; quia abſque hac tam ingenti adulteratione auctoritas Hugonis nõ erat ad rẽ: nã Chriſtus ſolus ſingulariter inter homines nihil habuit muliebritatis, quia mater eius ipſum cõcepit abſque ſordibus, ac vitiis cõmunibus cõceptionis: Beata autẽ Virgo Maria etiã habuit in ſua Cõceptione carnali ſordes cõmunes, & muliebritatis vitia, ideò Conceptio eius facta die 8. Decẽbris non debet celebrari, niſi per ordinem ad ſanctificationẽ, & ſic Hugo reducitur ad modũ loquẽdi antiquorũ. Tertiò, illa verba Hugonis aſſertiua, & affirmatiua, *tamen qui celebrant*, in quibus exprimitur, quòd ſuo tempore iam aliquæ Eccleſiæ, vel fideles ipſam Cõceptionis feſtiuitatẽ celebrabãt, ipſi illã reddiderunt conditionalẽ, dicentes: *Si quitamẽ celebrant.* Quartò, vbi Hugo, *debent habere reſpectũ*, quòd eſt conſiliatiuũ, ipſi ſic tranſmutarũt *dicunt*, habere reſpectũ, quaſi hæc nõ eſſent verba Hugonis, ſed celebrantiũ feſtiuitatẽ Conceptionis, ac ipſi affirmarent, ac dicerent, ſe celebrare diẽ Conceptionis, non propter Conceptionẽ, ſeu animationem, ſed ſolùm per ordinẽ ad ſanctificationem. Quintò, eadem intẽtione addiderunt illam vocem, *ſubſecutam*, vt ſic excluderent interpretationem cõmunem de ſanctificatione in eodem inſtãti animationis. Sextò, vbi Hugo, *quia ſanctificata fuit in vtero Matris ſuæ*; ipſi ſic, quia in vtero Matris *à peccato*, ſanctificata fuit, addentes illud, *à peccato*, vt ſic determinarent ſanctificationẽ ad formalẽ culpã, & maculã animæ: Ex tot, ac tantis adulterationibus capitalibus colligitur, Hugonem nõ ita clarè, & expreſsè locutum fuiſſe pro ſua ſententia, vt eius verba non haberent ſanum ſen-

ſum; ſi enim Hugo loqueretur. De formali peccato originali contracto in animatione, ad quid erant tot verborum additiones, ac tranſmutationes. Loquebatur Hugo more Antiquorum de illis vitiis ac ſordibus, ſeu muliebritatibus conceptionis carnalis, à quibus omnibus fuit Chriſtus immunis in ſua generatione. Facta die 25. Martii, & à quibus non fuit Virgo Maria genita, vel concepta die octauo Decembris, quare illa conceptio non debet celebrari, niſi per ordinem ad ſanctificationem, & ſi non vis locutum fuiſſe in hoc ſenſu, reſpice adulterationes tuas, quia ex illæ ore tuo te condemnabunt.

HVGO De S. Victore, in libro Sententiarum, in materia de Incarnatione & lib. 2. de Sacramentis cap. 4. vel 5. & 1. libro, part. 8. & ſuper Magnificat. *Turrecrem. cap. 25. fol. 116. à tergo. Anonym. Auctoritate 55. & 56. & 57. & Auctore 151. Bandel. cap. 20. Dexa fol. 33. à tergo. Gryſal. Caoreol. Soncin. Barelete. Canus. & Brixienſis.*

VERITAS 128.

HVGO Victorinus, natione Saxo, Abbas S. Victoris, Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini, Contemporaneus S. Bernardi, cui ſcripſit Epiſt. 77. notiſsimus eſt, ſicut eius opera excuſſa Pariſiis anno 1526. Venetiis 1588. Argentinæ 1485. atque Maguntiæ 1617. & in præſenti Area non ſolùm duplicatus, ſed triplicatus eſt: nam omnes auctoritates adductæ in Alcuino ſupra num. 10. ſunt huius Hugonis. Deindè infrà num. 304. adducunt ipſum ſub nomine Vgo, & quia in citationibus, ac verbis iſtius Auctoris ſummoperè variant Aduerſarii, operepretium erit pro detegenda veritate ipſorum, auctoritates ad litteram adducere.

Primam ſic Turrecremata: Itē tertiò ad idē eſt venerabilis Hugo de S. Victore, litteris, & religione clariſimus, qui in libro Sententiarum, in materia Incarnationis Verbi, in Rubrica; ſi caro Chriſti in Maria fuit obligata peccato, ſic dicit: *De carne illa, cui vnitum eſt Verbum, quæritur, vtrum priùs in Maria fuerit obligata peccato? Quod ita fuiſſet, Auguſtinus dicit, ſed in ipſa Conceptione Chriſti per Spiritum Sanctum mundata fuit. Hæc Hugo.* Bandellus verò cap. 9. fol. 15. adducens quamdam auctoritatem Sancti Auguſtini in 2. de Baptiſmo paruulorum, quam nos ſupra in Auguſtino dedimus num. 34. auctoritate 5. ſic inquit: Item idem (id eſt, Auguſtinus) in 2. de Bap. paruul. *Non eſt*, inquit, *infilijs hominum, nec fuit, nec erit, qui nullo vnquam peccato fuerit obſtrictus; aut ad iuſtitiam non ex peccato peruenerit, excepto vno Mediatore, per quem finitis peccatorum inimicitijs reconciliamur Deo. Solus ergo ille etiam homo factus, manens Deus, peccatum nullum vnquam habuit, nec ſumpſit carnem peccati, quamuis de materna carne peccati. Quod enim indè ſuſcepit, illud profectò ſuſcipiendo mundauit. Hæc ille.* Vndè Hugo de S. Victore prædictam auctoritatem exponens, in libro Sententiarum ſuarum, ſic dicit: *Caro Chriſti priùs fuit in Maria originali obligata peccato, ſicut Auguſtinus ait; ſed operatione Spiritus Sancti, ante quam à Dei Verbo aſſumeretur, fuit à peccato mundata. Hæc ille.* Anonymus autem auctoritate 55. ſic adducit eandem auctoritatem: Item Hugo de S. Victore, litteris, & in religione clariſsimus, in ſuo libro Sententiarum, in materia Incarnationis ſic dicit: *Caro Chriſti priùs in Virgine Maria fuit obligata peccato, ſicut Auguſtinus dicit; ſed in ipſa aſſumptione per Spiritum Sanctum mundata fuit. Hæc Hugo.* Deindè addit ex propriis Anonymus: *Ecce quam clare loquitur Doctor ille eximius, & etiā aſſerit B. Auguſtinum huius fuiſſe ſententiæ.* Iſtæ ſunt tres auctoritates deſumptæ ab vno indiuiſibili loco, & verbis Hugonis, tranſcriptæ à tribus principalioribus Meſſoribus opinionis aduerſæ, ſed nunc videbimus, quis eorum fuerit fidelis ſeruus, & prudens?

Hugonis verba in ſua Summa Sententiarum ſeptem tractatibus diſtincta, quæ extat tom. 3. nouiſsimæ impreſsionis tract. 1. cap. 16. cuius titulus eſt: Quod Chriſtus ſimul animam, & carnem aſſumpſit fol. 309. col. 2. littera E. ſunt ſequentia: *De carne illa, cui vnitum eſt Verbum, quæritur, vtrum priùs in Maria fuit caro illa obligata peccato? Quod ita fuiſſe, Auguſtinus dicit: Sed in ipſa ſeparatione per Spiritum Sanctū mundata fuit, & à peccato, à fomite peccati. Mariam verò totam prorſus à peccato, ſed non à fomite peccati mundauit: quem tamen ſic debilitauit, vt poſtea non peccaſſe credatur. Auguſtinus de natura, & gratia. Excepta S. Virgine Maria, de qua propter honorem Dei, nullam prorſus, cū de peccatis agitur, habere volo quæſtionem, indè enim ſcimus, quòd ei plùs gratiæ ſit collatum, ad vincendum ex omni parte peccatum, quem cōcipere, ac parere meruit, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum. Hæc ergo Virgine excepta, &c.* Enumera verò nunc attentè, o Lector! vitia capitalia in hac vna ſola auctoritate commiſſa: nam primo, neſcio, quo ore, corde, & lingua dicere potuerūt, quòd Hugo in prædictis verbis explicabat illam auctoritatem ab ipſis Aduerſariis adductā ex lib. 2. de Baptiſmo paruulorū, cū conſtet, Hugonē explicare alterā, ex libro de natura, & gratia, ſupponentes vnum locū Auguſtini pro alio, & quia hoc cedebat in gloriam

&

& laudem Virginis, adduxerunt alterum, non ſolùm in verbis penitùs diſtinctum, ſed ex diuerſis libris, ſeu Tractatibus, imo & diſtinctis Tomis Auguſtini. Secundo vitiarunt etiam Hugonem in hoc, quòd cùm in toto illo, & loquatur Hugo in ſententia Auguſtini, quem ſæpè repetit, vbi Hugo ſolùm ſe habet merè relatiuè; ipſi diſpoſuerunt auctoritatem, quaſi eſſet abſolutè propria Hugonis. Tertiò, vbi Hugo, *de carne illa, cui vnitum eſt verbum, quæritur, vtrum prius in Maria fuerit caro illa obligata peccato?* Ipſi ſic, *caro illa prius in Maria fuit* obligata peccato, in his paucis verbis omittentes illud, *de carne illa, cui vnitum eſt Verbum*, vt ſic penitùs occultarēt mentē Hugonis, & materiam, de qua loquebatur. Item prætermiſerunt illud, *quæritur vtrum*, vt ſic ex titulo quæſtionis efficerent concluſionem, & in hac parte fideliter proceſsit Turrecremata, & hoc eſt ad maiorem confuſionem aliorum. Quartò, vbi Hugo, *vtrum prius in Maria fuerit obligata peccato*; ipſi ſic, *caro Chriſti* prius fuit in Maria *originali* obligata peccato, addentes illud, *caro Chriſti*, & abſque vllo Dei timore etiam illud, *originali*. Quinto, vbi Hugo, *quod ita fuiſſe Auguſtinus dicit*; ipſi ſic, *ſicut Auguſtinus ait*, quæ propoſitiones valdè diſtāt. Sexto, vbi Hugo, *ſed in ipſa ſeparatione*; Turrecremata ſic, ſed in ipſa *Conceptione Chriſti*, Anonymus verò ſic, ſed in ipſa *Aſſumptione*. Bandellus autem abſolutè prætermiſit clauſulam; quia præuidit totū illud a ſuis prædeceſſoribus eſſe fictum, ac nihil concludere pro ſua opinione, & eſſe contra mentem Hugonis, ac fortè etiam contra principia fidei Catholicæ, vt infrà inſinuabitur, illam tacuit. Septimo, videntes Aduerſarii, quòd illa Hugonis verba poſita in tertia clauſula, ſcilicèt: *Et à peccato, & à fomite peccati, Mariam verò totam prorſus à peccato, ſed non à fomite peccati mundauit*, non poterant ſubſiſtere, nec verificari iuxta eorum fictiones de tempore Incarnationis, omnia prætermiſerunt; etenim volentes cum illo artificio, & verborum additionibus, maculare Dei Matrē, neceſſariò blaſphemabant contra Dei filium; nam ſi mundauit Mariam *à peccato, ſed non à fomite*, quid fuit illud, quòd ſpiritus mundauit *à peccato, & à fomite peccati*? Non Verbum, non Chriſtum, neque materiam illam ſeparatam, ſi enim caro illa aſſumenda à Verbo in ipſo inſtanti ſeparationis, vt dicit Hugo, vel in ipſa Conceptione Chriſti, vel in ipſa Aſſumptione, vt vos vitiaſtis, fuit à peccato, & à fomite peccati mūdata: ergo illa caro in Virgine, antè immediatum inſtans ſeparationis, Conceptionis, & Aſſumptionis, erat cum peccato, & fomite peccati, ac per conſequens Maria (quando Angelus fuit miſſus à Deo, ingreſſus, & locutus cum Virgine, atque quando dicebat illa verba de futuro: Spiritus Sāctus ſuperueniet in te) erat cum peccato, & fomite peccati, quod eſt blaſphemare contra Chriſtum, & Matrem eius. Vide ergo, quot, & quanta fabricarunt retia, ſeu adulterationum vincula, vt innocentem Hugonem ad ſe traherent?

Sed dices. Quomodo ergo ſunt intelligenda hæc Hugonis verba, quæ videntur clarè, & expreſsè ponere in Virgine tempore Incarnationis peccatum, & fomitem peccati? Ad hoc reſponderet aliquis cum eius Marginatore, qui ad marginē propoſitæ auctoritatis ſic ait: *Hic loquitur ſecūdùm communem ſui temporis opinionem, quo nondum Eccleſia aliter definierat ſentiendum.* Hæc Marginator. Sed ego dico, & affirmo, maturè conſideratis omnibus verbis illius capitis 16. ſcilicèt, quòd in toto ipſo refert opiniones aliquas à veritate, & fide Catholica deuiantes, quæ tempore Hugonis fortè graſſabātur circa Verbi diuini Incarnationem, & non ex propria ſententia, quòd ſic demonſtro: nam caput illud, ſic incipit: *Præterea hoc indubitanter eſt credendum, quòd non prius carnem (vt quidam dixerunt) & deindē animam aſſumpſit, ſed ſimul vniuit verbum Dei carnem, & animam. In hoc verò non inueniuntur differre ſapientes.* Et immediatè ſecundam opinionem adducit ſic: *Quidam dicunt, quòd caro illa, quam de Maria ſuſcepit, quadraginta diebus formata ſit, & ea iam formata, ſcilicet, lineamēta hominis habente, Verbum Dei ſimul vniuit ſibi & carnem ipſam, & ipſam animam, & hoc volunt habere ex auctoritate Auguſtini, &c.* Tertiam opinionem ſtatim adducit ſic: *Alij volunt dicere, quòd vt primum ſeparata eſt caro illa per Spiritum Sanctum, habuit aliquam mēbrorum diſtinctionem, ſed adeò paruam, vt oculis non ſubiaceret, ſed per illos quadraginta dies, de quibus loquitur Auguſtinus, perfecta, & notabilis fuit facta, & in ipſo inſtanti ſeparationis carnem, & animam ſuſcepit, &c.* Quartam opinionem adducit ſic: *De carne illa, cui vnitum eſt Verbum, quæritur, vtrum prius in Maria fuit caro illa obligata peccato. Quod ita fuiſſe, Auguſtinus dicit, &c.* ſub qua ſunt verba adducta ab Aduerſariis; & à nobis ſupra relata. Quintā opinionem adducit ſic: *Quidam volunt dicere, quòd ſicut antè peccatum in Adam fuit illa particula munda, & ſancta: ita & poſt peccatū in ipſo, & in omnibus ſucceſſoribus recta linea vſque ad Mariam conſeruata ſit, & hoc dicunt ſe à Gregorio habere.* Sextam opinionem adducit ſic: *Solet à quibuſdam quæri, vtrum anima Chriſti ſapientiam omnium rerum habuerit. Dicunt quidam, quòd nō habuit omnem ſcientiam, nec omnia ſciuit, quod Deus ſcit, quod ita volunt probare, &c.* Vide ergo, ò Lector! quomodo iſtas opiniones refert Hugo ex ſententia aliorum, & illas proponit quaſi placita à veritate

pror-

prorsus aliena, & erronea, licèt Auctores ipsarum pro qualibet aliquem adduxerint patronem Sanctæ Ecclesiæ Doctorem, Augustinum, vel Gregorium? Ex his ergo opinionibus, seu potiùs deliramentis ab Hugone relatis, vt Catholici ab ipsis se se præcauerent, Aduersarii seligentes vnam, id est, quartam, illam adduxerunt sub nomine Hugonis, vt macularent Dei matrem: quomodo enim potest esse sententia Hugonis, quæ extat inter sex errores ab ipso eodem ordine, dispositione, ac verbis continuò, ac successiuè relatos? Vel ergo omnes adscribendi sunt Hugoni, vel nullus.

Secundam auctoritatem: Item idem libro de Sacramentis part. 2. cap. 5. ostendens, qualiter verbum carnem assumpsit cum pœna sine culpa, cum mortalitate sine iniquitate, dicit sic: *Catholicæ veritatis diffinitio, Filium Dei, qui pro peccatoribus, & de peccatoribus natus est, de carne obnoxia peccato, carnem assumpsisse asserit, liberam à peccato, ideò liberam, quia liberatam, non quia sub illo vnquam fuerit, sed quia sub illo esse aliquando cessauit, quando assumpta est, mundata est.* Et infrà in eodem capitulo: *Factum est per gratiam, vt caro illa à peccato, sub quo ab origine sua erat, mundaretur, & mundata in illo, qui liber ab omni peccato in ea futurus erat, à peccato libera assumeretur. Hæc Hugo de S. Victore.* Hanc eandem auctoritatem sic adducit alius: Item in libro de Sacramentis part. 2. cap. 5. *Catholicæ*, inquit, *veritatis diffinitio asserit, Filium Dei, qui pro peccatoribus natus est, de carne obnoxia peccato, carnem assumpsisse liberatam, non quia sub illo vnquam fuerit, sed quia sub illo esse aliquando cessauit, quando enim assumpta est, tunc mundata est.* Et modicum infrà: *Factum est per gratiam, vt caro illa à peccato, sub quo ab origine erat, mundaretur, & mũdata à Filio Dei, qui liber ab omni peccato in ea futurus erat, à peccato libera assumeretur.* Alius eandem adducit hoc modo: Idem tenet Hugo de Sancto Victore in 2. parte de Sacrament. cap. 4. sic dicens: *Catholicæ veritatis diffinitio asserit, Filium Dei, qui pro peccatoribus, & de peccatoribus natus est, de carne obnoxia peccato, carnem assumpsisse liberam à peccato. Ideò liberam, quia liberatam, non quia sub illo vnquã fuerit, sed quia sub illo esse aliquando cessauit. Quando enim assumpta est, tunc à fomite peccati mundata est. Hæc ille.* Anonymus denique, licèt non adducat auctoritatem, illam tamen citat sic: *In primis Hugo de S. Victore, in libro de Sacramentis, impugnans quandam de carne Christi opinionem lib. 2. part. 2. cap. 5.* Hæc sunt omnia, quæ ex illa auctoritate adducunt Adnersarii, sed nunc accipe verba Hugonis, vt non declines à veritate iudicii.

Hugo tom. 3. lib. 2. part. 1. non secunda, cap. 5. folio mihi 429. colum. 2. littera H. sic inquit: *Quomodo autem Leui, qui secundùm carnem in lumbis patris tunc fuit, decimatus est, & Christus, qui secundùm carnem ibidèm fuit, decimatus non est, nullam causam aliam inueniri posse putant, nisi quia caro Leui cum culpa ibi fuit: caro Christi non fuit. Atque ideò quod peccato obnoxium erat, expiatione eguisse, quod autem mundum, atque à peccato liberum erat, non eguisse. Tali ergo se ratione probare putant, quòd caro illa, quæ à verbo assumpta est, nunquam obnoxia peccato fuit, sed ab initio, siuè in eo, à quo descendit, siuè in ijs, per quos descendit, munda seruata sit à peccato, vt aliquando esse posset hostia pro peccato. Sed Catholicæ veritatis diffinitio, Filium Dei (qui pro peccatoribus, & de peccatoribus natus est) de carne obnoxia peccato carnem assumpsisse asserit, liberam à peccato, & ideò liberam, quia liberatam, non quia sub illo nunquam fuerit, sed quia sub illo esse aliquando cessauit. Quando assumpta est, mundata est, per eandem quippè gratiam natura humana mundata est, vt Verbo Dei, libera à peccato, vniretur, per quam Christianus à peccato liberatur, &c. Eodem spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo spiritu factum est, vt nullũ haberet ille peccatum. Si ergo factum est per gratiam, vt caro illa à peccato (sub quo ab origine sua erat) mundaretur, & mũdata in illo (quilibet ab omni peccato in ea futurus erat) à peccato libera assumeretur, vt nec gratia corruptioni naturæ præiudicũ faceret, nec corruptio naturæ gratiam impediret. Quomodo ergo, inquiunt, Christus in lumbis Abrahæ decimatus non fuit, si caro eius ibi peccato obnoxia fuit? Sed sciẽdum est, quòd licèt caro Christi, sicut caro Leui adhuc in lumbis Abraæ, sub peccato fuit, tamen ipsum peccatũ, eius non fuit, sub quo caro eius fuit, &c.* Ita latè adduxi hanc auctoritatem; quia ipsam suprà adscripserunt etiam Alcuino, auctorit. 3. & vtrobique detestabiliter adulterata. Et vt ex ipsa radicitùs cognoscatur Hugonis mens, & sententia. Conferendo ergo illam absolutè cum tribus antecedentibus, inuenio, quoad litteram, vitia sequẽtia. Scilicèt, quòd primus rectè transcripsit, secundus pessimè: nam Primò addidit illud, *asserit*: Secundo, prætermisit illud, de *peccatoribus natus est*, vt nõ videretur loqui generaliter, sed solùm particulariter de Virgine Maria. Tertio, tacuerunt illud, *à peccato*. Quarto, prætermisit totum illud, *& ideò liberam, quia liberatam, ideò liberam, non quia sub illo*. Vt sic meliùs suam fabricaret machinam de carne maculata in Virgine, non in natura humana. Quinto, illud interrogatiuum Hugonis, *quando assumpta est?* ipse absque interrogatione posuit, vt concluderet carnem Christi fuisse mandatam in ipsa assumptione, id est, Verbi Incarnatione, & deducerent sic: mundata fuit caro, vt eam Christus assumeret: ergo immunda erat in Ma-

ria.

ria. Sexto, vbi Hugo, *& mundata in illo, qui liber ab omni peccato in ea futurus erat*; ipſe ſic, & mundata *à Filio Dei*, &c. Tertius verò etiam in aliquibus variauit Hugonis verba. Hęc ſunt vitia quoad literam. Quoad ſenſum autem longiùs diſtant à veritate. Nam in toto illo capite agit Hugo, & inquirit, quomodo, ſi caro humana tota erat obnoxia peccato, in lumbis Abrahæ fuit decimatus Leui, non autem Chriſtus: de Virgine Maria verò nec minimum habet Verbum. Sed dato, quòd loquatur etiam de carne Matris Dei, & affirmet, quòd illa fuerit in Abraham decimata, atque ibi obnoxia peccato, hoc eſt, in Abraham, non in Maria; de carne, non de anima; ac denique de debito, nō de actuali contractione. Lege, & conſidera, ò Lector! totum illud caput 5. Hugonis, & reperies Aduerſarios in hac auctoritate abſque vllo fundamento loquutos fuiſſe, Hugonemque ſolùm impugnare illam opinionem poſitam in auctoritate antecedenti, in quinto loco, vt expreſsè conſtat ex illis verbis Hugonis: *Tali ergò ſeratione probare putant, quòd caro illa, quæ à Verbo aſſumpta eſt, nunquam obnoxia peccato fuit, ſed ab initio, ſiuè in eo, à quo deſcendit, ſiuè in ijs, per quos deſcendit, munda ſeruata ſit à peccato.* Contra hos inſurgit Hugo, affirmando, quod nulla fuit particula reſeruata, ſed eſſe fidē Catholicam, Chriſtum *de carne obnoxia peccato carnem aſſumpſiſſe.* Et hoc probat deinceps. Quis autem, Patres mei, hoc negat, vel negare poteſt de carne Mariæ? Dicimus, & millies cōcedimus, quòd caro Mariæ fuit obnoxia peccato ab initio, in eo, à quo deſcendit; & in his, per quos deſcendit, ſcilicèt, Adamum, Abrahamum, & Ioachimum. Sed hic quæſtio non eſt de carne, ſed de ſpiritu; vos ſecundùm carnem iudicatis; videte ergo, quòd hic caro non prodeſt quidquam.

Tertiam auctoritatē adducunt ſic: Præterea hoc manifeſtius fit, ſi verba Hugonis de Sancto Victore in 1. libro de Sacramentis part. 8. quæ videntur declarare verba Gregorii de hac materia, referantur in medium, dicit enim ſic: *Vt inobedientia manifeſta fieret, vnum in corpore humano membrum poteſtati animæ ſubtrahi, per quod poſteritas in carne ſeminanda fuit, vt omnes, qui per illud generantur, ſe filios inobedientiæ intelligant, & ex ſua origine, quales, & qualiter generantur agnoſcant. Quia ergo in hoc membro, per quod humana propago tranſire debuit, ſignum inobedientiæ poſitum eſt cunctis per illud tranſeuntibus, manifeſtè oſtenditur, quoniā culpa inobedientiæ generantur. Hæc ille.* Hæc auctoritas, quæ extat lib. 1. de Sacram. part. 8. cap. 13. cuius titulus eſt: De inſtitutione coniugii ante peccatum; ad finem fol. 405. colum. 1. littera A. ſolùm eſt in vno verbo vitiata; nam vbi Hugo, *quales, & ex quibus generentur*; ipſi malitioſè ſatis ſic: quales, & *qualiter* generentur, tacentes illud, *ex quibus*, id eſt, parentibus, quorum genitale in ſignum inobedientiæ, eſt inobediens rationi (pudet hæc examinare, ſicut & quod ex talibus verbis velint deducere, Virginem fuiſſe conceptam in originali peccato, ſed quid agendum eſt, cùm ſimus debitores omnibus ſapientibus) in parentibus generāntibus, & ſic omnes per illud membrum tranſeūntes, cum culpa inobedientiæ generantur. Illa inobedientiæ culpa eſt in parentibus, in quibus etiam eſt membrum, atque illa inobedientiæ culpa in membro parentum, eſt carnalis, & aquæductus, per quem tranſit originale peccatum in prolem: diuerſiſsima enim ſunt illa, inobedientiæ culpa in membris parētum, ab originali macula prolis; vna præcedit aliam, per quadraginta, vel octoginta dies; vna eſt in cauſa, ſiuè ſequatur, ſiuè non ſequatur completa generatio; altera eſt in effectu, quando illa prima non eſt in rerum natura; vna in conceptione, ſeu generatione carnis: altera in vnione ſpiritus: ergo vna poteſt eſſe ſine altera. Ego exiſtimo, quod in generatione Mariæ nec vna, nec altera fuit; quia parentes eam genuerunt ſenes, extincta iam concupiſcentia, quæ radix eſt illius inobedientiæ membri, atque congreſsi ſunt ex mandato Dei. Sed dato, quòd Maria culpa inobedientiæ generaretur, hoc eſt quod controuertimur, an potuerit abſque culpa originali animari? Et ſic Hugonis auctoritas non eſt ad rem. Et notare debes, Lector, quòd ferè omnes antiqui hanc inobedientiæ culpam Hugonis vocabant culpam originalem, quia ab illa inobedientia Adami originata fuerat, & ſic iſtæ propoſitiones: Maria cum culpa inobedientiæ generata eſt, vel cùm culpa originali à parentibus fuit genita, nihil probant in antiquis Doctoribus contrà immaculatam Virginis Conceptionem. Vnde adducere Aduerſarios has, & ſimiles auctoritates, ſolùm fuit congerere contra ſe carbones in ſinu ſuo.

Quartam, & vltimam auctoritatem ſic adducunt: Item idem ſuper Magnificat: *Et exultauit*, inquit, *ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. De ſaluatione, inquit, quam humano generi præparari video, totis præcordijs exulto: video nāque de me aſſumi, quod credo de me debere offerri. Hæc ille.* Auctoritas verò, vt extat in Hugone tomo 1. lib. 3. Allegoriarum fol. 231. colum. 2. littera E. ſic ſe habet: *Quaſi diceretur; ego ex anima mea, & ſpiritu meo, id eſt, ex toto corde, & ex tota voluntate Deum laudo, & de eius ſalutatione, quam generi humano præparari nunc video, totis præcordijs exulto. Nunc enim video de me aſſumi, quod credo pro me debere offerri. Sed tamen, vt Saluatorem meum confitear: quia & ſi adhuc hoſtiam carnis ſuæ non obtulit, carnē tamen, quam aduenīente tempore in hoſtiam offe-*

rat,

rat, *iam assumpsit: ergo & nunc Saluator: & non solùm nunc, sed ab æterno Saluator, qui iam per carnem assumptam, ad saluandum aduenit, sed eam, quam suo tempore exhibebit salutationem, ab æterno dare disposuit, &c.* Aliqua sunt verba ab Aduersariis variata, vt illud Hugonis, *salutatione*, in illa, *saluatione*, quæ valdè diuersa sunt. Item semper abstulerunt illud, *nunc*. Sed his prætermissis, quàtum ad sensum, vndè colligunt ex illis, Virginem fuisse conceptam in originali peccato? Dicent, quod ex illa clausula, *quod credo pro me debere offerri*; nam si obtulit carnem etiam pro Maria: ergo habuit aliquod peccatum, non actuale: ergo originale. Igitur ex vestris consequentiis maculatur Maria, non ex verbis Hugonis? Deindè consequentia non est efficax, nam si Christus fuit verè Saluator, & verè obtulit in cruce, vt præseruaret Matrem ab actuali, sic etiam fuit Saluator, & offerens pro præseruatione ab originali. Denique quis negat, quòd etiam & potiori iure, ac præcipuè obtulit pro Maria, dicente Ecclesia: qui eam præuisa morte à labe præseruasti. Sed iam si ex illationibus discurrere licet: Hugo se in nostram inclinat sententiam, vt indicant illa verba: *Sed tamen vt Saluatorem meum confitear.* Et illa: *Ergo & nunc Saluator.* Et etiam illa: *Saluationem ab æterno dare disposuit*, quæ de aliqua saluatione iam facta locuntur, vel Ioānis, vel Mariæ. Vide de hoc nostram Expositionē in Canticum Magnificat, & fortè exultabit spiritus tuus.

HVGVTIVS Canonista, super cap. Firmissimè, de Consecrat. dist. 4. *Ita Anonymus Auctore* 178.

VERITAS 129.

POSTQVAM Anonymus in classi de Doctoribus Canonistis adduxisset cum aliis Hugonem, vt vidimus num. 124. dicens: *Idem tenet Dominus Hugo Glossator Decreti super cap. Pronuntiandum, de Consecratione distinct. 3.* In eadem classi solo vno interposito Auctore iterum dicit: *Idem tenet Dominus Hugutio super cap. Firmissimè, de Consecratione dist. 4.* Cùm ergo Hugo, & Hugutio sit idemmet Auctor, vt ab omnibus communiter conceditur, & in principio ipsiusmet Decreti exprimitur, absque vlla controuersia Auctor iste fuit multiplicatus. Solùm enim potest esse dubium, an hoc fecerit Anonymus ex inaduertentia, vel ex proposito? Mihi hoc secundum videtur: tum propter variationem nominis; tum & præcipuè propter illam mutationem citationis. Nam primum adducit super cap. Pronuntiādū dist. 3. Et secundum super cap. Firmissimè dist. 4. Hoc enim videtur processisse ex præmeditata aduertentia, si verò ex ignorantia existimauit esse distinctos, transeat. Quia tunc solùm colligitur, quòd Anonymus, nec pro Hugone, nec Hugutio vidit ius Canonicum; quia citat eum in cap. Pronuntiandum, nam tale cap. non extat in illa 3. dist. de Consecrat. Etenim præ nimia senectute caligauerunt oculi eius.

Hæc dicta sunt quantum ad Auctorem, nam quantum ad auctoritatem, totum est falsum, & fictum; quia Glossæ hìc citatæ non sunt Hugonis, vel Hugutii, sed nec Ioannis Theutonici, Ordinis Prædicatorum, sed alterius, vt ex verbis Aduersariorum euidenter demonstraui, suprà num. 125. & infrà num. 166. & 173. & num. 193. ac denique num. 247.

HYRENAEVS Lugdunensis Episcopus, Sanctus, in libro contra Hæreses, & vt Sanctus Augustinus dicit 1. & 2. contra Iulianum. *Turrecrem. part. 6. cap. 14. fol. 107. Anonym. Rat. 9. Auctore* 11. *Bandel. cap. 13. Dexa fol. 19. Capreol. Vincent. Gryfald. S. Antonyn. Barelete.*

VERITAS. 130.

SANCTISSIMI Hyrenæi (sic scribitur ab Aduersariis, vel Yrenæi, vt communiter dicitur) notissima sunt opera, quæ Basileæ 1560. in fol. Parisiis 1576. & 1563. & Coloniæ 1596. & tandem 1625. cuius auctoritas sic adducitur: Sanctus enim Hyrenæus Lugdunēsis Episcopus, qui non longè à temporibus Apostolorum fuit, in libro cōtra Hæreses sic dicit: *Peccato Protoplausti adstrictum est morti totum genus humanum, & plaga serpentis omnes homines sunt vulnerati: sed per crucem Christi, qui solus sine peccato venit in similitudinem carnis peccati, & omnia traxit ad se, viuificauit mortuos, & ab antiqua plaga serpentis sanamur in carne. Hæc ille. Et recitat Augustinus in 1. contra Iulianum.* Hucusque Aduersarii, sed nota, ò Lector! citationis generalitatem, *In libro contra Hæreses.* Quando Hyrenæus habet quinque libros latissimos cōtra Hæreses, imò omnia eius opera sunt contra Hæreses. Sanctus ergo Hyrenæus lib. 5. aduersus Hæreses cap. 19. cuius titulus est; Cùm Eua inobediente, & præuaricatrice comparatur Virgo Maria, illius aduocata, referunturque variæ, & dissidentes Hæreses, fol. 464. sic post alia encomia de Beatâ Virgine, inquit: *Quemadmodum enim illa per Angelicum sermonem seducta est, vt effugeret Deum, præuaricata verbum eius; ita & hæc per Angelicum sermonem Euangelizata est, vt portaret Deum, obediens eius verbo;*

&

& ſicut illa ſeducta eſt, vt effugeret Deum, ſic hæc ſuaſa eſt obedire Deo, vti Virginis Euæ Virgo Maria fieret aduocata. Et quẽadmodum adſtrictum eſt morti genus humanum per virginem, ſoluatur per Virginem: æqua lance diſpoſita virginalis inobedientia per virginalem obedientiã. Adhuc enim Prothoplaſti peccatum per correptionem primogeniti emendationem accipiens, & ſerpentis prudentia deuicta in columbæ ſimplicitate, vinculis autem illis reſolutis, per quæ alligati eramus morti. Indocti omnes hæretici, & ignorãtes diſpoſitionis Dei, &c. Cùm ergo hæc ſit vera Hyrenei auctoritas: Notare debes, Lector, in quantis diſcordent inter ſe ſe hæc verba. Primo, prætermiſerunt totum principium auctoritatis, à quo pendet intelligentia. Secundo, vbi Hyrenæus, *& quemadmodum*, &c. abſtulerunt hoc verbum, quia ad antecedentia dicebat relationem. Tertio, etiam addiderunt illud principium, *peccato Prothoplauſti*. Quarto, addiderunt illam vocem, *totum*; vt vniuerſaliorem redderent propoſitionem. Quinto, addiderunt illud, *& plaga ſerpẽtis omnes homines ſunt vulnerati*; ſi hæc conducunt ad intentum, tu conſidera. Sexto, abſtulerunt illud: *per Virginem, ſaluatur, per Virginem*; vt ſic ablatâ Anthiteſi inter Euam & Mariam, mens Hyrenæi ampliùs occultaretur. Septimò, eadem intentione tacuerunt illud, *æqua lance diſpoſita virginalis inobedientia, per virginalem obedientiam*. Octauo, addiderunt totam illam clauſulam; *Sed per crucem Chriſti, qui ſolus ſine peccato venit in ſimilitudinem carnis peccati*, cuius nec minimũ verbum extat in Hyrenæo. Nonò, ex illa clauſula, *Adhuc enim Prothoplaſti peccatũ, per correptionem primogeniti emendationẽ accipiens*, aſſumpſerunt tantum duo verba illa, ſcilicèt, *Prothoplauſti peccatum*, vt ex illis fabricarent auctoritatis principium, ſub alia tamen diſpoſitione, videlicet, *peccato Prothoplauſti*, reliqua verò verba abſolutè prætermiſerunt. Decimo, addiderunt illam clauſulam: *Et omnia traxit ad ſe, viuificauit mortuos*. Vndecimò, vbi Hyrenæus, *& ſerpentis prudentia deuicta in columbæ ſimplicitate*; ipſi ſic: *Et ab antiquâ plagâ ſerpẽtis ſanamur in carne*. Quid ergo, ò Lector! dicemus ad hæc, quando in ſex lineis reperiuntur vndecim demonſtratæ adulterationes capitales? & totum ſenſum, ac intentionem Hyrenei retortam contra puritatem Virginis, quando Sanctus Pater ſummam Deiparæ innocentiam in ſimplicitate columbæ, & promptam obedientiam commendare nititur? Quid erit in aliis incognitis Auctoribus, & no Sanctis, quando vnum Eccleſiæ Patrem, ac Sanctiſsimum Hyrenæum tot adulterationibus viriarunt, vt Dei Matrem facerent participem ſui originalis peccati?

Sed vltra progrediendo aliqui ex Aduerſariis citant etiam Sanctum Hyrenæum; *vt Auguſtinus dicit in 2. cõtra Iulianũ*, ſic Anonymus. Alii: *vt recitat Auguſtinus in 1. contra Iulianum*, ſic Vincentia. Sed totum hoc eſt fictum; quia Sanctus Auguſtinus in 1. contra Iulianum, tom. 7. fol. 206. colum. 2. littera F. ſolùm habet hæc verba: *Sanctus Hyrenæus dicit, antiquam ſerpentis plagam fide Chriſti, & cruce ſanari, & quòd Prothoplaſti peccato fuimus tanquam vinculis alligati*. Hæc ſolum refert Auguſtinus in illis libris contra Iulian. ex S. Hyrenæo, quòd autem hæc auctoritas ſit eadem cum ſupra poſita, & relata ex operibus S. Hyrenæi, ad epilogum tamen redacta, vt ferè ſemper facit Auguſtinus, non indiget probatione, quia ex ſe ipſa conſtat. Et ex illa duo colligo. Primum, quòd citationes illæ de Sancto Hyrenæo in 1. & 2. contra Iulian. vt recitat Auguſtinus, fuerunt ſolùm excogitatæ ad multiplicandas citationes. Secundum, quòd Aduerſarii non viderunt Hyrenæum, nec opera eius, ſed ex hac auctoritate Auguſtini, abſque alio prototypo, vel exemplari finxerunt, & fabricarunt ſupra poſitam ad imaginem, & ſimilitudinem ſui deſiderii.

IACOBVS Ægidius de Barchinona, vel de Cathalonia, Magiſter ſacri Palatij, Ordinis Prædicatorum in Tract. quem de Conceptione Beatæ Mariæ compoſuit. *Anonym. via 3. Rat. 9. Auctore 93. Bandell. cap. 23. Deza folio 42. à tergo, Vincentia, & Gryſaldus.*

VERITAS 131.

SVPPOSITIS Dictis in Trituratione num. vi. hunc Auctorem ſic adducit Anonymus: *Idem tenet Magiſter Iacobus de Catalonia, vir famoſiſsimus, Magiſter ſacri Palatij, in Tractatu glorioſo, quem de Conceptione compoſuit*. Bandellus verò, & alii ſic: *Idem tenet Magiſter Iacobus Ægidius de Barchinona, Magiſter ſacri Palatij, in Tractatu, quẽ de Conceptione Beatæ Mariæ compoſuit*. Sed nullus ipſorum de hoc ſuo famoſiſsimo Magiſtro, ac glorioſo opere auctoritatem vllam adducit. Antonius Senenſis, & Alphonſus Placẽtinus, qui ſcripſerunt poſt Anonymum, & Bandellum, videntes illa diuerſa cognomina: *Ægidius de Barchinona, & de Cathalonia*, exiſtimãtes eſſe diuerſos Auctores, illos vt diſtinctos enumerant in ſuis Bibliothecis, vnum ad annũ 1457. & alterum ad annum 1460. affirmantes, quòd ambo ſcripſerunt Tractatus de Conceptione. Sed in hoc fuerunt Nomenclatores iſti decepti, ſicut in pluribus aliis, in quibus ſecuti

cuti sunt Anonymum, & Bandellum, & ratio est euidens, quia in Cathalogo Magistrorum sacri Palatii solùm adducitur vnus vocatus Iacobus Ægidius, Hispanus ad annum 1440. vt videre est apud Placentinum fol. 1477. Ioannes Michael Pius de Illustr. vir. Relig. Prædicatorum part. 2. lib. 3. col. 24. ad annum 1444. post Ioannem de Turrecremata, affirmat, fuisse Magistrum sacri Palatii, quemdam Paulum Ægidium Aragonensem, quem etiam vocat Iacobum Ægidium. Et infrà colum. 27. ad ann. 1447. inter Scriptores affirmat, quòd Iacobus Ægidius fuit Magister Prouincialis Aragoniæ, & Magister sacri Palatii, & quòd ad instantiam Calixti III. composuit Tractatum de Veritate Conceptionis Virginis. Infrà autem col. 30. vocat hunc eundem Magistrum sacri Palatii, Paulum Ægidium. Denique infrà part. 2. lib. 3. colum. 86. ad annum 1500. inter Scriptores sic inquit Italicè: *Giacomo Spagnolo ignoto de patria, è Catalano di natione, compose vn libro della Concettione della B. Vergene, che viene citato del Generale F. Vincentio Bandello en el libro della sanctificatione, che egli racollse da molte sentenze de Padri.* Nota, quantas multiplicationes excitauit vnus Bandellus? part. verò 2. lib. 2. colum. 181. adducit ex Vincentio Bandello quemdã Dominicum Hispanum ex Cathalonia, qui scripsit Tractatum de Conceptione ad annum 1348. (fortè voluit dicere Iacobum) & annum 1448. Vide supra num. 66. in Dominico de Cathalonia. Hunc ergo Iacobum, vel Paulum, vel Dominicum, aut Ægidiũ Hispanum, Anonymus appellauit ex Prouincia de Cathalonia; Bandellus verò ex ciuitate de Barchinona, Pius ex Aragonia ex æquiuocatione; aliàs quomodo est possibile, quòd vno, eodemque tempore essent duo, vel tres, vel verius quatuor Magistri sacri Palatii, Hispani, ex eadem Prouincia, ex Ordine Prædicatorum; & quòd simul scripserint Tractatus speciales de Conceptione Beatæ Mariæ? Vndè existimo, fuisse solùm vnum Iacobum Ægidiũ de Cathalonia, siuè Iacobum Ægidium de Barchinona, vel Dominicum de Cathalonia. Nam Franciscus Diagus lib. 1. cap. 28. dicit quòd anno 1362. floruit quidam Iacobus Dominicus Cathalanus, qui scripsit plura opuscula de ordine iudiciali, & capitulis, &c. sed nihil dicit de isto Tractatu Conceptionis, nec de magisterio sacri Palatii, sed tantùm quòd fuit Inquisitor Maioric. & Prouincialis Proencæ; vel ergo fuit vnus solus iste Iacobus Ægidius Dominicus de Cathalonia, aut Barchinona, aut nullus. Quòd si adhuc contenderis esse diuersos, ac distinctos Scriptores, vt sic habeas tres, vel quatuor famosissimos testes, ac totidem glorioſos Tractatus pro tua opinione, nõ contendo; quia ecce veritas, & iudicium, dum tamen illos ostendas.

Dico ergo, quòd Iacobus Ægidius de Barchinona, siuè Dominicus de Cathalonia, vel sint vnus, vel duo, vel tres, vel quatuor Auctores distincti, ac Magistri sacri Palatii, & scripserint vnum, vel totidem Tractatus de Conceptione pro vestra opinione, fuisse Auctorem, vel Auctores nullius opinionis, famæ, ac nominis, quantum ad scienriam, & litteraturam (de hac enim solùm loquor) Primò, quia nullus Nomenclator antiquus, vel modernus, de tali Iacobo de Barchinona, vel Cathalonia, mentionem paruam, vel magnam facit, nec ipse Sixtus Senensis in sua Bibliotheca, licèt aliquos referat Iacobos Scriptores ex sua Predicatorum familia, de hoc vel verbum habet; & quando ipsemet Turrecremata, qui fuit Hispanus, ac Magister sacri Palatii, & scripsit illum amplissimũ Tractatum de Conceptione pro sua opinione, vbi tot, ac tantos refert Auctores, vt in hac vẽtilatione visum est, & ampliùs videbitur, nullam facit mentionem, nec de de tali famosissimo Iacobo, aut Dominico, nec glorioſissimo Tractatu: Existimandum est, fuisse famosissimam, ac glorioſissimam falsitatem Bandelli. Insuper, quia nec in Bibliotheca Hispanica, Valerii Andreæ, Taxandri, nec in alia ampliori à S. Peregrino edita, nulla de prædicto Iacobo memoria extat. Quibus omnibus adde Scriptores antiquos pro immaculata Virginis Cõceptione, quorum Tractatus, & Opuscula tàm excussa, quàm manuscripta in nostra sunt Bibliotheca, penitùs ignorasse, quis fuerit hic famosissimus Iacobus, atque glorioſum opus de Conceptione. Secundo, quia Aduersarii nullam adducunt auctoritatem; & stando in illo principio sæpè repetito, ac demonstrato, quod vbicumque Bandellus, & alii adducunt Auctorem, & tacent auctoritatem, aliquod latet mendacium, possumus similiter de hoc suo famosissimo Auctore, & glorioſo opere incognitis, absque vlla temeritate discurrere. Tertio, quando supra dicta nihil valerent, hoc saltem certissimum est, atque indubitatum, ipsum fuisse ex Ordine Prædicatorum, & opus illud non fuisse typis mandatum, & quòd solùm Aduersarii ipsum, vel ipsos citant, quid ergo dicemus ad illud? Non credas inimico tuo in æternum: sicut enim æramentum eruginat.

Tandèm dicere possumus, quòd ab anno 1450. quo tempore dicunt vixisse Iacobũ Ægidium, vsque ad annum 1480. prodiit quoddã Opusculum de veritate Conceptionis, absque anno, & loco impressionis, sub nomine Petri de Vincentia, Ordinis Prædicatorum, de quo egimus in Trituratione num. xxi. cuius Opusculi Auctorem existimo fuisse ipsum Vincentium Bandellum, vel Hieronymum Albertitium, & hunc malitiosè ipsemet Bandellus adscripsit Iacobo Ægidio, vt sic multiplicatæ Auc-

tores,

ctores, ac Scriptores in ſua Religione contra immaculatam Virginis Conceptionem. Vide infrà num. 307. ad finem. Habet ergo hoc glorioſum Conceptionis opus ſex Patres, Dominicum de Cathalonia, num. 66. Iacobum de Barchinona hìc, & infrà Ioannem Dominicum de Florentia num. 169. Petrum de Vincētia, Vincentium Bandellum, & Hieronymum Albertaccium, de quibus latè diximus in Triturationc.

IACOBVS Anglicus, vel Ioannes Ciſtercienſis ſuper Cantica. *Turrecrem. part. 6. cap. 35. fol. 125. Anonym. Auctore* 149. *Bandel. cap. 22. Deza fol. 37. Petr. de Vincentia, & Gryſald.*

VERITAS 132.

ISTIVS Auctoris notitia deſumenda eſt ex ipſiſmet Aduerſariorum verbis. Primus, qui ipſum adducit, fuit Turrecremata, & ſic: Item ad idem eſt Venerabilis Pater Ciſtercienſis Ordinis, natione Anglicus, Monaſterii Sanctæ Mariæ de Fontibus, qui in ſuo Tripartito ſuper Cantica, qui incipit: Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, ſic inquit: *Beata Virgo Maria comparatur Lunæ ratione pulchritudinis, quam habet ex irradiatione ſolis: habuit enim Virgo Maria triplicem gradum pulchritudinis à Sole Iuſtitiæ: fuit enim pulchra in ingreſſu, velut noua Luna per donum gratiæ ſanctificationis, quæ ipſam mundauit à macula originali: Pulchrior in progreſſu per donum gratiæ fœcunditatis, quæ ipſam purgauit à fomite carnali. Sed pulcherrima fuit in egreſſu, velut ſoli coniuncta per donum gratiæ eleuantis, vndè non ſolùm fuit liberata à macula originali, ſed etiam ab omni pœna, & miſeria temporali. Hæc ille.* Ex hac auctoritate nota Lector, quod Turrecremata ſolùm vocat iſtum Monachum Anglicum Ciſtercienſem, non verò Ioannem, neque Iacobum, &c. Anonymus autem, qui ſcripſit poſt Turrecrematam, ſic adducit propoſitum Auctorem. Item idē tenet Dominus Ioannes Anglicus de Monaſterio Sanctæ Mariæ de Fontibus, in ſuo Tripartito ſuper Cantica, cuius principium eſt: Tres ſunt, qui dant teſtimonium, vbi dicit ſic: *Beata Virgo in vtero matris fuit mundata à macula peccati originalis, & ante Conceptionem filij Dei, fuit à fomite peccati purgata. Hæc ille.* Quod hic adductus ab Anonymo ſit idem cum antecedenti adducto à Turrecremata, & quod ab hoc tranſcripſerit auctoritatem, patet clarè, & euidēter ex omnibus eius verbis: vndè autem extraxerit Anonymus, quòd iſte (quem Turrecremata adduxerat abſque nomine) vocabatur Ioannes? Hoc opus, hic labor. Sed progrediamur vltrà. Poſt Anonymum ſcripſerunt Bandellus, & Vincentia, & adducunt Auctorē iſtum in claſſi de Ciſtercienſibus, ſic dicentes: Idem tenet D. Iacobus Anglicus eiuſdem Ordinis, ſuper Cantica dicens: *B. Virgo fuit in vtero matris à macula peccati originalis per ſanctificationem mundata, & ideò fuit pulchra, vt luna in eius Natiuitate, fuit autem in Conceptione filij à fomite peccati liberata, ideò fuit electa, vt ſol in eius Annuntiationē.* Hæc Vincentia, Bandellus, & Deza. Poſt iſtos ingreſſus eſt Gryſaldus, & adduxit prædictū ſic: Iacobus Anglicus ſuper Cantica: *B. Virgo fuit à macula peccati originalis in vtero matris purgata.* Componamus, o Lector! modò iſta inter nos, quoad Auctoris nomen; omnes iſti Patres Dominicani tranſcripſerunt Auctorem, & auctoritatem, à ſolo, & vnico Turrecremata (nam certiſsimum eſt, ipſos non vidiſſe Ciſtercienſem, vt ex infrà dicendis euidenter cōſtabit) ſi ergo apud Turrecrematam Monachū iſtum S. Mariæ de Fontibus inuenerunt, incognitum quoad nomen, quo fine Anonymus finxit, ipſum vocatū fuiſſe Ioannem? Et ſi apud Anonymum vocabatur Ioannes, qua intentione Bandellus, & alii appellarunt ipſum Iacobum? Et quid diceres Lector, ſi propoſitus Ciſtercienſis Scriptor ſuper Cantica, nec eſſet vocatus Ioannes, nec Iacobus, ſed Thomas? Supponendo ergo, quod hæc nominum mutatio fuit quædam fictio fantaſtica, ac chimerica, meo iudicio habuit hoc fundamentum. Turrecremata in eadem Ciſterciēſium claſſi, ac immediatè poſt iſtum ſub nomine Auctoris innominati adduxerat alium quēdam incognitum Ciſtercienſem, in lib. de Laudibus Virginis Marię, vt vidimus num. 22. hunc ipſum incognitum Ciſtercienſem Scriptorem de Laudibus Virginis adduxit Anonymus, & cauens, ne ex eadem Religione tot eſſent innominati, incertique Auctores, finxit, hunc vocatum fuiſſe Ioannem. Bandellus verò, quia illum Ciſtercienſem Scriptorem incognitum de Laudibus Virginis Mariæ, appellauerat Ioannem, vt vidimus prælegato n. 22. pro hoc Ciſtercienſi Monacho, & Scriptore ſuper Cantica (nè tot eſſent Ioannes eiuſdem Religionis) excogitauit alterum nomen, & ipſum vocauit Iacobum, & ita facta eſt præſens tragicomedia. Si antē Aduerſarii pro his notatis extrauagantibus fictionibus aliam honeſtiorē inuenerint rationem, acquieſco ipſis, dum tamen non petant pro hoc Iacobo, & Ioanne ſedes in hoc iudicio ne dicatur eis: Neſcitis, &c.

Cùm ergo iam conſtet de fictione nominis huius Anglici Ciſtercienſis, reſtat nunc inquirere, an fuerit in veritate talis Scriptor primò, Anonymus, Ciſtercienſis Anglicus, deinde Ioannes, ſiuè Iacobus? Scias ergo, quòd de Iacobo Anglico Ciſtercienſi mentionem faciunt

Posseuinus, fol. 777. Sixtus Senensis, fol. 250. atque Ioannes Pitseus, fol. 353. ad ann. 1270. his verbis: *Iacobus natione, & cognomine Anglicus, Monachus Cistercienſis, & ſacræ Theologiæ Doctor Pariſienſis, &c. Hic teſte Petro Vincentino, Monacho Dominicano, conſtanter tenuit, & ſolidiſsimis argumentis corroborauit ſententiam S. Thomæ Aquinatis de Conceptione Beatæ Virginis in peccato originali, &c. ſcripſit enim teſte Sixto Senenſi, & alijs, in Cantica Canticorum, &c.* Hæc eadem verba nulla mutata ſyllaba habet Chryſoſtomus Henriquez in Bibliotheca Ciſtercienſi cap. 19. fol. 72. & ſuperaddidit: *Scripſit enim teſte Sixto Senenſi, & alijs in Cantica Canticorum librum vnum, Concionnes Euangelicas, Lecturas Scholaſticas, & alia non pauca, quæ perierunt.* Ioannes Balleus centuria 3. fol. 112. ſic inquit: *Iſtum introducit inter magnos Auctores Petrus quidam Vincentinus Dominicanus pro corroboranda ſui Thomæ circa Mariæ Conceptionem opinione.* Carolus Viſch in ſua Biblioth. Ciſtercienſi, fol. 142. agit etiam de hoc Iacobo Anglico, & ſolùm dicit, quod ſcripſit in Cantica Cantic. librum vnum, & citat Guilliel. Eiſegreinium; ſed nihil dicit de Abbatia de Fontibus, nec de opere tripartito incipiente: *Tres ſunt, &c.* Nec Annales Ciſtercienſium de tali Iacobo, vel Ioanne Abbate de Fontibus vllam mentionem faciunt, benè tamen tom. 2. ad ann. 1172. cap. 4. num. 2. folio 573. agunt de Thoma Ciſtercienſi Anglo, ac de eius luculenta explanatione in Cantico Canticorum. Arnoldus de Vvion in libro Ligni vitæ, tom. 1. cap. 48. fol. 77. adducit amplũ Cathalogum omnium ſcriptorum Ordinis Ciſtercienſis, modo Alphabetico, & littera I. in Ioannes ſolùm adducit quemdam Ioannem Fordone, qui ſcripſit in Cantica, ab illo loco, in quo Gilbertus deſierat, cuius opus incipiebat: *Dilectus meus candidus, &c.* (de quo etiam Pitseus, fol. 276. & Chryſoſtomus Henriquez) Ex Iacobis verò nullum adducit, reuolui alias litteras, & in ipſis ſolùm adducit Scriptores ſuper Cantica Ottonẽ Epiſcopum Friginſenſem, & Thomam Ciſtercienſem, de quo nos ſtatim, Fabianus Iuſtinianus in ſuo Indice vniuerſali, in Elẽcho Auctorum, fol. 31. refert fuiſſe tres Scriptores ſuper Cantica, ſcilicèt, Iacobum Anglicum, Thomam Anglicum, & Thomam Ciſtercienſem. Conradus Geſnerus, & eius Abbreuiartor fol. 361. ponit Iacobum Anglicum, & fol. 372. Iacobum Ciſtercienſem Anglicum, & fol. 793. Thomam Ciſtercienſem, & omnes Scriptores ſuper Cantica. Ex his ergo, & aliis à me viſis, & lectis, pro indaganda veritate huius Auctoris; dico, & affirmo ſequentia.

Scilicèt, quòd in ſacra Ciſtercienſium Religione nullus fuit Ioannes, vel Iacobus Scriptor ſuper Cantica. Et quòd cum ſupra relati, Nomenclatores omnes ſcripſerint poſt Petrum de Vincentia, & Bandellum de Caſtronouo, Auctores paruæ, vel potiùs nullius veritatis, ab iſtis illi decepti dixerunt, & ſcripſerunt ſuperiùs poſita. Præuidẽtes verò, quòd de Ioanne, & Iacobo non extabat aliqua notitia apud Scriptores antiquos, & quod ſimiliter opera non erant in rerum natura, vt ſe expedirent à difficultatibus, dixerunt illa, *quæ perierunt*: Ego autẽ exiſtimo, quòd nõ *perierunt*, nam ſi *perierunt*: ergo Turrecremata finxit auctoritatem ſupra adductã? Si opera Ciſtercienſis *perierunt*: igitur veritas, & fides tantorum Patrum Prædicatorum *perierunt*. Sed vt nõ totaliter pereant ſaltem in Auctore (ſicut in rei veritate *perierunt* in auctoritate) dicimus, pro nunc in Ordine Ciſtercienſiũ fuiſſe quemdã grauem, atque doctum Scriptorem, qui edidit Commẽtaria ſatis quidèm erudita in Cantica Canticorum Salomonis, cuius ego vidi duplex originale, aliud manuſcript. in Romana Curia, apud R. P. Paulum de Rieti, Ordinis Minorum in pellicea carta, & antiquis caracteribus, in cuius principio nullum extabat nomen Auctoris; in fine verò habebat quamdã ſubſcriptionẽ, ex qua aliqui exiſtimarunt, opus illud eſſe noſtri Subtiliſsimi Doctoris Ioannis Duns Scoti, de quo, me præſente, fuit non parua controuerſia apud Magiſtrum ſacri Palatii. Alterum huius expoſitionis ſuper Cantica extat impreſſum Pariſ. ann. 1521. in folio apud celebrem Typographum Iodocum Badium Aſenſium, ſub titulo, & nomine Thomæ Ciſtercienſis, & Ioannis Aelgrini, qui quidèm omnia contenta in Canticis Canticorum applicat Sacratiſsimæ Virgini Mariæ: benè verum eſt, quòd hoc opus non incipit, vt dicunt Aduerſarii: *Tres ſunt qui teſtimonium, &c.* Sed ſic: *Oſculetur me oſculo oris ſui. Hæc vox Synagogæ eſt, &c.* Nec eſt tripartitum, ſed in duodecim libros diuiſum. Hæc ſunt omnia, quæ pro indaganda veritate huius Auctoris inuenire potui. Fuit ergo Auctor illius Expoſitionis in Cantica non Ioannes, nec Iacobus, ſed Thomas Ciſtercienſis, natione Anglus, vt benè dixit Turrecremata, atque Doctor Pariſienſis, & ſic quoad Auctorem, & eius nomen aliqua dixerunt Aduerſarii intra veritatem, & alia extra illam. Si autem contenderint (vt ſaluent ſuos Scriptores) nõ eſſe hoc, ſed aliud opus, illud demonſtrent, & ſuum Ciſtercienſem, Anglicum, Anonymum, Ioannẽ, Iacobum ſuper Cantica; quia noſter Thomas Ciſtercienſis in promptu eſt manuſcriptus, & impreſſus. Et hæc ſufficiant pro quæſtione de Auctore.

Sed iam cuiuſcumque ſit illa Expoſitio in Cantica, cap. 6. lib. 9. fol. 135. loquens B. Virgine Maria inquit Auctor: *Itẽ legis, & Prophetarum nebulam cœcam obſcuritate illuminauit pariendo Chriſtum, quem obſcurè prædixerant.*

Vndè

Vndè dicitur, Lucifer lucem cœcis ferens. Item posteris suis cùm esset gratia plena, lumen tulit, id est, gratiæ abundantiam, vndè dicitur, Lucifer quasi luce fertilis, cuius vita gloriosa lucem dedit sæculo. Fuit quasi luna plena in Conceptione, plena Angelica Salutatione, plena Spiritus Sancti obumbratione, plena Incarnatione diuinæ Sapientiæ, in Angelica salutatione fuit plena lætitia, in Spiritus Sancti obumbratione fuit plena gratia, in Incarnatione diuinæ Sapientiæ plena medicina, qua sanaretur infirmitas humana, &c. Hæc sunt Cistercienſis verba. Vide ergo, ò Lector! quid commune habeat hæc auctoritas cum ſupra poſita ab Aduerſariis. Nam primò addiderunt totam illam primam clauſulam: *Beata Virgo fuit in vtero matris à macula peccati originalis per ſanctificationem mundata.* Neque in ipſis hoc nouum eſt; nam concluſionem iſtam in omnibus ferè auctoritatibus nudam apponunt; deindè aſſumunt tres, aut quatuor voces exiſtentes in verbis Auctoris, & ecce facta ſunt omnia. Secundo, eadem intentione addiderunt alteram: *Fuit autem in Conceptione filij à fomite peccati liberata.* Videant Aduerſarii, quid in hoc fecerint, nam peſsimus hæreticus Balleus occaſionem ſumpſit ex hac clauſula, vt ipſe etiam diceret: *Mariam dixit in præfato Canticorum libro in ſola filij Conceptione, non ſua à peccati fomite liberatam.* Tertio, vbi Cistercienſis, *fuit quaſi luna plena in Conceptione*; ipſi peſsimè tranſcripſerunt, *Ideò fuit pulchra, vt luna in eius Natiuitate.* Vt ſic vocem Conceptionis de medio tollerent. Nam cùm Cistercienſis procedat ordinatè dicens; quod Maria fuit plena in Conceptione, plena in Angelica ſalutatione, & plena in Incarnatione, illud, *plena in Conceptione*, videtur reſpicere Conceptionem paſsiuam, nam priùs fuit Cõceptio, deindè Annuntiatio, ac tandèm Incarnatio: ergo illa vox, Conceptio, non reſpicit Incarnationem, ſeu Chriſti Conceptionem, ſed aliam Conceptionem antecedentem Annuntiatione Angelica, & Incarnatione Verbi; hæc autem nulla alia potuit eſſe, niſi Conceptio paſsiua ipſiuſmet Virginis, vt hoc ergo ſepelirent Aduerſarii, vbi Cistercienſis dixerat, *in Conceptione*, ipſi tranſtulerunt, *in Natiuitate.* Hæc in Cistercienſis verbis artifex aſtutia fabricauit ſua.

Sed adhuc reſtat aliud maleficium; nam Cistercienſis ſtatim poſt verba ſuprà relata, ſic proſequitur: *Luna iſta, id eſt, Beata Virgo nubeculæ patitur obſcuritatem, non dico culpæ, quia immunis facta eſt à peccato, ſed pœnæ, quam ſuſtinuit compatiens filio, pro his quæ ſuſtinebat in hoc exilio, &c.* Ecce quomodo Cistercienſis fatetur, Virginem Mariam immunem fuiſſe à peccato, nullamque nubeculam habuiſſe culpæ. Quid clariùs dici poterat pro immunitate Deiparæ? Hæc verba prætermiſerunt Aduerſarii, vt ſic ficto Auctore, adulterata auctoritate, & occultata veritate, omnia deuaſtarent, interficiendo à minimo vſque ad maximum.

Sed vt videant Aduerſarii, quòd pro indaganda veritate nihil intactum relinquimus: dico fuiſſe Auctorem Anglum, qui ſcripſit in Cantica Canticorum vbi apertè, & clarè minus piam docet opinionem. Sed non fuit vocatus Ioannes, nec Iacobus, nec fuit Ciſtercienſis, nec Abbas Sanctæ Mariæ de Fontibus, nec venerabilis, nec opus eius eſt tripartitum, nec incipit: *Tres ſunt, &c.* neque ad illa verba: *Quæ eſt iſta, quæ progedietur*, nec ibi denique extat auctoritas à vobis adducta. Sed Auctor ille Anglus appellatur Guillielmus Paruus Neubergẽſis, fuit Canonicus Regularis Sancti Auguſtini, vel Dominicanus, cuius opus incipit: *Crebra petitionis tuæ, &c.* & ad illa verba: *Tota pulchra, &c.* & ad illa: *Vna eſt columba, &c.* dicit clarè, & expreſsè, Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali. Vide Balleum folio 100. Pitſeum folio 270. Mart. del Rio in Cantica in Iſagoge, & folio 199. & 328. ſi hic eſt Auctor citatus, veritatem dixerunt de Anglo, & ſententia, in aliis autem quaſi qui apprehẽdit vmbram, & perſequitur ventum: ſic & qui attendit ad viſa mendacia, lege num. 196.

IACOBVS de Beneuento, Ordinis Prædicatorum, in ſermone Natiuitatis Beatæ Virginis. *Turrecrem. part. 6. cap. 29. folio 120. à tergo. Anonym. Auctore 74. Bandell. cap. 23. Deza fol. 42. Vincent. claſſ. 6. Gryſald. Brixien.*

VERITAS 133.

DE Hoc Auctore mentionem faciunt Nomenclatores moderni, vt Poſſeuinus, fol. 780. Antonius Senenſis, & Placentinus, deſumpta notitia à Leand. Albert. lib. 4. fol. 147. ſed vt notat Poſſeuinus, quoto anno, vel ſæculo vixerit, omnes Patres Dominicani tacent; & cum nullus antiquus Scriptor de ipſo vllam mentionem faciat, vndiquè ſuſpectus Auctor eſt. Etenim Turrecremata, Bandellus, & Vincentia fingere illum (ſicut fecerunt de aliis) potuerunt, & ab illis decepti ſcribentes poſt ipſos errare facilè fuit. Et confirmatur, quia huius Iacobi de Beneuento opera nullus vidit, nec fuerunt excuſſa: ex quibus omnibus ſaltem colligitur fuiſſe Auctorem paruæ, ſeu nullius opinionis, fuit denique ex Ordine Prædicatorum: ergo ex nulla parte poteſt eſſe teſtis fidelis.

Huius ſemi-auctoritatem ſic adducunt: *Item ad idem eſt eiuſdem Ordinis venerabilis Pater*

Frater Iacobus de Beneuento, in notabili, ac copiosissimo suo opere Sermonum de Tempore, & de Sanctis, in Sermone Natiuitatis Beatæ Virginis sub themate: Vas admirabile, opus excelsi, qui in testimonium sanctificationis eiusdem à peccato originali inducit illud Prouerbiorum 25. Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum, &c. Si autem hoc sit verum, nec ne, Deus scit, quia ego neque Auctorem hunc venerabilem, nec opus illud notabile, ac copiosissimum Sermonem de admirabili vase reperire potui. Taceo, quia est tempus loquendi, & tempus tacendi, &c. existimo enim Auctorem istum esse idem cum Iacobo de Viterbio, Ordinis Sancti Augustini, & Episcopo Beneuentano, & ideò dictus Iacobus de Beneuento, qui etiam scripsit Sermones, de quo vide infrà num. 139.

IACOBVS De Casa, seu de Casali, Ordinis Minorum in suo Libello de Conceptu Virginali. *Turrecremata cap. 32. fol. 123. à tergo, Anonym. Auctore 1200. Bandel. 24. Deza fol. 46.*

VERITAS 134.

SVPPONO Primo, quòd Nomenclatores Neotherici Ordinis Minorum, vt Vvillotus, folio 199. Vvadingus, folio 182. Deza de Conceptione folio 48. Marraccius in Biblioth. fol. 625. & indice ad annum 1524. sed prudenter addidit: *Sed quæ tempestate claruerit, neque apud Vvillot, nec apud quemquam alium hactenus inuenio.* DD. Anton. de Leon in Biblioth. manusc. & etiam Possevinus, folio 781. mentionem faciunt de quodam Iacobo de Casa, vel de Casali, Ordinis Minorum (& aliqui affirmant, fuisse ex tertio Ordine S. P. N. Francisci) qui scripsit Tractatum de Cõceptione Virginis Mariæ, & hoc ita nudè, vt nullus ipsorum dicat, quando vixerit, à quo sumpserint notitiam, qualisvè fuerit tractatus ille. Secundo suppono, quòd Nomẽclatores Neotherici Ordinis Prædicatorũ mẽtionem faciunt de quodam Vincentio de Casali, Ordinis eiusdem, qui scripsit Tractatum de Conceptione Virginis, de quo Ant. Senensis sic fol. 265. *Vincentius de Casali, &c. Ille scribendo Tractatum de Conceptione Virginis eruditum, vt Auctor supplementi Chronicarum dicit, quo etiã teste claruit anno* 1217. Hæc Senensis; sed totum hoc est quoddam figmentum ad multiplicãdum Auctores solùm excogitatum: nam Iacobus Bergomensis Auctor supplementi Chronicarum ad ann. 1217. minimè adducit talem Auctorem, imò anno sequẽti, scilicèt 1218. constituit fundationem, & initium Ordinis Prædicatorum à S. P. N. Dominico: quomodo ergo ante initium suæ Religionis poterat Frater Vincentius de Casali, Ordinis Prædicatorum scribere eruditum Tractatum de Cõceptione Virginis? Vt autem hoc manifestum errorem emendarent Michael Pius, & Alphosus Placentinus fol. 439. affirmant, hunc Vincentium de Casali edidisse illum Tractatum de Conceptione Virginis, eruditione plenum ad ann. 1517. Nota, Lector, paruam differentiã: Primus dixerat ad annum 1217. Secundus verò ad annum 1517. Cùm ergo Auctor supplemẽti Chronicarum non perueniat in sua Historia, nisi ad annum 1490. Considera, vndè Pius, & Placentinus potuerint extrahere suum Vincẽtium de Casali? Tertio suppono, quòd nullus Nomenclator antiquus, vel Scriptor Ecclesiasticus de Iacobo de Casa Franciscano, nec de Vincentio de Casali Dominicano, vllam facit mentionem: & huius nominis solùm referunt, & adducunt, Vincentium de Castro, communiter dictum Bandellum, qui elaborauit nõ solùm vnum, sed tres diuersos Tractatus de Conceptione Virginis, de quo nos suprà in Trituratione num. 1. & xxiii. Quarto supponẽdum est, quòd Vincentium Bandellũ adducunt Aduersarii duplicatum, vt videbis infra num. 306. & num. 307. sub nomine Vincentii Banchelli, & Vincentii Bandelli, sed sub nomine Vincent. de Casali nunquam adducitur ab Aduersariis, stante quòd fecerit supra relatum eruditũ Tractatum de Conceptione, vt ipsimet Aduersarii fatẽtur. Ex quo deducitur aliquod in hac omissione latere mysterium, & nõ sanctum. Vltimo suppono, quòd licèt aliqui Scriptores ex Seraphica Familia insinuauerint, vel expressè dixerint, Virginẽ Mariam fuisse conceptam in peccato originali, hoc solùm dixerunt inciderter, & oblata occasione materiæ, v. g. Beltrandus de Turre in quodam sermone Natiuitatis, Aluarus Pelagius, referens varias opiniones, Richardus de Media villa in 3. Sentẽtiarum, &c. Nullus tamen fuit Minorita in rerum natura, qui ad probandum Virginem Mariam contraxisse originalem maculam ediderit, vel laborauerit specialẽ Tractatum, seu integrum Libellum, neque hunc aliquis vidit, vel audiuit, neq; Aduersarii assignabunt. His ergo suppositis pro Auctore.

Sunt insuper alia supponenda pro indaganda auctoritate, & primum sit, Turrecrematã, qui de omnibus aliis Auctoribus à se adductis, transcribit auctoritates, de hoc Iacobo Minorita nullam adduxisse. Inquit enim: *Item ad idem est eiusdem Ordinis Pater Frater Iacobus de Casali, in Tractatu quem fecit de ista materia.* Et nihil amplius; ex quo videtur, ipsum locutum fuisse tantum ex relatione, nec vidisse Auctorẽ, vel opus illud de Conceptione, transcribere t enim

enim aliqua verba, ſicut facit in omnibus aliis. Secundum ſupponendum, Petrum de Vincentia abſolutè prætermiſiſſe hunc Auctorē, Anonymum verò illum tranſcribere ſic: *Idem tenet Magiſter Iacobus de Caſa in Tractatu, quem fecit de Conceptione B. Virginis.* Poſt hos ingreſſus eſt Bandellus omnium falſitatum eximius patrator, & ſic illum adducit: Idem tenet Magiſter Iacobus de Caſa, Ordinis Minorū in ſuo Libello de Conceptione, ſic dicens: *Beata Virgo fuit in originali peccato concepta, ſed poſteà copioſiùs cæteris fuit in vtero ſanctificata. Hæc ille.* Hæc breuis, & compendioſa auctoritas, ex diſpoſitione, & ſtructura ex ſe videtur ficta a Bādello, vndè enim illam potuit tranſcribere, nō à Turrecremata, neque Anonymo, nec ab alio Auctore antiquo, quia nullus, vt ſupra dixi, de hoc Scriptore mentionem facit, neque ab ipſo originali, quia tale nec impreſſum, nec manuſcriptum, fuit viſum, nec auditum in rerum natura. Ex his omnibus ſuppoſitis principiis, neque in apice, vel Iota diſcrepantibus à veritate deduco ſequentem concluſionem.

Primus, & vnicus Pater, ac principium, à quo in litteratura originem ſumpſit hic Auctor Ordinis Minorum, non fuit liber Turrecrematæ (notanter dico, liber, non Turrecremata, quia liber ille non fuit Turrecrematæ, ſed Barthol. de Spina, & Alberti Duimii, vt infrà latiſsimè probabitur, qui liber prodiit poſt Anonymum, & Bandellum, de quo copioſè infrà num. 195.) ſed Anonymus. Videns ergo Bandellus, quòd nullam auctoritatē adducebat Anonymus, finxit illam non auctoritatem, ſed concluſionem: *B. Virgo fuit in originali peccato concepta.* Et tàm Auctor, quàm auctoritas fuerunt fictæ. Ideò Auctores libri Turrecrematæ videntes, & ſentientes, hanc fictionem, mutauerunt nomē Iacobi de Caſa in Iacobum de Caſali; nec iſte Iacobus de Caſali fuerat in rerum natura; ſed ipſum adduxerunt per ordinem, & reſpectum ad Vincentium de Caſali, Ordinis Prædicatorum, de quo dicebatur, compoſuiſſe Libellum, ſeu Tractatum de Conceptione Virginis, & mutādo nomen Vincentii in Iacobum, & indutum ſacco, & habitu Ordinis Minorum, ipſum foras emiſerunt. Inſuper, nec talis Vincentius de Caſali, vel Caſa, Ordinis Prædicatorum fuit in rerum natura, qui ſcripſerit Tractatum illum de Conceptione, ſed vocabatur iſte Vincentius de Caſtronouo, & ſi hic eſt, iam erit triplicatus. Niſi velint dicere, Iacobum de Caſa Franciſcanum elaboraſſe vnum Tractatum de Conceptione Virginis, & in illo eius præſeruationē ſuſtinuiſſe, & alium fuiſſe Iacobum de Caſa Franciſcanum, qui ſcripſit etiam Tractatū de Conceptione, ſed contra eius puritatem. Tertiò fuiſſe alium Iacobum de Caſali, etiam Franciſcanum, qui ſcripſit Tractatum de Conceptione contra eius puritatē. Quarto, fuiſſe alium Vincentium de Caſali, Dominicanum, qui ſcripſit Tractatum de Conceptione pro contraria opinione. Quintò, denique alium Vincentium de Caſtronouo etiam Dominicanum, qui ſcripſit eodem modo Tractatū de Conceptione. Optimè, & ſi ex his quinque de ſolo vltimo conſtat fuiſſe ſcriptorem, & edidiſſe tractatum de Conceptione, de aliis quatuor Auctoribus quid dicemus? Viuunt, vel parierunt, iunt larvæ, vel fantaſmata, ſolùm vos illos vidiſtis? Fortè in veſtris cellulis apparuerunt, & ſtatim euanuerunt? Et ſi hæc non ſufficiunt, attendite, quia adiiciam vobis maiora, vt ex ſequentibus firmiter credatis, hunc fuiſſe abſolutè fictum.

IACOBVS De Lauſana, Epiſcopus Lauſanēſis, Ordinis Prædicatorum, in Eccleſiaſt. cap. 7. & in Serm. Natiuitatis Virginis, & in Serm. Purificationis, & in 3. Sentent. dist. 3. *Turrecrem. part. 5. cap. 1. fol. 84. à tergo, & part. 6. cap. 29. fol. 119. à tergo. Anonym. Auctore 54. Bandel. cap. 23. Deza fol. 40. Vincent. Gryſald. Brixienſis.*

VERITAS 135.

DE Hoc Iacobo Lauſanenſi, Epiſcopo Gallo, ferè omnes Nomenclatores mentionem faciunt, floruitque ad ann. 1314. vel 1317. licèt aliqualiter varient in nomine; nam aliqui eum vocant de Lauſania, alii de Oſana, alii Laoſana, & alii Loſona, & alii Lauſarēſem; aliqui eum conſtituunt ad annum 1314. alii 1331. alii 1375. & reſeſſet parui momenti, niſi Aduerſarii ex hac varietate occaſionem ſumpſiſſent ad ipſum multiplicādum, vt videre eſt num. ſequenti. Anonymus enim aſtutè in hoc Iacobo de Lauſana ſolum adducit has citationes, ſcilicèt in 3. Sent. & ſuper Eccleſiaſten, vt Auctori ſequenti adſcriberet alias duas, videlicèt ſermonum Natiuitatis, & Purificationis, vt ſtatim videbimus, & hæc de Auctore.

Primam huius auctoritatem ſic adducit Turrecremata. Idē tertio videtur haberi ex illo Eccleſiaſt. 7. vbi dicitur: Virum de mille, &c. Item idem dicit in eodem paſſu in Poſtilla ſua Dominus Iacobus de Lauſana, Magiſter Pariſiēſis, & Epiſcopus Lauſanenſis, qui ita in forma dicit: *Inter omnes viros vnum ſolùm inuenit omninò mundum ab omni concupiſcentia, ſcilicèt, Chriſtum, ſed inter mulieres, nullā, quia B. Virgo infecta fuit peccato originali.* Bandellus verò, corrector, & corruptor omnium auctoritatum ſic ipſam tranſcripſit: Idem tenet D. Iacobus de Lauſana, Epiſcopus Lauſanenſis ſuper Eccleſ. cap. 7. ſic dicēs: *Inter omnes viros, inquit Scriptura, vnum ſolùm inueniri, omninò mundum ab*

omni peccato, ſcilicèt Chriſtum, ſed inter mulieres nullam, quæ Beata Virgo fuit infecta originali peccato. Hæc ille. Idem dicit in 3. Sententiarum, & in ſermone Purificationis. Hæc Bandellus, & eadem verba ad litteram habet Petrus de Vincentia. Gryſaldus verò ſic: *Beata Virgo fuit à macula peccati originalis per ſanctificationem mundata.* Cùm ergo omnes tranſcripſerint hanc auctoritatem à Turrecremata, nota, qua fidelitate. Primò, addidit Bandellus illud, *inquit ſcriptura*, vt ſic ſequentem ſententiam adſcriberet Scripturæ ſacræ, non Lauſanenſi, ideo Secundo, illud Turrecrem. *inuenit*, tranſmutauit ad infinitiuũ, *inueniri*. Tertio, vbi Turrecrem. *ab omni concupiſcentia*; ipſe ſuper omnem malitiam appoſuit, *ab omni peccato*, vidēs enim quòd ibi loquebatur Lauſanenſis de concupiſcentia parentum, quam Doctores antiqui communiter vocabant peccatum originale, ſine qua ſolus Chriſtus fuit conceptus, ad vitiandam totam ſententiam Lauſanenſis, illud, *concupiſcentia*, mutauit in ly *ab omni peccato* ſiquidem auctoritas, vt adducebatur à Turrecremata, nihil habebat contra immaculatam Virginis Conceptionē: nam difficultatis punctum non eſt, an Maria fuerit cum concupiſcētia genita, potuit enim concupiſcentia gigni, & tamen præſeruari ab originali; & ſic abſque noſtræ ſententiæ præiudicio verificatur Lauſanenſis placitum, ſcilicèt, ſolùm Chriſtum fuiſſe omninò mundum ab omni concupiſcentia, in ſui generatione, vel Conceptione. Quartò, inquire in hac auctoritate, ſiuè Turrecrematæ, ſiuè Bandelli, vbi ſunt verba illa Gryſaldi: *Beata Virgo fuit à macula peccati originalis per ſanctificationem mundata?* Conſidera hęc, Lector, & obſtupeſce. Quintò, quia hanc eandem auctoritatem ſuper Eccleſiaſten capit. 7. adducunt ſuprà num. 103. in Guillielmo de Alcona, etiam Doctore Pariſienſi, & Ordinis Prædicatorum, licèt in aliquibus mutata. Et ſic quoad auctoritatem Auctor eſt triplicatus.

Secundam auctoritatem adducit Turrecremata ſic in par. 5. cap. 1. Item idem dicit in ſermone Natiuit. B. Virginis: *Committitur Spiritui Sancto à tota Trinitate, qui totius puritatis, & ſanctitatis eſt Auctor, Virginem Mariam purificare, & mundare, cùm dicit: Auferrubiginẽ de argento. Ad cuius euidentiam dicit, eſſe notãdum, quòd B. Virgo rubiginem peccati originalis contraxit in ſua Conceptione, & animatione, quæ quidèm originalis culpa meritò per modum rubiginis deſignatur.* Et infrà: *Nulla de mulieribus euaſit hanc rubiginẽ, & nullus de viris præter Chriſtum, Eccleſiaſt. 7. virum vnum de mille vix reperi, mulierem autem ex omnibus non inueni.* Brixienſis verò eandem auctoritatē adducit ſic dicens: Et præfatus Magiſter Iacobus Lauſanēſis in ſermone Natiuitatis B. Virginis, qui incipit: Auferrubiginem, &c. dicit: *Committitur Spiritui Sancto à tota Trinitate, qui totius puritatis, & ſanctitatis eſt Auctor, Virginẽ Mariam purificare, & mundare, cùm dicit: Auferrubiginem, &c. quia nulla de mulieribus euaſit hanc rubiginem, & nullus de viris præter Chriſtum. Iuxta illud Eccleſ. 7. Virum vnum de mille vix reperi, mulierẽ autem ex omnibus non inueni.* Cùm ergo iſtæ duæ auctoritates deſumptæ fuerint ex eodem originali, quomodo vnus prætermiſit omnia illa verba eſſentialia: *Quòd Beata Virgo rubiginem originalis peccati contraxit in ſua Conceptione, & animatione, quæ quidèm originalis culpa meritò per modum rubiginis deſignatur.* Et etiam illa: *Nulla de mulieribus euaſit hanc rubiginem?* Vndè exiſtimaui ex prædicta variatione ſtatim hæc fuiſſe fictā à Turrecremata. Quod confirmaui ex eo, quòd nec Bandellus, Vincentia, nec aliquis alius, cùm illa ſint expreſsiſsima verba, propter illas ſpecificationes, *in ſua Conceptione, & animatione*, de tali auctoritate aliquam mentionem faciunt.

Sed quid diceres, Lector, ſi ex ipſo Lauſanēſi comprobaretur, omnia prælegata verba eſſe falſa, & ficta: attende ergo. Iacobus de Lauſona, Ordinis Prædicatorum ſcripſit librum typis mandatum Lutetiæ anno 1529. in 8. ſub hoc titulo: Sermones Dominicales, & feſtiuales per totum anni circulum, per R. P. F. Iacobum de Laoſona, Ordinis Prædicatorum, & ſacræ Theologiæ Profeſſorem meritiſsimum declamati, &c. incipit opus: *Sicut in die honeſtè ambulemus, &c.* in quo adducit Sermones de tempore, ac de aliquibus feſtiuitatibus, ſed in hoc non extat prædictus Sermo de Natiuitate Virginis: eſt etiam in Bibliotheca Sanctæ Eccleſiæ Toletanę, Area 1. in fol. quoddam manuſcriptum ſub hoc titulo, intus, & foris Iacobi Lauſanenſis Sermones. Et incipiunt: *Chriſto confixus ſum cruci, &c.* Et de Natiuit. Virginis Mariæ habet Sermones duos, quorum primus incipit: *Facta eſt lex, &c.* in quo nihil adducit pro hac materia Conceptionis, vel ſanctificationis. Secundus autem incipit: *Iudæis noua lex oriri viſa eſt, &c.* Et ibi extant ſequentia verba: *Quaſi diceret, quando Deus voluit mundum ad ſui laudem, & amorem adducere, noua lux, id eſt, Beata Virgo apparuit, & fuit nata in mundo, vbi tanguntur tria ad eius commendationem; quia primo eſt honorabilis ſanctitate, oriri viſa eſt, ſanctitati debetur honor, & reuerentia; & ſecundùm quod ſanctitas eſt maior, debetur amplior honor: Beata Virgo nata fuit tota ſancta, & abſque omni vilitate peccati, & hoc eſt quod importat verbum, oriri, ideò enim dicitur naſci, vel generari, quaſi incipere eſſe ſine corruptione, ſicut ſol, & ſtellæ oriuntur: igitur Beata Virgo eſt*

hono-

honorabilis ſanctificate; ſed hoc fuit mirabile, quando fuit nata ſine peccato; facere enim vas nouum de materia putrida, eſt magnum, natura enim humana, ex qua fuit formatum corpus B. Virginis, erat tota corrupta, & quomodo igitur naſci potuit ſine peccato? Ecce exemplum. Dum lilium intra terram generatur, & concipitur, eſt in vilitate & luto, ſed quando eleuatur, & exyt à terra, totum eſt album, & ſine macula; cuius ratio eſt, quia virtus cœli, per quàm formatur, ſeparat puram ab impuro; impurum enim dimittit in terra, & quod eſt purum, facit exire ſuper terram, & ideò lilium natum eſt pulchrum, licèt vile, & turpe, dum concipitur. Beata Virgo vocat ſe lilium: Ego flos campi, & lilium conuallium. In Canticis, hoc eſt, lilium, quod reddit ſuauem odorẽ, quia lilium ſuæ virginitatis fuit plantatum in duas valles, ſcilicèt, cordis, & corporis, & ideò ſicut lilium concipitur in immunditia, ſic B. Virgo in vtero Matris fuit concepta in immunditia peccati originalis, cum cito poſt virtute Spiritus Sancti fuerit de albata, & mundata iuxta quod fuit nata tota ſancta, &c. Hæc ſunt omnia Lauſanenſis verba in illo Sermone Natiuitatis: Vel ergo Aduerſarii debent oſtendere aliud Sermonarium Lauſanenſis, vel tota auctoritas ab ipſis adducta eſt falſa, & ficta, nam nullum verbum ab ipſis adductũ extat in Lauſanenſi, niſi ſolùm illud, *vas:* ò ſapiens, quàm aptè! Hic enim ſcit ſe ſuper omnes delinquere, qui ex terræ materia fragilia vaſa, & ſculptilia fingit, &c.

Sed antequàm progrediamur vltra, exiſtimo, quòd verba iſta Lauſanenſis laborent ſub illa æquiuocatione vniuerſali antiquorum, de qua ſæpè diximus, & dicemus: nam pro idem vtuntur *oriri*, & *naſci*, & *generari*, & *incipere eſſe*; & ſimiliter *generatur*, atque *concipitur*. Ex quibus conſtat, quod lilium ſeminatum ex natura corrupta, putrida, & immunda, quando formatur virtute cœli, ſeparatur & relinquitur impurum in terra, vt lilium oriatur, naſcatur, generetur, & incipiat eſſe in ſua generatione pulchrum, & purum: Igitur lilium ſemper fuit purũ, & pulchrũ, ex quo incipit eſſe? Ergo illa verba: *Sic B. Virgo in vtero Matris fuit concepta in immunditia peccati originalis*, locuntur de prima conceptione carnis, & materiæ? Non de ſecunda animationis, in qua totum lilium Marianum fuit album, & ſine macula? Hoc infero ex Lauſanẽſis verbis, quia ſi illud, *concepta*, ſumatur pro prima conceptione carnis, in qua eſt immunditia, & imparitas, & illud *nata* pro natiuitate in vtero; quorum primus eſt modus loquendi omnium antiquorum, & ſecundus omnium Aduerſariorum, nihil eſt in hac Lauſanenſis auctoritate pro ipſorum opinione.

Sed adhuc reſtat aliquid aliud ventilandum in hac auctoritate, nam etiam eſt multiplicata; exiſtimo enim, ac vehementè præſumo, Aduerſarios non legiſſe Sermonem Lauſanenſis de Natiuitate Virginis (nam ſi illum vidiſſent, adducerent profectò hæc vltima verba eiuſdem: *Sic B. Virgo in vtero matris fuit concepta in immunditia peccati originalis*, &c. quibus videtur clarè, & apertè ipſorum ſequi opinionem, & relinquerent totam illam fictionem de ſermone incipiente: *Auferrubiginem*; de Conceptione, & ſanctificatione, & omnia alia in eorum auctoritate relata) ſed ſolùm modo audierant ex relatione, Lauſanenſem etiam ſuſtinuiſſe ſuã opinionem in Sermonibus Natiuitatis, & Purificationis, loquẽdo de Virgine Maria ſub metaphora vaſis. Et quærentes aliquam auctoritatem, quæ loqueretur de vaſe, inuenerunt quemdam Anonymum Ciſtercienſem tunc incognitum Richardum à S. Laurentio, de quo nos ſuprà num. 22. qui lib. 3. de laudibus Virginis ſic inquit: *Tunc enim videtur Pater quaſi præcepiſſe Spiritui Sancto illud Prouer. 25. Auferrubiginem de argento, & egredietur vas puriſſimum. Tunc etiam cœleſtis Aurifex, id eſt, Spiritus Sanctus, qui eſt omnium artifex. Sapien. 7. totam rubiginem culpæ originalis abſtulit de argento virgineæ carnis, &c.* Confer ergo, Lector, hanc Ciſtercienſis auctoritatem cũ ipſa adducta ab Aduerſariis pro ſuo Lauſanenſi, & inuenies eſſe ipſiſſimam, aliquibus verbis mutaris, ſeu auctis ab ipſis, vt de more habent: ſi igitur auctoritas Lauſanenſis eſt hæc, ficta, & ſuppoſita eſt quantum ad Auctorem, & multiplicata quantum ad ipſam. Si autem dixerint, ſuum Lauſanenſem deſumpta occaſione à propoſitis Ciſtercienſis verbis aliam ſimilem ſcripſiſſe auctoritatẽ in alio Natiuitatis Sermone, oſtendant Sermonem, & auctoritatem, ſed exiſtimo, quòd dicent mihi: rem difficilem poſtulaſti.

Tertiam auctoritatem Lauſanenſis adducũt ex Sermone Purificationis, ſed nulla adducunt verba; ex hoc etiam comprobatur ipſorum fictio; nam Lauſanenſis in prælegato opere adducit Sermonem de Purificatione, & incipit: *Venit ad Templum ſanctum ſuum*, &c. ſed in ipſo nec vnũ ſolùm verbum habet de Conceptione, vel ſanctificatione Virginis, quia ſolùm agit in eo de modo, quo Chriſtus D. vicit diabolum, & ſic ex hac parte totum eſt falſum, quòd adducunt de ſuo Lauſanenſi. Vidi etiam, & recognoui Sermonem de Annuntiatione, qui incipit: *Deſcendi in hortum meum*, &c. & ſolùm habet hæc verba: *Propter quod Dei Filius deſcendit nobis, cùm ſicut bonus nauta & iſtũ piſcem ſuperauit non ſolùm à Matre, quæ fuit in vtero ſanctificata, ſed etiam à nobis, quia detulit ſacrum Baptiſma, per quod paruuli ab originali mundantur.* Vidi etiam, & legi Sermonem Conceptionis Virginis Mariæ, qui incipit: *Ipſa eſt mulier, quàm præparauit Dominus*, &c.

Iſtum

Istum non citant Aduersarii, vel quia non viderunt, & sic confirmatur, quod supra dixi, quod ex sola relatione locuti sunt, vel quia in toto illo licèt latissimè loquatur de peccato originali, & Adæ lapsu, de Virgine Maria solùm habet hæc verba: *Vndè per Viginem B. est nobis hæreditas cœlestis restituta, vt dicat sibi quilibet illud Psal. Tu es, qui restituis hæreditatē meam mihi. Propter hoc Deus Pater sua sanctificatione eam proprio filio suo præparauit, &c. B. Virgo fuit locus, & vas, in quo positæ fuerunt pretiosiores reliquiæ paradisi, Dei Filius, quia à mundo in sua Diuinitate videri non poterat, formatum est vas purissimum B. Virgò, vt mediante velamine, quòd de vase isto assumpsit, melius videretur.* Hæc sunt omnia, quæ de Conceptione, ac vase dicit Lausanensis, ex quo etiam patet illud quod supra dixi, quod Aduersarii solùm locuti sunt ex auditu; & ex sola voce, *vas*, totam suam finxerunt auctoritatem.

Quartam auctoritatem adducunt sic: Item, ad idem est eiusdem Ordinis P. M. Iacobus de Lausana, ingeniosus Doctor, Magister Parisiēsis, & Epicopus Lausanensis, tàm super Ecclesiasticum, vt superius fuit inductum, quàm *in 3. Sentent. dist. 3. verba S. Thomæ, quæ in scripto suo ponit in forma repetens*: Hæc Turrecremata. Si ergo Lausanensis iurauit in verbo Magistri, & fuit ex Ordine Prædicatorum, quid mirum? Sed nota, Lector, quod est falsum illud, quod dicit hic Turrec. super *Ecclesiasticum*, quia non est nisi super Ecclesiasten. Et in hoc non est reprehendendus Turrecremata, quia hic fuit ex omni parte doctissimus, sed Albertus Duimius, qui eius librum Romæ typis mandauit, & totum opus erroribus materialibus, ac formalibus respersit. Vide infrà num. 195. vbi narrabimus mirabilia eius, quæ fecit.

IACOBVS De Losona, Ordinis Prædicatorum, in Sermone Purificationis, & Natiuit. B. Virginis. *Ita Anonym. ratione 9. Auctor. 78. & Ant. de Brixia.*

VERITAS 136.

ANONYMVS, Qui in classe Ordinis Prædicatorum, Auctore in ordine 54. dixerat sic: *Idem tenet Dominus Iacobus de Lausana, Doctor Parisiensis, & Episcopus Lausanensis, in 3. Sent. dist. 3. & super Ecclesiasten.* Infrà in eadem classi Auctore 78. iterum inquit: *Idem tenet Magister Iacobus de Losana in Sermone Purificationis, & Natiuitatis B. Virgis.* Vestigia Anonymi secutus est Brixiensis: nam nullus alius adducit hanc claram, & manifestam Lausanensis reduplicationem, est enim idem cum posito num. antecedenti, vt patet ex nomine, cognomine, ordine, dignitate, atque operibus. Et Michael Pius lib. 2. par. 2. col. 160. ad annum 1331. solùm vnum adducit Iacobum de Losona, Episcopū, & Scriptorem, qui scripsit super Ecclesiasten, & tria volumina Sermonum, &c. Sed nota cauillationes, ac fallacias Anonymi comillas in hoc Auctore, vt non detegeretur dolus ipsius. Ni primo mutauit cognomen, & quem suprà vocauerat Lausana, nūc appellat Losona, supra ipsum exornauit variis titulis, Doctoris, scilicet, Parisiensis, & Episcopi Lausanensis, hic autem illum appellat nudè, Magister, supra citauit in 3. Senten. dist. 3. & super Ecclesiasten, huc alias duas adscripsit cotas, seu citationes, videlicèt, in sermonibus Natiuitatis, & Purificationis, vt his mutationibus, simplices, ac ignorantes existimarent alium fuisse, ac distinctum Doctorem. Sed in hoc suos tantūm fefellit. Nam Ant. Senensis qui fol. 122. suæ Bibliothecæ, vocauit vnū Iacobum de Lausana, Episcopum Lausanensem, fol. 129. adduxit eundem, quasi esset alterum, sub nomine Iacobi de Ossona, Episcopum Ossonanum, & Sixtus Senensis fol. 251. vocat eum Iacobum Lausanensem, & statim in eadē columna adducit ipsum, cognominando eum Iacobum de Lusanna. Placentinus verò plus errauit: nam inter Italos fol. 380. recenset Iacobum de Osana; & folio 387. inter Gallos Iacobum Lausanensem. Nulla ergo præstanda est fides his Nomēclatoribus Neothericis ex Ordine Prædicatorum, quia licèt aliàs ipsi sint veridici, ipsorum Bibliothecæ scatent erroribus, vt passim hic demonstrabitur; quia cœca confidentia (vt dici solet) in fide parentum, transcripserunt à Turrecremata, Anonymo, Vincentia, & Bandello, quàm plures Auctores fictos, alios multiplicatos; &c. Parauerunt enim isti laqueos si non pedibus, manibus scribentium, sed (Deo dante) laqueus contritus est.

IACOBVS De Perusio, Episcopus Perusinus, Ordinis Prædicatorum, in Sermon. Natiuitat. & Annuntiat. B. Virginis. *Anonym. Auctor. 77. Bandell. cap. 23. Dexà fol. 40. Vincent. Gryfald.*

VERITAS 137.

NOMENCLATORES Ordinis Prædicatorū, scilicèt, Antonius Senensis, & Alphonsus Fernandez Placentinus non solùm vnum Iacobum Perusinum, sed duos diuersos adducunt in suis Bibliothecis, sed de vtroque nihil aliud dicunt, nisi quod scripserint tantùm Sermones per annum. Quorum vnum faciunt Episcopum, alterum verò simplicem Scriptorem: quod autem Placentinus in vno fuerit deceptus

tus à Michaele Pio, in altero ab Antonio Senensi; Pius verò, & Senensis ab Anonymo, & Bandello, sic demonstratur. Primò, quia nullus Nomenclator antiquus de talibus, imò nec de vno solo mentionem facit, nec in tota litteratura Ecclesiastica talem Iacobum de Perusio inuenire potui, nec inter Episcopos Perusinos. Secundo, quia ex his duobus, vnum dicunt vixisse ad annum 1262. alterum verò ad annum 1295. vellem scire, vndè extraxerint hoc, quia ipsorum Chronicæ nihil horũ dicunt? Tertiò, quomodo Turrecremata, Capreolus, nec S. Antoninus, de hoc Auctore nullam faciunt mentionem?

Quartò, & potissimè, ex auctoritate, quia Anonymus eum adducit sic: *Idem tenet Magister Iacobus de Perusio, in Sermone Natiuitatis, qui incipit: Orietur stella.* Bẽdellus verò, & Vincentia sic: Idem tenet Dominus Iacobus de Perusio, Episcopus Perusinus in Sermone Annũtiationis, sic dicens: *Spiritus Sanctus veniens in Mariam in vtero Matris suæ non solùm eam mundauit à peccato originali, quantum ad maculam, sed eam etiam in bono quodammodo confirmauit, ligando fomitem peccati. Hæc ille. Dicit etiam idem in Sermone Natiuitatis B. Virginis.* Hucusque Bandellus. Cùm ergo vidissent Nomenclatores Dominicani, quòd Anonymus vocabat hunc Iacobum de Perusio, Magistrum tantũmodo, & quòd Bandellus ipsum adducebat Episcopum Perusinum absque alia consideratione, & examine adduxerunt duos Iacobos Perusinos, vnum Magistrum, alterum Episcopum, & ambos Scriptores Sermonum. Patres mei! videte, & palpate; quia Iacobus de Perusio adductus ab Anonymo in sermone Natiuitatis, est idem ipse qui adducitur à Bandello in eodem sermone Natiuitatis. Quomodo adducitis duos Iacobos de Perusio, quãdo nec vnũ demostrabitis? Cùm enim Anonymus solùm vocasset suum Iacobum Perusinum Magistrũ, Bandellus voluit ipsum consecrare, & appellauit Episcopum. Anonymus non adduxerat auctoritatẽ pro illo sermone Natiuitatis; ideò Bandellus excogitauit alium sermonem Annuntiationis, & illam finxit auctoritatem. Fictio patet ex ipsamet auctoritate, quæ ex se clamat; quia stylus, & verba sunt Bandelliana. Sed cum tot, ac tantis fundamentis, quòd Auctor est suppositus, & auctoritas ficta, quousque Auctorem, & auctoritatem demonstrent, obseruemus illud: Ne temerè quid loquaris.

Demus, quòd Auctor fuerit in rerum natura, & auctoritas sit legalis, ac vera, saltem non poterunt Aduersarii negare sequentia. Primum, quòd Auctor est suspectus in hac materia, si quidem est ex Ordine Prædicatorum. Secundum, quòd est Auctor nullius opinionis, famæ, vel nominis: siquidem nullus scriptor magnus vel paruus de ipso mentionem facit, vel saltem incidenter nominat. Tertiò, quòd eius opera nec fuerunt typis mandata, nec scitur vbi extẽt manuscripta. Quomodo ergo hic potest esse testis in iudicio?

IACOBVS Pictauiensis, Ordinis Minorum in Sermon. Annuntiat. & Natiuit. B. Virginis. *Ita Anonym. Auctore* 177. *Bandel. cap.* 24. *Deza fol.* 47. *Petr. de Vincent.*

VERITAS. 138.

BREVITER Propono, quid de hoc Auctore sentiendum sit. R. P. Lucas Vvadingus in suo Syllabo, seu Cathalogo scriptorum Religionis Minorum fol. 185. habet hæc verba: *Iacobus Pictauiensis, fortè Pictauiensis, edidit Sermones de tempore.* Et nihil amplius de hoc Auctore: quæ verba desumpsit ad litteram ex R. P. Antonio Possevino fol. 790. sic dicente: *Iacobus Pictauiensis, fortè Pictauiensis, Ordinis Minorum edidit Sermones. Henric. Vvillot.* Ex quibus verbis constat Possevinum transcripsisse hunc Auctorem ab Henrico Vvilloto. At Henricus Vvillotus nec adducit, nec nominat talem Iacobum Pictauiensem, vel Pictauiensem; dicit enim in suis Athenis à fol. 195. adducat septemdecim Iacobos Scriptores ex Religione Minorum, sed nullus est Pictauiensis, vel Pictauiensis. Cùm ergo Possevinus aliàs semper sit legalis, ac veridicus Scriptor, & Auctor hic non inueniatur in Vvilloto, sed in Bandello, credendum est, fuisse lapsum calami, & loco Bãdelli scripsisse Vvillotum. Adducit tamen Vvillotus Ioannẽ Gallicum, de quo nos statim: vndè præsentis Auctoris tota, & vnica notitia desumpta est ab vnico Bandello, quia nullus Auctor, vel Nomenclator de tali Iacobo Pictauiẽsi vllam facit mẽtionem; quare verè, ac realiter existimandum est, fuisse fictum, vel saltem esse aliquem Auctorem penitùs ignotum, & vndequaquè obscuræ opinionis; cùm nec tale opus fuerit typis mandatum, nec manuscriptum ab aliquo visum fuerit. Nisi fortè dicamus, esse duplicatum, & triplicatum: nam, vt videbimus infrà num. 174. adducunt Aduersarii Ioannem Gallicum, Ordinis Minorum in *Summario, in Sermone Annuntiationis, & Natiuitatis, B. Virginis*, atque nullam trãscribunt auctoritatem. Et infrà num. 257. citant pro sua sentia alium Pictauum, vel Pictauium, *in Summa sua*, nulla adducta auctoritate. Existimo ergo vehementer, quòd hi tres Auctores fuerunt tantum modò vnus, mutando enim Bandellus nomen Iacobi in Ioannẽ, & Summarium in Summam, atque nomen Prouintiæ Pictauiensis, in Regni titulũ, ex vno

Iaco-

Iacobo, vel Ioanne Pictauiensi Gallo fecit tres, vel, vt meliùs dicam, quatuor, cum Ioanne Gallico Augustiniano de quo num. 172. hoc enim sæpissimè fecit Bandellus, & fortè quinque cum Iordano Theutonico, de quo num. 198.

Auctoritates verò sic adducit: Idem tenet Magister Iacobus Pictauiensis, Ordinis Minorum, in sermone Annuntiationis, sic dicens: *Sine dubio B. Virgo vè culpæ originalis habuit, sed posteà statim per gratiam purgata fuit. Hæc ille.* Hæc Bandellus, cui ego respondeo: *sine dubio*, Bandelle, tua auctoritas ficta est; quia *statim* in ipsa deprehenditur: nam verba, *sine dubio*, sunt Bandelliana. Quod etiam demonstratur ex secunda auctoritate, quæ sic se habet: Et in sermone Natiuitatis eius: *Licèt*, inquit, *Maria inter spinas vitiorum fuerit concepta, fuit tamen à peccati macula in vtero matris depurgata.* Ego, Lector, nullomodo dubito, has auctoritates esse fictas, quia ex assiduo studio operũ Bandelli cognosco eius stylum, at vt nihil dicamus temerè, oremus ipsi, vt ostendant hunc incognitum Auctorem, & suspectas auctoritates demonstrent, sed existimo, quòd orabimus semper vsque ad magnum iudicii diem: si autẽ hic Ioannes Pictauiensis, Ordinis Minorum, est idẽ cum Ioanne Gallico, Ordinis etiam Minorum, vt mox dicebam, auctoritates adductæ à Bandello ex sermone Annuntiationis, & Natiuitatis euidenter constat fuisse penitùs fictas, vide ipsas Lector infrà num. 174.

IACOBVS De Viterbio, Ordinis S. Augustini in quodam suo Quodlibeto. *Ita Anonymus Auctore 129. Bandel. cap. 25. Deza fol. 49. à tergo, Petr. de Vincen. & Gryfald.*

VERITAS 139.

DE Hoc Auctore non est dubitandum: fuit enim celebris, & classicus, & cõmuniter vocatus Doctor speculatiuus; fuit Archiepiscopus Neapolitanus, & Beneuẽtanus, floruitque ab anno 1300 vsque 1310. Inter alia scripsit Quodlibeta quatuor, Parisiis disputata, que asseruari dicunt manuscripta Romæ, & Mediolani: at ego opus illud Quodlibetorum inuenire non potui, & sic de certa scientia nihil affirmare possum; quare proponã simpliciter aliquas difficultates. Quarum prima sit, quòd Anonymus illum adduxit sic: *Idem tenet Magister Iacobus de Viterbio in quodam suo Quodlibeto.* Et nihil amplius. Bandellus verò sic: *Idem tenet Iacobus de Viterbio in Quodlibetis.* Et idem Vincentia, sed hæc videtur quædam friuola citatio: *In quodam suo Quodlibeto*, vel, *In Quodlibetis*, nam cum Viterbiensis solùm scripserit quatuor Quodlibeta, poterant signare, in quo Quodlibeto, primo, vel secundo, &c. Et si hæc non fuit aduertentia, poterant saltem adducere aliquam auctoritatẽ, cùm Auctor fuerit grauissimus apud Augustinianos. Vel ergo totum hoc est dictum, vel in præallegatis Quodlibetis Iacobus Viterbiensis non est pro ipsis, vel fortè est contra ipsos. Secundò, hic Auctor præcessit per integrum sæculum Turrecrematam, & S. Antoninum Florẽtinũ, Viterbium autem parum distat à Florentia, atque fuit contemporaneus Capreoli, & nullus illorum adducit pro sua sententia Viterbiensem, nisi vnicus Bandellus: ergo ex hac parte etiam videtur suspectus. Tertio, quia nullus antiquorum scriptorum de Conceptione adducit hunc pro cõtraria sententia; habeo enim Petrum Thomæ, Alanum Parisiensem, Ioannem Vitalem, Ludouicum à Turri, Petrum de Candia, Ioannem de Segouia, Cornelium Scultingium, Dominicum de Bolanes, & alios quãplures: nam si ipsum citat Antonius Chucarus, Episcopus Azernensis fol. 31. est quia transcribit ad litteram omnes Auctores adductos à Bãdello. Si sit credendum Scriptori semper, & vbique suspecto, iudicent Lectores.

Hic etiam notare debes, quòd Iacobus de Viterbio, vel Viterbiensis cõmuniter dictus, propter Episcopatum Beneuentanum dicitur etiam Iacobus de Beneuẽto: cùm ergo inter alia scripserit Sermones, vt affirmant Nomenclatores, potest esse, quòd hic sit ille suprà adductus num. 133. sub nomine etiam Iacobi de Beneuento, Ordinis Prædicatorum, & sic iam erit multiplicatus, & hoc notasse sufficiat, dum plena veritas appareat.

IACOBVS De Voragine Ianuensis Archiepiscopus, Ordinis Prædicatorũ, Serm. 1. Assumption. & 4. Sermon. 2. & 3. Natiuit. & Serm. 1. Purificat. & in Mariali de Conceptione & in aliis Serm. *Turrecrem. cap. 29. fol. 119. Anonym. Auctore 53. Bandel. cap. 23. Deza fol. 39. à tergo. Vincen. Gryfald. Soncin. Capreol. Barelete.*

VERITAS 140.

HIC Notissimus Auctor est, cuius opera passim inueniuntur impressa Venetiis 1546. & 1589. in 8. & 1483. in 4. & alibi. Eius primam auctoritatẽ sic adducunt: Idem tenet D. Iacobus de Voragine, Archiepiscopus Ianuensis, in 1. sermone Assumpt. B. Virginis sic dicens: *Christus fuit sine originali peccato conceptus, & natus; & cæteri Sanctorum originali peccato concipiuntur, & nascuntur, Virgo autem Maria medium tenuit, quia fuit cum originali peccato concepta, & sine*

ſine originali peccato nata. Hæc ille. Nota, Lector, quòd hic Auctor habet nouem ſermones de Aſſumptione Virginis. Sed in primo talis auctoritas non extat, nec alia ipſi ſimilis, & ſic cita eſt falſa, ſed indagabimus ipſam per alios, quouſque appareat. In primo ergo Serm. qui eſt in ordine 211. ad illa verba: Surge, Dominine, in requiem tuam: in principio ſic inquit: *Arca iſta eſt B. Virgo, Filij Dei contentiua, & eſt ſanctificationis, quia in vtero matris fuit ſanctificata.* Et parum infrà: *Sicut enim Aurora poſt noctem oritur, tamen nullam obſcuritatem retinet, ſic etiam licèt caro eius nata fuerit de corruptibili carne, nullam tamen ſenſit corruptionem, ſed omnem depoſuit miſeriam, & pœnalitatem, &c.* Notà illud: *Licèt caro eius nata fuerit de corruptibili carne.* In ſecundò verò Ser. ſolùm extant hæc verba: *Iſta Lunā ſub pedibus habuit, quia nulla culpa vnquam in ea præualere potuit. Vndè Auguſtinus lib. de natura, & gratia: Excepta Virgine, &c.* Et adducit integram auctoritatem Auguſtini, & aliam Anſelmi: Decrebat vt Virgo, &c. In tertio Sermone ſic inquit: *Secundo, eius puritas fuit impermixta: non enim habuit admixtionem originalis, quia fuit in vtero ab Spiritu Sancto ſanctificata, nec admixtionem mortalis, nec admixtionem venialis.* Et infrà: *Quis niſi peruerſi ſenſus audeat dicere, quòd matrem, quam à putrefactione faciliter ſeruare potuit, ſeruare noluerit, &c.* Et in 4. Serm. qui eſt in ordine 214. ad illa verba: Quæ eſt iſta quæ progreditur: ſic inquit: *Admirantur autē eam quantū ad quadruplicē eius ſtatum, primo quantum ad ſuum ortū, cùm ſcilicèt dicunt: Quaſi Aurora, quia ab omni peccati tenebra eſt expurgata, & lucegratiæ diuinæ perfuſa. Cæteri ſancti cum peccato originali cōcipiuntur, Chriſtus autem fuit ſine originali peccato conceptus, & ſine originali natus; Virgo autem Maria medium locum tenuit, quia fuit cum peccato originali concepta, & ſine originali nata.* Iſta eſt auctoritas ab Aduerſariis adducta, in qua notāda ſunt ſequentia.

Quoad litteram primò, quòd hæc auctoritas nō eſt Sermone primo, ſed in quarto: nec hoc potuit eſſe lapſus calami, ſed intentio ad multiplicandas auctoritates, nam infrà citant iterum Ianuenſem in ſermone 4. Aſſumptionis, nullam adducendo auctoritatē. Secundò, adulterarunt auctoritatem Ianuenſis, quæ incipit ab illo verbo: *Cæteri ſancti, &c.* Ipſi verò ab illo: *Chriſtus fuit &c.* Nec hoc caruit aduertentia. Tertiò, addiderunt illud, *& naſcuntur.* Quartò, prætermiſerunt totam primam orationē, *quātum ad ſuū ortum, &c.* vt ſic occultaretur mens Ianuenſis, loquitur enim de ortu, ſeu prima natiuitate in vtero, & de concupiſcentia in illa carnis conceptione, quam vocat peccatum originale more omnium antiquorum, vt denotant etiā illa verba ſermonis primi: *Licèt caro eius nata fuerit ex corruptibili carne, nullam tamen ſenſit corruptionem.* In ortu verò, id eſt in prima generatione, ſeu cōceptione carnis, Sancti nati ſunt in vtero cum peccato originali concupiſcentiæ, & nati in animatione cum macula originali. Chriſtus verò nec eſt ortus cum originali concupiſcentia in ſua Cōceptione, ſeu generatione, nec cum originali macula natus in vtero; Maria verò medium locum tenuit, quia genita fuit à parentibus, ſeu concepta cum concupiſcentia, ſeu, vt dicit Ianuēſis, originale peccato; ſed fuit orta, ſeu nata in vtero ſine originali macula, quia ante ſuum ortum, ſeu animationem in vtero, ab omni peccati tenebra eſt ex purgata: hoc modo abſque vlla violētia textus explicatur propoſita auctoritas; aliàs compone has duas propoſitiones Ianuenſis: *Secundò, eius puritas fuit impermixta: non enim habuit admixtionem originalis*, quæ extat in 3. Sermone, cum hac: *Virgo autem Maria fuit cū peccato originali concepta, & ſine originali nata.* Si ergo concepta, ſeu animata cum peccato originali: ergo eius puritas habuit admixtionē originalis maculæ, vel vice verſa, ſi non habuit eius puritas admixtionem originalis: ergo non fuit concepta, ſeu animata cum originali. Hæc explicanda ſunt modo ſuprà poſito, aliàs ſunt intelligibilia, niſi velint dicere, quòd in 3. ſermone ſuſtinuit vnam opinionem, & alteram in 4. quæ eſſet celebris reſponſio.

Secundam auctoritatem, ſeu plures in vnam ſic adducunt: *Idem dicit in 2. ſermone de Natiuitate B. Mariæ Virginis, & in ſuo Mariali. Hoc etiam melius, & clarius dicit ſermone 4. Aſſumptionis, & ſermone 1. de Purificatione, & adhuc meliùs in Feriis Quadrageſimalibus, Sabbato antè Dominicam 3. ſuper Euangelio de filio Prodigo, quod incipit: Fili, tu ſemper mecum es. Et in iſto ſermone declaratur, id quod in contrarium iſte Doctor videtur dicere in ſermone de Annuntiatione ſuper Aue Maria, vbi dicit: Ipſa fuit ſine vꝛe originalis peccati. Et hoc idem dicit in ſermone Feriali iam dicto, & in eodem ſe exponit clariſſimè, vt patebit volenti videre; cuius verba non hic ponam, quia communiſſimi ſunt eius ſermones. Et hoc diligenter nota, quia propter illud verbum allegatur à parte contraria.* Multa hic dicunt Aduerſarii, quę paulatim examinanda ſunt. Ad illud de 2. & 3. ſermone Natiuitatis, dico in 2. ſolùm extare hæc verba: *Tertio, hæc domus fuit lucida; nam ſicut dicitur Cāticorum 6. in ea fulxit lux Auroræ, quando Spiritus Sanctus eam ſanctificauit, quia tunc tenebram originalis peccati ab ea abſtulit.* Hic ſolùm dicit Ianuenſis, Mariam fuiſſe ſanctificatam, quando ab ea fuit ablata tenebra originalis peccati, tenebram dicit, non originale peccatum; erat enim tenebra fomes exiſtens in carne. In 3. verò

verò ſerm. Natiuitat. tantum habet ſequentia: *Dicitur igitur ſtella, quia nullam corruptionem habuit, nec in Natiuitate, nec in vita, nec in morte; in Natiuitate non habuit corruptionem peccati originalis, & illud oſtenditur exemplo, auctoritate, & ratione. Exemplo: ſiquidèm in Hieremia, & Ioanne hoc aſſeritur, quorum vnus fuit Propheta Chriſti, alter eius Præcurſor: multò fortiùs hoc de iſta creditur, quæ fuit Chriſti Mater. Auctoritate Pſal. ſanctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus, &c.* Illud verò quod dicunt de ſermone 4. Aſſumptionis, eſt repetitio friuola · nam ibi nullam aliam auctoritatem adducit, niſi illam ſupra aſsignatam pro primo ſermone. In ſermone verò 1. Purificationis Ianuenſis dicit. *Caro enim Chriſti fuit ſine peccato concepta, ſine peccato nata, ideò fuit mons terræ: ſed caro noſtra cum peccato cõcipitur, & cum peccato naſcitur, ideò eſt vallis terræ. Caro autẽ B. Mariæ medium tenuit, fuit enim cum peccato originali concepta, ſed ſine peccato nata; & ideò eſt collis, ſiuè medium terræ.* Hæc verba ſunt eadem cum ſupra adductis ex ſermon. 4. Aſſumptionis, ſed hæc clariùs, & expreſsiùs exprimunt mentem Ianuenſis, nam, vt intuenti patebit, loquitur de conceptione carnis, ſeu de peccato originali in generatione carnali: inquit enim: *Caro Chriſti fuit ſine peccato cõcepta, &c. Caro noſtra, &c. Caro autem Mariæ, &c.* Ex quibus euidenter patet, quòd Ianuenſis loquebatur ſub illa vniuerſali acceptione antiquorum, cõſtituentiũ peccatũ originale in carne genita in concupiſcentia, & hoc ſtante principio optimè dicit Ianuenſis, quòd ſola caro Chriſti fuit concepta ſine peccato originali, id eſt, ſine concupiſcentia. Et ex hac intellige, & explica omnes alias Ianuenſis auctoritates, quia in rei veritate pro contraria opinione, ſunt vaſa, ſed vacua, videntur oſſa, ſed arida.

De ſermone Sabbati Quadrag. quĩ incipit: Fili tu ſemper mecum es: in quo Ianuenſis ſecundùm Aduerſarios ſe expoſuit clariſsimè, & ſuam ſententiam declarauit, ad pleniorem intelligẽtiam tranſcribo omnia ſequentia verba: *Tu ſemper mecum es: Chriſtus enim ſemper cum Matre fuit, in triplici ſtatu ſuo, ſcilicèt, dũ eſſet in Matris vtero, dum viueret in mũdo, & dũ receſsit de mũdo; nam dũ eſſet in vtero Matris, ipſam ſanctificauit, dum viueret in mundo, ipſam ab omni peccato cõſeruauit; dum receſsit de mũdo, ipſam glorioſam totam, & luminoſam fecit, primò igitur ipſam ſanctificauit. Tres quidem ſunt conceptiones, & natiuitates, vna qua quis ſine peccato concipitur, & ſine peccato naſcitur, & hoc modo non eſt conceptus, & natus ſine peccato, niſi ſolus Chriſtus qui fuit conceptus, & natus ſine peccato: alia eſt qua quis cum peccato concipitur, & cum peccato naſcitur, & iſta eſt conceptio noſtra, & natiuitas noſtra, quia cum peccato concipimur, & cum peccato naſcimur; alia eſt media, qua quis cum peccato concipitur, & ſine peccato naſcitur, & ſecundùm Bernardum, talis fuit Conceptio, & Natiuitas B. Virginis. Fuit enim, vt aſſerit in Epiſtola ad Canonicos Lugdunenſes, in peccato originali concepta, & ſine peccato nata, quia ab Spiritu Sancto fuit ſanctificata, & ab omni peccato mundata; & ideò ſecundùm Bernardum, fuit antèa ſancta, quã nata. Iſta triplex differentia tãgitur Iob. 3. vbi loquitur de nocte originalis culpæ dicens: Pereat dies, in qua natus ſum, & nox, in qua dictum eſt: conceptus eſt homo: & ſequitur: obtenebrentur ſtellæ caligine eius, expectet lucem, & non videat nec ortum ſurgentis Auroræ. Ecce quia hic nominat lucem, Auroram, & ſtellas, per ſolem Chriſtum; per Auroram Virgo Maria; per ſtellas cæteri ſancti intelligũtur. Nox igitur originalis culpæ nõ vidit Chriſtum, nec quantum ad conceptum, nec quantum ad ortum: ideò dicitur: Expectet lucem, & non videat Auroram, id eſt, Virginem Beatam vidit, quantum ad conceptum, ſed non vidit, quantum ad ortum, & ideò dicitur, nec ortum ſurgentis Auroræ. Stellas autem, id eſt, viros ſanctos, ipſa nox originalis concupiſcentiæ vidit & in conceptu, & in ortu; & ideo ex toto obtenebrati ſunt, & habent tenebroſum conceptum, & tenebroſum ortum, & ideo dicitur: obtenebrentur ſtellæ caligine eius, &c.* Ecce illa celebris auctoritas Ianuenſis, in qua ſecundùm Aduerſarios, circa hanc Conceptionis materiam, tota eius continetur doctrina. Videamus ergo, de qua Conceptione hic loquatur; nam ſi loquitur de conceptione carnis, ſicut in præcedenti, tota ipſorum ruit machina. Et in primis loquitur Ianuenſis de illa Conceptione, de qua Iob: *Pereat dies, in qua natus ſum, & nox, in qua dictũ eſt: conceptus eſt homo.* Cùm ergo ſecundùm ferè omnes Expoſitores hic loquatur Iob de nocte generationis, non de animatione, non eſt ad rem; ſed tranſeat hoc, cùm ad vtrumque poſsit habere reſpectum. Secundò, loquitur Ianuenſis de illa nocte, de qua ipſe: *Stellas autem, id eſt, viros ſanctos ipſa nox originalis cõcupiſcentiæ vidit, &c.* Ergo ſicut loquitur de originali concupiſcẽtia in conceptione Sanctorũ, loquitur de eadẽ originali concupiſcentia reſpectu Chriſti, & B. Virginis (niſi dicas quòd Ianuenſis nõ eſt locutus coſequẽter, & mutaſſe appellationẽ, quod eſſet rediculum) originalis hæc concupiſcentia inuenitur in generatione prolis, nõ in eius animatione: vocando ergo illam originalem concupiſcentiam peccatum originale conceptionis, omnia, & ſingula, quæ dicit Ianuẽſis, veriſſima ſunt, ſed in ſuis verbis nihil eſt contra nos, quia ſumendo concupiſcentiam originis, ſeu originalem libidinem parentum, pro peccato originali, hæc propoſitio: Maria fuit concepta

in peccato originali, nihil dicit circa noſtram controuerſiam: nam originalis concupiſcentia, quæ Chriſtu non vidit, nec in Conceptione neque in ortu, & alios Sanctos in conceptione, & in ortu, Mariam vidit in eius Conceptione, ſed non in ortu, id eſt, ſecundùm Ianuenſem fuit Maria genita à Ioachimo, & concepta ab Anna cum concupiſcentia, & libidine ad diſtinctionem Conceptionis Chriſti. Videte ergo, quid ex his Ianuenſis verbis colligatis, ſi hic, vt dicitis, ſolutum eſt vinculum linguæ eius, in rei veritate rectè loquitur, ſed nihil contra nos.

Tertiam auctoritatem ſic adducunt. Idem tenet in Mariali ſuo: *Chriſtus autem fuit ſine originali conceptus, & ſine originali natus, Virgo autem Maria cum originali concepta, & ſine originali nata, & iſtam differentiam tangere videtur Iob. 3. vbi dicitur, de die culpæ originalis, qui incepit; quãdo aperti ſunt oculi Adæ, & Euæ: obſcurentur ſtellæ caligine eius, expectet lucem & nõ videat, nec ortum ſurgentis Auroræ. Stellæ enim, id eſt, cæteri ſancti in illo die culpæ originalis fuerunt obtenebrati, quia fuerunt cum originali peccato concepti, & ideò dicit: obſcurentur ſtellæ caligine eius, ſed iſta dies culpæ originalis non vidit lucem, id eſt. Chriſtum, nec in ſuo conceptu, nec in ſuo ortu, & ideò dicit: Expectet lucem, & non videat. Aurora verò ſignificat Virginem Mariam, quam non vidit quantum ad ortum, ſed vidit quantum ad conceptum, & ideò dicit: nec ortum ſurgentis Auroræ. Hæc ille.* Gryſaldus hunc citat, *de Conceptione*; ſed peſsimè, vt ſolet; quia Ianuenſis non ſcripſit de Conceptione. Auctoritas verò integra Ianuenſis, ex ſuo Mariali, impreſsionis antiquę Venetianæ, anno 1497. in 4. & modernioris 1590. in 8. Serm. 5 fol. 60. ſic incipit: *Sãctificata fuit Virgo Maria in vtero Matris ſuæ. Spiritus enim ſanctus ipsã mundauit ab originali, quantum ad maculam, & reatum, quamuis ibi fomes remanſerit, quantũ ad eſſentiam: ſed tamen fuit ligatus, quia neque ad malũ, inclinabat, nec à bono retrahebat. Poſtmodum autem, quando Spiritus Sanctus in ea ſuperuenit, ipſum fomitem quantũ ad eſſentiam extinxit penitùs, & purgauit, propter quod pars ab ea ſeparata in corpus Chriſti, de fomite nihil habuit. Sancti quidèm cũ originali cõcipiuntur, Chriſtus autem, &c.* Et proſequitur auctoritas; vt ab Aduerſariis adducitur, aliquibus parui tamen momenti alteratis. Hæc ſunt omnia quæ adducunt, & adducere poſſunt Aduerſarii ex ſuo Ianuenſi, contra Immaculatam Virginis Conceptionem. Sed loquendo ſecundùm veritatẽ, cuius partes, & cauſam tantummodo hìc agimus, & ſupponendo, vt ſuprà manet notatum, Ianuẽſem cum omnibus antiquis accepiſſe cõceptionem pro generatione, non pro animatione, & peccatum originale pro concupiſcentia originis: nullum in verbis ipſius reperiri irrefragabile argumentum, imò neque ſolidũ fundamentum, ex quo aſſertiuè poſsit aliquis deducere ipſum contrariam ſuſtinuiſſe opinionẽ. Inſuper addo, quòd in aliquibus locis clarè, & apertè pro noſtra extat ſententia.

Primo, in ſupra poſita auctoritate ex Serm. 3. Aſſumptionis. Secundo, ex Serm. 6. Annunt. ad illa verba: Aue Maria, in principio ſic inquit: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te; ipſa enim fuit pulchra; quia ſine peccato originali, tota pulchra, quia ſine peccato mortali, & ſine macula, quia ſine peccato veniali, &c.* Tertio, in Mariali Serm. 16. loquens de Deipara, inquit: *Primo igitur corpus eius in Natiuitate ſua nulli corruptioni fuit ſubiectum quia fuit in vtero ſanctificatum. Pſal. Sanctificauit Tabernaculum ſuum Altiſsimus. Bernard. eſt itaque Virgo Regia veris honorũ titulis cumulata, quæ proculdubio ſancta fuit antequam nata. Ildephonſus Toletanus Archiepiſcopus: Si Beata Maria in vtero ſanctificata non fuiſſet, eius Natiuitas colenda non eſſet: nullis ergo quando nata eſt, delictis ſubiacuit, nec originale peccatum in vtero ſanctificata contraxit &c.* Ex quibus verbis conſtat, Voraginem locutum fuiſſe dè ſanctificatione corporis, ſeu embryonis ante introductionem animæ, quia in tot, tantiſque locis nunquam ſumit in ore animationem.

IACOPONVS, Ordinis Minorum, in vna Laude Beatæ Virginis Mariæ. *Ita Anonym. Auctore 123. Bandel. cap. 24. Deza fol. 47. Petr. de Vincent. Gryſald. Barelete.*

VERITAS 141.

AVCTOR Iſte in Religione Minorũ ob eius Angelicam vitam, & mirã ſimplicitatẽ notiſsimus eſt: & paſsim in illa vocatur Beatus Iacoponus vel Iacobonus de Tuderto. Barelete vocat eum Iacobum Bonũ, eiuſq; opera Poetica patria lingua fuerũt ſemel in 8. & iterum in 4. impreſſa Venetis anno 1517. Eius auctoritatem, ſic adducunt Anonymus, & Bandellus licet in aliquibus diſentiãt: Idem tenet Fr. Iacoponus, vir deuotiſſimus, & acerrimus vitiorum corrector, qui antequàm Ordinem Minorum ingrederetur, fuit vtriuſque Iuris Doctor. Vndè in vna laude ad B. Virginem, cuius deuotiſsimus erat, vulgari ſermone ſic dicit:

O Vergine piu che femina Sãcta Maria Beata
Piu che femina dico: ognun naſce inimico
Per la Scriptura ſpeco: nãti ci ſancta che nata
Stando nel ventre chiuſa: poi te lanimate fu infuſa
Potentia virtuoſa ſi tha ſanctificata:
La diuina vntione ſi te ſanctificatione.

Dogni contagione romagnisti illibata:
Lo original peccato che Adam ha seminato
Ognum, cum quello & nato
Tu nei da quel mundata. Hac ille.

Hæc verba reperiuntur in Iacopono Oda 6. A la Madre de Dio fol. 277. Sed mutarunt Aduersarii metrum, & terè septem verba, licèt nullum magni momenti, Laus autem in originalibus sic se habet.

O Vergin più che femina
Sancta Maria Beata
Piu che femina dico;
Ogni huom nasce nemico,
Per la Scriptura esplico;
Sancta se pria que nata,
Stando nel ventre chusa
Poi l' alma ti fu infusa,
Potenza virtuosa
Si t' ha sanctificata
La diuina vnione
Si ti sanctificò ne,
De ogni contagione
Rimanesti illibata.
L' original peccato
Che Adam ha seminato
Ogni huom conquello è nato
Tu se da quel mundata.

Gabr. Barelete sic verba latinitati donauit: *O Virgo supra fœminas Sancta Maria B. suprà fœminam dico. Quilibet nascitur inimicus: postquã anima in ventre clausa fuit infusa virtus Altissimi te sanctificauit. Diuina vnctio te sancta fecit, omnis immũditiæ fuisti expers. Ab originali peccato quod Adam seminauit, & cum quo quisque nascitur tota fuisti mundata ille.* Ex his Iacoponi verbis no rectè colligunt Aduersarii sustinuisse suam opinionem. Primò, quia nos non negamus, Mariã fuisse sanctificatã in vtero Matris quod est Iacoponi assumptũ in suo Cantico; si vero fuerit sanctificata priuatiuè, vel negatiuè post cõtractionẽ culpæ, vel antea mũdata in semine, vel in ipso instãte infusionis animæ, hæc est cõtrouersia, de qua nihil Iacoponus. Secũdo, quia licèt vocetur Maria mũdata, hic Auctor sæpissimè pro substãtiuo vtitur adiectiuo, & sic loco illius: *Tu se da quel mũdata*, idẽ est ac si diceret; *Tu se dea quel munda.* Tertio, quia vt dicit Ioannes de Ianua, Ordinis Prædicatorũ, in suo Catholicon, fol. 201 col. 3. à mundus, munda, mundum, deriuatur mundo, mundas: mundus autem significat purum, integrum, & sine macula. Vide alia ibi. Quarto, quia Iacoponus dicit, Mariam fuisse mundatam, & sanctificatam ante Natiuitatem, sed hic non loquitur de Natiuitate ex vtero, sed in vtero, alias falsissimum esset illud Iacoponi, *Ogni huom con quello e nato*, & similiter illud: *Ogni huom nasce inimico*: Nam Hieremias, & Ioannes non sunt nati ex vtero cum peccato originali. Cũ ergo Iacoponus necessariò loquatur de natiuitate in vtero, optimè, ac verissimè dicit, Virginem fuisse sanctificatã, ac mundatã ante natiuitatem, & secũda hanc explicationẽ, & intelligẽtiã, quæ meo iudicio est genuina, Iacoponus clarè, & expressè pro nobis est. Quinto, R. P. F. Frãcisc. Tresatitide, Lugnano Iacoponi doctus Interpres aliã adducit rationẽ sic: *Mai o dico ad un altro modo cioe, che o il P. Iacopone tenne, che la Sanctissima Vergine nõ se retrouasse mai col peccato originale, o che da questo logo cauar non se possa, che egli stato sia di cõtraria opinnione; ma che bene come huomo grande vada temperado in maniera le parole che non voglia discoprire facilmente quel che ne senta et ecio per non essere al suo tẽpo vn tal dogma, non solo non stabilito, o deciso della chiesa (come ne meno dopoi) ma per auer l' opinione cõtraria piu fautori alora, che la nostra, &c.* Sed dato, quod omnes istæ rationes nihil valeãt pro nobis, saltem in præallegatis verbis Iacoponi non assignabunt Aduersarii, vbi expressè, & clarè teneat suam propositam conclusionem: Maria contraxit originale peccatum in sua Conceptione: nã illa tria verba, sanctificata, mundata, purgata, sunt inter antiquos communissima. Et illa simul sumpta non valent tantũ pro sua opinione, quantum illa pro nostra: *De ogni contagione remanesti illibata.* Ergo vir iste simplex, & rectus remanet in innocentia sua.

ILDEPHONSVS, Toletanus, Archiepiscopus Sanctus, in libro de perpetua virginitate B. Mariæ. *Anonym. Auctore 40. Bandel. cap. 17. Deza fol. 26. à tergo. Petr. de Vincẽt. Gryfal. Spina. Arpalleg. fol. 30. col. 2*

VERITAS 142.

HIC Hispaniarum Primas, Ecclesiæ Doctor, atque Sol fulgentissimus in omnibus mundi partibus, notissimus est, & semper fuit non solùm apud Litteratos, propter sua deuota, ac melliflua scripta, sed apud omnes Catholicos propter suã sanctitatẽ; solus, & vnicus Reuerendissimus Pater, ac Magister sacri Palatii Fr. Bartholomæus de Spina, ipsum penitùs ignorauit. Inquit enim in illo suo libro de vniuersali corruptione generis humani (conueniũt enim rebus nomina sæpè suis) par. 7. cap. 7. sic: *Corruptas verò auctoritates, præ alijs iã enumeratis, etiã tres inducũt, primã cuiusdã sancti Doctoris Ildiphõsi, nomine Archiepiscopi Toletani, in libro de virginitate B. Mariæ, &c.* Ignorabat Spina, quis fuisset ille S. Ildephõsus, qui vixit, & floruit ad annũ 667 scribens Spina ad annum 1525. Ildephonsum cognouerat (vt de aliis taceãt) Iacobus de Voragine, eiusdem Ordinis Prædicatorum, qui floruit ad annũ 1280. & adduxit ad litteram auctoritatem, quam hic corruptam vocat Spina, vt vidimus suprà in Triturat. num.

xl. & in Vent. num. 39. auctoritate 3. cognouerãt eiuſdem Ordinis, Anonymus, Bandellus, & Vincentia, qui ſcripſerunt ad annum 1470. & ſolus vnus Spina ignorauit. O inſignis ſacri Palatii Magiſter! Et hæc ignoras?

Auctoritatem huius Sanctiſsimi Præſulis ſic adducunt. Idem tenet B. Ildephonſus Archiepiſcopus Toletanus in libro de virginitate B. Mariæ, vbi vult probare, quòd B. Virgo fuit, antequam naſceretur, à peccato originali, in quo fuit concepta, mundata: *Sancta*, inquit, *Virgo niſi in vtero Matris ſanctificata fuiſſet, minimè eius Natiuitas colenda eſſet. Nunc autem, quia auctoritate totius Eccleſiæ celebratur, conſtat illam, ſcilicèt, Natiuitatem ab omni originali peccato immunem eſſe. Nullis ergo, poſtquam nata eſt B. Virgo, delictis ſubiacuit, nec originale peccatum iam in vtero ſanctificata naſcendo contraxit, id eſt, ſecum traxit. Hæc ille.* Et immediatè addunt ex ſe: *licèt Aduerſarij allegent eã pro ſe, quæ tamen eſt contra eos.* Hucuſque Auctores Ordinis Prædicatorum, qui præceſſerunt Spinam. Auctoritas verò illius cuiuſdam Sancti Ildephonſi Archiepiſcopi Toletani in libro contra eos qui diſputant de perpetua virginitate S. Mariæ, qui incipit: *Quamuis omnium Eccleſiarum, &c.* impreſſo à R. P. Franciſco Feuardentio, Pariſiis 1576. in 8. fol. 32. car. 1. Et per R. P. Michaelem Carranzam Carmelitarum, Valentiæ 1556. in 8. & in Bibliotheca SS. PP. Colonien. tom. 7. fol. 448. col. 2. litt. H. & alibi, ſic ſe habet: *Verbum, quod caro factum eſt, ſine peccato ad nos venit. Qui iure non ſolàm legem naturæ vitiatæ in naſcendo non tenuit, verè nec legem primæ originis, quam haberent fœminæ, ſi mandatum ſeruaſſet mater omnium Eua in paradiſo. Aliàs autem quomodo Spiritu Sancto eam repelente non ſine peccato originali fuit, cuius etiam Natiuitas glorioſa Catholica in omni Eccleſia Chriſti, ab omnibus felix, & Beata prædicatur? Enimverò ſi non Beata eſſet, & glorioſa, nequaquam tam feſtiua celebraretur vbique ab vniuerſis. Sed quia tàm ſolemniter colitur, conſtat ex auctoritate Eccleſiæ, quòd nullis, quando nata eſt, ſubiacuit delictis, nec cõtraxit in vtero ſanctificata originale peccatum. Vndè & ſi Hieremiæ dies, atque Iob maledicta pronuntiatur, dies inquam natiuitatis eorum, tamen dies, quando inchoata eſt felix Maria, Natiuitas B. pronuntiatur, & colitur religiosè ſatis. Quòd ſi in peccato eſſet, iure maledicta diceretur, & gemebunda potiùs, quàm benedicta: quando nuntiatum eſt patri eius, quod nata eſſet in ſæculo. Nunc autem quia vniuerſam benedictione ſua illuſtrat Eccleſiã, nõ immeritò ſanctificata in Spiritu Sancto colitur veneranda. Nullius igitur Natiuitas celebratur in mũdo, niſi Chriſti, & eius atq; B. Ioannis. Ioãnes autẽ quia & ipſe in vtero ſanctificatus legitur. Sic & B. Virgo Maria niſi in vtero Matris ſanctificata eſſet, minimè eius Natiuitas colenda eſſet. Nunc autẽ quia ex auctoritate totius Eccleſiæ veneratur, conſtat eam ab omni originali peccato immunẽ fuiſſe, per quã non ſolũ maledicto matris Euæ ſoluta eſt, verũ etiam & benedicto omnibus condonatur, &c.* Hæc ſunt verba; ò Spina! illius cuiuſdã S. Ildephonſi Archiepiſcopi Toletani, ad litterã tranſumpta; non vitiata, vt tu adduxiſti, nunc verò iudicium eligamus nobis; & videamus quis vitiauit hanc auctoritatem.

Tui ergo Auctores primò prætermiſerunt totum principiũ, ex quo pendet omnis ſenſus verborum, vt fugerent ab illa clauſula: *Aliàs autẽ quomodo Spiritu Sancto eam replente non ſine peccato originali fuit?* Et etiã ab illa: *Nec cõtraxit in vtero ſanctificata originale peccatũ.* Iudica enim, ſi iſtæ ſunt eſſentiales; nec nè pro ſubiecta materia? Secũdò, vbi Ildephonſus, *ſic & B. Virgo Maria*; Tui ſic, *ſancta Virgo*, abſolutè, abſque illationis notã, *ſic &*. Tertiò, abſtulerũt præpoſitionẽ illam, *ex*, & neſcio, vtrũ idem dicẽdum ſit de voce illa, *veneretur*, mutata in, *celebratur*. Quartò, vbi Ildephõſus, *cõſtat eam*, præcisè, ipſi addiderunt illud, conſtat illã, *ſcilicèt*, *Natiuitatẽ*, vt ſic verba Ildephonſi, quæ loquũtur de B. Virgine abſolutè cotraherent ad natiuitatem. Quintò, vbi Ildephonſus, *immunem fuiſſe*, ipſi, immunem *eſſe*, vt variato tempore, mutarent etiam ſenſum. Sextò, clauſulam ſubſequentem, *Nullis ergo poſtquã*, &c. ſumpſerũt ex antecedentibus, ita vt mediẽt inter decem lineæ. Septimò, vbi Ildephonſus, *conſtat ex auctoritate Eccleſiæ, quòd nullis, quãdo nata, ſi ſubiacuit delictis*; Aduerſarii ſic, *Nullus ergo poſtquam nata eſt B. Virgo delictis ſubiacuit*, vitiarunt enim hic plura tacentes illud, *cõſtat ex auctoritate Eccleſiæ*, & illud, *quòd*, relatiuum aduerbiale, & adulterantes peſsimè illud, *quando nata eſt*, reddentes, *poſtquã*, nata eſt: ſi autẽ fuit hæc execrabilis malitia, tu ipſe Spina iudica. Octauò, vbi Ildephonſus abſolutè, *Nec contraxit in vtero ſanctificata originale peccatum*, ipſi ſic, *Nè originale peccatũ iam vtero ſanctificata naſcendo contraxit*, mutarũt enim omnia verba, vt introducerẽt illud, *naſcendo*. Et hanc peſſimam adulterationem tu etiam commiſiſti: quid iniquius excogitari potuit? Nonò, addiderunt illam clauſulam, *id eſt, ſecum traxit*, quæ verba ſecum etiam traxerunt omnem malitiã. Vide ergo, ò Spina! quis adduxit corruptas auctoritates, ſi in vna ſola vos adducitis nouẽ vitia capitalia? Hanc allegamus nos pro noſtra ſententia cũ aliis multis, de quibus latè in noſtra Militia; ſed videte ibi an adducã eas adulteratas vel corruptas? Nam iuſtificationẽ meã quã cœpi tenere, non deſerã: Neque enim reprehendit me cor meum in illa Militia de aliqua malitia, neque in hoc Ventilabro de aliquo men-

datio. Explanationem veram, doctam, atque legitimam de hac, & omnibus auctoritatibus B. Ildephonsi pro Cōceptione in speciali libro, qui apud nos hodie exiltēs manuscriptus videre lucem expectat latissimè dat deuotus, atq; docti simus Doctor, atque amicus noster D. Philippus Grasus Mesanensis in regali Collegio S. Laurenti Scorialis Lector emeritus.

ILLARIVS, Pictauorū Episcopus, Sanctus, vt Augustinus dicit in 1. & 2. contra Iulianum, & ad Claudium cap. 4. & in libro de Trinitat. & super Matthæum. *Turrecrem. par. 6. cap. 14. fol. 107. Anonym. Auctore 15. Bādel. cap. 13. Dexa fol. 20. Vincēt. Capreol. Grysald. Spina par. 6. cap. 2. S. Antonin. Barelete.*

VERITAS 143.

SANCTVS Hilarius (non Illarius, vt Aduersarii scribunt) notissimus est, & varia scripsit impressa Basileæ 1527. Parisiis 1553. & 1631. & 1605. Coloniæ 1617. cuius primam auctoritatem sic adducunt: Iēd tenet S. Illarius, Gallus, Pictauiensis Episcopus, acerrimus Fidei contra hæreticos propugnator, in libro de Trinitate, vt recitat B. Augustinus in 1. contra Iulianum, & ad Claudium cap. 4. *Omnis*, inquit, *caro (excepta illa, quæ sine peccato venit in similitudinem carnis peccati) sub peccati origine, & sub peccati lege nata est. Cuius vox hæc est: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Hæc ille.* Hanc eandem auctoritatem adducit Vincentia citans S. Hilarium in lib. de Trinitate nudè, cùm Hilarius scripserit duodecim libros de Trinitate. Sed pacientia omnia vincit, veritas omnia scrutatur. S. Augustinus tom. 7. lib. 1. contra Iulianum fol. 203. col. 1. sic inquit: Ecclesiæ Catholicæ aduersus hæreticos acerrimum defensorem, venerandum quis ignorat Hilarium Episcopum Gallum? Qui cum de Christi carne ageret; attende quid dixerit: *Ergo cùm missus est*, inquit, *in similitudinem carnis peccati, non sicut carnem habuit, ita habuit & peccatum; sed quia ex peccato omnis caro est, à peccato, scilicèt, Adam parente deducta, in similitudine peccati carnis est missus, existente in eo nō peccato, sed peccati carnis similitudine.* Rursus idem ipse in expositione centesimi duo de vigesimi Psalmi: Cum ad id veniisset, quod scriptū est: Viuet anima mea, & laudabit te. *Viuere se*, inquit, *in hac vita nō reputat, quippè qui dixerat: Eccce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis cōcepit me mater mea. Scit sub peccati origine, & sub peccati lege esse se natū, &c.* Et infrà fol. 206. col. 2. litt. E. iterū inquit Augustinus: *Sanctus Hilarius dicit Erx pecato esse omnē carnē, prater illius qui venit in similitudine carnis peccati, sine peccato. Dicit sub peccati origine & sul peccati lege natū esse, cuius vox est: Ego in iniquitate conceptus sum.* Hæc habet Augustinus ex Hilario in illo primo libro contra Iulianum. In 2. verò contra eundē fol. 209. col. 3. sic dicit: *Et ideò venerādus Hilarius ex peccato esse omnē carnē non cunctatus est dicere, sed nūquid ideo negauit ex Deo?* Hæc sunt, quæ habet Augustinus ex quibus sequitur.

Primo, quod Aduersarii pro illa auctoritate adducunt quatuor citationes diuersas, scilicet, in 1. & in 2. contra Iulianū, & ad Claudium cap. 4. & in lib. de Trinitate, vt sic insinuarent, auctoritatem esse in illis quatuor locis, quaterque locutū fuisse Hilariū contra Conceptionem, quod est falsum; quia auctoritas, nec est in 1. cōtra Iulianū, nec in 2. nec ad Claudiū (quia talis Epistola, nec tractatus extat; imò neque Hilarii verba extant in Augustino in cap. 4. cōtra Iulianū sed cap. 3.) nec deniq; in libro de Trinitate, sed est desumpta ex quatuor supra positis auctoritatibus Augustini, sumendo hinc indè aliqua verba; & alia derelinquendo pro suo arbitrio. Verbi gratia illa, *omnis caro* sumpserunt ex prima auctoritate Augustini; illa verò, *excepta illa quæ sine peccato venit, in similitudinē carnis peccati*; ex tertia auctoritate & hoc non legaliter; nam in Augustino extant sic: *præter illius, qui venit in similitudine carnis peccati.* Illa autem: *sub peccati origine, & sub peccati lege nata est*, ex auctoritate secunda, & tertia; sed etiam vitiatū illud, *nata est*, quia in Augustino vtrobique extat *natum est*, quod diuersissimū facit sensum. Illa denique, cuius vox hæc est: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*, transcripserunt ex 3. sed ipsam vitiātes, quia addiderūt illud, *& in peccatis cōcepit me mater mea.* Principiū ergo, & finē huius auctoritatis, aut generationem eius quis enarrabit?

Secundo, ad fabricandā hanc auctoritatē, nec viderunt, nec legerunt Hilarium; quod patet ex ipsis Aduersariorū verbis, sed præcipuè ex ipsismet Hilarii: nam lib. 9. de Trinitate, §. si autem col. 181. inquit: *Nihil in eo Princeps mūdi huius habet, quia vt homo habitu repertus extra peccatū carnis, manebat in similitudine carnis peccati de peccato peccatū in carne dānās, &c.* Et infrà lib. 10. col. 203. iterū inquit Hilarius. *Quia conceptus & anima Adæ in peccato fuit, &c.* Et infrà col. 206. loquens de Christo dicit: *Habuit enim corpus, sed originis suæ propriū, neq ex vitijs humanæ cōceptionis existens, sed formā corporis nostri virtutis suæ potestate subsistens, gerens quidē nos per formā serui, sed à peccatis, & à vitijs humani corporis liber, &c.* Et infrà *Quod erat enim impossibile legi, in quo infirmabatur per carnem. Deus Filiū suum misit in similitudinē carnis peccati, & de peccato cōdemnauit peccatum in Cruce. Non fuit habitus ille tātum hominis, sed vt ho-*

hominis, neque caro illa caro peccati sed similitudo carnis peccati. Dum & habitus carnis in natiuitatis ex veritate, & similitudo carnis peccati à vitijs humanæ passionis aliena est. Ita homo Christus Iesus, & in veritate natiuitatis est, dum homo est, & non est in proprietate peccati, dum Christus est, &c. Et infrà col. 218. *Qui non cognouit peccatum, pro nobis peccatum fuit. Peccatum enim carne per peccatum condemnaturus, peccati licèt expers, factus est ipse peccatū, id est, per carnem peccatū in carne condemnans, carnis quidèm peccati nescius, sed pro nobis caro factus, carnis similitudo peccati est, & idcirco propter iniquitates nostras est vulneratus.* Hæc Hilarius in illis libris 9. & 10. de Trinitate. Super Psal. verò 118. ad ista verba relata ab Augustino: viuet anima mea, & laudabit te: ad finem Psal. col. 962. inquit: *Viuere se in hac vita non reputat, quippè qui dixerit: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea; scit sub peccati origine, & sub peccati lege se esse natū, meditatione autē legis Dei ob id elegit, vt viuat, &c.* Ex his duobus locis Hilarii extraxit Augustinus, non ad litterā, sed recapitulādo supra positas quatuor auctoritates. Aduersarii verò, vt supra dixi, ex libris de Trinitate, & ex Psalmis (nota proportionem) ex lib. 10. & ex Psal. 118. (cōsidera paritatem) ex verbis Hilarii loquentis de carne Christi, ac illis prolatis à Dauide in suò Psalmo Pœnitētiali (obserua disparitatem) personarum: fabricarunt vnā cōtinuam, ac indiuisibilem auctoritatem, vt ex ea probarent, Virginem Mariā fuisse conceptam in culpa, seu contraxisse peccatum originale, vt sic illatio esset procul, ac de vltimis finibus, &c.

Secundā Hilarii auctoritatē sic adducunt: Idē tenet super Matthēū: *Pro nobis*, inquit, *Christus venit, sed nemo iustus erat, quādo venit, quia omnibus erat ad salutē misericordia necessari. Hæc ille.* Nonnè notasti, Lector, illam certam, & legalē citationem? *Idem tenet super Matthæum*, quando S. Hilarius scripsit integrum librū super Matthæum, habens 33. Cannones? Licèt ipsamet cita indicabat falsitatem; pro maiori veritatis certitudine legi omni attentione totum librum Hilarii super Matthæum, sed in illo nec minimum verbum ex istis allegatis ab Aduersariis reperire potui. Solùm Canone 18. colum. 554. adducit aliqua verba, quæ ad materiā præsentem videntur facere alluſionem, licèt non ad verba Aduersariorū. Inquit ergo Hilarius agens de oue perdita: *Quis vna, homo intelligēdus est: & sub nomine vno vniuersitas sentienda est: Sed in vnius Adæ errore omne hominū genus ab errauit, &c.* Et infrà eodem Canone: *Neque enim naturæ nostræ vitia indulgentiam merebantur: ergo venia omnis ex eo est, &c.* Hæc sunt verba, quæ in toto libro Hilarii super Matthæum inuenire potui. Vndè absq; vlla cunctatione auctoritatē illam fuisse fictam non dubito. Et confirmatur, quia supra num. 65. in S. Cyrillo, aliam huic simillimā adducunt dicentes: *Quando venit Saluator, nullus erat iustus super terrā, &c.* Eadem sunt vtriusque verba, vna, atque altera ficta, & in vtraque cor vnum, & anima vna.

Sed in hac auctoritate restat vētilandus ingēs, ac præcipuus scrupulus, scilicèt, ex qua clausula ex adductis in hac auctoritate Hilarii, vel illa Cyrilli, colligunt, & inferunt, Virginem Mariam fuisse conceptam in peccato originali? Ego affirmo, quod ita necessario debent discurrere: Quando venit Christus, nemo erat iustus super terram, & sic omnibus erat misericordia necessaria: ergo nec Virgo Maria erat iusta, quando venit Christus. Patres mei, hæc debet esse vestra immediata consequentia, alias friuola, inanis, & superflua esset hæc ficta, vel adducta auctoritas. Sed Patres, Maria non erat iusta, quando Christus venit super terram? nonne venit Christus super terram, quando Verbū caro factū est in sacratissimo Mariæ vtero? Et tunc Maria nō erat iusta? Hoc est tutum in fide? Simeon non erat iustus? Legistis Scripturam? Nonne Ioseph iustus erat? Hoc non proclamat sacer Textus ex ore Spiritus Sancti? Zacharias, Elisabeth, & Anna non erāt iusti? Hoc negare potest aliquis Catholicus? Igitur vt maculetur sacratissima Dei Mater Maria parvula in sua Conceptione, finxistis auctoritates ipsam maculātes iam adultam, & concipientem, ac pariter iustos tunc existentes in Ecclesia Dei, quæ nunquā fuit absque communione Sanctorū, contrā fidem, Scripturam, Spiritū Sanctum, Catholicā Doctrinā, & Sanctos omnes, ac præcipuè Hilarium, ac Cyrillum, adscribentes ipsis propositiones erroneas, & hæreticas, in quibus à planta pedis, vsque ad verticem capitis non est in eis sanitas, sed tumor, & plaga insanabilis.

INNOCENTIVS Episcopus, Beatus, qui floruit anno 397. vt Augustinus dicit in 1. & 2. contra Iulianum. *Turrecrem. part. 6. cap. 14 fol. 107. Anonym. vita 3. rat. 9. Auctore 18. Bandel. cap. 13. Dexa fol. 20. Capreol. Soncin. Barelete.*

VERITAS 144.

PRÆMITTO Pro hoc, & sequentibus Innocētiis, abstrahēdo ab hic, & nūc, quod adulterare scripta cuiuscūq; Doctoris Catholici, & in quacumque materia, quantumuis parua, ac minima, videtur audacia peruersa; & si hoc esset in re pertinēte ad mores, esset detestabilior malitia; si autē in dogmatibus pertinentibus ad fidē, procul dubiò esset temeritas, seu iniquitas super omnem iniquitatē. Et si hoc quod dicimus de quocumq; Ecclesiastico

Auctore, eſſet in aliquo Sancto Doctore, vel Eccleſiæ Patre, no dico adulterare verba, abſit, ſed malitioſè prætermittere jotā de eius auctoritate, eſſet error magnus, trāſmutare verba maior, ac tandē in illis aliquid addere, error maximus. Quid iuxta hoc ſentiendum, vel dicendum erit de ſcriptis, reſcriptis, & verbis Summorum Pōtificum Eccleſiæ Dei, in quorum ore nullum poteſt eſſe mendacium, nec in labiis eius iniquitas, quia ipſorum verba regula ſunt, & norma totius infallibilis veritatis Fidei Catholicæ? Si aliquis auſu temerario, ac peruerſo ipſorum oracula, aut vitiando adulteraſſet, aut penitùs adulterando fingeret, quid de tali dicendum eſſet? Qua cenſura, & quibus verbis eius execrabilis audacia eſſet retundenda, & plectenda? Et quid ſi hoc inſuper eſſet in rebus pertinentibus ad Eccleſiam vniuerſalem, ad ſanctitatē, & cultum, & contra Sanctam Sanctarum, puriſsimā, ac ſacratiſsimam Virginē Mariam, Dei Matrē, Angelorum, & hominūReginā? Et quid ſi prædictis falſis additionibus, iniquis adulterationibus, impoſturis, &c. cōarentur maculare peccato, ac probare fuiſſe ſicut alii infectam, & culpa immundam, in iudicio contradictorio, coram Summo Pontifice Innocentio, allegando, & adducendo in teſtes alios Summos Pontifices Innocentios, in hac parte penitus innocentes? Quid ſi heri, aut nudiùs tertius, vt ita dicam, audires in pleno Conſiſtorio, ſeu in Reſcripto ad Summum Pontificem, & Eminentiſſimos Cardinales dicentes, & clamantes: *Sed & nos interrogando, obiectiones ſoluemus, antiquiora repetentes, nouem enumeramus Romanos Pontifices, qui nec recitatiuè, nec dubitanter, ſed aſſertiuè, & clarè docent, Beatiſsimam Virginem in originali peccato fuiſſe conceptam. Damus pro nunc Innocentij ſecundi verba, &c. Innocentij Tertij, &c. Quare ergo ſanctiſsimus Dominus noſter Innocentius Decimus. Innocentios prædeceſſores ſuos (quomodocumque locuti fuerint) laudabiliter non ſequetur?* Hæc ſunt verba noua, ex antiquioribus deſumpta, ex quibus patet, quod vetera adhuc viuunt, & virus ſerpit adhuc, & reuireſcit; ſed iam Innocentii, veriſsimè tanquam innocentes, adducti ſunt ad Aream ſicut ad Aram; ſed tu veritas pro ipſis aſſumpto Ventilabro in manu tua, illos purifica, ac purga ab omni palea mendacii, impoſtura falſitatis, &c. iuxta illud: Ego poſui te quaſi Plauſtrum Triturans nouum habens roſtra ſerrantia, Triturabis montes, & cōminues, & colles quaſi puluerem pones, ventilabis eos, & ventus tollet, & turbo diſperget eos · & tu exultabis in Domino, & in Sancto Iſrael (lætaberis. Egeni, & pauperes quærunt aquas, & non ſunt, &c.

Hoc ergo ſuppoſito, deprecor, ò Lector! vt hæc, & ſequentia omni attentione legas, & legēdo cōſideres, vt videas quo fundamēto, ac veritate adducut Aduerſarii pro ſua ſententia ſex Innocentios. Et in primis hic Innocentius Epiſcopus eſt fictus, & chimericus, ac auctoritas in ipſo adducta falſa, duplicata, & triplicata: Primum, ſic euidenter conſtat. Poſtquam omnes Aduerſarii ſupra relati, in claſſe de Summis Eccleſiæ Pontificibus, retuliſſent omnes Papas Innocentios pro ſua ſententia exiſtentes, Anonymus in claſſe 2. cuius titulus eſt: *Doctores ſacri*, poſt Hirenæum, Rectitium, Cyprianum, & Olympum, inquit: *Idem tenet Beatus Innocentius, vt Auguſtinus dicit in 2. contra Iulianum.* Bandellus autem, & Deza, qui cap. 18. fol. 27. adducunt vndecim Summos Pontifices, & inter ipſos quatuor Innocentios, cap. 13. fol. 20. poſt S. Ioannem Chriſoſtomum, & Hilarium, inquit: *Idem tenet Innocētius Epiſcopus, qui floruit anno Domini 397. tempore Archadij, & quatuordecim alij Epiſcopi Doctores litteratiſsimi, qui damnarunt Pelagium, vt recitat Auguſtinus in 1. contra Iulianum.* Ergo ſecundùm Aduerſarios Innocentius iſte non fuit Summus Pontifex, ſiquidèm non adducitur in claſſe Summorum Pontificum, & inſuper quia vt videbimus infrà, adducunt omnes Papas Innocentios, primum, ſecundum, tertium, quartum, & quintū; non ergo fuit hic Summus Pontifex (niſi velint dicere, quòd fuerit Innocentius Sextus, qui fuit aſſumptus ad Sedem anno 1352. ſed hunc quomodo potuit recitare Auguſtinus contra Pelagiùm, vel cùm hoc non poſsit eſſe, velint aliam ſumere viam, ſcilicèt, quod hic Innocentius fuit quidam primus ante primum, id eſt, primus primi inter Pontifices, tanquam motus,) ſed quidam particularis Sanctus Doctor Epiſcopus, qui cùm aliis quatuordecim Epiſcopis, tempore Archadii, damnauit Pelagium. Sed cùm talis Innocentius Epiſcopus non fuerit in rerum natura, nec Pelagius fuerit damnatus ad annum 497. ſed poſt per viginti annos, vt infrà dicetur, oportet dicere, Innocentium hunc fuiſſe Epiſcopum adductum, ſine innocentia, cum crimine, & reprehenſibiliter.

Primò, quia tria fuerunt Concilia, in quibus damnatus fuit Pelagius primum vocatū Dioſpolitanum, ſiquidèm celebratum in Paleſtina, & ciuitate Dioſpolis ſub Innocentio Papa I. anno Chriſti 415. in quo interfuerunt quatuordecim Epiſcopi, quorum nomina recenſet S. Auguſtinus, in 1. contra Iulianum, fol. 204. col. 3. litt. H. atque etiam in eodem Concilio Dioſpolitano exiſtente tom. 1. Concil. fol. 701. Et ſunt ſequentia: *Habemus alios orientales Epiſcopos quatuordecim, Eulogium, Ioannem, Ammonianū, Porphirium, Euthonium, Porphiriū, Fidum Zozimū, Zoboenum, Nymphidium, Chromatiuum, Iouinum, Eleutherium, Clematium, quo vno loco ſimul inuentos, &c.* Hæc Auguſtinus.

vi-

vide, ſi inter hos quatuordecim Epiſcopos ſit aliquis vocatus Innocentius? Ergo totum quod dicitur ab Aduerſariis de illo Innocentio Epiſcopo damnante Pelagium, cum aliis quatuordecim Epiſcopis, ad annum 397. eſt falſum, & contra veritatem, ac per conſequens illud quod dicunt: *Vt recitat Auguſtinus, in* 1. *contra Iulianum, &c.* Quia in Auguſtino nihil tale extat. Secundum Concilium, in quo damnatus extitit Pelagius, fuit in Africa in ciuitate Numidiæ, Prouinciæ Carthaginenſis, Anno Chriſti Domini 416. in quo fuerunt triginta ſeptem Epiſcopi. Tertium verò Concilium fuit celebratum contra Pelagium eodem anno, in eademmet ciuitate, & cum eiſdem Epiſcopis, ſed in hoc 3. creuerunt vſque ad ſexaginta, quorum nomina fuerunt hæc, vt ipſi met ſcribunt ad Innocentiũ Papam Primum: *Domino Beatiſsimo, & honoratiſsimo Fratri Innocentio Papæ. Aurelius, Numidus, Ruſticanus, Fidentius, Euagrius, Antonius, Palatinus, Adeodatus, Vincentius, Publicaus, Theodoſius, Tutus, Panionius, Victor, Reſtitutus, alius Reſtitutus, Ruſticus, Fortunatianus, Ampelius, Auinius, Felix, Donatianus, Adeodatus, Octauius, Serotinus, Maiorinus, Poſthumianus, Tryſpolus, Victor, alius Victor, Leutius, Macinus, Fructuoſus, Fauſtinus, Quotuuldeus, Condorius, Maximus, Magarius, Suſticus, Suffinianus, Prochulus, Thomas, Ianuarius, Octauianus, Prætextatus, Sixtus, Quotuuldeus, Pentadius, Cyprianus, Seruilius, Pelagius, Marcellus, Venantius, Dydymus, Saturninus, Tiazacenus, Germanus, Germanianus, Iucuntius, Maiorinus, Iuuentius, Candidus, Cyprianus, Æmilianus, Romanus, Africanus, & Marcelinus, qui in Concilio Eccleſiæ Cartaginenſis affuimus, &c.* Hæc fuerunt nomina ſexaginta Epiſcoporum, qui ad fuerũt in Concilio Cartaginenſi contra Pelagium, inter quos nullum inuenies Innocentium. In alia vero Epiſtola Concilii Mileuitani inter 59. Epiſcopos, eſt vnus vocatus Innocentius, vt dicimus infrà num. 291. auctor. 2. & ſic Auctor eſt fictus, de quo non eſt dubitandum; niſi adhuc retines innocentiam.

Secundo eorum falſitatem comprobo euidentius ex auctoritate adducta ab Aduerſariis pro hoc Innocentio, de quo dicunt: Idem tenet Innocentius Epiſcopus, qui floruit anno Domini 397. tempore Archadii, & quatuordecim alii Epiſcopi Doctores litteratiſsimi, qui damnarunt Pelagium, vt recitat Auguſtinus in 1. contra Iulianum. Poſtquam igitur Auguſtinus enumerauit, & adduxit ſingula dicta prædictorum Sanctorum illuſtrium ſtatim ſubiungit in 1. & 2. contra Iulianum: *Vna eſt omnium Catholicorum firma fides, qui per vnum hominem peccatum intraſſe in mundum, in quo omnes peccauerunt, vno corde credunt, vno ore fatentur: & veſtras nouitias præſumptiones Catholica antiquitate ſubuertunt. Propter quam Catholicã veritatem Sancti, ac Beatiſsimi in diuinorum eloquiorum pertractatatione clariſsimi Sacerdotes Hyrenæus, Cyprianus, Reticius, Olympus, Hylarius, Ambroſius, Gregorius, Innocentius, Ioannes, Baſilius, quibus vtis, nolis addo Hieronymum presbyterum, vt eos obmittam, qui nondũ dormierunt: aduerſus vos proferunt de omnium hominum peccato originali obnoxia ſucceſsione ſententiam. Vndè nemo excipitur, niſi ſolus ille, quem ſine lege peccati Virgo concepit. Hæc ille.* Nota, Lector, quia in hac auctoritate adducta ab Aduerſariis, multa ſunt examinanda. Primo, in illa non ſunt quatuordecim Epiſcopi citati, ſed ſolùm vndecim, vbi ſunt alii tres? Dices, quòd etiam eſt enumerandus Auguſtinus, aſſentior libentiſsimè, ſunt ergo duodecim, vbi ſunt alii duo? Licèt res iſtæ videantur parui momenti, ad indagandam veritatem, ſeu detegenda mendacia, ſunt eſſentialiſsima: Auguſtinus enim nec verbum habet de quatuordecim Epiſcopis iſtis, ſed de aliis ſuprà relatis. Nã Sãcti hic ab Auguſtino numerati non ſunt ex illis quatuordecim Epiſpis, in quo decepti ſunt Aduerſarii. Deindè cùm in hac auctoritate eodem modo, ac vniformiter nominentur ab Auguſtino vndecim Epiſcopi, quarè Aduerſarii ex omnibus ſegregarunt Innocentium prohac auctoritate, qui eſt in ordine octauus, & non illam adſcripſerunt vel primo Hyrenæo, vel vltimo Hieronymo, vel vni ex aliis? Et hoc ſuam etiam habet ſecundam intentionem, item illa verba: *Hæc ille.* Supra quem appellant? Supra Innocentium, vel ſupra Auguſtinum? Si dicitis, quòd ſupra Innocentium, falſum eſt; quia talis auctoritas non eſt Innocentii; adduxiſtis enim illam ſupra in Auguſtino, vt videre eſt num. 34. auctoritate 20. ſed hic fuit memoriæ lapſus: ſi verò auctoritas hæc eſt Auguſtini, vt reuera eſt: ergo falſa ſunt illa veſtra verba: *Idem tenet Innocentius Epiſcopus, vt recitat Auguſtinus, &c.* Sed hæc poſita fuerunt ad decipiẽdos nouitios, & paruulos: Denique notanda ſunt illa Aduerſariorum verba: *Poſtquam igitur Auguſtinus enumerauit, & adduxit ſingula dicta prædictorum Sanctorum illuſtrium, ſtatim ſubiungit in* 1. *&* 2. *contra Iulianum, &c.* Hæc verba quoad primam partem vera ſunt; nam Auguſtinus in 1. libro contra Iulianum adducit auctoritates iſtorum vndecim Doctorum illuſtrium, & in 2. libro recapitulãdo ſummatim enumerat hos Doctores, quorum auctoritates in primo libro adduxerat ad litterã. Hucuſque verum eſt, quod dicunt Aduerſarii, ſed in primo libro adducit auctoritatem Innocentii Papæ Primi, vt ſtatim num. 146. conſtabit ex ipſiſmet Aduerſariis, & ex veritate. Sed decipiuntur in illo, quòd Auguſtinus enumeret,

&

& adducat ſingula dicta prædictorum Sanctorum illuſtrium quatuordecim Epiſcoporum, quia nec Hyrenæus, nec Cyprianus, & ſic de aliis non interfuerunt in illo Concilio, vel Cõciliis: ergo totum quod hic dicunt de illis Epiſcopis, ac Innocentio Epiſcopo, diſtincto ab Innocẽtio Papa Primo, eſt fictum, ſolùm ad multiplicandum alium Actorem.

Tertio, abſtrahamus iudicium, & iſta auctoritas ſit Auguſtini, vel Innocẽtii, videamus ſaltem, qua veritate ipſam adducant quantum ad litteram; quia exiſtimo in verbis eſſentialibus totam eſſe vitiatam: nam ex proprio cerebro finxerunt illam clauſulam: *Vna eſt omnium Catholicorum firma fides, qui per vnum hominem peccatum intraſſe in mundum, in quo omnes peccauerunt, vno corde credũt, vno ore fatentur, & veſtras nouitias præſumptiones Catholica antiquitate ſubuertunt.* Nam licèt hæc ſint verba Auguſtini, non ſunt ex hac auctoritate, ſed aliũdè adducta, & hic collocata abſque vllo fundamento, & veritate. Item vbi Auctor, *vnde nemo eruit niſi quem*; ipſi adulterarunt ſic, vndè nemo *excipitur niſi ſolus ille*, quibus totum mutarunt ſenſum auctoritatis, variantes vocem actiuam in paſſiuam; nam ſenſus verus, & legitimus eſt: A peccato originali nemo eruit, niſi ſolus ille, quem Virgo genuit; adulteratus verò eſt ſic: A peccato originali nemo excipitur, niſi ſolus ille, quem Virgo genuit: vide ſi eſt parua differentia? Tandèm prætermiſerunt illa verba, *repugnante legimentis*. Denique hanc vltimam clauſulam, *vndè nemo excipitur niſi ſolus ille, quem ſine lege peccati Virgo concepit*, ad litteram adducunt infrà in Innocentio primo. Non tranſcribo auctoritates ex Auguſtino, quia illas reperies nullo mutato verbo ſuprà, prælegato num. 34. auctorit. 20. Et Innocentii infrà num. 146. Ex his ergo, & aliis breuitatis cauſa omiſſis, deducimus concluſionem, ſcilicèt, quod ſolus fuit vnicus Innocentius Epiſcopus Romanus, & ſanctiſsimus Eccleſiæ Pontifex creatus anno 402. die 18. Martii, & mortuus anno 417. die 28. Iulii, qui approbauit damnationẽ Pelagii, factam ab Epiſcopis ſuprà relatis, de quo loquitur Auguſtinus in 1. & 2. contra Iulianum, & nos infrà agemus num. 146. Hæc eſt veritas indubitata. Aduerſarii verò, vt multiplicarent Auctores pro ſua ſententia, ex vno indiuiſibili Innocentio fecerunt duos diſtinctos, vocando vnum Epiſcopum, alterum Papam, vnum Sanctum, alterum Primum, vnum tempore Archadii, alterum Theodoſii, vnum ad annum 397. & alterum ad ann. 416. Et ſic Innocentius iſte Epiſcopus Sanctus, hic ab Aduerſariis adductis non fuit.

INNOCENTIVS Papa, qui ſcripſit ſuper Decretales in titul. de Feriis, cap. Conqueſtus. *Ita Anonym. via 3. Rat. 9. Auct. 7.*

VERITAS 145.

POSTQVAM Anonymus in prima claſſi de Summis Pontificibus retuliſſet Innocentium Primum, & Tertium, & Quintum, ſtatim adducens alterum Innocentium, ſic inquit: *Idem tenet alius Innocentius, qui ſcripſit ſuper Decretales, in titulo de Feriis cap. Conqueſtus, allegans Gloſſam Decreti de Conſecratione diſtinctione 3. cap. Prouidendum.* Hæc inquit Anonymus de hoc Innocentio, & nihil ampliùs, quia nullam adducit auctoritatem, nec aliquod ſignum ad dignoſcendum, quis, vel qualis fuerit iſte Innocentius, vel ſaltem quando vixerit. Cùm ergo ipſe adducat alios Innocentios, vel hic erit ſecundus, vel quartus: Secundus non poteſt eſſe, quia hic nec compoſuit, vel ſcripſit ſuper Decretales, nec ſuo tempore erat liber Decretalium: potuit ergo eſſe Innocentius IV. Sinebaldus Fliſcus anteà dictus, electus anno 1243. die 24. Iunii, quia ſcripſit Commentaria, ſeu Apparatum ſuper quinque libros Decretalium impreſſ. apud Ioannem Moylin. ann. 1525. & Venetiis anno 1495. Argentinæ 1478. & extat opus manuſcript. in Bibliotheca Sanctæ Eccleſiæ Toletanæ. Vide de hoc Summo Pontice, ac operibus eius Geſnerum, fol. 392. & Ioannem Fichardum, fol. 13. & omnes Nomenclatores. Sed hic Innocentius Quartus, in ſuo opere ſuper Decretales, in prælegato titulo de Feriis, cap. Conqueſtus exiſtente, fol. 80. lib. 2. nec verbum vnicum habet pertinens directè, vel indirectè, proximè, vel remotè ad myſterium Conceptionis, vel feſtiuitatem illius. Nam in illo titulo ſolùm agit Innocentius, quomodo ſeruanda ſunt feſta in generali. Et ex hac parte cõtra omnem veritatem fuit adductus. Vel potuit eſſe Innocentius III. qui multas Decretales compoſuit, vt conſtat ex eius operibus impreſsis Coloniæ 1575. habet enim integrum Tomum Decretalium, qui incipit: *Ineffabilis ſapientia conditoris*, ſed hic nec eſt, nec poteſt eſſe ille Innocentius adductus ab Aduerſariis, quia inter eius Decretales nullum extat verbum de hac materia; nec tempore Innocentii III. erat libet Decretalium, nec titulus de Feriis, nec caput Conqueſtus: incepit enim illa Decretalium diſpoſitio à Gregorio Nono. Denique nec hic potuit eſſe Innocentius VI. electus ann. 1352. quia hic non ſcripſit ſuper Decretales. Et propter eandẽ rationẽ non potuit eſſe Innocentius VII. creatus ann. 1404. Ergo ex omni parte iſte Innocẽtius

tius eſt fictus: ideò nullus Aduerſariorum ſcribentium poſt Anonymum, de hoc Innocentio mentionem facit. En quæſtione ventilata, liberatur innocens de vltoris manu, & deducitur per ſententiã, quod cùm non ſit hic Innocens inter Innocentios, nec quæſitus inueniatur eſt fictus. Sed quid immoramur, cùm opus, & auctoritas hìc adducta ſit Collectarii, ſeu Ioãnis Gaufredi, de quo num. 60. vide ibi.

INNOCENTIVS Primus Papa, Beatus, vt Auguſtinus dicit in 1. & 2. contra Iulianum, & in Epiſtola ad Donatum de Origine Animæ, & in Concilio Numidiæ celebrato, & in quadam Epiſt. ſua. *Ita Anonym. via 3. Rat. 9. Auctore 1. Bandell. capit. 18. Dezafol. 27. Vincent. & Gryſald.*

VERITAS 146.

SANCTISSIMVS Hic Eccleſiæ Pater, ac Paſtor fuit Eccleſiæ Pontifex, creatus anno 402. die 18. Martii, & huius nominis Primus, in ordine verò 41. licèt ſecundùm Ioann. Lucidum de Emendatione temporum, fol. 60. fuerit num. 42. ſcripſitque aliquas Epiſtolias, quarum 34. extant tom. 1. Conciliorum, & in lib. Epiſtolarum Decretalium tom. 1. part. 2. Impreſſ. Romanæ 1591. Huius Innocentii tempore ſurrexit hæreticus Pelagius, cum fautoribus ſuis Cæleſtio, & Iuliano, quorũ principales errores fuerunt (refero verba tomo 1. Conciliorum fol. 701. colum. 1. cuius titulus eſt: Incipiunt capitula excepta ex geſtis habitis contra Pelagium hæreticum, & alia de libellis eius, quæ in Paleſtina Synodo ſibi obiecta damnare compulſus eſt, &c.) *Primò, obiectum eſt enim, cùm diceret Adam mortalem factum, qui ſiue peccaſſet, ſiue non, moriturus eſſet. Secundùm, quòd peccatum ipſius, ipſum ſolùm læſit, & non genus humanum. Tertium, quòd infantes nuper nati, in illo ſtatu ſint, in quo Adam fuit antè præuaricationem. Quartò, & quod per mortem, vel præuaricationem Adæ non omne genus humanum moriatur: & quòd non per reſurrectionem Chriſti omne genus humanum reſurgat. Quintò, infantes, etiam ſi non baptizentur, vitam æternam habere poſſunt, &c.* Deindè adducuntur alii errores Palagii circa liberum arbitrium, qui ad rem præſentem non pertinent. Contra hos ſurrexit Auguſtinus, & propter hoc conuocatum fuit etiam primum Concilium in ciuitate Dioſpolis in Paleſtina, vbi interfuerunt quatuordecim Epiſcopi, ſed acta illius Concilii non fuerunt approbata ab Innocentio aliqua ſpeciali Epiſtola, vel Decreto. Deindè conuocatum fuit ſecundum Concilium in Numidia Carthaginen. in Africa anno 416. vbi interfuerunt triginta Epiſcopi: & eodem anno ibidem alterum, in quo interfuerunt ſexaginta, quorum nomina ſupra dedimus num. 143. in his ergo tribus Conciliis vnanimiter damnati fuerunt errores Pelagii, quorum damnationem approbauit Innocentius Primus, ac poſteà ſucceſſor eius Zozimus. Cùm ergo articuli damnati loquantur de materia longè diſtanti à noſtra Conceptionis Virgineæ, vt conſideranti articulos ſupra poſitos euidenter conſtabit, & quia Innocentius confirmauit damnationem illorum articulorum, adducere contra immaculatam Virginis Conceptionẽ illos quatuordecim Epiſcopos, ac ſimul Papã Innocentium, quis non vidit fuiſſe ſummam innocentiam? Sed iam iuſtitia cuſtodiet innocentis viam.

Auctoritatem huius Innocentii ſic adducit Anonymus: In primis quidè Beatus Innocentius, qui in Concilio Carthaginenſi. damnauit Pelagium, Cœleſtium, & Iulianum, complices erroris ipſius Pelagii, qui dicebat pueros non contrahere originale peccatum. Iſte Innocentius determinauit: *Quòd omnes homines ex Adam ſeminaliter propagati, contrahunt originale peccatum, nec aliquem poſſe intrare in regnum cœlorum, niſi per gratiam Chriſti, à culpa, & à reatu pœnæ ſolutus renaſcatur.* Vt dicit Auguſtinus in Epiſtola ad Optatum de origine animæ. Hucuſque Anonymus. Bandellus verò, & Vincentia ſic adducunt hanc auctoritatem: Beatus enim Innocentius Primus, qui floruit temporibus Auguſtini, & in Concilio Numidiæ celebrato, condemnauit Pelagium. & Cœleſtinum, negantes originale peccatum, in Epiſtola ſic dicit: *Omnes homines ab Adam carnaliter generati trahunt originale peccatum, à quo, niſi per Chriſti gratiam purgentur, atque liberentur, damnationem conſequuntur æternam. Non enim imago Dei in paruulis tàm graui ſupplicio puniretur, vt vita priuarẽtur, niſi à parẽtibus originale peccatum traherent. Nemo enim excipitur, niſi ille, quem ſine lege peccati Virgo concepit. Hæc ille.* Vincentia adducit eandem numero auctoritatem; ſed ad maiorem claritatem in citatione addunt hæc verba: *In Epiſtola ſic dicit, vt Auguſtinus dicit in 1. & 2. contra Iulianum.* Griſaldus verò ſic inquit: Innocentius I. in quadam ſua Epiſtola: *Nemo excipitur niſi ille, quẽ ſine lege peccati Virgo concepit.* Hæc ſunt omnia, quæ pro hoc Innocentio adducũt Aduerſarii, ſed ſanguinem innocentem non condemnabunt.

Sanctus Auguſtinus in 1. libro contra Iulianum cap. 4. folio 367. loquens cum hæretico habet hæc verba: *Sancto Innocentio vide quid reſpondeas, qui nihil aliud de hac re ſapit, quam quod iſti, in quorum te conuentum, ſi tamen proeſt aliquid, introduxi, cum his etiam ipſe conſi-*

der,

det, & ſi poſterior tempore, prior loco? De miſeris paruulis ab originali malo, quod trahit ex Adã per Chriſti gratiam liberandis, vnam cum eis tenet Chriſtianam, vetamque ſententiam. Qui omne præteriti vitium, primi, ſcilicèt hominis, qui libero arbitrio eſt in profunda demerſus, Chriſtum dixit ſui lauacro purgaſſe baptiſmatis. Qui denique paruulos diffiniuit, niſi manducauerint carnem filij hominis, vitam prorſus habere non poſſe. Huic reſponde, imò ipſi Domino, cuius ille Antiſtes vſus eſt teſtimonio, & dic vndè imago Dei tam capitali ſupplicio puniatur, vt vita priuetur, ſi peccatum à naſcentibus originale non trahitur? Sed quid dicas, aut quid reſpondeas? Qui etiamſi Beatum audias Innocentium, non audebis tamen Chriſtum dicere Manichæũ. Hæc Auguſtinus ex Innocentio. Infrà verò iterum ipſum adducit ſic: *Dicit Sanctus Innocentius, lauacro regenerationis, præteriti vitiũ omne purgari, quod per illum accidit, qui libero arbitrio cadens, in profunda demerſus eſt, dicit: niſi manducauerint carnem filij hominis, id eſt, Domini, & ſanguinem hiberint, vitam paruulos habere non poſſe.* Hæc Auguſtinus in 1. libro cõtra Iulianum. In Epiſtola autem ad Optatum, de Origine animarum, quæ eſt in ordine 157. circa principium, poſtquàm adduxerat aliqua teſtimonia Pauli ex Epiſtola ad Rom. cap. 8. inquit: *Et ſi qua alia teſtimonia declarant, neminẽ naſci ex Adam niſi vinculo delicti, & damnationis obſtrictum, neminemque indè liberari, niſi renaſcendo per Chriſtum, tam inconcuſſè tenere debemus, vt ſciamus eum qui hoc negauerit, nullo modo ad Chriſti fidem, & ad eam quæ per Chriſtum datur puſillis, & magnis Dei gratia pertinere, &c.* Et infrà: *Illa tamen ſit fides ſalua, quã credimus, nullum hominum, ſiuè maioris, ſiuẽ paruulæ quamlibet, & recentis ætatis, liberari à cõtagione mortis antiquæ, & obligatione peccati, quod prima natiuitate contraxit, niſi per vnum Mediatorem Dei, & hominum, hominem Chriſtum Ieſum, &c.* Et infrà circa finem: *Cùm Pelagius, & Cœleſtius extitiſſent Conciliorum Epiſcopalium vigilantia, in adiutorio Saluatoris, qui ſuam tuetur Eccleſiam, etiam à duobus venerabilibus Antiſtitibus Apoſtolicæ Sedis Papa Innocentio, & Papa Zozimo, niſi correcti etiam egerint pœnitentiam, toto Chriſtiano orbe damnati ſint, &c.* Et concludit: *Vndè omninò apertiſsimi hæretici iudicantur, animas paruulorum nihil mali ex Adam trahere, quod ſit lauacro regenerationis expiandum. Nam Pelagij de hac re argumentatio, quæ inter alia eius damnabilia, etiam litteris Apoſtolicæ Sedis adiuncta eſt, ita ſe habet, &c.* Hæc ſunt omnia Auguſtini verba, quæ extant in duobus citatis locis, contra Iulianum, & ad Optatum. Sed notare debes, ô Lector! quod verba iſta ex Epiſtola ad Optatum, non ſolùm ſunt ab Aduerſariis duplicata, ſed triplicata, v.g. num. 254. & num. 280. vide ibi.

Innocẽtius verò Primus inter alias ſuas Epiſtolas, quæ extant cum Epiſtolis Decretalibus tom. 1. part. 2. à fol. 52. vſque 107. ſcripſit duas damnans errores Pelagii, quas etiam inuenies in operibus Auguſtini tom. 2. Epiſtol. 91. & 93. & in prima, quæ incipit: In riquirendis de his, habet hæc verba: *Liberum enim arbitrium olim ille perpeſſus, dum ſuis inconſultiùs vtitur bonis, cadens, in præuaricationis profunda demerſus eſt, & nihil quemadmodum exindè ſurgere poſſet, inuenit; ſuaque in æternum libertate deceptus, huius ruinæ iacuiſſet oppreſſus, niſi eum poſteà Chriſti per ſuã gratiã releuaſſet aduentus: qui per nouæ regenerationis purificationem præteritũ omne vitium ſui baptiſmatis lauacro purgauit. Et eius confirmans ſtatum, quo rectiùs, ſtabiliùſque procederet, tamen ſuam gratiam in poſterũ non denegauit, &c.* In ſecunda verò Epiſtola, quæ incipit: Inter cæteras, ſic inquit Innocentius: *Illud verò, quod eos veſtra fraternitas aſſerit prædicare paruulos æternæ vitæ præmijs, etiam ſine baptiſmatis gratia poſſe donari, perfatuum eſt. Niſi enim manducauerint carnem filij hominis, & hiberint ſanguinem eius, non habebunt vitã in ſemetipſis. Qui autem hanc in eis ſine regeneratione defendũt, videntur mihi ipſum baptiſmum velle caſſare, cùm prædicant, hos habere, quod in eos creditur non niſi baptiſmate cõferendum, &c.* Hæc ſunt omnia pro nunc neceſſaria, & quæ in Innocentio, & Auguſtino extant diſperſa, quæ veritas quaſi in valle ad iudicium congregat, & ex quibus cuncta modo diſponet.

Primo ergo ex his colligitur, temporibus Sancti Auguſtini ſolùm fuiſſe vnum Innocentium Epiſcopum, ſed Romanum, Sanctum, ac Summum Eccleſiæ Pontificem, qui damnauit Pelagium, & Cœleſtium, ac per conſequens Innocẽtium illum Epiſcopum, adductum ab Aduerſariis num. 144. fuiſſe penitùs fictum, eo ſolo fine, vt multiplicarent Auctores. Secundo, fuit artificium cauilloſum ad offuſcandam veritatem, dicere, Innocentium Epiſcopum floruiſſe tempore Archadii Imperatoris, Innocẽtium verò Primum Papam floruiſſe tempore Auguſtini. Tertio, quòd illud de quatuordecim Epiſcopis, eſt gratis, & abſque fundamento dictum, nam Innocentius damnauit Pelagium cum omnibus Antiſtibus, qui interfuerunt tribus Conciliis, in quibus ad minus fuerunt 74. Epiſcopi. Quarto, quòd in 2. contra Iulianum, nullum verbum adducit Auguſtinus ex Innocentio, & ſic illa citatio ſæpè repetita redundat. Quinto, quòd omnes aliæ citationes in 1. contra Iulianum, in Epiſtola ad Donatum, in Concilio Numidiæ, & in quadam Epiſtola ſua, ſunt multiplicationes ſuperfluæ, ac malitioſæ,

ſolùm

ſolùm ad decipiendum imperitos: nam idem, quod dicit Auguſtinus in 1. contra Iulianum, eſt in Epiſtola ad Optatum, & in Epiſtola Innocentii miſſa ad Concilium Numidiæ, ſed ipſi, vt multiplicarent farragines, adduxerunt Innocentium, Auguſtinum, Concilium Numidiæ, & Epiſtolam ad Optatum. Sexto, ex ipſorum verbis conſtat, quod Vincentia non viderit Epiſtolam Innocentii, ſed ſuam auctoritatem extraxerit à 1. & 2. contra Iulian. ex 2. nihil quia ibi nulla extant Innocentii verba. Bandellus vidit Epiſtol. Innocentii, ſed non Auguſtinum, & tamen Vincentia, & Bandellus adducunt eandem auctoritatem nulla mutata ſyllaba. Anonymus nec vidit Epiſt. Innocentii, nec librum Auguſtini contra Iulianum, ſed ſolùm Epiſtol. ad Optatum, & adducit ferè eandem auctoritatem, quando auctoritas nec eſt in Epiſtola Innocentii, nec in Auguſtini libro contra Iulianum, nec in Epiſtola ad Optatum? Patres mei, quid dicemus ad hoc? Septimo dico, quod auctoritas Anonymi à prima vſque ad vltimam ſyllabam eſt ficta, & falſa, non ſolùm ſecundùm ſe totam, ſed etiam quoad ſingulas partes, quia nullum verbum ipſius, nec ipſi ſimile inuenitur in Epiſtola ab ipſo citata ad Optatum: videre quæ ex illa ſupra tranſcripſimus, nam alia ibi no extant ad hanc materiam pertinentia. Octauo, quod auctoritates adductæ ab eodem Anonymo, Bandello, Vincentia, & Gryſaldo, vt vidimus ſub nomine Innocentii: partim ſunt in lib. Auguſtini contra Iulianum, ſed ex maiori parte fictæ, & ſuppoſitæ. Nono, quod ex illis paucis verbis deſumptis ex Auguſtino, alqua ſunt in 1. libro contra Iulianum cap. 4. alia verò ex lib. 2. cap. 10. nota hanc legalitatem. Decimo, quòd illa extracta à lib. 2. cap. 10. quæ ſunt totius auctoritatis eſſentialia (quia ſola illa pertinent ad materiam præſentem) non ſolùm ſunt duplicata, ſed triplicata in hoc ventilabro, nam illa adduxerunt in Auguſtino, vt videre eſt num. 34. auctorit. 20. & etiam num. 144. in Innocentio Epiſcopo, & tertio, hìc. Vndecimo, dico quòd verba adducta in omnibus auctoritatibus relatis ab Aduerſariis, Anonymo, Bandello, Deza, Vincentia, & Gryſaldo, ita ſunt Innocentii Papæ, vt nec vnicum ſolum verbum, magnum vel parum, reperiatur in Epiſtolis Innocentii, niſi ſolùm vnum, & hoc vide quale. Innocentius dicit, *purgauit*; ipſi verò, *purgentur*, quando ergo hoc ſolùm verbum, & illud vitiatum, vt vides, eſt Innocentii, quo fundamento, vel veritate potuerunt adducere tot auctoritates pro Innocentio Papa? niſi dicant, quòd in illo vnico verbo, *purgauit*, continentur omnia alia verba ab ipſis adducta, & inſuper concluſio ſua, ſcilicèt, Virginem Mariam contraxiſſe originale peccatum.

Iſta ſolùm ſunt vndecim vitia generalia, ſiue communia, in quibus Aduerſarii totaliter deuiant à veritate, nam deſcendendo ad particularia, ſunt alia non minoris momenti, quia regulando verba ab ipſis adducta cum verbis Innocentii, & Auguſtini, non ſolùm cum auctoritatibus ſuprà adductis, ſed etiam cum illis duabus Innocentii Epiſtolis in communi, & cum 1. & 2. libro Auguſtini contra Iulianum, & cũ tota Epiſtola ad Optatum de Origine animæ, atque ſimiliter cum integro Concilio Numidiæ (poteſtnè hoc ampliùs extendi?) inuenio ſequẽtia vitia, ſeu adulterationes. Primo, quod illa clauſula: *Omnes homines ab Adam carnaliter propagati, trahunt originale peccatum*, tota eſt ficta, quia neque in Innocentio, neque in Auguſtino, nec in Concilio Numidiæ extat. Secundo, quòd illa: *A quo niſi per Chriſti gratiã purgentur, atque liberentur, damnationem conſequentur æternam*, etiam eſt ficta, & ſuppoſita, quia neque in Auguſtino, neque in Innocentio illam inuenies. Tertio, illa: *Non enim imago Dei tam graui ſupplicio puniretur, vt vita priuaretur, niſi à parentibus originale peccatum traheret*, extat in Sancto Auguſtino, cuius ſunt verba, non Innocentii, ſed hìc: *Et dic, vndè imago Dei tam capitali ſupplicio puniatur, vt vita priuetur, ſi à naſcentibus peccatum originale non trahitur?* In qua clauſula adulterata ſunt ſequentia. Addiderunt illud, *non enim*, & abſtulerunt illud, *& hic vndè*, vnum interrogatiuũ, & alterum abſolutum. Deindè addiderunt iniquè illud, *in paruulis*, vt ſic ad paruulos conceptos dirigerent ſententiam. Item vbi Auguſtinus, *tam capitali*; ipſi, *tam graui*, vt ſic includerent originale. Item vbi Auguſtinus, *puniatur*; ipſi, *puniretur*, per ordinem etiam ad originale, non ad actuale. Item, vbi Auguſtinus, *ſi peccatum à naſcentibus*; ipſi ſic, *niſi à parentibus* originale, quo penitus totum Auguſtini ſenſum adulterarunt; nam Doctor Sanctus rectiſsimè dicit: Vndè imago Dei vita priuaretur per mortẽ, niſi cum naſcentibus etiam originale illud Adami (in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris) traheretur. Videntes ergo hoc Aduerſarii, illud, *à naſcentibus*, tranſtulerunt in iiy, *à parentibus*; parua enim eſt differentia? Item illud, *peccatum*, quòd in Auguſtino extat ſeorſim; ipſi ad maiorem expreſsionem coniunxerunt ſic, *originale peccatum*. Denique vbi Auguſtinus, *non trahitur?* interrogatiuè, ipſi abſolutè, *traheret*, auferentes illud, *non*, & mutãtes tempus, & vocem. Quartò, illa clauſula: *nemo enim excipitur, niſi ille quem ſine lege peccati Virgo concepit*. Hanc, inquam, clauſulam, vt dixi ſuprà, tranſeuntes à 1. libro Auguſtini contra Iulian. cap. 4. deſumpſerunt ex lib. 2. cap. 10. ſed in Auguſtino extat ſic (quæ etiam eſt Auguſtini, & nullo modo Innocen-

nocentii: *Vndè nemo eruit, niſi quem ſine lege peccati repugnante legi mentis Virgo concepit.* Dereliquerunt ergo illud, *vnde*. Deindè vbi Auguſtinus, *eruit*; ipſi, *excipitur*, qua adulteratione totus vitiatur ſenſus Auguſtini, cuius intentio eſt dicere: A peccato nemo eruit, id eſt, liberat, niſi ſolus Ieſus, qui ſine lege peccati fuit cõceptus. At ſecundùm Aduerſarios facit hunc sẽſum: A peccato nemo excipitur, vel exemptus eſt niſi ſolus Ieſus: vt ſic includerent ſacratiſſimam eius Matrem. Et hoc non potuit eſſe error calami, quia in tribus diſtinctis locis adducunt hanc clauſulam, ſicut hìc. Item prætermiſerunt illud Auguſtini, *repugnante legi mentis.* Hæc ſunt quæ ſecundùm veritatem veniunt notanda in Innocentio Papa Primo; cùm ergo auctoritas non ſit ipſius, ſed ſuppoſita, & ficta à primo vſque ad vltimum verbum, & in illa ficta, & ſuppoſita ſint vigintiſex adulterationes capitales, maculantes in toto doctrinam Sanctiſsimi Innocentii, & in parte S. Auguſtini, quid dicere poſſumus niſi illud: Et repleuerunt locum iſtum ſanguine innocentium.

INNOCENTIVS Quintus Beatus, in 3. Sentent. diſtinct. 3. quæſt. 1. artic. 1. & arg. 2. *Ita Anonym. Auctore 6. Bandell. cap. 18. Dezafolio 28. Petrus de Vincent. Paul. Gryſald.*

VERITAS 147.

HVNC Auctorem ſic adducunt Aduerſarii · Idem tenet Beatus Innocẽtius Papa V. in 3. Sentent. diſtinct. 3. quæſt. 1. artic. 1. ſic dicens: *Beata Virgo fuit in vtero matris ſanctificata, non ante animationem, quia tunc gratiæ capax non erat, nec etiam in ipſa animatione, quia tunc originale peccatum non contraxiſſet, & ſic non eguiſſet vniuerſali Chriſti redemptione, quod non eſt dicendum. Sed piè credendum eſt, quòd citò poſt animationem, vel ipſa die, vel hora, non tamen ipſo momento, à peccato fuerit per gratiam mundata, & ſanctificata. Hæc ille.* Item ad ſecundum argumentum: *Puritas*, inquit, *Beatæ Virginis fuit ſub Chriſto Deo: ſi autem peccatũ originale non contraxiſſet, fuiſſet æqualis puritatis cum Chriſto, quod non eſt dicendum. Hæc ille.* Item, idem vbi ſuprà quæſt. 2. artic. 1. *Cum*, inquit, *Beata Virgo ſit media inter Sanctum Sanctorum, & omnes alios Sanctos, decuit, vt haberet medium gradum ſanctificationis: cùm ergo Chriſtus fuerit ſemper liber ab omni peccato, & reperiantur aliqui Sancti, qui ſemper fuerint liberi à peccato mortali, non autem à peccato veniali, & originali, decuit, vt Virgo habuerit quidèm originale peccatum, ſed nunquam peccatum actuale commiſerit. Hæc ille.* Iſtæ ſunt tres auctoritates, quas nulla mutata ſyllaba, ſub hoc Beato Innocentio V. adducunt Bandellus, Deza, & Vincentia.

Sed ſciendum eſt: Quòd iſte Innocentius V. fuit Petrus de Tarantaſia, Burgundus, ex Ordine Prædicatorum, creatus anno 1276. die 21. Ianuarii, & ſedit in Sede D. Petri menſes quinque, & duos dies. Hic cùm eſſet Magiſter ſui Ordinis, ſcripſit ſuper Magiſt. Sententiarum, Et hunc adductum hìc ſub nomine Beati Innocentii V. inter Summos Põtifices, in claſſe Ordinis Prædicatorum, ipſum iterum repetunt ſub proprio nomine Petri de Tarantaſia, dicentes: *Idem tenet Dominus Petrus de Tarantaſia, qui fuit poſtea Papa Innocentius Quintus, ſicut dictum fuit ſupra.* Si ergo *dictum* erat ſuprà, quare infrà iterum dixiſtis? Hic vocatis eum Innocentium B. Papam V. infrà verò Dominum Petrum de Tarantaſia, Ordinis Prædicatorum, ad quid ſimulationes, ſeu cauillationes iſtæ? Hic eum adducitis in 3. Sentenr. diſt. 3. ibi etiam in 3. Sent. diſt. 3. Elaborauit ne hoc cùm eſſet F. Petrus de Tarantaſia, Ordinis Prædicatorum, vel cùm eſſet Sanctiſsimus Innocentius V. vniuerſalis Eccleſiæ Paſtor, & Rector? Si primum (vt eſt veritas) ergo adducere Innocentium V. eſt contra veritatem. Si ſecundum, quòd eſt falſum (quia in illos quinque menſes ſui Pontificatus non ſcripſit ſuper Sententias Petri Lombardi, quia S. Thomas, qui mortuus fuit ante duos annos ſuæ aſſumptionis ad Sedem illud opus Sententiarum Tarantaſiæ ad compendium reduxit) ergo falſo adducitis Petrum de Tarantaſia, ſub nomine Innocentii V. ſuper Sententias? Dicite quidquid volueritis, iſte Innocentius multiplicatus eſt contra innocentiam Beatiſsimæ Virginis Mariæ, ſed non ex innocentia. Cùm ergo Petrus de Tarantaſia ſcripſerit ſuper Sententias, & Petrus de Tarantaſia dixerit, Virginem fuiſſe cõceptam in peccato originali, Petrus de Tarantaſia de ſe rationem reddet infrà num. 253. Et vndè Beatus? Nã non pertinet ad veritatem, cum nomine ſeducere corda innocentium.

INNOCENTIVS Secundus, Beatus, qui fuit tempore S. Bernardi, in Sermon. Aſſumptionis Virginis. *Bandell. cap. 18. Deza fol. 27. à tergo. Vincent. & Gryſald.*

VERITAS 148.

QVOD Hic Summus Eccleſiæ Pontifex fuerit in rerum natura, res eſt extra omnem controuerſiam; nam Gregorius de Papa Monachus Benedictinus fuit aſſumptus ad ſacram Petri Sedẽ

anno

ann. 1130. die 14. Februarii, in ſui creatione vocatus Innocētius Secundus. Sed nullus Scriptor vocat eum Beatum, niſi ſolùm hic Aduerſarii, ſicut fecerunt etiam cum antecedenti, & ſubſequenti, & cum aliis quam plurimis in hoc Ventilabro relatis ſine vllo fundamento, vt ſic dicere poſſent, vt dicebant, & dicunt: Multi Sancti, ac Beati tenent, Virginem Mariam fuiſſe conceptam in peccato originali. Et vt auferrent ſanctitatem à Conceptione, Sectatoribus ſuis dicebant: Sancti eſtote; quia inter Sanctos ſors noſtra eſt. Sed attende, an hic adductus fuerit cum ſanctitate,

Auctoritatem huius ſic adducunt: Idem tenet Beatus Innocentius Secundus, qui fuit tempore B. Bernardi in Serm. Aſſumptionis Virginis, ſic dicens: *Eua ſiquidèm fuit ſine culpa producta, ſed filios produxit in culpa. Virgo autem glorioſa fuit quidèm in culpa producta, ſed filiũ ſine culpa produxit. Hæc ille.* Hæc auctoritas eſt ficta quantum ad Auctorem, quia nõ eſt Innocentii Secundi, ſed Innocentii Tertii, quod conſtat, tum quia Innocentius II. non ſcripſit Sermones, ſed ſolùm in Cantica Canticorum, & aliquas Epiſtolas, vt videre eſt in Bibliotheca Pontificia fol. 116. Tum potiſsimè, quia hæc auctoritas reperitur ad litteram in ſermone Aſſumptionis Innocentii III. vt cõſtat ex eius operibus tom. 2. fol. 151. Aduerſarii ergo ad multiplicandos Innocentios, Pontifices, & Auctores, Sermonẽ, & verba Innocentii Tertii adſcripſerunt Innocentio II. diuidentes portionẽ cum omni artificio; nam cùm Innocentius III. haberet tres Sermones de Aſſumptione, Natiuitate, & Purificatione, vt num. ſequenti videbimus, huic Secundo Innocentio adſcripſerunt ſermonẽ Aſſumptionis. Tertio verò Natiuitatis, & Purificationis, vt ſic occultaretur dolus. Sed dices, hoc fortè factum eſt ex ignorantia, quia in aliquo originali antiquo manuſcripto, loco Innocentii Tertii extabat Innocētius Secundus, quæ quidèm equiuocatio facillima eſt, præcipuè ſi nomen Secundi, & Tertii adſcribebatur numeris arithmeticis. Hoc, inquã, potuit eſſe in illis antiquis Scriptoribus. Sed quid dicemus de recentioribus, qui tempore Innocentii X. hanc ipſam auctoritatem adduxerunt pro Innocentio II. in quodam Reſcripto pro ſua opinione Romæ edito n. 33.? De quo vide noſtrum Armentariũ col. 19. Item quomodo potuit eſſe æquiuocatio in illis Aduerſariorum verbis: *Qui floruit tempore B. Bernardi?* Nam in illo manuſcripto dubito, quòd potuerit eſſe talis clauſula. Atque etiã nullus Nomenclator dixit, Innocẽtium II. elaboraſſe Sermones: & Innocẽtii III. eſſe communiſsimos, & ſi legiſſent illum Aſſumptionis, facillimè ſe expedirent ab hac æquiuocatione; & ſic totũ hoc reduci debet ad multiplicationem.

Auctoritas in Serm. Aſſumptionis Innocentii III. ſic ſe habet loquendo de Eua: *Illa fuit de ſolo viro producta; quoniã ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam in mulierẽ, ſed produxit virum, & fœminam. Hæc autem producta fuit de viro, & fœmina, ſed ſolùm virum produxit. Quia nouum fecit Dominus ſuper terrã; fœmina circudabit virũ gremio uteri ſui. Illa fuit ſine culpa producta, ſed produxit in culpã; hæc autẽ fuit in culpa producta, ſed ſine culpa produxit. Illa dicta eſt Eua, huic dictum eſt: Aue, quia per hãc mutatũ eſt nomẽ Euæ. Aue, inquit, gratia plena: Dominus tecũ. Quaſi diceret: illa fuit plena peccato; ſed tu plena gratia: illa fuit maledicta in mulieribus; ſed Benedicta tu in mulieribus, fructus ventris illius fuit maledictus Cain, ſed fructus tuus erit Benedictus Ieſus, &c.* Hæc eſt auctoritas Innocẽtii III. quantu ad litteram vitiata ab Aduerſariis in ſequentibus. Primo prætermiſerunt principium auctoritatis, à quo pendet tota intelligentia illius. Secundo, addiderunt illud, *Eua ſiquidèm.* Tertio, addiderunt vocem illam, *filios.* Quarto, vbi Innocentius, *in culpam*; ipſi, *in culpa*, vt cauillosè auferrent motum productionis. Quinto, addiderunt illud, *Virgo autem glorioſa.* Sexto, addiderunt illum emphaticum, *quidem*, quaſi dicerent verè, abſque dubio. Septimo, addiderunt illud, *filium*, Octauo, prætermiſerunt verba vitiata, quæ etiam explicant mentem Innocentii. Si autem hic habent octo vitia: ergo nec cum viro innocente innocentes fuerunt.

Quantum ad ſenſum hæc verba nihil probant contra immaculatam Virginis Conceptionem: nam clarè, & expreſsè loquitur Innocentius de productione, ſiuè generatione, qua parentes generant, ac producunt filios ſuos. Nam Eua, inquit Innocentius, fuit producta ex coſta Adæ, id eſt, ſine concupiſcentia, aut libidine producentis; Eua verò produxit filios cum concupiſcentia, & libidine, vndè Eua aliter fuit producta, & aliter produxit, fuit producta ſine culpa producentis, ſed ipſa produxit in culpam. Virgo autem Maria, inquit Innocentius, fuit producta cum culpa parentum, concupiſcentia, libidine, &c. At ipſa produxit filium abſque vlla culpa. Et nota, quòd ſemper Innocentius vtitur illo termino, culpa, non verò, peccato: nam culpa rigoroſè loquendo, latiùs patet, quàm peccatum; culpa enim dicitur à zelo, & omne quod zelari debet, aut naturale, vel morale dicitur culpa, quaſi indecens, & indecorum; peccatum verò ſemper arguit maculam. Sed hoc parùm intereſt ad rem noſtram: certum autem eſt, & indubitatum, quòd Innocentius Secundus non ſcripſit Sermones, & hic adductus de Aſſumptione, eſt Innocentii Tertii, & ſic hic Auctor eſt fictus, & multiplicatus. Atque etiam eſt certum,

quòd auctoritas adducta non est ad rem; nam in hac controuersia non inquirimus, an Ioachim, & Anna produxerint Mariam cum culpa concupiscentiæ, & libidinis, sed an ipsa Deipara contraxerit originale? Cùm autem Sermo, & auctoritas sit Innocentii III. videte num. sequẽtẽ, vbi latè eius mens declaratur, & relinquite Patres, Innocentium Secundum; quia fuit Pontifex Sanctus, impollutus, & ab hac materia de peccato originali Mariæ penitùs segregatus; quia non scripsit sermonem Assumptionis, nec verba à vobis relata.

INNOCENTIVS Tertius, Beatus, qui composuit multas Decretales, & librum de Miseria conditionis humanæ, in Serm. Purificat. & Natiuitat. Beatæ Virginis. *Anonym. Auctore 5. & auctorit. 35. Bandel. cap. 18. Deza fol. 27. à tergo. Vincent. Gryfald. Castellan.*

VERITAS 149.

HIC Verè Maximus Ecclesiæ Pontifex notissimus est propter eximia eius opera, scripta, & patrata, vocatus ante suam Assumptionem Lotharius, Comes Signinus, electus anno 1198. die 8. Ianuarii. Cuius opera coniunctim fuerunt typis mandata Coloniæ 1575. in fol. diuisim verò multis in locis. Sed Auctor iste in primis est duplicatus: nam infrà num. 211. ipsum iterum adducunt sub nomine Lotharii in libro 1. de Miseria conditionis humanæ, & hoc non potuit esse ex ignorantia: nam hic expressè fatentur, hunc Innocentium fuisse Auctorem illius libri. Et fortè etiam est triplicatus cum Innocentio suprà posito numero 144. nam illum citant super Decretales, & non inuenitur, quis, vel qualis fuerit, & hic constat, quòd scripserit super easdem Decretales, vt ipsimet Aduersarii dicunt: ergo videtur triplicatus. Item etiã est quadruplicatus; nam auctoritas adducta in Innocentio Secundo est huius Innocentii Tertii, vt vidimus numero antecedenti. Deindè dico, Sermones, & librum de Miseria conditionis humanæ, non fuisse elaboratos ab Innocentio, cùm esset Summus Pontifex, sed in minoribus constituto, quando erat solùm Lotharius Campanus: ergo sine fundamento, & veritate adducitur hic ab Aduersariis in Sermonibus. Nam dato, quòd in his aliquid dixerit contra immaculatam Conceptionem, poterant illa adducere cum aliis infrà ab ipsis adductis in Lothario, vndè colligo, fuisse inexcusabilem fictionem: adducere ergo hìc Innocentium in Sermonibus, & infrà Lotharium in libro de Miseria conditionis humanæ, fuit opus suæ conditionis humanæ, & velle nõ parcere innocentiæ.

Auctoritatem sic adducit Anonymus: Idem tenet B. Innocentius III. qui composuit Decretales multas, & librum de Miseria conditionis humanæ, & composuit multos Sermones: Vndè in sermone Purificationis, & Natiuitatis B. Virginis dicit: *Eam expressè originale peccatũ contraxisse.* Et hìc sistit: at nunc videbimus hoc *expressè* dictum. Bandellus, & alii sic: Idem tenet B. Innocentius Papa Tertius, qui fuit tempore S. Dominici in sermone Purificationis B. Virginis, sic dicens: *Spiritus enim Sanctus priùs quidẽm in Virgine venerat, quando in vtero matris animam eius ab originali peccato mundauit. Sed postea superuenit in eam, vt carnem eius à fomite peccati liberaret: quatenùs esset sine ruga prorsus, & macula. Hæc ille.* Lotharius ergo, qui posteà fuit Innocentius Papa edidit Sermones sequentes. Primò, de Purificatione Virginis Mariæ, qui extat fol. 106. & incipit: *Rex Regũ.* Secundo, edidit duos sermones de Assumptione. Vnus incipit: *Castellum illud*; alter: *Cum Aurora fit finis*, & extat à fol. 148. Et ex hoc Sermone vltimo extraxerunt Aduersarii auctoritatem illam positam num. antec. in Innocentio II. vt sic ex vno Innocentio facerent duos. Tertio, edidit Sermonem de Natiuitate Virginis, & incipit: *Verba quæ locutus sum*, qui extat fol. 153. In hoc Sermone nec verbum magnũ, vel paruum habet Innocentius, siuè Lotharius notatione dignũ pro hac materia in particulari, imò nec pro Virgine Maria in cõmuni. Et sic illud, quod dicit Anonymus, quòd in Sermone Natiuitatis Innocentius tenuit *expressè* B. Mariam fuisse in originali peccato conceptam, est falsum, ac falsissimum, & gratis dictum, quia neque expressum, neq; inexpressum aliquid pro hoc puncto inuenitur in tali Sermone; ideò ipse nullam adduxit auctoritatem, & Bandellus, & alii absolutè prætermiserunt hunc Natiuitatis Sermonem: Vndè etiam patet illud sæpè in hoc libro repetitum, quod vbicumque Aduersarii adducto Auctore prætermittunt auctoritatem, latet anguis, & virus.

Ad sermonem Purificationis, & auctoritatem præallegatã à Bandello dico, quòd in originalibus, sic se habet: *Nõ enim Auctor fidei cõcipi potuit de incredula. Ideòque primam viam, scilicèt, cõsensum Virginis opportuit præparari statim autẽ Spiritus Sanctus superuenit in eam. Prius quidẽ in eam venerat, cùm in vtero matris animã eius ab originali peccato mundauit, sed & nunc superuenit in eam, vt carnem eius à fomite peccati mundaret, quatenùs esset sine ruga prorsus, & macula. Tyrannum itaque carnis languorem naturæ, fomitem peccati, sicut opinor in ea prorsus extinxit.* Hæc sunt verba Lotharii, in quibus Aduersarii adulterarunt sequen-

quentia. Primò, vbi Lotharius, *ſtatim autem Spiritus Sanctus, ſuperuenit in eam, priùs quidèm, &c.* ipſi ſic, *Spiritus enim Sanctus priùs, &c.* Secundo, addiderunt, *in Virgine*, & non rectè ſecundùm grammaticam. Tertio, tranſtulerunt illud, *cum*, in, *quando*, ad maiorem expreſsionem. Quarto, illud, *ſed & nunc*, mutarunt in illud, *ſed poſteà*. Quinto, vbi in textu, *à fomite peccati mundaret*; ipſi, *liberaret*, & hæc fuit præcipua, & vnica adulteratio, ad euertendam totũ ſenſum auctoritatis; quia iudicarunt, & optimè, quòd ſi apponerent, vt iacebat, verbum illud, *mundaret*, tota ipſorum ruebat machina. Nam hic expreſsis verbis ponitur duplex mundatio Mariæ, prima in vtero matris ſuæ, ac Conceptione ſua paſsiua, quando veniens Spiritus Sanctus *animam eius ab originali peccato mundauit*. Secunda, in Incarnatione Verbi, ſeu Conceptione actiua, quando Spiritus Sanctus ſuperuenit in eam, *vt carnem eius à fomite peccati mundaret*; in prima Conceptione mundata fuit anima à peccato originali; in ſecunda, caro à fomite. Si ergo hæc ſecunda mundatio non fuit ab aliqua poſitiua macula, aut immunditia, ſed fuit præſeruatio vt non ineſſet, quarè prima mundatio erit à poſitiua immunditia? Cùm textus æqualiter, & eodem modo loquatur de vtraque? Vel ergo vtrobique vox illa, *mundauit*, habet eandem ſignificationem, vel non: Si eandem, vide quomodo explicas illam de Conceptione actiua, & carne Virginis à fomite, & eodem modo explica illam de Conceptione paſsiua à peccato originali: ſi diuerſam, aſsigna rationem; quia textus, vt dixi, eodem modo, & æqualiter loquitur de vtraque. Cernentes ergo Aduerſarii hanc irrefragabilem euidentiam, neſcientes, quo ſe verterent, in prima Conceptione paſsiua reliquerunt, vt iacebat in textu, illud verbum, *mundaret*; in ſecunda verò Conceptione actiua, loco, *mundaret*, appoſuerunt, *liberaret*; quia liberatio eſt indifferens, à liberatione periculi, vel à liberatione in periculo; quia liberatio vel poteſt eſſe ante caſum, vel poſt caſum, ſed mundatio (vt ipſi Aduerſarii mordicus defendunt) ſemper ſupponit, ac determinatè ſignificat emundationẽ à fœditate, & macula iam contracta. Concludimus ergo, quòd mũdare hic eſt idem quòd munire, vel immunem facere: nam aliàs licèt illa mundatio Lotharii poſſet verificari in Cõceptione paſsiua, ſuſtinendo Aduerſariorum opinionem, tamen eſſet ſummum nefas, velle ipſam verificare de Conceptione actiua, & ſi non credis mihi, crede Aduerſariis, qui ita aſtutè, & prudenter fugerunt ab illo verbo, *mundaret*, ponentes loco illius, *liberaret*, metuentes ſic periculum, quod imminebat.

Ex omnibus igitur ſex Innocentiis Pontificibus adductis ab Aduerſariis, deduco pro vltima concluſione: Primum Innocentiũ Epiſcopum ex n. 144. eſſe penitùs fictum, ac chimericum, quia non fuit in rerum natura. Secundum Innocentium Papam Scriptorẽ ſuper Decretales n. 145. non inueniri, nec eius auctoritatem, & ſic eſſe ſomniatum: quia & ſi Innocẽtius huius nominis IV. ſcripſit ſuper Decretales, in ipſo non extat auctoritas adducta ab Aduerſariis. Tertium Innocentium n. 146. fuiſſe in rerum natura, ſed eſt penitùs ficta eius auctoritas, Innocentius IV. poſitus num. 147. eſt multiplicatus cum Petro de Tarantaſia, Innocẽtius V. poſitus num. 148. eſt fictus tàm quoad Sermonem, quàm quoad auctoritatem; & Innocentius vltimus poſitus num. 149. verus eſt, ſed nihil dicit, & inſuper non fuit Innocentius, ſed Lotharius, &c. Vbi eſt ergo illud: omnes Innocentios Summos Pontifices apertè, & clarè, veſtram tenuiſſe opinionem? Vnum eſt quod locutus ſum, & innocentem, & impium ipſe conſumit, vt non de pœnis innocentum rideat.

IOANNES de Alba Villa, Doctor Pariſienſis, in Sermon. Purificat. Annunt. & Aſſumpt. B. Virginis. *Anonym. Auct. 168. Bandel. cap. 21, Dezà fol. 36. Petr. de Vincent.*

VERITAS 150.

TOT, tãtaſque in Aduerſariorum libris, nominum mutationes, atque multiplicationes Auctorum, necnon in citationibus, & auctoritatibus confuſas variationes inuenio, vt in aliquibus Doctoribus penè ſtudium, & labor deficere videantur, ad indagandam certitudinẽ, & aſſequendam deſideratam veritatis metã, quorum vnus eſt preſens Ioannes de Alba Villa; quarè propoſitis aliquibus principiis conabimur rectum deducere iudicium. Sit ergo primũ, quòd Anonymus ſic adducit hunc Auctorem: *Idem tenet Magiſter Ioannes de Alba Villa, in Serm. Purific. & Annuntiat. B. Virginis, & Aſſumptionis eius.* Et nullam adducit auctoritatẽ. Bandelius, & Vincentia ſic vltrà progrediuntur: Idem tenet Magiſter Ioannes de Alba Villa, Doctor Pariſienſis in Serm. Purificat. B. Virginis, ſic dicens: *B. Virgo fuit ab originali peccato in vtero matris per ſanctificationẽ mundata.* Secũdum ſuppoſitum eſt, quòd licèt Aduerſarii hunc adducant, inter Doctores Theologos, clariſsimos antiquos, de tali Ioanne de Alba Villa nec memoria in Nomẽclatoribus, nec vna ſaltẽ minima notitia reperitur in Scriptoribus Eccleſiaſticis, licèt ſingulari cura triturauerim omnia antiqua, & moderna monumenta. Tertiũ, quòd idem Aduerſarii, vt latè videbimus infrà n. 197. alium ſimilem Doctorem cum altera ſimili etiam auctoritate adducunt, vocatũ Ioannẽ de Villa Abbatis, in

eodem sermone Assumptionis, &c. Quartum, quod de hoc Ioanne de Villa Abbatis, seu de Abbatis Villa, honorificam faciunt mentionē Nomenclatores, tanquam de Auctore antiquo classico. Vide Posseuinum fol. 953. Trithemiū, fol. 64. & alios. Adduco vnum solūm Gesnerū, qui folio 397. inquit: *Ioannes de Abbatis Villa Sermones de Tempore, & de Sāctis, in Epistolas, & Euangelia, &c.* Et folio 508. iterum inquit: *Ioannes de Villa Abbatis, Postillæ super Euangelia Dominicalia, & Epistolas totius anni manuscriptæ, Melchior Dresselius.* Quintū principium sit, quòd fuit quidam Ioannes de Abbatis Villa, Decanus Ambianensis, Auctor antiquus, creatus Cardinalis à Gregorio IX. tituli S. Sabinæ, communiter dictus Haelgrinus, qui scripsit in Cantica Canticorum, ac Sermones de Tempore, & de Sanctis; & ipso nos iterū infrà præallegato num. 197. de quo grauissimo Doctore agunt Bibliotheca Cardinalitia fol. 54. & communiter omnes Nomenclatores. Huius Expositio in Cantica fuit typis mandata anno 1521. in fol. cum Thoma Cistercienſi, sed Sermones nunquam, quia temporis iniuria perierunt. Fuit etiam alius grauis Scriptor antiquus, vocatus Hieronymus de Villa Abbatis, Ordinis Canonicorum Regularium, etiam Parisiēsis, qui scripsit opus Sermonum impres. Agenau. ann. 1509 in 4. & habet sermonem Assumptionis, qui est in ordine 227. & Annuntiationis in ordine 84. & Purificationis, qui est in ordine 33. Sed in his Sermonibus nec verbum habet, quod directè, vel indirectè pertineat ad Conceptionē Virginis. Imò expressè alibi nostram sequitur sententiam. Et quod hic sit idem cum Ioanne de Villa Abbatis, seu Abbatis Villa, indicare videntur Nomenclatores. Sextum principium sit, quòd ann. 1495. fuit typis mandatum opus Sermonū sub nomine Peregrini, & in sermone Purificationis Alphab. x. habet hæc verba: *Sed mirabile est, quòd illa purificari voluit, quæ purificatione non indiguit, quia ipsa purissima, purior omni creatura adhuc existens in materno vtero sanctificata fuit, scilicèt ab originali, si fuisset in eo, nec etiam venialiter peccare potuit, &c.* Hæc videtur auctoritas adducta ab Aduersariis, sed iam vides, qua fidelitate, quia Auctor potiùs negat originale in Maria in illa conditionali, *si fuisset in eo.* In Serm. Annuntiationis Alphab. xi. inquit: *Maria fuit pulchra, quia antè sanctificata, quàm nata.* Et in Ser. Assumptionis Alphab. xiii. inquit: *Mirabilis quidèm fuit in sanctitate, quia ante sanctificata, quā nata, &c.* Hæc ibi, & nihil ampliùs. Sed nota, quod Auctor horum Sermonū secundùm Leādrum Albertum, & Alphons. Placent. fol. 345. fuit quidam Conradus Dominicanus, qui vixit ad ann. 1290. Hæc sunt omnia, ò Patres, quæ de hac materia reperire potui, & iuxta illa, dico.

Quòd, salua veritate, iudico, Auctorem istū Ioannem de Alba Villa, quoad nomen fuisse fictum ab Anonymo, deindè Bandellum finxisse auctoritatem: Anonymus enim videns, vel audiens, fuisse quemdam Doctorē antiquum, vel Doctores antiquos, qui scripserant Sermones de Sanctis, vocatos Villa Abbatis, vel de Abbatis Villa, adduxit suprapositum Auctorē in Sermonibus Assumptionis, Purificationis, & Annuntiationis, iudicans, quod ex hac multitudine saltem vnus tangeret scopum, at nullam adduxit auctoritatem, quia nulla erat, nec in Ioanne de Abbatis Villa, nec in Hieronymo de Villa Abbatis. Sed Bandellus reperiens Auctorem citatum ne miles iste nudus descenderet in arenā, & exarmatus, finxit suprà positam auctoritatem; nec hoc est iudicium temerariū, tum quia auctoritas ipsa ex verbis, & dispositione indicat, suum patrē fuisse Bandellum: tum quia hoc ipsum fecit in aliis quàmpluribus Auctoribus, vt passim reperies in hac Ventilatione. Vel dico, quòd si non est fictus Ioannes de Alba Villa, est saltem multiplicatus cum Ioanne de Villa-Abbatis, transmutando Abbatem in Albam, & quod ex tribus Sermonibus, ille Assumptionis factus est cōmunis. Vel si nec hoc tibi placet, dico, quòd nec Ioānes de Alba Villa, nec Ioannes de Abbatis Villa adducuntur à Turrecremata, & ex hac parte vnus, & alter est suspectus. Opera ipsorum sub nominibus adductis ab Aduersariis non comparent. Illa verò quæ inueniuntur sub nomine Hieronymi de Villa Abbatis adducunt Sermones citatos ab Aduersariis, sed non auctoritatem, nec suam opinionē sequitur Auctor, sed nostram amplectitur sententiam: ergo licèt Auctoris fuerit sola æquiuocatio, auctoritas fuit ficta. Ac denique si nullum horū cōcludit, ostendite vestrum Ioannem de Alba Villa, & auctoritatem illius; quia Ecclesia non iudicat de occultis. At si transcripserunt auctoritates à proposito Sermonario Peregrini, peregrina fuit fictio nominis, & peregrinum auctoritatis figmentum.

IOANNES Andræas, Doctor Bononiēsis in 2. part. Nouellæ, cap. Conquestus extra de Feriis. *Turrecr. cap. 36. fol. 126. Anonym. Auct re 187. Bandel. cap. 19. Deza fol. 30. Vincent. Gryfald. & Barelete.*

VERITAS 151.

CELEBRIS, ac nominatissimus Auctor est inter Iurisperitos Ioannes Andræas, de S. Hieronymo cognominatus, de cuius scientia, virtutibus, & auctoritate, ferè omnes Nomenclatores Ecclesiastici latè agunt; floruit anno 1380. Eius auctoritatem sic adducunt Aduersarii: Idem tenet Domi-

Dominus Ioannes Andreæ, Doctor Bononiensis clarissimus in 2. parte Nouellæ, titulo de Feriis, cap. Conquestus, sic dicens: *Quatuor sunt festiuitates Virginis Mariæ, videlicèt, Annuntiatio in vere, Assumptio in æstate, Natiuitas in Autumno, & Purificatio in Hyeme: festum autem passiuæ Conceptionis eius hìc non includitur, licèt in multis locis celebretur ex deuotione non improbanda, vt dicitur in Speculo eo titulo. Tu autem dicas Conceptionem illam, quæ fuit ex humano semine, non esse venerandam, & hoc est tenendum, quia fuit concepta in peccato originali, vt notatur de Consecratione distinct. 3. cap. Pronuntiandum. Post Conceptionem verò fuit immediatè Sanctificata, & ob hoc colit Ecclesia eius Natiuitatem. Hæc ille.* Verba autem Ioannis Andreæ, vt continentur in præallegato textu secundùm originalia impressa Venetiis anno 1589. in folio & 1505. & etiam manuscripta, quę extant in Bibliotheca Sancte Ecclesiæ Toletanæ, & Scorialis, loquendo de festiuitatibus feriandis, sic se habent: *Sanè Virginis gloriosæ, quæ sunt quatuor Annuntiatio in verè, Assumptio in æstate, Natiuitas in Autumno, Purificatio in Hyeme; festum autem Conceptionis passiuæ ipsius Virginis hic nō includitur, licèt in multis locis celebretur ex deuotione non improbanda. De hoc in Speculo eodem titulo post principium. Tu autem dicas, Conceptionem illam, quæ fuit ex humano semine, non celebrandam, & de hoc tenendum, quòd fuit in originali concepta, vt notatur de Consecratione distinct. 3. cap. 1. Sed post Conceptionem immediatè sanctificata, & ob hoc colit Ecclesia Natiuitatis festū.* Hæc est auctoritas illa adeò celebrata ab Aduersariis, atque toties repetita, tanquam suæ sententiæ non plus vltrà, de qua etiā Ioannes Calderianus, vt infrà num. 160. Etiam edidit Ioannes Andreas additiones super Speculum iuris, & incipit opus: *Ego Ioannes Andreæ huius speculi speculationem assumens, &c.* sed in Rubrica de Feriis nihil dicit circa Conceptionem, sed remittit se ad suprà posita verba.

Quoad litteram in proposita auctoritate aliqua sunt vitiata, parui tamen momenti, quę nō variant sensum, & potuerūt esse absq; malitia. Sed vbi Andreas: *Et de hoc tenēdum, quòd fuit in originali concepta*; ipsi sic, *& hoc est tenendū, quia fuit concepta in peccato originali.* Hæc vna adulteratio est, sed mutans omnem auctoritatis sensum, propter illud additum substantiuum verbum, *est*, & transmutationem, *quod*, in causalē, *quia*, & additionē *peccat.* Sensus ergo auctoritatis secundùm veritatē talis est: In quatuor Virginis festiuitatibus *festum Conceptionis ipsius non includitur, licèt* hoc festum *in multis locis celebretur.* Ex hac prima clausula nihil deducitur contra immaculatam Virginis Conceptionem, nisi quod tempore huius Scriptoris festiuitas Cōceptionis celebrabatur in multis locis. Quòd autem hoc Conceptionis festū non includatur in illis quatuor, certissimum est. Ex secunda ergo clausula indaganda est mens Andreæ. *Tu autem dicas*, dico etiam ego, & cū Andræa admoneo, *Conceptionem illam, quæ fit ex humano semine non venerandam* esse, quia illa conceptio fuit conceptio carnis, & Ecclesia non celebrat conceptionem carnis, *& de hoc* semine, seu carne, *tenendum est, quòd fuit in originali cōcepta.* Sic teneo iuxta Ioannis Andreæ sensum, quia fuit cum concupiscentia, & libidine genita à patre, & concepta à matre, *sed post Conceptionem*, & illud tempus destinatum à natura ad formandum fœtum, *immediatè sanctificata fuit, & ob hoc colit Ecclesia Natiuitatis festum.* Hęc est ad litteram mens Ioan. Andreę, sed ex his nihil contra nos; quia ipse solum contendit docere, quòd conceptio seminis, facta die 8. Decembris, non erat celebranda: quia illa Conceptio fuit in originali, & fortè in originalibus. Sume ergo Conceptionem, vt sumebant antiqui, & hìc expressè sumit Andræas pro generatione carnis, & non pro animatione, vt tu vis. Et remanebit quæstio de immundo conceptum semine, munda, sancta. & immaculata.

IOANNES Apistrin, Ordinis Minorum, de auctoritate Papæ Tertio, in principio. *Ita Paul. Gryfald. Alphab. 6.*

VERITAS 152.

VNICVS Bonus vir Paulus Gryfaldus adducit hunc Auctorem, sed nullam auctoritatem: solùm enim habet hęc verba in classi de Ordine Fratrum Minorum littera I. Auctore vltimo: *Ioannis Apistrin, de Auctoritate Papæ 3. in principio.* Et nihil amplius. Demus totum hoc fuisse vitium Typographiæ, quantum ad litteram: nam loco Ioannis Capistrani, composuerunt Apistrin: at prætermittere auctoritatem, non potuit esse error Typographiæ. Sed vt videat mundus, quo fundamento adducitur Beatus Ioannes Capistranus (cuius vitam, & Elogia videre poteris apud Annalistam Ordinis Minorum, Martyrologium Franciscanum, Myræum, & alios) pro hac sententia. In Tractatu de Auctoritate Papæ, parte 3. ad finem, qui extat inter Tract. Iuris, Tomo 13. parte 1. folio 64. columna 4. sic inquit: *Tunc dicendum, quòd ex gratia diuina potest quis passiuè sanctificari in vtero matris, in tantùm quod nūquam actualiter peccet mortaliter, sed tamen ex libertate arbitrij poterit peccare venialiter, sicut credimus de Hieremia, de quo scriptum est:*

Priusquàm te formarem in vtero, noui te, & antequã exires de ventre, sanctificaui te. Ierem. 1. & de Ioann. Baptist. Lucæ 1. Et Spiritu Sancto repelebitur adhuc ex vtero matris suæ. Et tamen August. de obitu Sanctorum dicit: Si omnes Sancti, qui fuerunt ab initio mundi, & erunt vsque in finem congregati, interrogarentur, quis eorum esset sine peccato: puto, quòd omnes dicerent illud, quod Ioan. Euangelista dixit, 1. Ioan. 1. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est, excepta Virgine gloriosa, de qua cum de peccatis agitur, nullam prorsus volo fieri mentionem, ob reuerentiam Domini. Ecce in tãtam generalitatem solam excepit Virginem, quæ nec primam similem visa est, nec habere sequentem; de qua scriptum est: Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus, & in alio Psal. Surge Domine in requiem tuam, tu, & Arca sanctificationis tuæ. Superabundauit enim in ea plenitudo diuinæ gratiæ super omnes creaturas. Vndè Gabriel eam salutans, dixit, Lucæ 1. Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Et infrà: *Spiritus Sanctus superueniet in te, &c. Vndè Albertus Magnus in 4. Compendij Theologiæ veritatis, tractãs de sanctificatione materna dicit: Sanctificatio triplex est. Quædam communis, vt quæ fit per Sacramenta. Quædam specialis, vt quæ fit per gratiam Spiritus Sancti. Quædam specialissima, vt quæ fit per gratiam singularem; prima remouet culpam, & confert gratiam, remanet tamen fomes, & pronitas ad peccandum, & talis est in baptis. Secunda, remouet culpam, & pronitatem peccandi mortaliter, & talis fuit sanctificatio Hieremiæ, & Ioannes Baptistæ. Tertia, remouet culpam originalem, & pronitatem peccãdi, tàm venialiter, quàm mortaliter, & talis fuit sanctificatio Beatæ Virginis, &c.* Et prosequitur B. Ioan. Capistranus latissimam auctoritatem Alberti, ac tandèm dicit: *Hæc Albertus: cui circa subiectam materiã, ad propositum Papæ, assentio, & adhæreo, licèt de Cõceptione B. Virginis Ordo meus aliter sentiat, de quo passu alibi dixi, scilicèt, in Tractatu de Conceptione B. Virginis. Patet igitur ex prædictis, quòd solus Deus, per naturam est impeccabilis; per gratiam autem, præter Christum, soli Virgini Mariæ concessum est, omninò fuisse impeccabilem, sed ea quæ singulariter ex priuilegio specialissimo concessa sunt vni, non possunt extẽdi in exemplum aliorũ, &c.* Vide ergo, quo fundamento, & veritate adduxit Grysaldus B. Capistranum pro sua sententia, quando ipse expressè affirmat, quòd assentit, & adhæret Alberto quantum ad Papæ materiam, non verò quoad Conceptionẽ Virginis, quia Ordo suus Minorum aliter sentit, vt ipse docuit in Tractatu speciali à se edito de Cõceptione. Ex his patet, & detegitur falsitas Grysaldi, & cauillatio. prætermittendi auctoritatem. Et sit pro confirmatione, quòd ego cùm essem Romæ, vidi in S. Petro, in monte Aureo apud R. P. Hieronymum Procuratorem canonizationis B. Capistrani, opera eius originalia manuscripta, in 3. tomis, & in Indice erat Tractatus iste Conceptionis, sed in opere auulsus, remanente signo extractionis violentæ, & furtiuæ, quia aliquis, deuotus imprudens, ob deuotionem, vel curiositatem, illum extraxit. Nota insuper, quòd hic Capistranus attribuit illud Compendium Theologiæ veritatis Alberto Magno, quo manet confirmatum, quod dixi supra num. 124. & in Thoma de Suetonia, num. 299. vide ibi, Insuper Bernard. de Bustis Serm. 5. Concept. part. 1. folio 56. colum. 2. adducit Sermonem B. Ioannis de Capistrano, de immaculata Conceptione, & transcribit ex ipso aliqua verba: & idem facit Serm. 6. part. 1. folio 56. Ex quibus omnibus constat, quo fundamento, ac veritate fuerit adductus B. Ioann. à Capistrano: nisi velint dicere, quòd fuit alius Ioannes Apistrin Minorita, quòd esset ridiculum.

IOANNES Baconitanus, Ordinis Carmelitarum, in 4. Sentent. dist. 2. quæst. 4. art. 1. & 2. & 3. & in Quodl. quæst. 12. *Ita Paul. Grysald. Alphab. 8.*

VERITAS 153.

IOANNES Baconius, vel Anglicè Bacondorpius, Ordinis Carmelitarum, Doctor Parisiensis, qui floruit ad annũ 1346. scripsit plura, præcipuè in Sententias opus impress. Mediolani 1510. Parisiis, Venetiis, & nouissimè Cræmonæ 1618. Hic præcessit Turrecrematam, Bandellum, & alios Scriptores Ordinis Prędicatorum, & nullus illorum ausus est adducere Baconiũ pro sua opinione, videntes istum clarè, & expressè tenuisse nostram sententiam. At Paulus Grysaldus, qui nouissimè omnium scripsit, volens aliquos Doctores superaddere non adductos à suis prędecessoribus, ex proprio marte, & cerebro adiecit nonnullos, sed ferè omnes sunt ridiculi, ac vani, vt videre est supra num. 11. & num. 24. ac num. antecedenti, & coniuctim videbimus infrà præcipuè num. 307. Grysaldus nullam adducit auctoritatem, & sic nec ego transcribam, sed solùm referam titulos quæstionum, & articulorum, vt ex ipsis colligatur, Grysaldum sine fundamento, & veritate locutum fuisse. Verba autem Baconii reperiet Lector in nostra Militia contra malitiam originalis peccati, & etiam in Eusęb. Nieremberg, in libro Exception. cap. 26. folio 474. in Appendice speciali.

Baco-

Baconius ergo in prælallegato 4. Sentent. quæſt. 3. cuius titulus eſt: *Vtrum B. Virgo concepta fuerit abſque peccato originali*, cuius reſolutiones ſunt Artic. 1. *Probat ſecundùm ſtatutã Dei legem omnes contraxiſſe peccatum originale.* Articulo verò 2. *Oſtendit, ſolùm Chriſtum non habuiſſe neceſsitatẽ cõtrahendi peccatũ originale.* Artic. autem 3. *Probat B. Virginem non contraxiſſe de facto peccatũ originale.* Artic. 4. *Soluuntur dubia contra ſanctitatem Conceptionis B. Virginis.* Artic. 5. *Oſtendit Conceptionem Virginis eſſe celebrandam.* En omnes reſolutiones illius 3. Quæſtionis citatæ à Gryſaldo. In libro verò Quodlibetorum quæſtione 12. habente pro titulo: *Vtrum Chriſtus ſolus conceptus fuerit ſine peccato originali?* in 7. particula fol. 763 tenet cum S. Anſelmo, quòd etiã B. Virgo fuerit abſque originali peccato, & ſic conſequenter quæſt. 14. inquirit: *Vtrum Conceptio Matris Chriſti ſit celebranda?* Vbi expreſsè affirmat eſſe celebrandam. Ab his collige, quo fundamento adductus fuerit. Quibus ſuperadde, quòd etiam in 2. Sent. & in 3. ventilat Baconius hanc quæſtionem de Conceptione Virginis. Et quia opera iſtius Auctoris ſunt communia, ideò de illis hoc parum dico. In 2. Sentiarum diſt. 30. quæſt. vnica inquirendo: Quomodo peccatũ tranſeat in omnes poſteros Adæ, Artic. 2. fol. 642. poſita opinione Aureoli, & Scoti, quòd B. Virgo Maria non contraxit de facto peccatum originale, inquit: *Contra hanc ſententiam excludendo reſponſionem aliorum, qui dicunt de B. Virgine, quòd nunquã contraxit formaliter, & actualiter, ſed magis quaſi diſpoſitiuè, & virtualiter, ſcilicèt, in quantum habuit neceſsitatem contrahendi: arguo tripliciter.* Item Artic. 3. inquirendo. An poſsibile fuerit, B. Virginem peccatum originale non contraxiſſe? inquit: *Vbi ſciendũ eſt, quòd de potentia Dei abſoluta fuiſſet poſsibile, quòd B. Virgo nunquam contraxißet: cuius probatio eſt, &c.* Item in 3. Sent. diſt. 3. quæſt. 2. ſub hoc titulo: vtrum oppoſitio, quæ eſt inter culpam, & gratiam, impediat, quòd B. Virgo non potuerit eſſe in peccato originali ſolùm per inſtans? *Et probatur, quòd non potuit eſſe per ſolum inſtans in peccato originali* à fol. 30. vſque 36. Item in 4. Sent. diſt. 2. quæſt. 3. fol. 306. vtrũ B. Virgo concepta fuerit abſque peccato originali? In qua probat, quòd ſecundùm ſtatutam Dei legem omnes contraxerunt peccatum originale, excepto Chriſto, qui non ſolùm à culpa originali fuit exemptus, ſed etiam à neceſsitate contrahendi. Articulo verò 3. inquirit: An neceſsitas contrahendi peccatum originale in B. Virgine fuerit ſtatim extincta? cui dubitationi ſic reſpondit: *Vbi dico, quòd mox per priuilegium ſpeciale, in hora Conceptionis, fuit cauſa, & neceſsitas cõtrahendi originale in Matre Dei extincta, vt de iure priuato illa in anima non cõtraheret originale, quo notatur culpa, & macula in anima, licèt alibi attendens ad ius commune, aliter dixerim.* Et exactiſsimè probat, priuilegiatam, & exemptam fuiſſe Virginem Mariam à lege communi, & peccato originali in primo inſtanti ſuæ animationis. Ex quibus conſtat, quòd illa, quæ hic Auctor dixit in 2. Senten. vel Quodlibetis, fuerunt loquendo de lege communi, vt ipſemet hic notat. Deindè Artic. 4. ſoluit dubia contra ſanctitatem Conceptionis B. Virginis. Et Artic. 5. oſtendit, Cõceptionem B. Virginis eſſe celebrandam. Deindè quæſt. 4. inquirit: Vtrum ſi B. Virgo maculam originalẽ contraxiſſet, eius Conceptio celebranda eſſet? Et Artic. 1. probat: *Quòd dato etiam, quòd B. Virgo concepta fuiſſet in peccato originali, eius tamen Conceptio eßet celebranda.* Artic. vero 2. oſtendit, feſtum Conceptionis B. Virginis eſſe celebrandum die 8. Decembris. Et Artic. 3. oſtẽdit, debere Eccleſiam Romanam præcipere generaliter celebrationem Conceptionis B. Virginis Mariæ. Quæ omnia reperies à fol. 306. vſque 317. Item in Quodlib. lib. 3. quæſt. 13. ſub hoc titulo. Vtrum ſolus Chriſtus conceptus fuerit ſine peccato originali? Ad quam quæſtionẽ reſpondit per ſeptem particulas ſequentes. Prima particula eſt, quòd Deus de plenitudine poteſtatis poterat B. Virginẽ Mariam præſeruare, ne peccatum originale contraheret. Secunda, quòd Virgo Maria, vt filia Adæ, id eſt, per concubitum genita, non potuit de potentia Dei ordinaria præſeruari, quin contraheret neceſsitatem ad originale. Tertia, quòd ſolus Chriſtus eo quòd de Spiritu Sancto conceptus, hanc habuit excellentiam, quòd nec contrahere potuit originale peccatum, nec de facto contraxit. Quarta, eſt, quòd dicere, quòd B. Virgo fuit priuilegiata, nè de facto contraheret originale, temerarium eſt, & contra Canonẽ Bibliæ. Quinta, quòd dicere, quòd B. Virgo fuit priuilegiata, nè de facto contraheret originale, temerarium eſt, & contra Canonicas, ſanctiones Decretorum, & Sedis Apoſtolicæ. Sexta, quòd dicere, B. Virginem priuilegiatam eſſe, nè originale contraheret, temerarium eſt contra Sanctos. Septima: *Quòd quamuis contraxit originale, vt eſt filia Adæ, & deſcendit per carnalem generationem, tamen vt prædeſtinata fuit futura Mater Chriſti, tenet Anſelmus, quòd non contraxit, in tractatu, qui intitulatur, de Conceptione B. Mariæ Virginis, & iſtum librum inueni primo in domo Fratrum Minorum Cantabrugen. Et poſteà inueni Pariſiis eũdem tractatum in manu vnius communis Stationarij, & incipit liber ſic: Principium, quo ſalus, &c.* Et hanc particulam probat Baconius quinque rationibus. Item quæſt. 14. inquirit, vtrum Conceptio Matris Chriſti, ſit celebranda? Et reſoluit, quòd eſt celebranda. Vide ibi.

Deni-

Denique Ioannes Baconius ſcripſit integrũ opuſculum pro Immaculata Virginis Conceptione, continens libros tres, vt referunt Balleus fol. 136. & Pitſeus fol. 463. ambo Doctores Angelici, & hoc etiam affirmant alii quam plures, & talis liber ſecundùm omnes incipiebat: *Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram.* Et ſi credendum eſt Pitſeo Auctori veridico, etiã edidit alium librum de eadem Conceptione, cuius principium erat: *Conceptio carnalis B. Mariæ.* Cùm ergo Baconius ediderit pro Immaculata Conceptione quæſtiones duas, & libros duos, & ſuper Sententias expreſsè teneat noſtram ſententiã, neſcio quid cogitabat Gryſaldus, quando ipſum citauit in 3. Sent. licèt in 4. & Quodlibetis videatur varius?

IOANNES Balbus Ianuenſis, Ordinis Prædicatorum, in ſuo Catholicon, littera: Virtus. & in nomine, Maria. *Turrecrem. cap. 29. fol. 120. Anonym. Auctor. 82. Bãdel. cap. 23. Dexa fol. 42. Vincent. & Gryſaldus.*

VERITAS 154.

NOTISSIMVS Hic, atque ſatis celebris Auctor eſt, propter illud inſigne opus, & omni laude dignũ Catholicon appellatũ, impreſſum Venetiis anno 1495. & 1487. ſemper in fol. Primã huius auctoritatem ſic adducunt Aduerſarii: Itẽ, ad idem eſt eiuſdem Ordinis Venerabilis Pater Ioannes Ianuenſis, in ſuo Catholicon vocabulo Virtus, vbi diſtinguens multiplicem plenitudinẽ gratiæ, ita dicit: *Alicui data eſt gratia, quæ non ſolùm mortalia, ſed & venialia repelleret, & hæc eſt plenitudo ſingularis prærrogatiua, quæ fuit in B. Virgine, ſecundùm quã plena fuit Deo, vt in ea nihil eſſet, quod ad Deum non ordinaretur. Sed in Chriſto vlteriùs data eſt gratia, perficiens ipſum, non ſolùm quantùm ad omnes vſus virtutum, & quantùm ad omnes effectus gratiæ gratis datæ, ſed etiam quantùm ad omnẽ peccati remotionem, non ſolùm actualis, verum etiã originalis, & potentiã peccandi. Hæc eſt plenitudo ſingularis Chriſti. Hæc ille.* Hæc auctoritas in vltimis verbis, in quibus ſitum eſt totum pondus ſententiæ vitiata eſt: nam præallegato verbo: Virtus, fol. 305. col. 4. ſic Ianuenſis: *Sed in Chriſto vlteriùs data eſt gratia perficiens ipſum, non ſolùm quantùm ad omnes virtutes, ſed etiã quãtùm ad omnes vſus virtutũ, & quãtũ ad omnes effectus gratiæ gratis datæ, & iterum ad omnem peccati remotionem, non ſolùm actualis, ſed etiã originalis, & potentiam peccandi: non enim peccare potuit, & hæc eſt plenitudo ſingularis Chriſti.* Abſtulerunt ergo illud, *non ſolùm quantũ ad omnes virtutes*, & tranſmutarunt illud, *& iterũ, in, ſed etiam.* Tandẽ præcipua auctoritatis adulteratio cõſiſtit in omiſsione illius clauſulæ, *non enim peccare potuit.* Nam ſingularitas plenitudinis gratiæ Chriſti ſecundùm Ianuenſem, conſiſtit in hoc, quod nec habuit potentiam, nec potuit peccare. Et ideò ipſi Aduerſarii prætermiſerunt illam clauſulam, *non enim peccare potuit*, vt ſic plenitudinis ſingularitas caderet ſuper antecedentem clauſulam, *verum etiam originalis*: verba igitur Ianuenſis faciunt ſecundũ veritatem hunc ſenſum: Gratiæ perfectio habet hæc tria, remouere actuale, remouere originale, & remouere potentiam peccandi actualiter, vel originaliter: Virgo Maria fuit plena gratia, ita vt nihil in ea eſſet, quòd ad Deum non ordinaretur; at non habuit omnem plenitudinem poſsibilem gratiæ, ad peccati remotionem, non enim habuit vltimam, quia peccare potuit actualiter, & originaliter; Chriſti vero plenitudo fuit ſingularis, & vnica, quia non ſolùm habuit primas duas, ſicut Maria: ſed etiam habuit: *remotionem, non ſolùm actualis, ſed etiam originalis, & potentiã peccandi: non enim potuit peccare. Et hæc eſt plenitudo ſingularis Chriſti.* Quid clarius? Cùm ergo hìc non inquiramus de tertia, quia hoc ad controuerſiã vocare, eſſet blaſphemia; cùm ſolus Chriſtus habuerit impotentiam peccandi, & Ianuenſis concedat Virgini primam, & ſecundam, nullo modo eſt contra nos, ſed pro nobis.

Secundam auctoritatẽ ſic adducunt: *Et eiuſdem ſententiæ eſt in vocabulo, Maria,* & nõ trãſcribunt verba Ianuenſis, & hoc non proceſsit ex virtute, ſed quia præuiderunt illa nullius eſſe momenti ad probandum ſuum intentum. Verba autem, fol. 196. col. 1. verbo: Maria ſic ſe habent: *Sermonem autem Syro Maria Domina nuncupatur, & hoc pulchrè; quia omniũ Dominum genuit, & fuit Virgo Maria antè ſancta, quàm nata ex vtero. Et ſcias, quòd ſanctificatio B. Mariæ Virginis excellentior fuit ſanctificationibus aliorum; quòd ſic patet: in ſanctificatione enim, quæ fit per legem communem in ſacramentis, tollitur culpa, ſed remanet fomes, ſcilicet, quòd eſt inclinans ad peccatum mortale, & veniale; ſed in ſanctificatis ex vtero, non manet fomes ſecundùm quod eſt inclinans ad mortale, ſed tantùm remanet inclinatio fomitis ad veniale, vt patet in Ieremia, & Ioanne Baptiſta, qui peccatum actuale habuerunt, non autẽ mortale, ſed veniale. Sed in B. Virgine inclinatio fomitis omnino fuit ablata, & quantùm ad veniale, & quantũ ad mortale; & quòd plus eſt, gratia ſanctificationis, vt dicitur, non tantùm repreſſit motus illicitos in ipſa, ſed etiam in aliis, &c.* Neſcio, ex qua particula huius auctoritatis colligant Aduerſarii, Ianuẽſem iuũ tenuiſſe opinionẽ, niſi dicant, quòd vocat Mariam ſanctificatam, & ante ſanctam, quàm natã ex vtero; ſed totũ hoc concedimus liben-

libentiſsimè: Nam Maria fuit verè, & realiter ſanctificata, & ſancta, antequàm naſceretur ex vtero. Et non ſolùm hoc, ſed etiam concedimus, quòd fuit ſanctificata quando fuit nata in vtero, nec anteà fuiſſe ſanctam, quia antequàm naſceretur in vtero, non erat Maria, & adhuc totum hoc non atringit quæſtionem: ergo auctoritates iſtæ Ianuenſis nihil probant, & illum adducere fuit ſolùm ad palearum multiplicationem.

IOANNES Beleth, vel Valeti in Summa ſua de Diuinis Officiis Rubrica de Aſſumptione B. Virginis. *Turrecrem. cap. 28. fol. 12. à tergo. Anonym. Auctore 164. Bandel. cap. 20. Deza fol. 35. Vincent. Capreolus. Soncinas.*

VERITAS 155.

HIC Auctor, & Doctor, antiquus Pariſienſis, Ioannes Beleth, non Valleti, vt dicit Turrecrem. claruit ann. 1162. & ſcripſit opus de Diuinis Officiis, impreſſum Antuerpiæ 1553. & Venetiis 1563. in 16. ac nouiſsimè Lugduni cum Rationale Diuinorum Officiorum Guillielmi Durandi ad finē, & extat in Bibliotheca Regia Scoriali manuſ. Plu. IV. D. 28. incipit: *In primitiua Eccleſia.* Huius igitur auctoritatem ſic adducunt Aduerſarii: Idem tenet Ioannes Beleth, Doctor antiquus in Sūma ſua de Diuinis Officiis, Rubrica de Aſſumptione B. Virginis, ſic dicens: *Feſtum Cōceptionis B. Virginis quidam aliquando celebrarunt, & fortè adhuc celebrant, ſed non eſt authētica illa feſtiuitas, imò videtur, & eſt prohibēda, & hoc ideò, quia B. Virgo fuit in originali peccato concepta, ſicut alij. Hæc ille.* Auctoritas verò Belethi cap. 146. de Aſſumptione fol. 560. ſic ſe habet: *Notemus, hìc quinque eſſe feſta Mariæ Virginis authentica, & comprobata, quorum primum eſt Natiuitas; feſtum enim Conceptionis aliqui interdum celebrarunt, & adhuc fortaſsis celebrant, ſed authenticum, atque approbatum non eſt, imò enimuero prohibendum potiùs eſſe videtur, in peccato namque concepta fuit. Alterum verò eſt Parientis; hoc eſt, in Natali Domini, &c.* In hac parua auctoritate Venit ventilator vt demoliatur terram eius.

Primo hæc auctoritas nō eſt in Rubrica de Cō ceptione, vt dicit Anonymus, quia talis Rubrica non eſt in libro Belethi. Secūdò, cauillosè pretermiſerunt illa prima verba: *Feſta Mariæ Virginis authentica, & comprobata, &c.* vt ſic auferrent correlatiuum ab illis infrà poſitis verbis: *Sed authenticum, atque approbatum non eſt:* Intelligentia enim horum pendet à ſuperioribus. Aliud enim erat dicere, tempore illo, quo ſcripſit Belethus: feſtum Conceptionis non eſt authenticum, & comprobatum, abſolutè, & ſimpliciter dictum; facit enim diuerſum ſenſum, quàm dicere; Natiuitas Virginis, & eius Partus, &c. ſunt authentica, & approbata, non ſic Conceptio, quia vnum loquitur de feſtiuitate, aliud de myſterio. Tertiò, eadem intentione pretermiſerunt illud, *Quorum primum eſt Natiuitas.* Quartò, vbi Belethus, *Aliqui interdum*; ipſi, *quidam aliquando*, quæ etiam diuerſa ſunt. Quinto, vbi Belethus, *Sed authenticum, atque approbatum non eſt*; ipſi ſic, *ſed non eſt authentica illa feſtiuitas*, tacentes illud, *approbatum*, & addentes illud, *feſtiuitas*. Sexto, vbi Belethus, *Imò enim verò prohibendum potiùs eſſe videtur*; ipſi ſic, *Imò videtur, & eſt prohibenda*, indeterminationi enim dubitatiuæ, *videtur*, addiderūt illud aſſertiuum ſubſtantiuum, *eſt*. Septimo, addiderunt ex proprio cerebro, *Et hoc ideò; quia B. Virgo*, nota illas duas reduplicatas cauſales, *ideò*, &; *quia*. Octauo, vbi Belethus, *in peccato namque*; ipſi addiderunt, *in originali* peccato, vt ſic verba, quæ locuntur de peccato generationis, patrato die 8. Decembris, dirigerent ad animationem. Nono, abſque vllo timore addiderunt illud, *ſicut alij*, vt ſic totum euomerent virus. Si ergo in vna auctoritate, habente ſolùm quindecim verba (licèt dictiones omnes ſint triginta) ſunt nouem vitia, & adulterationes, imo adde decimam, quia huius auctoritas eſt etiā multiplicata in Sichardo Cremonenſi, vt videre eſt num. 285. ſaltem nunc intelligite, quas, & quātas operati ſunt, &c. in aliis.

Quantum verò ad genuinum ſenſum verborum Ioannis Belethi, dico, quod hic ſcripſit ferè temporibus S. Bernardi, quando omnes antiqui Scriptores impugnabant illam feſtiuitatem celebratam die 8. Decembris, exiſtimantes, quod Eccleſiæ & Fideles ſub nomine Conceptionis feſtiuabant generationem carnalem Mariæ illo die factam: Dicebant enim: ſi in die Natiuitatis celebrat Eccleſia ipſam formalem Natiuitatem, & in die Partus ipſam parturitionem: ergo in die Conceptionis, die 8. Decembris, celebrant ipſam generationem illo die factam; at illa Conceptio, ſeu generatio celebrari non debet, imò enimuerò prohibenda potiùs videtur, quia in peccato concepta fuit. Si hæc fuit mens Belethi, vt eſt ſecundùm rei veritatē, optimè dicebat, ſed nihil contra nos. Aduerſarii verò transferunt dicta de conceptione carnali ad animationem, & ſic videtur pro ipſis prima facie. Cùm ergo neque ex antecedentibus, neque ex conſequentibus poſsimus colligere veritatem, nec iam ipſe poſsit ſe explicare, ego probo ex tribus capitibus locutum fuiſſe de conceptione carnis, facta die 8. Decembris non de conceptione animæ, de qua eſt controuerſia. Primò, quia Belethus loquitur in illo capitulo de diebus feſtis, ac ipſorum celebratione,

ne, secundùm mysteria, quæ in ipsis diebus contigerunt: ergo loquitur etiam de die 8. Decembris, secundum illa quæ in ipso fuerunt facta: at hæc est copula Ioachimi, & Annæ, & conceptio carnis Mariæ, quæ fuit in peccato: ergo de ista loquitur, non de animatione. Secundò, quia omnes antiqui vocabant illam primam generationem carnis, conceptionem, quorum dedimus suprà euidentia exempla, & dabimus alia infrà: ergo in illo sensu loquebatur etiam Belethus, non de animatione. Tertiò, si locutus est pro vestra opinione, ad quid opus erat in hac breui auctoritate addere tot vitia, & cauillationes, vt ab euidenter veris, per breuissimas illas mutationes, disputatio ad ea quæ euidenter falsa sunt, perduceretur?

IOANNES De Biblia, vel de Bublia, vel Bablio, Bononiensis, Ordinis Prædicatorū, in Quodlib. 14. quæst. 1. Art. 4. & Quodl. 19. quæst. 1. artic. 2. & in Quodlib. quæst. 13. & quæst. 29. *Anonym. via 3, Auctore 76. Bandel. cap. 23. Deza fol. 41. Vincent. Gryfald.*

VERITAS. 156.

QVANTVM Ad istum Auctorem existimo, penitùs fuisse fictum ab vno Bandello, quia licèt aliqui Nomenclatores Neotherici, Ordinis Prædicatorum, de ipso mentionem faciant, Anton. Senensis fol. 136. Leander Albertus lib. 4. & Placentinus fol. 382. & hic dicat floruisse circa annum 1300. Tamen nullus Auctor Ecclesiasticus antiquus, vel modernus ex extraneis, aliquā de ipso mentionem facit; imò, quòd magis mirandum est, quòd cùm hic fuerit Bononiensis, vt omnes fatētur Aduersarii, in Bibliotheca Bononiensi, Ant. Bumaldi aliàs diligentissimi Nomēclatoris, nulla extat talis Scriptoris memoria: ergo existimādū erit, illum non fuisse in rerum natura. Et confirmatur ex differentia nominis, nam aliqui vocant de Bublia, alii de Biblia, & alii de Bablio. Nec etiam in citationibus conueniunt; quia illum Anonymus adducit sic: *In Quodlibeto suo, quæst. 13. & quæst. 29.* Bandellus verò, & alii: *In Quodlibeto 14. quæst. 1. & Quodlib. 19. quæst. 1.* En quatuor citationes diuersæ penitùs incompatibiles: ergo est signum, quòd nec viderunt Auctorem, nec auctoritates. Quibus adde, quòd Turrecremata de hoc nullam facit mentionē. Ex quibus omnibus existimo, Auctorem fuisse fictum, vel saltem nullius nominis, vel auctoritatis, & cum eius opera non fuerint typis mandata, quid dicemus?

Primam auctoritatem sic adducunt Bandellus, & Vincentia: Idem tenet Magister Ioannes de Bublia Bononiensis, Doctor Parisiensis in Quodlibeto 14, quæst. 1. artic. 4. sic dicens: *Beata Virgo, & omnes alij, præter Christum, concepti sunt in peccato originali, quia omnes præter ipsum, per virtutem seminalem, ex cōcubitu viri, & mulieris sunt generati, & hoc expressè dicit Augustinus, in 10. super Genesi ad litteram. Hæc ille.* Nihil temerarie vellem dicere, sed ex aliis auctoritatibus à Bandello fictis dico atque affirmo, hanc esse suppositam, quia sapit eius stylum, sed veritas super omnia: illam ostendant.

Secundam sic adducūt: Idem in Quodlibeto 19. quæst. 1. artic. 2. sic dicit: *Beata Virgo contraxit originale peccatum, quia natura humana in ipsa fuit traducta per virtutem seminalem à parentibus decisam, & hoc expressè dicit Gregorius, & Augustinus, & Anselmus. Hæc ille.* & ego dico: Hoc Bandellus; quia ex omni parte hæc auctoritas videtur fabricata hic, & nunc, secundùm subiectam materiam. Et dato, quod esset Ioannis de Bublia, qua veritate potuit Auctor ille dicere: *Et hoc expressè dicit Gregorius, & Augustinus, & Anselmus?* Adduximus suprà omnes auctoritates prædictorum Sanctorum, sed in illis nullo modo inuenies illam primam clausulam: *Beata Virgo contraxit originale peccatum*, neque secundam. Ergo *expressè*, vel Bādellus, vel Bublia locuti sunt falsa. Ostendant ergo suum Ioann. de Biblia, vel totum hoc reputabitur pro mera fictione, ac falsitate. Et quā do ostenderint, interrogabimus ei, ex qua familia es tu, &c?

IOANNES Bosnienſis, vel Bosnienſis, Ordinis Prædicatorum, in 3. Sent. dist. 3. *Ita Bandel. cap. 23. Deza fol. 40. Vincent. & Gryfald.*

VERITAS 157.

HIC Incipiunt huius Auctoris mysteria, ab Aduersaris, non quomodocumque multiplicati, sed septies sub diuersis nominibus, & septies sub eadem auctoritate ad suam aream adducti. Et vt hoc mathematicè demonstretur, priùs indagādum est, quis hic fuerit? Ioan. ergo Trithemius fol. 65. sic inquit: *Ioannes, nomine, & natione Theutonicus, ex ciuitate Friburgensi oriundus, Episcopus Bosnienſis in Hungaria, Ordinis Prædicatorum, &c. Post Raymundum Generalis Magister Ordinis constitutus, multa bona fecit, scripsit notabilem Summam Confessorū, & alia.* Gesnerus fol. 502. col. 4. inquit: *Ioannes nomine, & natione Theutonicus, Ordinis Prædicatorum, Friburgo oriundus, Episcopus Bosnienſis in Vngaria, scripsit Summam Confessorum, lib. 5. Et*

Appa-

Apparatum circa textum Decreti, Tabulam ſecundùm ordinem Alpheti, ſuper Summam Raymundi: Item ſuper Apparatum Raymundi, &c. Nominatur etiam Gloſſator Decreti, &c. S. Antoninus, 3. par. Hiſt. titul. 13. cap. 12. §. fuerunt, fol 648. inquit: *Quartus Magiſter Ordinis ſucceſſor Raymundi fuit Frater Ioannes Theutonicus, qui priùs fuerat Epiſcopus Boſsinienſis in Hungaria, &c.* Alphonſus Placentinus in ſua Concertatione fol. 389. inter Auctores Germanos inquit: *Ioannes Friburgenſis, candidis moribus ornatus, Epiſcopus Boſsinienſis, &c. ſcripſit ſuper 4. libros Sententiarum. Gloſſas etiam ſuper totum Decretum, ſcripſit Summam notabilem, in quinque libros diſtributam, &c.* Eadē verba habet Antonius Senenſis, fol. 134. de quo nos alibi num. 193. Et etiam in Prologo Summæ Raymundi. Ex his, & aliis breuitatis cauſa omiſsis conſtat pro veritate infallibili, hunc Auctorem, ex nomine, *Ioannes*, ex natione, *Theutonicus*, ex patria, *Fribugenſis*, ex propria appellatione, & cognomine, *Moneta* (vt infrà dicam num. 219.) ex Religione, *Dominicanus*, & ex dignitate, Epiſcopus *Boſnienſis*, & per Antonomaſiam vocatus, *Gloſſator Decreti*, ſiuè, *Compilator Summæ Canonicæ*, ſcripſiſſe Sūmam Cōfeſſorum Gloſſas ſuper Sētentias, & ſuper Sūmā Raymundi Apparatum, &c. Ergo hic Auctor, eſt ſeptemplicatus, vt patet ad oculum.

Nam primo, hic adducitur vt Ioannes Boſnienſis Epiſcopus. Secundò, infrà num. 193. vt Ioannes Theutonicus, Ordinis Prædicatorum. Tertio, num. 192. vt Ioannes Theutonicus Canoniſta. Quartò, num. 219. vt Moneta Magiſter. Quintò, num. 173. vt Ioannes Gallicus Gloſſator Decreti. Sextò, auctoritatem eius adducūt ſub nomine Guillielmi Epiſcopi Metenſis, vt vidimus num. 109. Septimò, num. 125. Gloſſas huius tribunt Hugoni Ferrarienſi. Iſtæ multiplicationes ſunt certiſsimę; vbi nulla poteſt cadere dubitatio; de aliis verò, quæ ex probabiliſsima coniectura deducuntur, ſuis locis indicabimus. Vide infrà num. 165. in Ioanne Compilatore, & num. 183. in Ioan. Pariſienſi, etiam Ordinis Prædicatorum. Si autem non credis mihi, vide ſigillatim præallegatos numeros. Cùm ergo hic ſit ex Ordine Prædicatorum, ſeptem boues pulchræ, & ſeptem ſpicæ plenę ſunt, vobis boues tenues, & ſpicæ aridæ.

Sed reſtat nunc inquirere de veritate auctoritatis, quàm ſic adducunt Vincentia, & Bandellus. Idem tenet D. Ioannes Epiſcopus Boſsiniēſis in 3. Sent. diſt. 3. ſic dicens: *Beata Virgo fuit in originali peccato concepta, ſed ab eo, antequā naſceretur, fuit mundata. Hæc ille.* Vides, ò Lector! hanc breuem, atque clariſsimam auctoritatem, eſt ficta, & ſuppoſita, quia Ioannes Theutonicus, Epiſcopus Boſsinienſis non ſcripſit ſuper Sententias, & ſic multiplicauit Auctorem, & finxit auctoritatem Bādellus, vt alterum adduceret Doctorem pro ſua ſententia. Et hoc conſtat, quia nullus Nomenclator antiquus de tali opere mentionem facit, licèt referant omnia alia opera paruiſsima huius Auctoris; nec in hoc curandum eſt de Ant. Senenſi, nec de Placentino, quia cùm hic ſcripſerint poſt Bandellum, ſicut errarunt in multiplicatione, errarunt etiam ab ipſo decepti in libro Sententiarum. Deindè Auctor hic vixit ad annum 1250. & præceſsit Guillielmum de Ganaco, Capreolum, Turrecrematam, & Anonymum, qui ipſum citant in Summa Confeſſorum, & ſuper Decretum, & ſi tale opus eſſet ſuper Sententias, & ibi illa expreſſa auctoritas adducta à Bandello, abſque dubio ipſum ſaltem citaſſent. Dicant ergo Bandellus, & Vincentia: Ipſe cognouit figmentum noſtrum.

IOANNES Britius, Ordinis Prædicatorum in tractatu, quem compoſuit de Cōceptione B. Mariæ. *Bandel. cap. 23. Dezza fol. 42. à tergo. Petr. de Vincentia.*

VERITAS 158.

SVPPONENDO, Quòd nec Turrecremata, Anonymus, & Gryſaldus adducunt Auctorem iſtum, ſed tantummodo Bandellus, & Vincentia, nullam de ipſo referentes auctoritatem, quia ſolùm dicunt: *Idem tenet Magiſter Ioannes Brizy in tractatu, quem compoſuit de Conceptione B. Mariæ Virginis*, abſque aliquo alio ſigno, vel notitia; & quod nullus Nomenclator antiquus, vel moderaus adhuc ex ipſis Dominicanæ familiæ, magnam, aut paruam de tali Ioanne Briziomentionem faciat, nec talis tractatus de Conceptione ab aliquo alio Scriptore viſus, aut citatus inueniatur, difficile ſatis erit ad irrefragabile veritatis punctum æquare trutinam. Proponam tamen, qua potero breuitate, quidquid in re adeò obſcura inuenire potui in antiquis Scriptoribus.

Et in primis Robertus Gaguinus, Generalis Ordinis SS. Trinitatis, Doctor Pariſienſis in illo ſuo celebri tractatu metrico, edito anno 1497. Kalendis Octobris, contra Vincentium Bandellum de Caſtronouo: in Prologo ad vniuerſitatem Pariſienſem, cui illum dicauit ſic inquit: *Nam Theologicæ ſapientiæ, & laudis veſtræ eſt malorum veſtrorum grauis quondam in Ioannem de Monteſono diffinitio, cuius defenſorem Ebroicarum Pontificem Guillielmum pœnam ſimilis complexa eſt. Quos ad parem errorē ſecutus Ioannes Thomas veſtro examine damnationem accepit: Eodem exē Io Adam Sueſsio inæus plexus eſt. Nec veſtram Gaufridus de S. Martino cenſuram euaſit. Ioannes Adæ temeri-*

tas

tas erroris sui perfidiam vobis insequentibus ab negauit. Sed nunquid Ioannes Nicolai, Petrus de Canchero, Petrus de Cheriaco vestris disputationibus superati, publicè retractationis diffatione se insignes reddiderunt, & famosos, &c. Ex his Gaguini verbis constat de Magistro Ioanne de Montesono, & octo discipulis suis. Sed audi alium Scriptorem Gaguino antiquiorem, scilicèt, Alanum Parisiensem, qui scripsit circa annum 1392. in suo Defensorio contra eosdem Montesonistas lib. 3. coll. 7. quæ incipit. *Hoc fonte doctrinæ lapsus tibi contrarius Montesonista amaritudine sua magna, &c.* Posito hoc argumento: Quia si dicere, sacram Virginē fuisse sine originali est error in fide, & Ecclesia Catholica à magnis tēporibus sustinet, & permittit, imò fauet sic dicētibus: ergo se ipsam errare demonstrat in cap. qui alios, extra de hæreticis, & cap. error, & cap. sequenti, & cap. sentire, dist. 83. in Decretis. Ad hoc, inquam, argumentum factū pro nostra sentētia sic prosequitur immediatè Alanus. *Ad hoc argumentū benè scio, quòd aliqui ipsorū volūt dicere, quòd Fides Ecclesiæ solū manet in eis, & cōplicibus suis quòd benè probat Fidei cōstantia. Petrus de Palude noluit esse Martyr Constantinopoli, nec Ioānes Thomæ, nec Ioannes Adæ, nec Ioannes de Montesono, ista pati Parisiis pro fide voluerunt, &c.* Et infrà in eadē Collatione sic prosequitur: *Quintò arguitur via tēporis; quia quicunque suspecti, & notati in fide gladio anathematis feriuntur, si per annum in excōmunicatione perseueraverint, ipso facto tamquàm hæretici condemnantur, in cap. Excommunicamus, extra de hæreticis; sed iste cūm suis complicibus propter assertiones suas pessimas, fuit primò Parisiis excomunicatus, secundò per Sedem Apostolicā, de quo Parisiensis vniuersitas est munita, & plus quàm per annum in excōmunicatione extitit ergo, &c. Cōtra hæc dicta post fugā illius pestis fratrisque pestiferi Ioānis de Montesono fuerunt Parisiis tres opiniones. Prima fuit per Mōtisonistas aliqualiter defensata, & prædicata: Dicebant, quod sic dicere sicut dicit dictus Ioannes, erat Catholicum, & non hæreticum: probant, quia per sacram Scripturam, & per dicta Sanctorum fulcitum, & allegatum est collatione præcedenti: Sed ista via cessauit, tùm, propter condemnationem Vniuersitatis, tum, quia fautores pro maiori parte capti fuerunt in carceribus Episcopi Parisien. recluſi, quorum aliqui assertiones suas solemniter reuocantes, educti sunt, aliqui adhuc manent, &c.* De alio Montisonista mentionem facit Ioannes Vitalis lib. 3. quæst. 5. his verbis. *Item Vitalis Inquisitor Præsentatus Prædicatorum sic cōtra hoc arguit in Sorbonā: Hæc conclusio est contra dicta omnium Sanctorū approbatorum: ergo non est sanè posita consequentia: patet antecedens ducebat in quadam papyro, quod ibi propter rissum Scholæ expreßum non fuit, sed istæ auctoritates scribebantur in ea: primò Augustini de Baptis. paruulorum, &c.* Et refert auctoritates, quæ continebantur in schedulis porrectis Doctoribus in Sorbona, & fuerunt tantummodo tres, & omnes ex Sacto Augustino: quomodo enim no excitaret risum in Scola ille grauissimus Pater N. Vitalis Inquisitor Præsentatus, &c. si ad probandum hoc vniuersalissimum antecedēs. *Hæc conclusio est contra dicta omnium Sanctorum approbatorum*, adducebat solùm tres auctoritates ex solo, & vnico Augustino, quasi in isto clauderentur omnes Sancti approbati? autoritates vero erāt: Prima ex lib. de Bapti. Parnul. Secunda, de lib. 5. contra Iulian., Et tertia, ex lib. 4. super Genes. cap. 2. de quibus nos suprà Verbo, Augustinus num. 34.

Ex his ergo relatis à tribus Doctoribus Parisiensibus antiquis citatis, constat, quòd ex Ordine Prædicatorum inter alios suæ opinionis, acerrimos propugnatores fuerunt (illi Martyres, vt ipsi dicebāt) Ioannes de Mōtesono, Ioānes Thomas, Ioannes Adæ, & Ioannes Nicolai, & fortè alii, sed in his nec reliquis Scriptoribus inuenimus præallegatum Ioannem, Brizium, sed vltrà prōgrediendo, cum Ioannes de MonteSono, & IoannesThomæ scripserint tractus pro sua opinione, & isti non sint adducti ab Aduersariis sub expressis nominibus Ioānis de Montesono, vel Ioannis Thomæ, semper existimaui, quod vel vnus vocatus fuerit Ioannes Brizius de Mōtesono, vel alter Ioānes Thomas Brizius, & propter infrà dicendis Bādellus astutè occultauit cognomina nota, & produxit in lucem incognitum Brizium. Quòd Ioannes de Montesono scripserit tractatum de Conceptione, constat euidenter, tum ex articulis damnatis ab Vniuersitate Parisiensi, vt videre est ad finem Magistri Sententiarū, & Alanus coll. 8. inquit: *Contra hoc Ioannes de Montesono breuiter se expediēs in sua falsiloqua resumpta, &c.* Et coll. 6. inquit: *Præterea dicere, sacram Virginem non fuisse originali obnoxiam, non est hæreticum, &c. Contra ista, grandi clangore tuba rū insonuit Frater Ioannes de Monte Sono, Ioannes impropriè dictus, de Ordine Prædicatorum impropriùs in sua resumpta Parisiis, sic dicens: B. Maria Virgo, & Deigenitrix non cōtraxisse peccatum originale, est expressè contra fidem, &c.* Et sic passim loquitur contra ipsum, sicut etiam Ioannes Vitalis in suo Defensorio. Quæ verò, ac qualis fuerit huius doctrina, dicitur in tractatu: *aduersus errores Fratris Ioanis de Mōte Sono, Ordinis Fratrum Prædicatorum, nuper in Parisiensi studio condemnatos ex deliberatione Vniuersitatis studij Parisiensis, & specialiter Doctorum Baccalaureorum facultatis Theologiæ, &c.* In quo continentur sequentia verba. *Sed huic articulo opponuntur tria, quæ ponit dictus*

Fra-

Frater in ſupplicatione ſua, ſeu querela Domino Papæ expoſita, in qua ferè tot ſunt mẽdacia, quot ſunt verba. Et infrà in aſſertionibus, ſeu articulis reuocãdis ponũtur eius propoſitiones, quarum ſolùm tranſcribo, quæ ad præſens pertinẽt inſtitutum, de quibus egimus in Triturat. num. ix. & in Ventilabro, §. 1. *Decima. Non omnẽ hominẽ præter Chriſtum contraxiſſe ab Adam peccatum originale eſt expreſsè contra fidem. Et hæc damnatur reuocãda tanquã falſa, ſcandaloſa, & piarum aurium offenſiua, & præſumptuosè aſſerta, non obſtante probabilitate quæſtionis: vtrum B. Virgo fuerit in peccato originali concepta. Vndecima. B. Mariam Virginẽ, & Deigenitricem non contraxiſſe peccatũ originale, eſt expreſsè contra fidem. Et hæc condemnatur reuocanda tanquam falſa, & ſcãdaloſa, præſumptuosè aſſerta, & piarum auriũ offenſiua. Duodecima. Tantũ eſt cõtra ſacram Scripturã, vnum hominẽ eſſe exemptum à peccato originali, præter Chriſtũ, ſicut ſi decem homines ponerentur exẽpti. Et hæc condemnatur ſicut præcedens, reuocãda tanquam falſa, ſcandaloſa, præſumptuosè aſſerta, & piarum aurium offenſiua. Tertiadecima. Magis eſt expreſsè contra Scripturã ſacram, B. Virginẽ non eſſe conceptam in peccato originali, quàm aſſerere, ipſam ſimul fuiſſe beatã, & viatricẽ ab inſtanti ſuæ Conceptionis, vel ſanctificationis. Et poſtquã probauit corollariũ, dixit, quòd pari modo videretur dici, quod magis eſt expreſſum, ipſam vnitã fuiſſe hypoſtaticè, & hoc idem in Conſiſtorio in ſcripto ſuo cor. iudicibus recitauit, &c.* Iſti, & alii ſunt articuli, ſeu propoſitiones Monteſoni, atque cenſuræ Academiæ Pariſiẽſis: ſi ergo iſte eſt ſuus Ioannes Brizius, benè fecerunt in eo quòd operierunt faciem eius.

Alter Scriptor Ioannes fuit Monteſoni diſcipulus, & frater vterinus, Ioan. Thomas, fortè Brizius cognominatus, qui ſui Magiſtri, & fratris cauſas egit in Vniuerſitate Pariſiẽſi, de quo paſsim Vitalis, & Alanus, inquiunt enim collat. 4. *Contra hæc ſunt tamen plures rationes Virgo clariſsima. Credebamus plures, F. Iannem Thomæ Ord. Prædic. priùs quàm ratione tui in Pariſiorum calamitate fuit paſſus, quòd tibi iſtã laudem tribuere vellet, ſed priùs tamen fecit inquiſitoriam contra te, vbi oppoſitum aſſeuerat in tractatu, qui incipit: Exponendo dictum Hieremiæ, dicẽtis: Maledicta dies, &c.* & Ancill. 1. *Ad hoc dicit Ioan. Thomæ.* Et Ancill. 2. *Ad hoc nihil dicit Ioannes Thomæ, &c.* Et ſic deinceps inſurgunt contra Montiſoniſtas, & præcipuè contra Ioannem Thomæ, & ſuum tractatum incipiẽtem: *Maledicta dies.* Cùm ergo iſte fuerit Ioannes, ex Ordine Prædicatorum, ſcripſerit tractatum de Conceptione, & aliàs Bandellus ipſius non adduxerit in toto ſuo Cathalogo, exiſtimo, hunc fuiſſe Ioannem Brizium hìc à ſe adductum. Sed vt videas, Lector, quibus rationibus vtebatur in illo ſuo tractatu contra Immaculatam Virginis Cõceptionem, audi tantummodo duas ſequentes ex Alano, & Vitali teſtibus oculatis (qui collat. 2. vnanimiter dicunt: *Contra hoc arguit Ioannes de Monteſono in veſperis ſuis, &c. Sicut ego, qui præſens eram, & multi alij audierunt*) Et infrà collat. 6. *Dixit hæc Frater Ioannes de Monteſono, &c. & hæc in veſperis ſuæ damnationis: ego autem contra hoc negatiuè demandato Facultatis ſcripſi, &c.* Iam vides, quòd fuerunt teſtes oculati, audi verò, quid dicant infra quæſt. ſeu collat. 9. quærentes, vtrum puritas Virginis fuerit à peccato veniali præteruata, & poſitis argumentis pro parte affirmatiua, & verà ſic inquiunt: *Contra hæc tamen quidam Montiſoniſtæ in aula Epiſcopi Pariſien. die, qua Ioannes de Mõteſono ad requeſtam Vniuerſitatis excommunicatus fuit, locuti ſunt in aula, multis Magiſtris audientibus, quòd ſi multum faceret Vniuerſitas ſacram Scripturã, aliud originale habet (Sacrã Virginẽ) Ordo Prædicatorũ turpiſsimè denudaret, verba proferẽdo fœda, ſcilicèt, etiam vſque ad nates, qui cum ibi benè egiſſent ..... & contra ipſos loquerer in collatione Conceptionis, quæ incipit: Liber generationis, in hæc verba: O ſtultè, vbi quæris turpitudinem in tota pulchra, vbi immũditiam in Sancta, & immaculata? Diſcooperias margaritam tantò pulchrior apparebit? Denuda pyropum lapidem, tantò amplius lucebit? Reuolue cynamomum, tantò plus odoribus domum repleuit? Obiectum fuit per quendam eorũ contra me: quòd denudarent eam infidei defectu, vt tenet Aguſtinus, ſuper illud Lucæ 2. & tuam ipſius animam pertranſibit gladius, dicens in quæſt. Noui, & Veter. Teſtam. quòd id ſignificauit, quòd Maria in morte Domini, non tamen in dubitatione permanſit: ergo dubitauit? Item denudarent eam per reprehenſionis effectum, ſecundum intentionem Hieronymi ſuper Matth. cap. 1. dicẽs. Notandũ, in genealogia Saluatoris nullam Sanctarum aſſumi mulierum, ſed eas, quas Scriptura reprehendit, vt qui propter peccatores venerat, de peccatoribus naſcens, omnium peccata deleret: Cùm igitur de Virgine Maria Chriſtus natus fuerit, ſequitur, quòd aliquando fuit peccatrix, & hanc rationem tangit Ioannes Thomæ in tractatu, quo ſupra, ex parte quorundam de opinione ſua. Item denudarent eam vſque ad culparum aſpectum, ſicut docet Auguſt. lib. 5. cõtra Iulian. cap. 3. vbi loquitur ſic de Chriſto: Profectò peccatum maior fecißet, ſi priùs habuißet, nam propterea nullus eſt hominum, præter illum, qui peccatum non fecerit, grandioris ætatis acceſſu, quia nullus eſt hominum, præter illum, qui peccatum non habuit infantilis ætatis exortu: ergo ipſa nedum habuit originale, ſed etiam actuale? Quod propter iſtam auctoritatem tenet Gregor. de Arimino, 30. diſtinct.*

2. *Ad ista respondi, supplicans, quòd si Virgo sacra fuit allo silla, sicut Ruth, vel meritrix, sicut Raab, vel hæretica, quia dubitauit in fide, quòd scriberet mihi cupienti scire sub nomine proprio, quia aliàs ista per antiquos Doctores soluta sunt.* Quid tibi videtur, Lector, de ista, vel istis denudationibus factis in aula Episcopi Parisiēsis, puritatis, ac innocētiæ sacratissimæ Virginis Mariæ, à turpissimis, ac fœdis Montisoniitis, Ioanne Thomæ, & occulto libellatore? De quibus ego dubitarem, nisi hæc essent testificata à duobus scribentibus non motu proprio, sed ex mādato eiusdē Vniuersitatis, vt ipsimet dicunt libro 3. quæst. seu collat. 10. & non est credibile, quòd in re tam graui, & coram tot, ac tantis iudicibus deuiarent in aliquo à veritate.

Sed libet iterum audire eosdem Alanum, ac Vitalem lib. 4. Ancil. 1. vbi sic inquiunt: *Quinto argumentatur, quia si sacra Virgo fuit peccato originali obnoxia, filius eius nō fuit verus Christus promissus in lege: consequens est hæreticum, & fuit conclusio Albigensiū: ergo & antecedens. Consequentia arguitur; quia si sacra Virgo fuit originali obnoxia: ergo fuit terra maculata, & maledictioni subiecta, & filia iræ, &c. quæ patet secundùm aduersarium; sed de nulla tali terra Christus, qui est veritas, ortus est: ergo, &c. Minor arguitur ex argumento Albigensiū: quia sicut primus Adam de immaculata terra formatus est, ita secundus Adam promissus in lege de immaculata Virgine nasciturus est, teste B. Andrea ex gestis eius, sed primus Adā fuit formatus de terra nūquam maledicta, nec maledictioni subiecta, secūdus verò de Virgine maledictioni subiecta secūdum istos: ergo iste non est verus Christus, &c. Ad hoc dicit Ioannes Thomæ in schedulis facultatis Magistrorum seorsim directis, cum esset Vicarius Inquisitoris, quòd sic arguere, non benè sapit in fide, quia ex hoc sequeretur, quòd ista cōsequentia est bona; si Maria fuit in peccato originali: ergo Christus non fuit verus Christus in lege promissus; sed dicere consequentiam esse bonam, non stat cū fide, quia si consequentia est bona, & consequēs hæreticum: ergo, & antecedens: ergo ex hoc argumento habetur, quòd hæreticū est, dicere B. Virginē nō fuisse in originali, quod est falsum.* Et post aliqua circa prædictum argumentum concludunt Vitalis, & Alanus: *Sic enim proposuit istam consequentiā Ioann. Thomæ coram facultate in S. Maturino: B. Virgo non habuit originale: ergo Christus nō fuit verus Christus promissus in lege, & tu Ioannes respōdisti dubitando consequentiā, quia non est simpliciter euidens consequens sequi ex antecedenti, quòd facultas Magistrorum approbans pauper homo in ..... positus remansit confusus, &c.* Vndè autē ortum habuerit huius argumenti pessima illatio, declarant Mayer lib. 14. ad ann. 1388. & Spondanus ad ann. 1387. num. 7. fol. 636. sic dicentes: *Quibus constat, nō tantū de Conceptione Virginis prædictum Ioannem egisse, verū etiam de Incarnatione Verbi, quā aiebat non potuisse fieri, si Virgo maculā originalem nō contraxisset, ex eadem quæstione accusatum, & damnatum esse, &c.* Alanus coll. 11. habet hæc verba: *Sed à simili Ioannes de Mōtesono dicit, nos anathematizatos, & infideles, quia dicimus, sacram Virginem fuisse sine originali, &c.* Transcribere omnia, quæ ex tract. de Concept. Montesoni, & Ioan. Thomæ referunt Vitalis, & Alanus, esset processus in infinitum; sed ex supra dictis de fide Catholica in solis ipsis, ac suis complicibus solummodo existēte, & quod ipsi erant Christianitatis Martyres, &c. poterit Lector colligere illarum doctrinæ, principiū, medium, & finē. Ex quibus omnibus deduco, quasi provltima resolutione, Ioan. Brizium hic adductum, fuisse vnum ex his FF. Aragonen. sentiens enim, Bandellus, quod cognomina Montesoni, & Ioan. Thomæ scripta erant inter Catholicos reprobo calculo, introduxit ambos, vel aliquem ipsorum sub larua illa Brizii, & hoc habet suam veritatis apparentiā; nam in Regno Aragoniæ est celebris populus vocatus patria lingua *Monçon*, qui latinè dicitur *Montesonus*, & in eodē territorio est stema, seu cognomen cōmune *Briz*, quod latinizatum est *Brizius*; & hic meum sistit studium. Si autem Aduersarii voluerint suum ostendere Ioan. Briziū, atq; tract. illum de Concept. nō recusent laborem, quia in ipso eximiū amittunt Doctorem.

IOANNES Calcar, Ordinis Carthusianorum, in libro, quem Spicarum collectionē intitulauit, Serm. 73. & Serm. 3. Natiuitatis Dominæ Nostræ. *Turrecr. ca. 35. fol. 124. à tergo. Anonym. Auctore* 144. *Barelete.*

VERITAS. 159.

QVIS, Qualisvè fuerit hic Auctor, inuenire nō potui; quia nullus Nomēclator antiquus, vel modernus, de ipso facit mentionē, imò R. P. Theodorus Petreius, qui exactissimam confecit Biblioth. Scriptorum Ordinis Carthusiens. typis mandatam ann. 1609. in 8. nec Chronicon Petri Dorlandi etiā Carthusiani, impres. Coloniæ ann. 1608 Nec Arnoldus Bostius Carmelita, in lib. de Preclar. Carthusiæ Patribus, impres. etiā Colon. 1611. nec denique Aubertus Myræus, qui latissimè etiam agit de Carthusiēsibus vllam, vel minimam de hoc Ioan. Calcar mentionem faciunt. Consului Carthusienses PP. & de illo nullam habēt notitiam. Quid ergo sentiēdū sit de hoc Auctore, tu iudica Lector, quia ego in veritate dico, quòd ad ipsum inueniendum, circuiui montes, & valles; & solū inueni, quòd in Ord. Prædic. fuit quidā Iacob. Calcar, infe-

inferioris Germaniæ Prouincialis: vt dicitur in libro Medula Sermonum; ſed hic nec fuit Carthuſianus, nec Ioannes, nec Scriptor, nec præceſſit Turrecrematam, Antonius Poſſeuinus, ex Trithemio fol. 730. mentionem facit de quodam Henrico de Kalkar Germano, Ordinis Carthuſien. qui ſcripſit Exercitatorium Monachale, de Rethorica, & Muſica, & ortu ſui Ordinis ad ann. 1390. & nihil ampliùs.

Auctoritatem adducit Turrecremata cap. 35. poſtquam adduxerat Landulphum Carthuſianum, in libro: Vita Chriſti, de quo nos infrà, ſic: Item ad idem eſt eiuſdem Ordinis, alius Pater, nominatus Ioannes Calcar in libro, quem ſpicarum collectionem intitulauit, qui incipit: Angelus ad Paſtores ait: qui in ſermone 73 Natiuitatis Dominæ noſtræ; ſub themate: Aſcendit aurora. Geneſ. 32. vbi diſtinctio triplicis gradus ſanctificationis eſt: *Et primus eſt quando ſit nõ ſtatim in Conceptione, ſed immediatè poſt animæ rationalis infuſionẽ, & hic gradus competit B. Virgini. Non enim decebat, vt remaneret diu ſub macula originali, vt Chriſti Conceptio fieret de Matre puriſsima. Hæc ille*, Anonymus verò ſic adducit hunc Auctorẽ. *Idem tenet D. Ioannes Calcar in libro quòd ſpicarũ collectionem intitulauit, in 3. ſermone Natiuitatis B. Virginis.* Et nullã adducit auctoritatẽ. Ex his etiam exiſtimo Auctorem, & auctoritatem eſſe fictas. Primò, quia ſi Turrecremata ſcripſit ad ann. 1436. Baſileæ. Anonymus verò ad ann. 1475. Lombardiæ. Barelete verò in Apulia, in Regno Neapolitano, ad annum 1471. quomodo eſt credibile, tres Patres Dominicanos exiſtentes in locis ſic diſtantibus, & ſcribentibus diuerſis temporibus, vidiſſe, ac legiſſe hunc Ioannem Calcar, & nullũ aliũ ex Scriptoribus Eccleſiaſticis? Secundo, qua de cauſa Bãdellus, qui ſcripſit poſt tres ſupra enumeratos Patres Dominicanos, & ipſos vidit, & legit, atque tranſcripſit hunc præteriuit Doctorem? Tertiò, quia auctoritatis verba non videntur habere cohærentiã, quæ enim conſequentia eſt hæc: *Non enim decebat vt remaneret diu ſub macula originali, vt Cõceptio Chriſti fieret de Matre puriſsima*, ſi enim ſemel fuit Maria maculata peccato originali, remanere diù ſub illo, vel non remanere, quid conducebat ad maiorem puritatem Matris? Imõ vice verſa, ſi decebat, quòd Chriſti Conceptio fieret de Matre puriſsima: ergo nunquam fuit ſub macula originali. Sed non teramus tempus coniecturis; oſtendant priùs Auctorem, & auctoritatem: nam non ſumus innocentes, vt credamus omni verbo, præcipuè vbi, & quando tot fuerunt fictiones, vt oſtẽſum eſt, & paſsim demonſtrabimus, & relictis aliis, fidem, ac veritatem Turrecrematæ in hoc Auctore Calcar, collige ex ſequenti Calderino.

IOANNES Calderinus, Doctor Canoniſta Bononienſis, vt refert Franciſcus de Zabarela, & ſuper cap. Conquæſtus extra de Feriis. *Turrecr. cap. 36. fol. 126. Anonym. Auctore 189. Bandel. cap. 19. Deza fol. 30. Barelete. Vincentia. Gryſald.*

VERITAS 160.

ADVERSARII Hunc nominãt Carderinum, Caldinum, vel de Calderinis, vel de Calder. ſed malè, quia eius proprium nomẽ fuit Calderinus, celebris, atque notiſsimus Doctor apud Canoniſtas, & fuit Ioannis Andreæ adoptiuus filius, qui floruit ad ann. 1340. cuius auctoritatem ſic adducit Turrecremata: *Item ad idem eſt Ioannes de Calderinis, qui (vt refert D. Franciſcus de Zabarella) ad hoc inducit B. Bernardũ in Epiſtola ad Lugdunenſes.* Anonymus verò de hoc Auctore habet ſequentia verba: *Idem tenet D. Ioannes Caldinus, Doctor Bononienſis ſuper capit. Cõquæſtus, extra de Feriis.* Bãdellus verò vltra progreditur ſic: Idem tenet D. Ioannes de Calderinis, D. Bononienſis, ſuper cap. Conqueſtus extra de Feriis: *Conceptio*, inquit, *B. Virginis non eſt celebranda, quia fuit in originali peccato concepta, ſicut dicit B. Bernardus ad Lugdunẽſes, ipſos reprehendens, quia prædictũ feſtũ celebrabãt. Hæc ille.* Eadẽ verba ad litteram habent Vincentia, ac Deza. Gryſaldus verò ſic: *Feſtum Cõceptionis non eſt celebrandũ.* Hæc ſunt omnia adducta ab Aduerſariis pro hoc Auctore.

Sed in primis Turrecrematæ auctoritas falſa eſt; nam Frãciſcus Zabarella S.R.E. Cardinalis, edidit doctã, ac latiſsimam Lectura ſuper 5. lib. Decretaliũ, impreſ. Venetiis per Simonẽ de Luere ann. 1502. Et ſuper 2. Decretaliũ, Rubrica de Feriis, cap. Coquæſtus fol. 16. col. 4. ad verbũ illud: Natalis, inquit: *Nota ibi Natalis, &c. Quòd ſunt dies feriati in honorẽ Dei. Adde feſtũ corporis Chriſti. De reliq. & venerat. Sãctorum, Clement. vna. Et feſtũ Cõceptionis B. Virginis. De hoc altercatio. Gloſſa enim de Cõſecrat. diſt. 2. cap. 1. dicit, nõ eſſe celebrãdã, quia fuit concepta in originali, quod tenent Fratres Prædicatores: Alij quod imò ſine originali, quòd tenent Fratres Minores; quòd videtur Eccleſia recepiſſe, faciẽdo officiũ de Cõceptione.* Hucuſq; Zabarella, & nihil ampliùs: ergo totũ illud Turrecrematæ de Ioãne Calderino, apud Zabarellã de ſua opinione, ac inductione B. Bernardi, fuit fictũ, & falſum, niſi recurrant ad alias Zabarellæ Lecturas incognitas, quæ non fuerunt in rerũ natura. Inſuper Nicolaus Superantius, Eques Auratus Hieroſolymitanus, vtriuſque Iuris Doctor addidit annotationem marginalem ad prædictam Lecturã Zabarellæ, & ad illud verbũ: *Concepta in originali*, ſic inquit, *Adde Archidiaconũ in cap.*

Firmiſ. de Conſecr. diſt. 4. Et pro opinione Scoti, ſcilicèt, quòd non fuit concepta, allego Decretalem incognitam Dominis Canoniſtis, editam in Concilio Baſilienſi, incipientem: Sacroſanctam, editam ſub anno Domini 1439. Kalendis Aprilis, prout refert Gloſſa in verbo: B. Dei Genitricis, in Extrauaganti incipiente. Vnigenitus Dei Filius, & ibi Gloſſa dicit: Quod legitur in quadam Chronica, quòd quidam Doctor nomine Paulus, dicendo, Virginem Mariam conceptam fuiſſe in peccato originali, coram toto Clero, in Cracouia, ciuitate Poloniæ, expirauit in medio Sermone. Hæc Superantius ad Textum Zabarelæ. Vbi eſt ergo veſter Ioannes Calderinus, quia apud Zabarelam, ego non inuenio niſi Nicolaum Superantium & hic pro nobis eſt.

Sed iam videamus alia quæ adducunt Anonymus, Bandellus, & alii de Decretalibus cap. Conquæſtus, extra de Feriis. Et ad hoc dicimus, quòd Ioannes Calderinus ſcripſit multa, quæ videri poſſunt apud Geſnerũ fol. 416. Repetiones huius Auctoris extãt expreſsę Papiæ ann. 1594. in fol. magno, ſed ibi nullũ verbũ extat ex prædallegatis, ſcripſit etiam Repertoriũ Iuris ſuper Decretales, impreſſum ann. 1474. & extat manuſcriptum in Bibliotheca S. Eccleſiæ Toletanæ. Eſtque quoddã Dictionariũ, ſeu Index verborum, & in illo ſolum habet hæc verba, verbo, Conceptio: *An feſtum Conceptionis B. Mariæ ſit celebrandũ: Non. De Conſecrat. diſt. 3. in Sum. & Ferijs cap. vltimo.* Scripſit etiam Recollectionem auctoritatum S. Scripturæ quæ in Iure Canonico cõtinẽtur, extat in Eſcoriali 11. E. 26. Edidit etiã quaſdã Addictiones, ſiuè ſuppletiones ad Ioan. Andreã, quæ ſic incipiũt: *Diſtinctiones ſuper certis materijs, & aliquas ſuppletiones; ſunt quædã dicta poſita per D. Ioannis Andreã in nouella, quæ diſtinctiones, & ſuppletiones ſunt, D. Ioann. Calderini. Scias igitur, quòd quando dicitur in Gloſſa, intelligitur de Gloſſa Ioan. Andreæ poſita ſupra Textu, &c.* In hoc ergo tractatu exiſtente manuſcrip. in Bibliot. Scorialis IV. [2] 16. in fol. cap. Cõqueſtus fol. 26. à tergo col. 3. in prin. inquit: *In Gloſſa quæ ſunt mjoz. in fine B. Bernardus in Epiſtola ad Canonicos Lugduni. plenè de hoc tractat, qui tenet eã cõceptã in peccato, & deteſtatur illorũ cõſuetudinẽ qui feſtũ Conceptionis ſuæ colunt, fatetur, quòd poſt conceptũ in vtero iam exiſtens accepit ſanctificationẽ, quæ peccato excluſo ſanctã facit Natiuitatẽ, non tamen Conceptionẽ, vt hic dicitur. Ioannis Calderini.* Hæcuſque ſunt Calderini verba, exquibus Aduerſarii pro ſuo arbitrio fabricarunt auctoritates ſuprà poſitas. Conſtat ergo, quod Calderinus non affirmat, ſed tantùm refert ſententiam Gloſſarum, & Bernardi. Imò ex hac auctoritate euidentiùs colligitur mens antiquorum, circa celebrationẽ feſtiuitatis Cõceptionis, vt denotant illa verba: *Fatetur, quòd poſt conceptũ, in vtero iam exiſtens, accepit ſanctificationẽ*, quibus oſtenditur, quòd Bernardus & alii ſolùm impugnabant ſanctificationẽ factam ante animationem, ac illius Conceptionis patratæ in vtero Annæ die 8. Decembris; nos enim dicimus, & millies fatemur cum S. Bernardo, B. Thoma, Ioann. Andræa, Calderino, ac aliis, quòd Virgo Maria non accepit ſanctificationem in parentibus, nec in ſemine, nec embryone, ſed poſtquam fuit iam exiſtens in vtero, vbi peccato excluſo illius primæ Conceptionis, ſeu generationis, ſancta facta eſt animatio.

IOANNES Capreolus, Toloſanus, Ordinis Prædicatorũ, in 3. Senten. diſt. 3. *Ita Deza in Codice manuſcrip. ad finem. Barth. de Spina par. 5. cap. 19.*

VERITAS. 161.

HIC Doctor Pariſienſis, de quo egimus in Trituratione num. xi. cõmuniter vocatur à ſuis, Princeps Thomiſtarum, atque defenſor egregius S. Thomæ. Sed eius notitia abſolutè aufugit à Turrecremata, Anonymo, Vincentia, & Bandello, quia ipſum non adducũt ſub proprio nomine, licèt ante omnes ipſos floruerit, ſcilicèt ad ann. 1424. vel anteà, niſi fortè hic ſit, quẽ infrà num. 171. vocant Ioannẽ Gallicũ, Doctorẽ Pariſienſem in 3. libro ſuæ Sũmæ, tacẽdo quòd fuerit ex Ordine Prædicatorum, & tertius liber Sũmæ ſupponat pro 3. lib. Senten. Deza, Corrector Bandelli, & ſimul eius continuator in originali impreſſo nullam de ipſo memoriam facit, & in manuſcripto exiſtente in Bibliotheca S. Eccleſiæ Toletanæ ad finem adducit integram quæſtionem Capreoli. Spina ipſum citat incidenter. Sed quidquid ſit de Auctore, Ioannes Capreolus expreſsè eſt pro ipſis in illa quæſtione, quam diuidit in tres articulos, a fol. 15. vſque ad 24. quam ſic concludit: *Secundo dicitur, quòd dato, quòd S. Thomas in 1. Sentent, ſenſerit, B. Virginem nunquam ſubiacuiſſe peccato, tamen in omnibus ſuis operibus, quæ poſteà edidit, oppoſitum tenuit, & ſcripſit: quia etiam B. Auguſtinus fecit librum Retractationum; & ideò ſtandum eſt vltimis determinationibus, & non primis. Et hæc de concluſione ſufficiant. De qua Benedictus Deus, & ſua Beatiſſima Virgo Mater. Amen.* Si ſtandum eſt vltimis determinationibus, ego exiſtimo, quod vltima determinatio S. Thomæ fuit illa expoſitio Epiſtolarum Pauli, vbi in Epiſtola ad Galatas expreſsè noſtram tenuit ſententiam, vt latè diximus ſuprà in Ventilabro, & dicemus infrà num. 296. ad finem.

IOAN-

IOANNES Caſsianus, Beatus in penultima, vel vltima Collatione Sanctorũ Patrũ. *Anonym. Auctore 26. Bandel. cap. 14. Deza fol. 41. Vincent. Capreol. Soncin.*

VERITAS 162.

IOANNES Caſsianus, natione Schitha, S. Ioannis Chryſoſtomi diſcipulus ſcripſit inter alia Collationes Patrum 24. cuius opera notiſsima, ac communiſsima ſunt: ſiquidèm impreſſa Venetiis 1481. in fol. Pariſiis 1642. Romæ 1588. & 1559. & 1628. & Antuerpiæ, Lugduni, 1542. & Baſileæ 1485. Aduerſarii abſque vllo fundamento vocant hunc Beatũ, ſicut alios in hac Ventilatione relatos. Anonymus citat vltimã Collationẽ Caſsiani, Bandellus, & alii penultimam, ille nullã adducit auctoritatem, cautus in hac parte, iſte plures recitat, ſed omnes vitiatas.

Sic enim inquiunt Bandellus, & Vincentia: Idem tene Doctor illuſtris, prudens, ac facũdus Ioannes Caſsianus in Collatione ante penultima, quæ eſt Abbatis Theonæ ſic dicẽs: *Aliud eſt enim eſſe Sanctum, quòd de multis dici poteſt, & aliud eſſe immaculatum, & ſine peccato, quòd vnius Domini noſtri Ieſu Chriſti ſingulariter cõuenit maieſtatati. De quo etiã Apoſtolus, velut quid præcipuũ, ac ſingulare pronũtiat, dicẽs; qui peccatũ non fecit. Satis quidèm vilẽ, atque indignam eius præconis laudem aſsignaßet, ſi etiã nos ab omni peccato immunes eſſe poßemus. Hæc ille.* Hæc auctoritas habet connexionẽ cum ſequẽti, ideo illas coniungo. Proſequitur ergo Bãdellus. Itẽ, idẽ modicũ infrà: *Hac*, inquit, *ſola ab omnibus nobis Chriſtus exceptione diſtinguitur, quia nos abſque peccato eſſe non poſſumus: illũ autẽ conſtat fuiſſe ſine peccato. Ille enim ſolus ſpecioſus forma præ filijs hominũ, conditionem mortis humanæ cũ carnis fragilitate ſuſcipiẽs, nullius vnquam eſt ſordis maculatus attactu. Hæc ille.* Caſsianus verò in Collatione antè penultima, hoc eſt, col. 22. quæ eſt ſecunda Abbatis Theonæ, cuius titulus eſt: *De nocturnis illuſionibus*, cap. 8. introducit Germanũ ſic dicentẽ: *Supra dictũ eſt, non niſi Sanctos cœleſtiũ ſacramẽtorum eße debere participes, nunc adducitur, impoſsibile eſſe homini, vt immnis ſit penitùs à delicto. Si nullus ergo liber à noxa, nullus eſt Sanctus, & conſequens eſt, vt homo, cui ſanctitas deeſt, myſteriorum Chriſti particeps eſſe non poſsit: Regnum etiam cœlorum ſperare non debeat, quod ſolis Sanctis Dominus pollicetur.* Cui ſic reſpondit Theonas: *Multos quidèm eſſe Sanctos, ac iuſtos negare non poſſumus, ſed inter ſanctum, & immaculatum multa diſtantia eſt. Aliud eſt enim eſſe quempiam Sanctum, id eſt, Diuino cultui cõſecratũ (hoc enim nomẽ nõ ſolùm hominibus, ſed etiam locis, & vaſculis Tẽpli, atque lebetibus, atteſtante Scriptura, commune eſt) aliud eſt autẽ eſſe abſque peccato, quòd vnius D. N. Ieſu Chriſti ſingulariter conuenit maieſtati. De quo etiam Apoſtolus velud præcipuũ quid, ac ſpeciale pronũtiat, dicens: Qui peccatum non fecit. Satis enim vilem, atque indignam eius præconis laudẽ, quaſi incomparabile, ac Diuinũ ei aliquid aſsignauit, ſi etiam nos illibatam ab omni peccato poſſumus tranſigere vitam. Rurſus Apoſtolus ad Hæbreos: Non enim habemus, inquit, Pontificẽ, qui non poſsit compati infirmitatibus noſtris, temptatũ autem per omnia, ſecundùm ſimilitudinem abſque peccato. ſi igitur etiam terrenæ humilitatis noſtræ, cum illo excelſo Diuinoque Pontifice, hæc poteſt eſſe communio, vt etiam nos abſque vlla peccati offenſione temptemur, cur in illo hoc Apoſtolus, velut vnicum, ac ſingulare ſuſcipiens, tanta eius meritum ab vniuerſis hominibus diuiſione diſcreuit? Hac ergo ſola ab omnibus nobis exceptione diſtinguitur, quia nos non abſque peccato illum ſine peccato conſtat fuiſſe temptatum. Quis enim hominum, quamuis fortis, atque beliator ſit, hoſtilibus tamen telis plerumque non pareat? Quis velut impeccabili carne circundatus, tãtis præliorum periculis ſine periculo miſceatur? Ille autem ſolus ſpecioſus forma præ filijs hominum, conditionem mortis humanæ cum vniuerſa carnis fragilitate ſuſcipiens, nullius vnquam eſt ſordis maculatus attactu.* En totum caput 9. Quoad litterã ergo notare debes. Primo, quòd Bandellus ex vna continua auctoritate fecit duas diſtinctas. Secundò, totam primam clauſulã penitùs adulterauit, prætermittendo quamplura verba, cõferipſas auctoritates, quia eſſet proceſſus in infinitum, eas velle verbatim regulare. Tertio, vbi Caſsianus, *velut præcipuũ quid*; ipſe addidit, *& ſingulare*. Quartò, vbi Caſsianus, *ſi etiam nos illibatam ab omni peccato poſſemus: tranſigere vitam*; ipſe Bandellus malè, ac peſsimè ſic: *Si etiã nos ab omni peccato immunes eße poſſumus*: Vide quanta eſt differentia? Quinto, prætermiſit omnia ſequentia verba. Sexto, vbi Caſsianus, *Quia nos non abſque peccato illum ſine peccato conſtat fuiſſe tẽptatum*; Bandellus ſic, *quia nos abſque peccato eſſe non poßumus, illum autem conſtat fuiſſe ſine peccato*. Vide quanta adulterauit, præcipuè prætermittendo illud, *tẽptatũ*. Septimo, prætermiſit ſequentia verba, quia ex ipſis deprehendebatur, Caſsianum loquutum fuiſſe de peccatis actualibus. Octauò, vt maculærent Virginem, adulterarunt ſenſum verborum, nã ex obiectione Germani cõſtat, ſermonem eſſe de peccatis actualibus, ſicut etiã ex verbis prætermiſis, & hìc notatis. Deindè vbi in hac auctoritate eſt Virgo Maria? Vbi nominatur peccatum originales? Quærite ergo qui dicatis ad excuſandas excuſationes de aliis?

Tertiam auctoritatem sic adducit Bandellus: Item, idem modicum infrà: *Quomodo*, inquit; *illud accipietur, quod eũ Apostolus in similitudine carnis peccati venisse commemorat, si etiam nos nulla peccati labe pollutam habere possumus carnem? Nã & hoc de illo, qui solus est absque peccato tanquàm singulare memoratur. Misit Deus Filium suum in similitudine carnis peccati, quia videlicèt veram carnem suscipiens, non ipsum peccatum in ea, sed similitudinem peccati suscepisse credendus est. In hoc igitur ille homo qui natus est ex Virgine, magna à cunctis, qui ex vtriusque sexus cõmixtione producũtur, distantia segregatur, quia cùm omnes non similitudinem, sed veritatẽ peccati in carne gestemus, ille non veritatem, sed similitudinem peccati in veræ carnis assumptione suscepit. Hæc ille.* Casiani verò caput 11 sic incipit: *Quemadmodũ verò & illud accipietur, quòd eũ Apostolus in similitudine carnis peccati venisse cõmemorat, si etiã nos nulla peccati labe pollutam habere possumus carnẽ? Nam & hoc de illo, qui solus est absque peccato, tãquàm singulare memoratur. Misit Deus Filiũ suum in similitudine carnis poccati, quia veram, atque integrã suscipiens substãtiã carnis humanæ, non ipsum peccatũ in ea, sed similitudinẽ peccati suscipisse credendus est. Similitudo enim non ad carnis veritatem, secundùm prauum quorũdam hæreticorum sensum, sed ad peccati est imaginem referenda. Erat enim ipso vera quidèm caro, sed absq; peccato, similis ſ qui lẽ peccatrici. Illud quidẽ ad humanæ substantiæ pertinet veritatem, hoc verò ad vitia refertur, & mores, &c.* Capite verò 12. sic inquit: *In hoc ergo ille homo, qui natus est ex Virgine est, magna a cunctis, qui ex vtriusque sexus commixtione producimur, distantia segregatur, quod cum omnes non similitudinem, sed veritatẽ peccati in carne gestemus ille non veritatem, sed similitudinem peccati, in veræ carnis assumptione suscepit. Denique licèt scriptum de eo in Esaia Propheta Pharisæi appertissimè meminissent. Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, tamen ita similitudine carnis peccati fallebantur, vt dicerent: Ecce homo vorax, & potator vini, Publicanorum, & pecatorum amicus. Et ad illum qui illuminatus fuerat cæcum: Da gloriam Deo, nos enim scimus, quia hic homo peccator est. Et ad Pilatum: Nisi esset hic homo peccator, nõ vtique eum tradidissemus tibi. Huius ergo rei, &c.* Vt in auctoritate sequenti: De proposita verò dico. Primò, quòd in antecedenti, ex vna auctoritate duas fecerunt, hìc autem è contra, ex duplici cap. diuerso vnam fabricarunt continuam, scilicèt ex cap. 11. & 12. Secundo, prætermiserunt, quam plura, & aliqua addiderunt, de quibus non curo, sed solùm de tertio, scilicèt, quod adulterarunt sensum: nam cùm ibi loquatur de peccatis actualibus, vt cõstat non solùm ex præallegatis, sed ex tota collatione, abstulerunt omnia illa, quæ hoc indicare poterãt Cùm ergo propositio hæc: Maria cõtraxit originale peccatum, componatur ex tribus terminis, nec vnum illorum inuenies in tota collatione, & sic in illa necesse erit exorare pro defunctis, vt à peccatis soluantur.

Quartam auctoritatem adducit continuator Bandelli, in quadam additione sic dicens: In fine huius capitis 12. sic cõcludit: *Huius ergo rei, quæ illi tantùm singularis, ac propria est, æqualitatem sibi blasphemiæ superbiæ crimine vindicabit, quisquis se esse sine peccato ausus fuerit profiteri. Consequens enim est, vt similitudinem carnis peccati, & non veritatem peccati habere se dicat. Hæc ille.* Hæc auctoritas legaliter est extracta ab originali Cassiani, sed cùm hic loquatur de peccatis actualibus, nihil est de illa curandum.

IOANNES De Ceruo, Ordinis Cisterciẽ sis in 3. Senten. dist. 3. *Ita Bandel. cap. 22. De Za fol. 37. à tergo. Paul. Grisald. Petr. de Vincent.*

VERITAS 163.

HIC Auctor, vel est fictus, vel multiplicatus; fictus, quia nullus Nomenclator ex antiquis, nec ex modernis de tali Ioanne de Ceruo Cisterciensi, nec alterius Religionis, aut Sæcularis mentionẽ facit. Cõsului omnes Scriptores Ecclesiasticos, & qui scripserunt super Sententias, vel adducũt Indicem illorum, vt Carthusianum, & Aquarium; sed fuit vanus labor, quia talis Auctor nõ reperitur. Arnoldus de Vvion in suo Ligno vitæ lib. 1. cap. 48. inter Scriptores Ordinis Cisterciensis illum non adducit, nec Chrisostomus Enriquez in sua Bibliotheca Cisterciensiũ, nec Angelus Manrique. Carol. de Visch. in sua Bibliot. Cisterciẽsi fol. 156. sic inquit: *Ioannes de Cerbo, Monachus Ordinis Cistercien. S. Theol Doctor, scripsit Comen. in 4. lib. Sent. &c. Citatur à Vincent. Bandello lib. de Concept.* fuit ergo Bandellus istius Cerui fons. Gesnerus in sua Bibliotheca fol. 420. adducit quẽdam Ioannẽ Ceruiensem, sed hic nec fuit Cisterciensis, nec scripsit super Sententias; quia fuit Chirurgus, Anton. Senen. fol. 104. affirmat circa ann. 1355 floruisse quẽdã Henricũ de Ceruo, Dominicanum, natione Colonienſem, qui scripsit in 4. lib. Senten. si fuit iste Henricus: ergo non Ioannes: si Dominicanus: ergo non Cisterciensis, opera istius Hẽrici dicit Posseuinus fol. 733. extare Louanii, in Conuẽtu Prædicatorum, quare ex hac parte Auctor videtur fictus. Ex alia potest esse multiplicatus: nam infrà num. 180. addu-

adducunt alium Ciſtercienſem Ioannem Monachum etiam ſuper 3. Senten. ciſt. 3. cum ipſiſsima auctoritate; potuit enim Monachus ille vocari Ioannes de Ceruo, ſed ſi ille quoad auctoritatem eſt fictus, vt ibi obſtendemus ex ipſomet Auctore num. 180. & quid dicemus de hoc?

Sed ventilando rem pro veritate vſque ad vltimum apicem, auctoritatem huius Ioannis de Ceruo ſic adducunt Aduerſarii: Idem tenet Magiſter Ioannes de Ceruo in 3. Sent. diſt. 3. ſic dicens: *Beata Virgo fuit in originali peccato concepta, & ab eodem, antequam naſceretur, per ſanctificationem mundata. Hæc ille.* Si Auctor eſt fictus, à fortiori auctoritas ficta erit: & cùm hanc ſolùm adducat Bandellus, & ſapiat eius ſtyllum, non autem Turrecremata, nec Anonymus, auget ſuſpicionem. Niſi fortè hic ſit quidam Dionyſius Ciſterciēſis antiquus, qui ſcripſit in 4. libros Sententiarum, correctos per F. Ioannem Mazerien. impreſ. Pariſiis in fol. abſque anno impreſsionis, & incipit opus: *Circa Prologum primi, &c.* ſed hic in 3. Sent. quod incipit ſic: *Circa vnionem, &c.* diſt. 3. nec verbum habet de Conceptione Virginis Mariæ. In 2. verò diſt. 30. Artic. 1. folio 82. habet hæc verba: *Quantum ad primum, firmiter, & indubitanter eſt tenendū, peccatum originale contrahi in paruulis, quia dicit Apoſtolus ad Rom. 5. Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit: igitur. Item apparet per Auguſtinum de fide ad Petrum. Ideò firmiſsimè, inquit, tenè, & nullatenùs dubites, omnem hominem, qui per concubitum mulieris, & viri concipitur, cum originali peccato impietati ſubditum, mortique ſubiectum, & ob hoc natura filij iræ naſci. Item patet per eundem contra Iulianum, hoc diffusè. Item per Concilium Mileuitanum cap. 3. & in multis dictis Sanctorum, &c.* Et nihil ampliùs habet de hac materia: ſi eſt iſte Dionyſius Ciſtercienſis ſuus Ioannes de Ceruo Ciſtercienſis, finxerunt nomen Auctoris, vt non deprehenderetur ſua ficta auctoritas contra immaculatā Virginis Conceptionem à primo vſque ad vltimum verbum: ſi autem eſt alius diſtinctus, illum oſtendant; quia cōtra ipſos ſtat præſumptio Iuris, & facti in Ioanne Monacho Ciſtercienſi, vt videre eſt prælegato num. 180.

IOANNES Chryſoſtomus, Sanctus, in Homilia ad Olympam, vt recitat Auguſtinus in 1. contra Iulianū, & ſuper Matthęum, & ſuper Ioannem, & in pluribus libris. *Turrecrem. part. 6. cap. 14. fol. 107. Capreol. Anonym. Auctore 18. Bandel. cap. 13. Deza fol. 19 à tergo. Spina part. 6. cap. 2. Caietan. cap. 3. fol. 72. Vincent. Caſtellan. Canus, Barlete, Iauellus.*

VERITAS 164.

SANCTISSIMVS Hic Eccleſiæ Græcæ Doctor, notiſsimus eſt, cuius opera fuerunt typis mandata Pariſiis 1570. & 1556. & 1581. & 1614. & Baſileæ 1530. 1539. Antuerpiæ 1553. & nouiſsimè 1614. Eius primam auctoritatem ſic adducunt: Idem tenet S. Ioannes Chryſoſtomus, Epiſcopus Conſtantinopolitanus in Homilia ad Olympiam, vt recitat Auguſtinus in 1. contra Iulianum: *Quoniam*, inquit, *Adam peccauit illud graue peccatum, omne genus humanum ab ipſo ſeminaliter propagatū, in communi damnauit: propter quod & eos, qui immortales eſſe poterant, fecit eſſe mortales. Et ſubiungit Auguſtinus: Vnde ergo paruuli moriuntur, ſi obnoxij peccato primi hominis non ſunt?* Hæc ſunt verba adducta ab Aduerſariis ex Chryſoſtomo, & Auguſtino. In originali verò lib. 1. contra Iulianum, capit. 6. vltimæ impreſsionis fol. 370. colum. 2. & alterius fol. 205. ſic ſe habent: Audi iam, Iuliane, quid etiā Ioannes cum cæteris Catholicis Doctoribus dicat ad Olympam ſcribens: *Quando enim Adam peccauit, inquit, illud graue peccatum, & omne genus humanum damnauit, de mœrore bœnas luebat. Item de reſurrectione Lazari: Flebat Chriſtus, inquit, cur vſque ad hoc mortalitas deliquiſſet, vt excuſſa de perennitatibus, inferos adamaret. Flebat Chriſtus, quod eos qui immortales eſſe potuerunt, diabolus fecit eſſe mortales. Quid dici potuit expreſsius? Quid ad iſta reſpōdes? Si Adam grandi peccato ſuo, omne genus hominum in commune damnauit, nunquid niſi damnatus paruulus naſcitur? Et per quem, niſi per Chriſtū ab iſta damnatione liberatur? Si & in Lazaro dicitur excuſſa de perennitatibus mortalitas inferos adamaſſe, quis mortalium non ad iſtam culpam, caſumque pertineat, quo cecidit primus homo de vitæ perennitate, quam ſi non peccaret, acceperat? Si diabolus omnes, qui immortales eſſe poterant, fecit eſſe mortales, vndè etiam paruuli moriuntur, ſi obnoxij peccato primi illius hominis non ſunt? Nunquid ergo niſi per eum, in quo omnes viuificantur, etiam paruuli de regno mortis eruuntur?* Hucuſque Auguſtinus. Infrà verò cap. 7. fol. 373. colum. 1. iterum recapitulat eadem verba ſic dicens: *Poſtremo S. Epiſcopus Ioanes ſic dicit, &c. Adam ſic peccaſſe illud graue peccatum, vt omne genus humanum in commune damnaret, dixit in Lazari morte ideò fleuiſſe Chriſtum, quia de perennitatibus excuſſa mortalitas inferos adamauit: Et quia eos, qui immortales eſſe poterant, diabolus fecit eſſe mortales.* En eadē auctoritas ab Aduerſariis adducta, extat in duplici loco Auguſtini, ex quibus infero ſequentia.

Primo,

Primo, quòd Aduerſarii non viderunt opera S. Ioannis Chryſoſtomi, & hoc patet; quia cũ Auguſtinus dicat: *ad Olympiam ſcribens*, ipſi dixerunt: *in Homilia ad Olympiam*, fingentes illam Homiliam: nõ enim Chryſoſtomus ſcripſit Homiliam, ſed Epiſtolam ad Olympiadem, nec vnam ſolam, ſed 17. quæ extant tomo 5. à fol. 611. vltimæ impreſsionis, & verba adducta ab Auguſtino extant Epiſtola 3. folio 621. col. 1. Secundo, quòd illam ſuam breuem auctoritatem fabricarunt ex duobus Sanctis diuerſis, ſcilicèt, ex Sancto Auguſtino, & ex Sãcto Ioan. Chryſoſtomo. Tertio, quòd non ſolùm ex duobus Sanctis, ſed etiam ex diuerſis locis: nam illa Chryſoſtomi deſumpſerunt partim ex Homilia ad Olympiadem, ſiue Epiſtola, partim ex Homilia Lazari, quæ extat tom. 3. fol. 169. & incipit: *Grandi fratres, &c.* vbi verba citata ab Auguſtino extant ad litteram. Auguſtini verò deſumpſerunt ex aliis duobus locis diſtinctis, ſcilicèt, ex cap. 6. & 7. contra Iulianum. Sicque illa breuiſsima auctoritas fuit deſumpta ex duobus Sanctis diſtinctis, & ex quatuor partibus diuerſis, vt in ſequentibus oſtendo. Quarto, vbi Auguſtinus, *quando enim Adam peccauit*; ipſi ſic, *quoniam* Adam peccauit, adulterarunt enim ſenſum, quoniam quaſi mutarunt tempus præteritum ad præſens. Quinto, addiderunt ex proprio cerebro illam clauſulam, *ab illo ſeminaliter propagatum*, quæ neque in Auguſtino extat, neque in Chryſoſtomo. Sexto, illud verbum, *in communi*, deſumpſerunt non ex cap. 2. contra Iulianum, ex quo alia deſumpſerunt verba, ſed ex ſeptimo, nec Auguſtinus dicit, *in communi*, ſed *in commune*, & ſic extat etiam in Chryſoſtomo. Septimo, ex proprio marte addiderunt illud, *propter quod*, vt ſic verba quæ Auguſtinus expreſsè adfert ex Homilia de reſurrectione Luzari, continuarent cum præcedentibus ad Olympiam. Octauo, vbi Auguſtinus, *eos qui immortales eſſe potuerunt*, quæ ſic etiam extant in Chryſoſtomo; Aduerſarii vitiantes vtrumque Doctorem, tranſcripſerunt ſic, *eos qui immortales eſſe poterant*. Nono, vbi Auguſtinus, & Chryſoſtomus, *diabolus fecit eſſe mortales*; Aduerſarii malitiosè abſtulerunt vocem illam, *Diabolus*, reducentes ad Adamum illud diaboli opus. Iſta ſunt nouem vitia cõmiſſa in illa breuiſsima auctoritate, prout adducitur ab Auguſtino, à quo ipſi illam extraxerunt.

Vt ergo genuinum eruamus ſenſum, decreui hìc tranſcribere verba S. Ioannis Chryſoſtomi, ex Epiſtola 3. ad Olympiadem, & ſunt: *Nam cùm Adamus graue illud peccatum admiſiſſet, atque commune hominum omnium genus condemnaſſet, mœrore tunc mulctatus eſt.* In Homilia verò de reſurrectione Lazari, ſic inquit: *Flebat Deus, cur vſque ad hoc mortalis deliquiſſet, & vt diſcuſſus de perennitatibus inferos adamaſſet: Flebat Deus, quod eos, qui immortales eſſe potuerunt, diabolus fecit eſſe mortales.* Ex quibus omnibus deducitur, quod Sanctus Auguſtinus in illo lib. 1. contra Iulianum, ſolùm nititur probare ex verbis Chryſoſtomi, Adami peccatum non fuiſſe tantum perſonale, ſed commune totius naturæ, & ſic regulariter tranſiiſſe in totam poſteritatẽ, & ideo homines eſſe mortales, atq; ex hoc de facto mortuũ fuiſſe Lazarum: Cùm ergo hæc eſſet lex communis, nullus erat, qui non indigeret Mediatore, ac Redemptore Ieſu Chriſto, & eius ſacro Baptiſmo, atque reſurrectione, vt à culpa, & morte liberaretur, quia hoc negabat Iulianus cum Pelagio, vt ſuprà demonſtrauimus num. 34. auct. 20. & num. 146. Sed quid hæc cum immaculata Virginis Mariæ Conceptione?

Secundam Chryſoſtomi auctoritatẽ ſic adducunt Aduerſarii. Item idem ſùper Matthæũ: *Quamuis*, inquit, *Chriſtus non eſſet peccator, naturam tamen humanam de peccatrice ſuſcepit. Hæc ille.* Nota, ò Lector! incongruentiam Aduerſariorum in hac citatione, inquiũt enim: *ſuper Matthæum.* (Nec fuit vnus ſolus, ſed omnes: nam Iaueilus ſic ait: Item Chryſoſtomus ſuper Matthæum dicit. *Quamuis Chriſtus non eſſet peccator, naturam tamen humanam de peccatrice ſuſcepit. Hæc ille.* Caſtellanus habet eadem verba) Quando Chryſoſtomus habet integrum Tomum ſuper Matthæum? In quo habet 172. Homilias latiſsimas: exiſtimantes, quòd dicendo ſolùm: *Super Matthæum*, ſub tanta Homiliarum mole occultaretur mendacium, quia in tom. 2. habet Homilias 91. ex vna parte, deindè ſub nomine incogniti Auctoris alias 54. ac tandèm ex diuerſis locis 27. Sed amore veritatis, & propter Virginis honorem, omnes illas Homilias recognouimus, ſed talia verba inuenire non potuimus, & ſic hæc fuit peſsima fictio, quia talia verba, nec ipſis ſimilia oſtendent in toto Chryſoſtomo.

Tertiam Chryſoſtomi auctoritatem ſic adducunt: Idem tenet ſuper Ioannem: *Admiranda*, inquit, *eſt certè Chriſti ſingularis excellentia, quia nullus hominum veraciter dicere potuit: Quis ex vobis arguet me de peecato? Niſi ſolus ille qui peccatum non fecit. Hæc ille.* Sanctus verò Ioannes Chryſoſtomus tom. 3. habet 85. Homilias ſuper Ioannem, deindè Homil. 7. de diuerſis locis, & ſic ſunt omnes ipſius Homiliæ in Ioannem 90. quarum Homilia 53. ſuper cap 8 Ioannis, quæ incipit: *Dicebat ergo Ieſus*, fol. mihi 97. agit de dicto illo Redẽptoris: *Si veritatẽ dico vobis, quare non creditis mihi? Quis ex vobis arguet me de peccato, &c.* Sed in illa Homilia nullũ extat verbum ex ſupra poſita auctoritate; at in alia eiuſdem Euangelii, quæ reperitur in operibus Origenis Adamantii, vt vidi bi-

mus

mus infrà num. 233. in principio, extant quædam verba aliqualem habentia cum illis proportionem, atque similitudinem; sed Aduersarii neque viderunt Chrysostomum, neque Originem, quia extraxerunt illam ex suo Angelico Doctore S. Thoma, in Expositione Ioannis cap. 8. lection. 7. fol. 53. tom. 14. sic dicente post alia: *Admiranda est etiam Christi singularis puritatis excellentia; quia vt Chrysost. dicit: Hoc nullus hominum fiducialiter potuit dicere. Quis ex vobis arguet me, &c. nisi solus Deus noster, qui peccatum non fecit. Prouerb. 20. Quis potest dicere, mundum est cor meum; purus sum à peccato? Quasi diceret; nullus nisi solus Deus. Et in Psalm. 13. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum, id est, Christum.* Hanc esse ipsissimam auctoritatem adductam ab Aduersariis, nullus dubitare potest, & quod hæc, vel altera ipsi similis non sit in Homilia Chrysostomi, sed Origenis, dubitet, vel non dubitet; quia hoc pro nostro assumpto parum refert: quod autem veritas affirmat est, quod auctoritas formalis, vt adducitur ab Aduersariis, si nō est hæc S. Thomæ, alia non extat in Chrysostomo, nec Origene, & debent ostendere alterum quartum Auctorem. Supposito ergo, quòd sub habitu Doctoris proprii latini introduxerunt extraneū Græcum; videamus, qua veritate, aut legalitate transcripserunt auctoritatem? Primo ergo vbi textus, *etiam*: ipsi apposuerunt, *certè*, quod emphaticum est. Secundo, prætermiserunt illud, *puritatis*. Sed nota Lector, & iterū nota, quòd hìc est alia maior, ac detestabilior adulteratio, nā hæc vox *puritatis*, nō erat in originalibus antiquis S. Thomæ, quod constabit euidenter ex ipsis, tum quia cùm hæc vox *puritatis*, sit totius huius auctoritatis præcipua, ac principalis, non illam prætermitterent Aduersarii: tum quia Ambros. Catharinus ex Ordine Prædicator. in suo 3. Opusculo ad Concil. Trident. part. 1. colum. 38. incidenter loquendo de peccato originali, & actuali trāscribit ex suo S. Thoma hanc auctoritatem ad litteram sic: *Vndè B. Thomas ibi: Admiranda est etiam Christi singularis excellentia; quia teste B. Chrysostomo, &c.* Sicque in vltimis impressionibus addiderūt Patres Dominicani illud, *puritatis*, & loco illius, *quia teste B. Chrysostomo*, posuerunt; *quia vt Chrysostomus dicit*, vt sic testem facerent promulgatorem sententiæ; vndè euidenter colligitur etiam, quòd originalia nunc existētia Angelici Doctoris in modernioribus impressionibus sunt deprauata, & vt hìc patet ex additione, *puritatis*, quòd sint impura. Tertio, vt non cognosceretur, quòd hæc auctoritas erat alterius, abstulerunt illud, *quia vt Chrysostomus dicit*, coniungentes causalem, *quia*, cum ly, *nullus*. Quarto, vbi textus, *fiduciali ter*; ipsi *veraciter*, quæ longè diuersa sunt. Quinto, addiderunt, ly, *peccato*, quod in textu non extat. Sexto, vbi textus, *Deus noster*, Aduersarii apposuerunt ly, *ille*, vt sic relatiuum supponeret pro Christo non reduplicatiuè in quantum Deus. Septimo, prætermiserunt verba vltima, quia ex illis deprehendebatur, quod auctoritas loquitur de peccato actuali, quia de originali propriè nemo potest argui, vt fatentur ipsemet Turrecremata, & Catharinus loco supra citato. Octauo, his suppositis, perpendat Lector, qua veritate potuerunt dicere de Sancto Chrysostomo, *hæc ille*, quando ipse nec iota habet de hac auctoritate, & si aliqua illius verba extant in Origene, iam est multiplicata, vt videbimus num. 233. Spina affirmat, quòd Chrysostomus in pluribus aliis libris suis dixit, Virginē fuisse conceptam in peccato originali. Sed vbi sunt illi libri? quia ego illos non inuenio, nec aliquis hucvsque vidit.

IOANNES CliuKot, Saxo Sæcularis, in 3. Sentent. dist. 3. *Ita Anonymus via 3. Rat. 9. Auctore 196.*

VERITAS 165.

BREVITER Nos expediemus ab hoc Auctore, hìc multiplicato, vt constabit infrà num. 168. & demum ficto. Anonymus enim, qui in classi Eremitarum Sancti Augustini, Auctore in illa classe 12. adduxerat Ioannem Diuchot de Saxonia, in 3. Sentent. distinct. 3. in classe Presbyterorum Sæcularium, Auctore illius classis 16. iterum adducit Ioannē istum, sic dicens: *Idem tenet Dominus Ioannes CliuKot Saxo, in 3. Sentent. dist. 3.* Et nihil amplius, quia nullam adducit auctoritatem: hunc verò esse multiplicatum, patet euidenter. Primò, ex nomine, Ioannes; cognomine, quia idem est CliuKot, & Diuchot, licèt ex malitia mutauerit Anonymus aliquas litteras. Vincentia autem vocat Augustinianū Cliuoth, & solùm differunt in vna littera, vt videbimus, num. suprà citato 168. ex patria, & natione, quia ambo sunt Saxones, ex opere, quia vterque in 3. Sentent. dist. 3. Secundo, quia nullus Nomēclator antiquus, vel modernus, de tali Ioanni CliuKot Sæculari, mentionem vllam facit. Tertio potissimè, quia cùm Bandellus, Vincētia, & Grysaldus, qui scripserunt post Anonymum, omnes Auctores ab hoc adductos transcripserint, hunc Ioannem CliuKot Saxonem Sæcularem absolutè prætermiserunt. Videntes claram, & apertam multiplicationem. Et quid diceres, ò Lector! si hic esset etiam triplicatus? Vide num. 191. Ioan. Theuton. seu de Saxonia, Ordinis S. Augustini.

IOAN-

IOANNES Compilator Summæ Canonicæ, quæ incipit: Omnis qui iustè iudicat, &c. super cap. Firmissimè, de Consecrat. distinct. 4. *Turrecrem. cap. 36. fol. 125. à tergo. Anonymus Auctore* 184. *Bandell. capit. 19. Deza fol. 29. à tergo. Vincent. & Gryfaldus.*

VERITAS 166.

AD Exactam cognitionem huius Auctoris, necesse erit prius transcribere eius auctoritatem, seu verba, prout ab Aduersariis adducuntur. Ioannes ergo de Turrecremata, postquàm in classe de Canonistis, Auctore primo posuerat Ioannem Theutonicum, Glossatorem Decreti, in capit. Pronuntiandum, de Consecretione distinct. 3. verbo Natiuitas, interposito solo vno Auctore, scilicèt Bartholomæo Brixiensi, hæc dicit: Item, ad idem est Magister Ioannes, super Decretum in Summa, quæ incipit: Omnis qui iustè iudicat, stateram in manu gestet, super capite Firmissimè, de Consecratione distinct. 4. vbi facta distinctione de duplici natiuitate, dicit sic: *Virgo Maria nata est, id est, concepta cum originali peccato, quod tamen credimus ei fuisse dimissum, vndè eius Conceptio non celebratur generaliter.* Bandellus verò, & Vincentia sic: Idē tenet Dominus Ioannes Compilator Summæ Canonicæ, quæ incipit: Qui iustè iudicat, super cap. Firmissimè, sic dicens: *Beata Virgo nata est in vtero matris cum peccato originali, quod tamen credimus ei postmodum fuisse dimissum, vndè eius Conceptio non celebratur generaliter, sed Natiuitas. Hæc ille.* En habes, Lector, Auctorem, & auctoritatem ex Aduersariis, sed antequàm ad Auctorem, & auctoritatem progrediamur secundum veritatem, nota, quod Bandellus Auctorem, & auctoritatem transcripsit à Turrecremata, sed vide quot, ac quanta superaddidit vitia. Primò, vbi Turrecremata, *Magister Ioannes*; ipse, *Dominus Ioannes*, vt sic intelligerent legentes, quòd hic Auctor nō erat Religiosus, sed Sæcularis. Secundo, tacuit illam clausulam, *vbi facta distinctione de duplici natiuitate*, vt ex illa non deueniret veritas in cognitionē Auctoris, & auctoritatis. Tertio, propter eandem rationem tacuit illud, *de Consecratione distinct. 4.* Alia autem vitia detegentur in ipsamet vera, & legitima auctoritate, quia res sic se habet.

Hic Auctor est quatuordecimplicatus in hac Ventilatione: nam primò F. Ioannes Theutonicus, Ordinis Prædicatorum, scripsit Summam Confessorum, de quo infrà num. 193. Secundo, hic fuit Ioannes ille Theutonicus, qui edidit Glossas Decreti, de quo nos infrà num. 192. Tertio, hic etiam ex proprio nomine appellabatur Magister Moneta, quem etiam adducunt infrà num. 219. Quarto, hic itidem ex dignitate fuit Episcopus Bosnienfis in Hungaria, vt vidimus suprà num. 157. Quinto, hic fuit Ioannes Gallicus, Glossator Decreti, de quo infra num. 173. Sexto, auctoritatem eius adducunt sub nomine Guillielmi, Episcopo Metensis, in Apparatu Raymundi, vt diximus n. 109. Septimo, auctoritatem huius adducunt sub nomine Hugonis Ferrariensis, vt demonstrauimus n. 125. Octauo, adducitur sub nomine Hugutii, de quo suprà num. 129. Nono, hic adducitur sub nomine Ioannis Magistri, Compilatoris Summæ Decreti. Cum his ergo octo multiplicationibus, & hoc auctore, & aliis quinque, de quibus num. 192. fecerunt Aduersarii festiuitatem magnam suæ sanctificationis cum duplicata Octaua.

Frater ergo Ioannes Moneta de Friburgo, Theutonicus, Doctor Gallicus, Episcopus Bosnienfis, Ordinis Prædicatorum, Glossator, & Compilator Decreti, atque Apparatus Raymūdi, edidit quandam Glossam super caput Firmissimè, de Consecratione distinct. 4. quæ extat in margine Decreti (licèt non in omnibus impressionibus, quia Venetiana facta anno 1485. apud Baptistā de Tortis, caret tali Glossa, sicut in aliis, vt latè diximus num. 125.) quæ sic se habet: *Vt hoc melius intelligas, scias, quòd duæ sunt natiuitates, scilicet in vtero, & alia ab vtero. In vtero nasci, est in vtero animam corpori infundi, ex vtero nasci, est ex vtero in lucem prodire. Vndè Beata Virgo, & Ioannes Baptista, & Hieremias cum originali peccato fuerunt in vtero, & hoc vult dicere littera, cap. in principio ibi: Omnem hominem, &c. Vndè Conceptio Beatæ Mariæ non debet celebrari, sed Natiuitas ex vtero benè celebratur, & S. Ioannis, quia fuerunt in vtero sanctificati, & eis fuit dimissum originale peccatum. H.* Ex hac auctoritate Cōpilatoris, siuè Magistri Ioannis, vel melius, alterius incogniti Dominicani, suas fabricarunt Turrecremata, & Bandellus, sed notare debes sequentia. Primo, quòd hic illam abbreuiarunt, quia suprà num. 125. in Hugone illam dederunt integram, vt sic existimaremus hanc esse diuersam ab illa. Secundo, quòd falsò, & contra veritatem fuit suprà adductus Hugo Ferrariēsis, & idem dico de Hugutio adducto num. 129. quia hæc auctoritas est Ioannis, secundùm ipsos, vel alterius secundùm veritatem. Tertio, quòd malitiosè ad calcem huius auctoritatis fuit addita littera illa *H.* cùm apponenda esset *I.* sed hic potuit esse error Typographiæ. Quarto, quòd tota auctoritas est vitiata quantum ad litteram, licèt non quantum ad sensum, quia Compilator Magister Ioannes expressius lequitur

quitur contra immaculatam Virginis Conceptionem, quam Turrecremata, & Bandellus, ſed iſti mutauerūt habitum auctoritatis, & operuerunt vultum eius, vt in binio itineris non agnoſceretur. Vide quæ dicimus infra de hac auctoritate Decreti num. 247.

IOANNES Damaſcenus, Sanctus, in 3. Sentent. cap. 2. & in Serm. Aſſumptionis. *Turrecrem. part. 6. cap. 3. fol. 93. a tergo. Anonym. Auctore 28. Bandel. cap. 20. Dezza folio 31. Capreolus, Vincentia, Brixienſis, Canus.*

VERITAS 167.

HVIVS Sanctiſsimi Eccleſiæ Græcæ Doctoris, cuius opera fuerunt impreſſa in diuerſis Europæ partibus anno 1572. & 1550. 1512. & 1603. & Baſileæ, & nouiſsimè Pariſiis 1619. cum notis Doctiſsimi Iacobi Billii, primam auctoritatem ſic adducunt: Beatus enim Ioannes Damaſcenus Presbyter, Doctor illuſtris, qui ſapiētia, & miraculis floruit anno Domini 640. in 3. libro Sentt. ſuarum ſic dicit: *Spiritus Sanctus ſuperuenit in Virginem, purgans ipſam, & potētiam Verbi diuini ſuſceptiuam, tribuens ſimul, & generatiuam. Hæc ille.* (& conſequenter adducunt) Vndè Magiſter Sententiarum allegans prædictam auctoritatem, ſtatim ſubiungit: *Ex his peſpicuum fit, quod ante diximus, totā Virginem, Spiritu Sancto Conceptionem filii præueniente, ab omni peccati labe fuiſſe caſtificatam. Hæc ille.* Hæc eſt auctoritas Damaſceni adducta ab Aduerſariis, cum Gloſſa Magiſtri. Damaſcenus autem in 3. libro Orthodoxæ fidei, cap. 2. fol. 361. (vndè conſtat, quod auctoritas non extat in libro Sententiarum ſuarum, quia liber Sententiarum Damaſceni nec habet libros, nec capita, nec ibi eſt talis auctoritas) ſic dicit: *Quocirca poſt Sanctæ Virginis aſſenſum iuxta Domini Sermonem ab Angelo prolatum, Spiritus Sanctus in eam ſuperuenit, eā luſtrans, vimque ei tùm ad ſuſcipiendum Verbi Deitatē, tùm ad gignendum ſuppeditans. Actum illa verè ſubſiſtens Altiſsimi Dei Sapientia, & potentia, ille, inquam, Dei filius, illud Patri conſubſtantiale diuinum, vt ita dicam, ſemen, in eam obumbrauit, atque ex caſtis, & puriſsimis ſanguinibus carnem anima rationali, atque intelligente animatam, primitias videlicèt noſtræ conſperſionis ſibi ipſi condidit, &c.* Hæc eſt Damaſceni auctoritas; ex qua ſic argumentantur Aduerſarii, præcipuè Turrecremata: Secundū Damaſcenum Maria fuit purgata in Incarnatione Filii Dei, S. Thomas, & Magiſter Sententiarum referunt hoc ad purgationem fomitis; atqui fomes in nullo eſt, niſi in quo eſt, vel fuit formaliter culpa originalis: ergo Maria contraxit originale. Ego ſubinfero aliam illationem: ergo Damaſcenus nihil dicit in ſuis verbis, niſi ſecundùm interpretationem Sancti Thomæ de Aquino, & Petri Lombardi, qui tamquam Aaron, & Hur ſuſtētant eius ſententiam, & verba. Sed cùm in textu Damaſceni nō ſit, *eam purgans*, ſed, *eam luſtrans*, vt viſum eſt, totum ruit ædificium.

Sed dicent Aduerſarii, & non abſque veritate, quod licèt verbum Græcum, ſit indifferens ad luſtrationem, vel ad purgationem, tamen in antiquis originalibus, vſus à Sancto Thoma, & Petro Lombardo, non erat, *eam luſtrans*, ſed *eam purgans*, & quod ipſi non viderunt Damaſcenum, ſed ſolùm Petrum Lombardum, à quo ſuam extraxerunt auctoritatem. Admittimus excuſationem: ſic enim factum fuiſſe firmiter credimus; nam propter hoc citarunt contra veritatem Sanctum Damaſcenum in 3. Sententiarum, confundentes Ioannem Damaſcenum cum Petro Lombardo. Sed videamus, qua fidelitate tranſcripſerunt ſuam auctoritatē à Petro Lombardo Sententiarum Magiſtro? Hic ergo in 3. Sentent. diſt. 3. §. 1. ſeu cap. littera A. fol. mihi 219. citans ad marginem Damaſcenum lib. 3. de Orthodoxa fide cap. 2. ſic inquit: *Cui ſacra Virgo reſpondit: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum, quod exponens Ioannes Damaſcenus ait: Poſt conſenſum autē S. Virginis, Spiritus Sanctus ſuperuenit in eam, ſecundùm verbum Domini, quod dixit Angelus, purgans ipſam, & potentiam Deitatis Verbi receptiuam præparans, ſimul autem, & generatiuam, & tunc obumbrauit ipſam Dei Altiſsimi, &c.* Hæc ſunt Magiſtri verba: Attende ergo, & nota, in quantis in hac auctoritate à veritate defecerunt? Nam vt celarent tempus Dominicæ Incarnationis, de quo loquuntur Damaſcenus, & Magiſter, & vt prædicta verba ordinarēt ad Conceptionem paſsiuam B. Virginis, abſtulerunt totam illam primam clauſulam: *Cui ſacra Virgo reſpōdit: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm Verbum tuum*, & ſimiliter illam, *Poſt conſenſum autem Sanctæ Virginis*, quæ duæ dictiones apertè deſignabāt tempus Incarnationis Dominicæ. Et propter eandem cauſam, & finem tacuerunt illam particulam, *ſecundùm verbum Domini, quod dixit Angelus*. Deindè vbi Damaſcenus relatus à Magiſtro ait: *Et potentiam Deitatis Verbi receptiuam præparans*; ipſi appoſuerunt, *tribuens*, non quia præparare, ac tribuere idem eſſe indicarēt; non enim erant adeò ignorantes latinitatis, ſed hoc fecerunt, vt non cognoſcerent legentes, Damaſcenum, & Magiſtrum locutos fuiſſe de præparatione immediata, qua Virgo ad concipiendum, & generandum Deum, ab Spiritu Sancto

Sancto fuerat dispositа, & præparata, indicantes satis cauillosè, quòd Virgo antè cōsensum, & aduentum Spiritus Sancti, non habebat virtutem verbi receptiuam, & generatiuam; solū ergo in tota auctoritate reliquerunt intactum, absque vitio, & adulteratione, verbum illud, *purgans ipsam*, ex quo amplius manifestatur ipsorum dolus. Sed quidquid sit de hoc, quomodo, vel qualiter ex his duobus verbis, *purgans ipsam*, volunt inferre hanc consequētiam: ergo Maria fuit concepta in peccato originali? Quia illud, quòd purgata fuerit à fomite, est gratis dictum, vt non dicam, esse falsum testimonium cōtra Magistrum Sententiarum; quia Magister clarè, & expressè loquitur de carne, non de spiritu, de corpore, non de anima. Attende, ò Lector! quia veritas Triturando comminuit montes istos.

Petrus Lombardus, sub hoc titulo: *De carne, quam Verbum assumpsit, qualis antè fuerit, & qualis assumpta sit*, adducit auctoritatem suprà positam, & concludit sic: *Ex his perspicuum fit, quòd ante diximus, carnem scilicèt Verbi, simul conceptam, & assumptam: eandemque imò totam Virginem Spiritu Sancto præueniente, ab omni labe peccati castificatam, &c.* Cùm ergo titulus quæstionis sit de carne Christi, ac Mariæ, & similiter omnia verba quæstionis sint de prędicta carne, cur illud verbum, *purgans ipsam*, non erit etiam de eadem carne, & non de fomite, de quo in resolutione nec verbū habet? Sed de hoc alias in Petro Lombardo: concludimus ergo, affirmando, quòd Aduersarii non legerunt Damascenum, nam si ipsum vidissent, pariter cognouissent in impressione Parisiensi ann. 1603. & in altera 1619. esse, *eam lustrans*, & nō adducerent textum Petri Lombardi pro S. Ioanne Damasceno, & quòd illud de fomite fuit dictum absque fundamēto, ac deniq; quòd tota hæc auctoritas fuit vitiata, & adulterata, inanis, & extra rem, ad probandum suum propositum assumptū de peccato originali in anima, cùm ipsa loquatur de carne, & sanguine, sed etiam hic caro concupiscit aduersus spiritum.

Pro exacta huius Damascenæ auctoritatis intelligentia, adduco Vbertinum de Casali, Ordinis Minorum antiquum Scriptorē, & quem Aduersarii allegant pro sua opinione. Hic loquens de Conceptione Verbi in vtero Virginis lib. 1. capit. 8. post medium sic inquit: *Habuit autem hæc conceptio tria nobilissima priuilegia: scilicèt, quòd esset sine peccato originali, quòd esset non puri hominis, sed Dei, & hominis, quòd esset conceptio matris, & Virginis. Ista tria à natura non habuit, sed ab Spiritu Sancto. Et ideò dicit Damascenus, quantum ad primum, quòd Spiritus Sanctus superueniens Virgini purgans ipsam, id est, præseruans, ne cum peccato originali conciperet, fomitem totaliter extirpando. Quantum ad secundum dicit, & virtutem Verbi Dei susceptiuam tribuens, id est, vt conciperet Verbum Dei. Quantum ad tertium dicit; simul autem, & generatiuam, vt scilicèt manens Virgo, posset generare. Attende autē, quòd caro Christi semper dicitur à peccato immunis, &c.* Ex quibus verbis colligitur. Primo, quòd illud purgare Damasceni, fuit idem quod præseruare. Secundo, quòd Auctoritas constituit peccatū originale in fomite, seu concupiscentia, cum qua mater generat, seu concipit. Tertio, quòd caro Christi semper fuit à peccato immunis, quia eius Virgo mater non concepit illam cum fomite. Ex his tribus placitis Vbertini primum, & vltimum sunt indubitata, secundùm laborat sub æquiuoco, quia vocat peccatum originale, fomitem illum, concupiscentiam, libidinem, seu delectationē, cum qua mater concipit carnem, & secundùm hanc acceptionem est verissimum, quòd sola caro Christi semper fuit à peccato immunis, non autem caro Virginis, quia illam concepit Anna cum fomite, ac per consequens cum illo peccato originali; sed Patres mei, non est de hoc peccato originali concipientis, & carnis, nostra controuersia, sed de peccato originali concepti, & animæ. Fatemur enim, quòd in hoc sensū Vbertini solus Christus fuit conceptus sine peccato originali. Vide infrà num. 303.

Secundam Damascени auctoritatem sic adducunt: Idem Ioannes Damascenus in sermone Assumptionis, qui incipit: *Instorum memoria, &c.* sic dicit: *Hanc Virginem Mariā Pater prædestinauit, virtus sanctificatiua Spiritus S. obūbrauit, purgauit; & sanctificauit. Tu autem Dei Patris Verbum, corpus, & animā sine peccato ex ea assumpsisti, & toti humano generi redemptionē conferens, factus mediator Dei, & hominum inicitiam dissoluisti, erroneum reuocasti, obcœcatū illuminasti, peccatisque oppressum cōsortem tuæ gloriæ reddidisti. Hæc ille.* Auctoritas vera Damasceni in prælegato Serm. fol. 581. sic se habet: *Hanc & Pater prædestinauit, & Prophetæ per Spiritum Sanctum prædixerunt, Spiritus autem vis sanctificans, superuenit, ac purgauit, & sanctificauit, velutque prærigauit. Ac tum tu Patris terminus, ac ratio citra vllam circumscriptionem commoratus es, vt extremam naturæ nostræ vilitatem ad infinitam incomprehensæ tuæ diuinitatis magnitudinem reuocares. Cuius primitias ex purissimis, & illibatis, ac prorsus immaculatis Sanctæ Virginis sanguinibus susscipiens, carnem animatam anima rationali, & intellectuali tibi ipsi condidisti, &c.* Confer, ò Lector! veritatis amator, hanc auctoritatem cum suprà adducta ab Aduersariis, & inuenies illa sola duo verba, *purgauit, & sanctificauit*, fuisse legaliter transcripta, reliqua vero alia, vel ficta,

ficta, vel adulterata extitiſſe, nec aliam rationē ad hoc maleficium excuſandum inuenies, niſi illam paſsionem communem contra puritatē Virginis, & vt fugerent ab illis verbis: *Ex puriſſimis, & illibatis prorſus immaculatis S. Virginis ſanguinibus.* Nec ſolùm Bandellus, qui in hac materia fuit homo abſque vllo timore, ſed etiam Vincentia, ac Deza, ſic eam adducunt. Quid ergo reſtat, niſi vt Virgo Maria exclamet illud: Populе meus, quid feci tibi? &c.

Mens autem Damaſceni per ſe nota eſt, nam loquitur de tempore Incarnationis Verbi Diuini, quando Spiritus Sanctus *purgauit, & ſanctificauit, velutque prærigauit* ſacratiſsimam Virginem; nam illa tria verba vnum explicat alterum, purgauit, quia ſanctificauit, & ſanctificauit, quia prærigauit ſua gratia, ſicque purgare, fuit ſanctificare, & ſanctificare, prærigare; ideò Aduerſarii ponētes duo prima verba, prætermiſerunt tertium. Sed excludamus omnem interpretationē, & ſumamus verba nudè ſumpta, ſecundùm totum rigorem, ex quo illorum deducitis, Virginem contraxiſſe peccatum originale? Non ex vltimo, *prærigauit*, quod de ſe patet; nam illa propoſitio, *præ*, ſignificat ante rigare, & eſt idem quod præuenire, vel præſeruare: non ex medio, *ſanctificauit*, quia etiā nos fatemur Mariam fuiſſe ſanctificatam; deindè hic loquitur Damaſcenus de ſanctificatione in Conceptione actiua, non paſsiua: Ergo ſolùm deducitis veſtram concluſionem ex illo, *purgauit*, quia purgare ſupponit aliquam maculam, fœditatem, vel ſordem. Et interrogo, quæ ſordes, fœditas, vel macula fuit in ſacratiſsima Virgine Maria tempore Incarnationis? Si peccati originalis: ergo non fuit ſanctificata in vtero matris, quod vos, & tota Eccleſia concedit: ſi alia eſt pluſquam falſum, & temerarium, & extra quæſtionem. Si dicitis, quòd fuit purgata à fomite, componite hoc cum verbis Damaſceni, malitiosè à vobis prætermiſsis: *Ex puriſsimis, & illibatis ac prorſus immaculatis Sanctæ Virginis ſanguinibus.* Si ergo vocat Virginem puriſsimam, illibatam, & prorſus immaculatā, quare minus ponderant hæc tria epitheta proteſtatiua noſtræ ſententiæ, quàm illa vox, purgauit, quæ nec in ſenſu catholico poteſt verificari, nec vobis aliquid prodeſt? Purgate, fratres, vetus fermentum, vt ſitis, &c.

IOANNES Diuchot de Saxonia, vel Cliuoth, vel Liniros de Saxonia, Ordinis Sancti Auguſtini, in 3. Sentent. diſtinct. 3. *Turrecremata capit. 33. fol. 124. Anonym. Auctore 166. Bandellus capit. 25. Deza folio 49. Vincentia, Paulus Gryſaldus, folio 246.*

VERITAS. 168.

INTER Auctores confuſos ab Aduerſariis addictos, hic vnus eſt, vt ex dicendis conſtabit ſequentibus propoſitionibus iuxta veritatem ſtabilitis, ex quibus principiis poſtea deducenda erit concluſio, ſcilicèt, quod ſit multiplicatus, & fictus. Eſt ergo prima propoſitio, quod Turrecremata in claſſe Eremitarum hunc adducit his verbis: *Item ad idem eſt eiuſdem Ordinis P. M. Ioannes de Liniros de Prouincia Saxoniæ in 3. Sentent. diſt. 3. Ad hoc plures auctoritates Sanctorum, quarum prima eſt Auguſtini, ſuper illud Pſalm. 34. Ego autem, cùm mihi moleſti eſſent, induebar cilicio. Vbi dicit Auguſtinus, quod Beata Virgo Maria ex Adam mortua eſt propter peccatum Adæ. Adijciens, quòd non poteſt exponi de morte, quæ eſt pœna: quia iſta mors fuit cōmunis Chriſto. Item dicit Auguſtinus in 2. contra Iulianum, & de Nuptys, & concupiſcentia, & multa alia.* Hæc habet Turrecremata de Ioanne de Liniros, de Prouincia Saxoniæ, quæ non eſt auctoritas, ſed quædam recapitulatio auctoritatis incongruēter diſpoſita, & non adducit Ioannē Diuchot, vel Cliuoth de Saxonia. Secundum principiū, ſit, quod Anonymus ſcribens poſt Turrecrematam, non adducit Ioannem de Liniros, ſed ſub alio nomine ſic dicens: *Idem tenet Magiſter Ioannes Diuchot de Saxonia, in 3. Sent. diſt. 3.* Et nullam adducit auctoritatem. Tertio, Bandellus ſcribens poſt Turrecrematam, & Anonymum ſic adducit hunc Auctorem: Idem tenet Magiſter Ioannes Cliuoth de Saxonia, in 3. Sētent. diſt. 3. ſic dicens: *Beata Virgo, ſecundùm auctoritates Sanctorum, fuit concepta in peccato originali. Vndè dicit Auguſtinus ſuper Pſalm. quòd Maria ex Adam nata, mortua eſt propter peccatum; creditur tamen, quòd ab eodem ante nativitatem ex vtero fuerit mundata.* Eadē verba, nulla mutata ſyllaba, habet Vincentia. Gryſaldus verò ſolùm habet hæc verba: *Ioannes de Saxonia 3. diſt. 3. Beata Virgo contraxit peccatum originale.* Ex his tribus principiis deduco, hunc Auctorem eſſe fictum, adulteratū, ac fortè etiam mendaciter adductum.

Quod ſic probo, quia Ioannes de Liniros, vt appellatur à Turrecremata, non inuenitur in rerum natura. Nam Thomas de Herrera in ſuo Alphab. Auguſtin. tom. 1. fol. 466. ex Angelo Rocca refert quemdam Ioannem Liciniū, qui ſcripſit ſuper Salutationem Angelicam, ſed hic neque ex nomine, neque ex opere conuenit cū Ioanne de Liniros adducto à Turrecremata. Trithemius fol. 84. meminit cuiuſdam Ioannis de Ligneris, ſed hic fuit Aſtronomus, nō Theologus; Pariſiēſis, non Saxo; ac deniq; Sæcularis,

non Ordinis S. Augustini; & immediatè post mētionem facit idem Trithemius de quodam Ioanne de Saxonia, discipulo antecedentis, qui etiam fuit Sæcularis, & scripsit de Astronomia, sicut Magister eius, de quo etiam Gesnerus fol. 466. De reliquo nulla, vel minima memoria inuenitur in tota litterarura Ecclesiastica, de Ioanne de Liniros Augustiniano. Vidētes hoc Anonymus, & Bandellus cum aliis prætermittentes nomen de Liniros adductum à Turrecremata, excogitarunt aliud nomē, appellantes ipsum Ioan. Diuchot, vel Cliuoth de Saxonia, sed etiā hic est fictus: nam nullus Nomenclator antiquus de ipso mentionem facit, nec modernus, nisi Thomas Gratianus in Anastasi Augustiniana fol. 110. dicens solùm, quod scripserit super Sententias, & Thomas de Herrera in Alphabetō folio 466. sic dicens: *Ioannes Cliuoth de Saxonia, Theologus illustris, vt sub anno 1395. Pamphilius, inquit, in Magistrum Sententiarum edidit commentaria, eum Vincentius de Bandellis de Castronouo, in Opusculo de Conceptione Virginis allegat ex lib. 3. Sent. dist. 3. inter Auctores Augustinianos, qui Deiparam originali labe infectā affirmarūt.* Cùm ergo Pamphilius, & alii notitiam sumpserint ab vnico Bandello, Bandellus ab Anonymo, & hic mutando cognomen a Turrecremata, & Turrecremata non appellet ipsum Ioannem Cliuoth, sed Ioannem de Liniros, & hic non fuerit in rerum natura, vt suprà dixi; sequitur de primo vsque ad vltimum, Auctorem hunc esse fictum, & suppositum. Quod confirmatur, nam Anonymus, à quo cæpit inter Augustinianos Auctor iste Ioannes Cliuoth, etiam eum facit Doctorem Presbyterum Sæcularem, vt vidimus suprà numero 165. ergo sicut vnus, ita est & alter.

Ad confirmationem prædictorum, quando alia non extaret ratio, ipsamet auctoritas adducta ab Aduersariis sufficeret; quia Turrecremata, vt suprà vidimus, non adducit auctoritatem formalem, sed solùm quandam relationem, Anonymus verò nullam, illa Bandelli tota est ficta falsa, & fabricata ex proprio cerebro, vt intuenti patebit: nam ex sola relatione Turrecrematæ ipsam finxit addendo more suo principaliora verba; ideò non dixit ad finem: *Hæc ille*, sicut facit in omnibus aliis. Sed dato, quòd Auctor, atque auctoritas illius essent vera, cùm Auctor non compareat, nec opera sint typis mandata, ab Area necessariò est excludendus. Vel fortè hic Ioannes de Saxonia est ille, quem cōmuniter Scholastici vocant Ioannes de Basilea, nam vtraque est in Germania, & hic Ioannes de Basilea fuit Ordinis Sancti Augustini, & scripsit super Sententias: si ergo est hic Auctor non est fictus, sed erit mendaciter adductus, quia Ioannes de Basilea, Augustinianus taliter fuit pro nostra sententia, vt de ipso dixerint Ioann. Vitalis Minorita lib. 4. sui defensorii art. 7. & Alanus Parisiensis: *Item Dominus Ioannes de Basilea Episcopus, Ordinis Eremitarum, qui prima par. Responsuarum tenet, quòd Virgo Maria purissima cōcepta fuit sine originali culpa: Et ibidem ponit quinque modos, quibus solui possint rationes oppositum dicentium, de quibus infrà dicam.* Vel hic Ioannes de Saxonia potest esse, quem infrà adducunt Aduersarii sub nomine Ioannis Stringarii num. 190. qui etiam fuit Augustinianus, & scripsit super Sententias, & simul citatur in 3. dist. 3. sed si iste est, ille non solùm est fictus, mendaciter adductus, & multiplicatus, sed etiam habet alia quæ carent nomine, vide ibi, & num. 191. & 198.

IOANNES Dominicus, Beatus Florentinus, Archiepiscopus Ragusinus, Cardinalis S. Sixti, Ordinis Prædicatorum, super Magnificat, & in Tractatu glorioso de Conceptione, & super Ecclesiast. *Ita S. Antoninus, Anonymus Auctore 89. Bandel. cap. 23. Deza fol. 39. Vincent. & Gryfald.*

VERITAS 169.

HIC Fuit Magister S. Antonini Florētini, de quo honorificam mentionē faciunt omnes Nomenclatores, præcipuè Michael Poccantius, in Bibliotheca Florentina fol. 94. de quo dicitur fuisse natum ann. 1340. & migrasse è vita ann. 1420 Michael Pius part. 2. lib. 2. fol. 180. mentionē facit de quodam Dominico Hispano, qui ad annum 1348. scripsit Tractatum de Conceptione Virginis, ex Vincentio Bandello, sed dicit fuisse Cathalanum, vndè non videtur iste. Vide num. 131. & part. 1. lib. 4. colum. 574. inter Cardinales, & part. 2. libro 3. colum. 10. ad annum 1417. latissimè agit, ac recenset semel, & iterum omnia opera illius Ioannis Dominici, sed de aliquo glorioso opere de Conceptione nec minimum habet verbum. Et infrà eadem part. 2. lib. 3. colum. 67. ad annum 1483. & vt celaret tam apertam multiplicationem, quem suprà appellauerat Italicè: *Fra Giouanni di Dominico Fiorentino*, hic vocat: *Fra Dominico di Giouanni Fiorentino*, & adscribit illi alia opera scilicèt, *vn volume diſtinto in quatro libri delle lodi della B. Vergine in verso, &c. et vn poema heroico et grande delle Historie de Fiorentini, la vita della B. V. in verso, intitulata, Theoticos, &c.* sicq; multiplicauit Auctorem, & opus, vt infrà videbimus.

Primam huius auctoritatem sic adducunt: Idem tenet D. & Beatus Ioannes Dominici de Florentia, Cardinalis S. Sixti, super Magnificat,

cat, ſic dicens: *Dicere, B. Virginem non fuiſſe conceptam in peccato originali, eſt omnes antiquos Doctores negare, & permaximè Auguſtinum, qui expreſsè dicit, Beatam Virginem fuiſſe in originali peccato conceptam, in* 10. *ſuper Geneſi ad litteram.* Pro ventilatione huius auctoritatis dico ſequentia. Primum, quòd omnes Nomenclatores moderni affirmant, hunc ſcripſiſſe ſuper Magnificat, præcipuè S. Antoninus, in 3. part. Hiſtoriæ titul. 23. cap. 11. §. 3. folio 682. vbi omnia huius inſignis Scriptoris refert opera latiſsimè, & de Magnificat dicit: *Super Magnificat non breue ſermone commentaria fecit, &c.* Et tamen in ſuo Cathalogo pro Conceptione ſolùm illum adducit ſuper Eccleſiaſt. nullam faciens mentionem de tractatu ſuper Magnificat, nec de hac tam expreſſa auctoritate adducta à Bandello! Secundo, idem dico de Turrecremata, qui abſolutè hunc prætermiſit in ſuo Cathalogo. Tertiò, quod idemmet Bãdellus adducit Dominicũ de Dominicis, vt vidimus ſuprà num. 67. ſuper Magnificat, licèt ibi nullam adduxerit auctoritatem. Ex his, & aliis principiis dico, & affirmo, hunc Ioannem Dominicum de Florentia ſuſtinuiſſe opinionẽ minus piam, quia S. Antoninus eius diſcipulus ipſum citat in Eccleſiaſten, ſicut etiam Ambroſius Catharinus ſtatim adducendus: ſed hoc nõ obſtante ſimiliter dico, & affirmo, auctoritatem ſuprapoſitam à Bandello, & Vincentia, &c. eſſe fictam, & penitùs ab aliquo ipſorum fabricatam: tum quia omnia verba illius ſunt Bandelliana, tum quia S. Antoninus non illam prætermitteret, nec Turrecremata: tum quia nõ eſt credibile, quòd quidam Beatus, S. R. E. Cardinalis, diceret illud apertè manifeſtum mendacium de S. Auguſtino: *Qui expreſsè dicit, Beatã Virginem fuiſſe in originali peccato conceptã, in* 10. *ſuper Geneſi ad litteram*, vt vidimus ſuprà num. 34 auctor. 12. ſed pergamus, ô Lector! ad alia, quia in hac materia grandis nobis reſtat via.

Secundam auctoritatem ſic adducunt: Item idẽ in tract. glorioſo de Conceptione, qui incipit: *Reſecandæ ſunt putridæ carnes*, cap. 22. & 23. & 26. vbi ſic dicit: *B. Virgo fuit concepta in peccato originali, vt dicunt Sancti, & omnes Doctores, dicere autem oppoſitum, EST HÆRETICVM. Tum quia eſt ſequi hæreſim damnatã Pelagij. Tum quia eſt fidei veritati contradicere. Tum quia eſt ſacram Scripturam deprauare. Tum quia eſt ab auctoritate Eccleſiæ, & Conciliorũ ſe diuidere. Tum quia eſt negare, eam per paſsionem Chriſti fuiſſe redemptã. Tum quia eſt dicere, eam eſſe æqualis puritatis cum Chriſto. Tum quia eſt dicere, eam non fuiſſe mortuã. Hæc ille.* Illa verba, *eſt hæreticum*, ſcribit Vincentia litteris maiuſculis, tàm in originali primo antiquo, quàm in moderno impreſſo Venetiis, vel verius Panormi, hoc ann. In 8. ſed tàm tract. illum de Conceptione, Ioannis Dominici, quã auctoritatem hanc adductam a Bandello, & Vincentia, eſſe fictam, & ſuppoſitam, ex ipſa verborum ſtructura, abſque alia comprobatione cuilibet conſtare poterat: Sed vt non videamur loqui ſine tundamentis, probatur ſic. De hoc Doctore Ioanne Dominico, atque ſcriptis eius latiſsimam mentionem faciunt Trithemius folio 103. Geſnerus, folio 419. Poſſeuinus, folio 866. Poccantius in Bibliotheca Florentina, fol. 94. Bibliotheca Cardinalitia Turrigii, folio 31. Et ex propria Religione Prædicatorum, Sixtus Senenſis, folio 264. Placentinus, fol. 383. Michael Pius vt ſuprà, Catharinus infrà adducendus, ac denique S. Antoninus, diſcipulus Ioannis Dominici loco citato: at in Cathalogo operum ipſius non recenſet talem glorioſum Tractatum de Conceptione, & in Summa ſolùm ipſum adducit, vt infrà videbimus, ſuper Eccleſiaſten. Ioannes Carolus Florentinus, huius inſignis viri vitam, & lucubrationes latiſsimè deſcribit, ſed de tali tractatu de Conceptione nec verbum habet. Cùm ergo nullam de tali glorioſo opere de Conceptione iſti Nomenclatores faciãt mentionem, credendum eſt, fuiſſe figmentum Bandelli. Secundò, quia Antonius Senenſis, in duplici loco ſuæ Biblioth. agit de hoc Ioanne Dominico, ſcilicèt, fol. 69. & fol. 150. in vltimo nihil dicit de iſto Conceptionis opere, in primo verò hæc habet: *Dominicus Ioannes Florent. vir ob ingenio ſingulari, &c. cõpoſuit ſermone puro, & nitido, & eleganti carmine librũ in laudem B. Virginis Mariæ, in* 4. *lib. diſtinctũ, &* 1. *quidẽ tractat de vita, & obitu eius, in* 2. *de eiuſdẽ mortalitate, & gloria in* 3. *& 4. de Tẽplis Romæ, & in Hetruria B. Virgini dicatis. Hũc librũ manuſcriptũ in mẽbranis, characteribus ſatis antiquis, vidi Mediolani in conuentu noſtro S. Mariæ gratiarum, Bibliotheca cõmuni.* Sed liber iſte nec eſt de Conceptione, nec ſoluta oratione, ſed carmine: ego autem illum vidi, & legi, in biblioth. omnium Sanctorum Florentiæ, vbi extat M. S. in membranis cum hac inſcriptione: Dominici Ioannis Florent, Ord. Prædic. in lib. dicto Theotocõ de vita pariter, & obitu Dominæ noſtræ Virginis Mariæ, ſcripto, & donato à Iacobo Nicolo de Chocho, Florentino Biblioth. Fratrum Obſeruantium S. P. N. Franc. die 4. Octob. ann. 1475 &c. & fuit finitus, vt ibidem dicitur, ann. 1468. & dicatus D. D. Petro de Medicis: reuolui totum librum, & pro hac materia Conceptionis ad finem libri ſecundi hæc ſolùm inueni: *Deleuit veteres hæc ſine labe notas.* Sed verba iſta pro nobis ſunt, & alia non extant: ergo ex omni parte illud opus glorioſum de Conceptione videtur fictum. Tertiò, quia hic Ioannes Dominicus mortuus fuit anno 1420. vt ſuprà

dixi, & fatentur Aduersarii, & post quindecim annos scripsit Turrecremata suum Cathalogū, & eodē tempore S. Antoninus, primus, ac præcipuus Ioan. Dominici discipulus, & nec vnus, nec alter de tali Tractatu glorioso mentionem facit: qui enim citauit ipsum in Ecclesiastem, non prætermitteret tam insigne opus cuiusdā Archiepiscopi Ragusini, & S.R.E. Cardinalis, nisi fortè illum prætermiserunt, quia, vt vos dicitis, resecandæ sunt putridæ carnes, & cætera, &c. Denique etiam ex verbis S. Antonini videtur istum tractatum fuisse fictum, inquit enim sic: *Ita exponit Dominus Ioan. Dominici super Eccles. vbi etiam per multa originalia Sanctorū antiquorum, & rationes probat propositum.* Scilicèt Virginem Mariam fuisse conceptā in originali peccato. Quando ergo S. Antoninus nō prætermisit circumstantiam de originalibus antiquorum, non obliuisceretur certè de tam glorioso tractatu: insuper iste, vel fuit scriptus antè vel post Eccles. iſ. quidquid dicant, erat reduplicatio eiusdem quæstionis, ac materiæ.

Tertiam auctoritatem sic adducit S. Antoninus in illo capit. 2. de quæstione Conceptionis circa principium, tangens illud: *Virum de mille, &c. Vir*, inquit Antoninus, *ille fuit Christus, numerus autem millenarius ponitur, iuxtà morem Scripturæ, determinatus pro indeterminato, id est, pro omni cœtu Sanctorum, inter quos solus Christus repertus est sine peccato aliquo, non aliqua mulier, ita exponit Dominus Ioann. Dominici super Ecclesiast.* Hæc solùm habet Sanctus Antoninus de suo Magistro Ioanne Dominico, in illa quæstione, in qua adducit pro sua opinione, omnes Auctores, quos reperire potuit: ergo illa adducta à Bādello super Magnificat, & de tractatu Conceptionis, fuerunt ficta, & suppositā, & vt putrida debent resecari. Neq; auctoritas hæc cōcludit aliquid pro opinione Aduersariorum, quia sunt vniuersalia, & magis ponderare debent illa eiusdem Auctoris: *Deleuit veteres hæc sine labe notas.* Voi nulla est fictio, quia illam vidi. Item hæc auctoritas videtur multiplicata in Guillielmo de Alcona num. 103. & cum Iacobo de Lausana numero 135. Nam Ambros. Catharinus in illo insigni tractatu pro immaculata Conceptione ad Patres sui Ordinis, fol. 32. loquens de hoc tract. super Eccleſiast. qui manuscr. seruatur Pesulis, inquit: *Sed obsecro te, bone Lector, rem miram audi: B. Ioan. Dominicus Florentin. nostri Ordinis, & Cardinalis Ragusinus, cum nostram quæstionē tractaret in opere suo super Ecclesiast. & declarare vellet transfusionem originalis peccati, post, nonnulla exposita, ita dixit ad litteram.* Et adducta quadam auctoritate. Ioannis Dominici, sic concludit: *Hæc ille; ex quibus tria adnotari velim: primum quod ipse aliquando aliter sensit, vt latè pateat, quod dixi de horum testium inconstantia, vt nec digni sint vlla fide, præsertim contra gloriam Virginis.* Hæc, vester Catharinus. Ex quibus constat quod Ioannes Dominicus fuit inconstans; & varius, & insuper possumus existimare quod sub hac inconstante expositione Ioann. Dominici super Ecclesiasten, adduxerunt Alconam, & Lausanensem; nam non credo fuisse tot expositiones Dominicanorum super Ecclesiast. Concludimus cum hoc Ioanne Dominico, affirmando, quod in hac expositione super Ecclesiast habet hæc verba: *Libēter hoc*, id est, priuilegium præseruationis à peccato originali, *Mariæ concederem, si Ecclesiæ nō repugnaret.* Ergo cùm deficiat hæc conditionalis; quia Ecclesia non solùm non repugnat, aut contradicit, sed amplectitur, celebrat, & præcipit celebrare; igitur Ioannes Dominicus in hac differentia temporis pro nobis esset, & libenter concederet, Virginem Mariam fuisse conceptam sine peccato putrido.

IOANNES De Francoforte, Ordinis Prædicatorum super Iob cap. 14. & sermon. de Sanctificat. Beatæ Virginis. *Bandell. cap. 23. Deza folio 42. Petrus de Vincent. & Gryſald.*

VERITAS 170.

DE Hoc Auctore nullus Nomenclator antiquus, vel modernus mentionem facit. Nec ipse Franciscus Sueertius in sua Bibliotheca Germaniæ, nec Fabianus Iustinianus in Indice Vniuersali scribentium in Iob fol. 18. nisi aliqui Ordinis Prædicatorum, & incipiēdo à nouissimo, Placentinus folio 391. inquit: *De illo scribit frater Sixtus Senensis, quòd eius volumina stant Lugduni in Biblioth. Conuentus Ordinis Prædicat. antequàm Caluiniani, qui eam ciuitatem per fraudem ceperunt, omnes Bibliothecas familiarum religiosarum, aut combusserunt, aut cum pretiosis quibuscumque sacrarum ædium ornamentis sunt depopulati. Nos Lugduni, inquit, tunc interfuimus, propter quod & vera scribimus.* Hæc Placentinus ex Sixto Senensi. At Sixtus Senensis fol. 265. sic inquit: Ioannes Francofort Germanus concinauit *in Iob Scholasticam Explanationem, cuius meminit Vincētius Bandellus in libro de Christi Conceptione. Habetur Lugduni in Bibliotheca Prædicatorū, cum hoc initio: O vos omnes, qui transitis per viam!* Hæc Sixtus, & nihil de illa combustione Caluinistarum: vndè velint, nolint, tota fides huius auctoris reducenda est ad vnum Bandellum, qui in hac materia Cōceptionis fuit semper, ac totaliter deuiauit à veritate: Et hæc de Auctore.

Aucto-

Auctoritatem nullam adducunt Aduerſarii, nec de illo cap. 14. Iob, ne de ſermone Sanctificationis, & ex hac parte etiam claudicat fides huius Auctoris, ego exiſtimo, quod Bandellus exiſtens in Lombardia, habens notitiam, quòd Lugduni erat opus Ioannis de Frãcoforte, Ordinis Prædicatorum manuſcriptũ, exiſtimans, quòd incidere in illis verbis capit. 14. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine*; & non maculare Virginis Conceptionem, tali occaſione oblata, eſſet impoſsibile, vni ſcriptori Dominicano, abſque alio examine, aut fundamento ipſum adduxit pro ſua ententia, ſermonem autem Sanctificationis citauit ad maiorem abundantiã, niſi fortè hic Sermo ſit ille de Sanctificatione adducto poſtea, & typis mandato à P. Alberto Caſtellano, de quo egimus in Trituratione num. xxxiv. Sed demus, quòd Auctor, Sermo ille, & Expoſitio illa in Iob, incipiens: *O vos omnes, qui tranſitis per viam!* fuerint in rerum natura, de verbis non conſtat, Bandellus nullius veritatis Auctor eſt, Deza, Vincentia, & Gryſaldus ſecuti ſunt in omnibus Bandelliana veſtigia, opera fuerunt combuſta, Auctor Francoforte fuit Dominicanus: quæ ergo fides erit cum omnibus his addibenda?

IOANNES De Gallicis, Ordinis Prædicatorum, in Sermone 1. & 2. Aduentus. *Ita Bandellus cap. 23. Deza fol. 42. Vincent. & Gryſaldus.*

VERITAS 171.

LICET Hic Auctor videatur fictus, tamen in rei veritate non eſt niſi duplicatus, ſeu, vt meliùs, ac veriùs dicam quadruplicatus: videtur fictus; quia talis Ioan. Gallicus, ſeu de Gallicis, Ordinis Prædicatorum, nunquã fuit in rerum natura, ſi credendũ eſt Nomenclatoribus antiquis, & neothericis. Geſnerus fol. 441. adducit quemdam Ioan. Gallum, ſed hic fuit Sæcularis, nec ſcripſit Sermones. Alphonſus Fernandez Placentinus in Concertatione fol. 387. mentionem facit de quodam Ioanne Gallico, Ordinis Prædicatorum, ſed hic non ſcripſit Sermones, ſed ſuper libros Sententiarum. Sed etiam hic eſt fictus, tum quia nullus ſui Ordinis Scriptor adducit talem Ioannem Gallicum, tum etiam, quia in margine citat Poſſeuinum, ſed eſt falſum, quia Antonius Poſſeuinus ſolùm mentionem facit de quodam Ioanne Gallo, Abbate Fontanellæ, Congregationis Floracienſis. Vndè Auctor hic quoad nomen, & Religionem fuit fictus à Bandello, vbicumque enim ipſe vtitur cognominibus Prouinciarum, vel nationis Gallus Theutonicus, Anglicus, relicto proprio nomine, certiſsima eſt multiplicatio, & feſtiuitas duplex.

Pro multiplicatione verò ſcias, Lector, quòd in ſacra Eremitarum S. Auguſtini Familia, fuit quidam celebris, & antiquus Doctor, vocatus Iordanus de Quedelimburg de Saxonia, qui ſcripſit Sermones de Sanctis, ac de Tempore, de quo latiſsimè agimus infrà num. 198. vbi omnia, & ſingula ad hunc Doctorem pertinentia videre poteris. Et ſicut Iordanis rei fuit diuiſus: in ingreſſu filiorum Iſrael in terrã Promiſsionis; ſecundo, per Eliam; ac demum per Eliſeum; ſic Aduerſarii hunc Iordanum citiſerunt non ſolùm ter, ſed quater, in Ioannem de Gallicis, Ordinis Prædicatorum, Ioannem Gallicum Auguſtinianum, Ioannem Gallicum Minoritam, de quibus in ſequentibus duobus numeris, & Ioannem Theutonicum, de quo infrà num. 191. Huius multiplicationis cauſa, vel fuit inconſideratio, vel aliqua ſimplex æquiuocatio, procedens ex ignorantia. Si non fuit prima, ſecundæ talis fuit origo. Tempore Bandelli nondum Typographia erat propagata per totum terrarum Orbem, nec libri prædicabiles circumferebantur impreſsi, ſed manuſcripti; Sermonum Fratris Iordani, cùm eſſet Auctor celeberrimus, quàm plura erant originalia manuſcripta, ſed ſcripta, ſicut omnia alia antiqua, quorum ego vidi quamplura, ſcilicèt charactere Gallico, & plena abbreuiaturis, ita vt nec vnum ſolùm verbum eſſet integrum, & completum, ſicque Frater Iordanus ſcribebatur hoc modo: Fr. Io. Bandellus verò videns illam abbreuiaturam Fr. Io. exiſtimauit, ibi legendum eſſe: Frater Ioannes, & cùm character eſſet Gallicus, vt non erraret in Auctoris nomine, vocauit ipſum Fratrem Ioannem Gallicum, & cùm in prædictis libris eſſent quatuor Sermones, in quibus Iordanus Aduerſariorum tenet ſententiam, ſcilicèt Aduentus, ſuper Miſſus eſt, de Conceptione, ac de Natiuitate, ex his quatuor Sermonibus quatuor fabricarunt Fratres Io. ſcilicèt, Fratrem Ioannem de Gallicis, Ordinis Prædicatorum, Fratrem Ioannem Gallum, Fratrem Ioannem Gallicum, Ordinis Minorum, & Fr. Ioannem Theutonicum, Ordinis Eremitarum: ſi vnum ex his feciſſent Carmelitã, omnes quatuor Religiones Mendicantes eſſent completæ, & vnus Iordanus factus fons Paradyſi diuiſus eſſet in quatuor capita mendicantium.

Pro hoc Ioanne de Gallicis nullam auctoritatem adducunt Aduerſarii, ſolum enim dicunt: *Idem tenet Magiſter Ioannes de Gallicis in Sermone 1. & 2. Aduentus.* Et nihil amplius. Verba autem, vt extant in illo Serm. 1. Aduentus, folio 6. columna 2. qui incipit: *Verba iſta, &c.* ſic ſe habent: *Per Epicyclum autem intelligitur peccatum, quo à cœleſti patria retro-*

gradationem patimur, ſolus autem Chriſtus fuit ſine peccato. Et ſi inſtetur de B. Virgine, dicendū, quòd ipſa nō fuit ſine originali, ſaltem per breuiſſimum momentum, ſecundùm communē opinionem, &c. Alia verba habet col. 4. ſed propoſita ſunt præcipua. Vndè Auctor iſte, & qui cum eo ſunt multiplicati, tranſnatauerunt ad nos Iordanem. Niſi fortè hic Ioannes de Gallicis, Ord. Prædic. ſit Ioannes à S. Geminiano, cuius Ser. Aduētuales fuerunt excuſsi in Gallia à R. P. Petro Tardito ann. 1512. in 4. & in 1. Serm. Aduent. qui incipit: *Hora eſt iam nos, &c.* Agit de peccatis in communi, & in 2. qui incipit: *Ecce Rex tuus, &c.* inter alia ſic inquit: *Circa tertiū principale nota, quòd Chriſtus ex magna ſua pietate venit tibi tripliciter. Primo tanquam medicus ad ſanādum, quia tu ægrotabas. Vndè, Matth. 2. Non neceſſe habent, qui ſani ſunt, medico, ſed qui male habent. Non enim veni vocare iuſtos, ſed pecatores. Sani enim, & iuſti erant Angeli, qui ſtabant in cœlo: At infirmi, & peccatores homines, qui erant in mundo ad iſtos vocandos, & ſanandos venit Chriſtus. Vndè Auguſtinus: de cœlo venit magnus medicus, quia per totū mundum magnus iacebat ægrotus in mundo iacens, humanum genus erat, de quo Iſaiæ 1. A plāta pedis vſque ad verticem, id eſt, ab Adam vſque ad Chriſtum excluſiuè non eſt in eo ſanitas.* Fortè propter hanc vniuerſalem adduxit Bandellus hunc Auctorem. Vide num. 176.

IOANNES Gallicus, Eremita S. Auguſtini, in ſerm. Natiuit. B. Virginis, & in ſerm. Annuntiat. *Ita Anonym. Auctore 140. Band. cap. 25. Deza fol. 49. à tergo. Vincent. & Gryſald.*

VERITAS 172.

IVDICARVNT Aduerſarii, quòd ex ſola mutatione habitus maneret illorum in multiplicatione Auctorū caliditas occulta. In claſsi Ordinis Prædicatorum adduxerunt Ioannem de Gallicis, vt vidimus numero antecedēti, in claſse verò Eremitarū adducunt Anonymus, & Bādellus præſentem ſic: Idem tenet M. Ioannes Gallicus, in ſuo Summario quod incipit: Erunt ſigna in Sole, &c. in ſermone Natiuitatis B. Virginis, qui incipit: In noua ſigna, immuta mirabilia, ſic dicit: *Beata Virgo fuit concepta cum aculeo peccati originalis, ſed per ignem Sancti Spiritus fuit ab ipſo originali peccato, per ſanctificationem in vtero mundata, & purgata. Hæc ille.* Vincentia verò ſic: *Idem tenet Magiſter Ioannes Gallicus, eiuſdem Ordinis in ſerm. Annuntiationis.* Et nō adducit auctoritatē, compone hoc, Lector, alius in ſerm. Natiuit. & alius Annuntiat.! Primò, indagandum eſt, quis fuerit hic Auctor, quia talis Ioan. Gallicus in nullo Nomenclatore antiquo vel Neotherico inuenitur, niſi in R. P. Thomaſo de Herrera in ſuo Alphab. Auguſtin. tom. 1. fol. 466. vbi ſic inquit: *Ioannes Theutonicus, & Ioan. Gallicus, Doctores Theologi, ab eodē Vincentio, ille ex ſerm. Natiuit. B. Virginis, qui incipit: Lauda, & lætare filia Sion, &c. Et hic ex ſerm. Annuntiat. pro eadē parte citantur. Incertum mihi, quo tēpore claruerint, &c.* Ex his verbis conſtat, quod notitiam huius Auctoris deſumpſit Herrera ab vno ſolo Badello, ſicut etiā Ioannis Theutonici, & ad illud huius Auctoris, *Incertū mihi quo tempore claruerint:* Huic dubitationi ego facillimè reſponderem, quod nati ſunt tempore Bandelli, vel in ripa Iordanis, tanquam illi duo fontes Ior, & Dan; quia hic Ioannes Gallicus, & Ioannes Theutonicus, vt infrà videbimus num. 198. ſunt idemmet Iordanus de Saxonia, quia ſi Ioannes baptizauit in Iordane, Bandellus ex Iordano baptizauit iſtos Ioannes.

Quoad auctoritatem dico, quòd primus tomus Sermonum Iordani de Saxonia, ſiuè de Quedelimburg incipit, vt Aduerſarii dicunt: *Erunt ſigna in Sole, &c.* impreſ. Argētinæ 1483. & in altero impreſ. Pariſ. 1521. habet Serm. 4. de Annunt. à fol. 46. in quibus vocat ſæpè Virginē ſanctificatam, & purgatā, ptæcipuè Serm. 4. ſub themate: *Hortus cōcluſus, &c.* vbi inquit: *Hortus præcluſus perfoditur, & purgatur; Maria verò conuenienter horto perfoſſo cōparatur; perfodit autē eam triplex Magiſter, & purgauit eam de omni zizania. Nam poſt peccatum Adæ tota poſteritas zizania, id eſt, peccato fuit impugnata. Specialiter triplex zizania genus humanū vexauit, ſcilicèt, ignorantia in rationali, impotētia in iraſcibili, malitia in concupiſcibili. Ne autem Maria huiuſmodi miſeria vexaretur, venit Pater fodiens cum foſſorio potentiæ, & fugauit impotentiam, venit filius cum foſſorio Sapiētiæ, fodiens ignorantiam, venit Spiritus S. cum foſſorio clementiæ, effodiens malitiam. Et ita Maria plenariè ab omni zizania fuit mundata, & purgata, &c.* Et infrà: *Et ita Maria ſic effoſſa, & purgata fuit, & dicitur Sanctificata, antè quam nata, &c.* De Natiuitate vero habet ſeptē Sermones, in quibus præcipuè extant duæ auctoritates de quibus nos infrà num. 174. in Ioan. Gallico Ordinis Minorū; ſed ibi non extat formalis auctoritas adducta à Bandello, ſub illis verbis: *Cōcepta cum aculeo peccati originalis.* O quam aptè dicere poterat hic Hieremias: Leuate ſignum in terra: clangite buccina in gētibus, ſanctificate ſuper eam gentes, annuntiate contra illam, numerate contra eam, adducite equū quaſi bruchum aculatum. Sed iam commouebitur terra, & conturbabitur; quia euigilabit contra Babylonem cogitatio Domini, & honor Domine.

IOAN-

IOANNES Gallicus, Gloſſator Decreti, in Apparatu ſuo ſuper totum Decretum, ſuper capit. Pronuntiandum, ſiuè Prouidendum, & ſuper cap. Firmiſsimè, diſt. 4. *Ita Anonym. Auctore* 185. *Bandel. cap.* 19. *Dezafol.* 29. *à tergo. Vincent. & Gryſald.*

VERITAS 173.

ITERVM Ingredimur alteram confuſam Babyloniam. Poſtquam Anonymus, in claſſe de Doctoribus Canoniſtis, Auctore 2. illius claſsis adduxerat Ioannem Theutonicum, Gloſſatorem Decreti, & Auctore 9. Ioannem Compilatorem Summæ Canonicæ, ſtatim Auctore ſequenti, ſic inquit: Idem tenet D. Ioannes Gallicus in Apparatu ſuo ſuper totum Decretum, quod ſic incipit: Ad decorem Sponſæ, ſuper cap. Prouidendum, de conſecrat. diſt. 3. ſic dicit: *Deſeſto Conceptionis B. Mariæ Virginis nihil hic dicitur, quia non eſt celebrandum, licèt in quibuſdam locis celebretur, ſicut in Anglia; & hæc eſt ratio, fuit enim concepta in peccato, ſicut cæteri Sancti, excepta vnica perſona Chriſti.* Et ſuper cap. Firmiſsimè, de conſecrat. diſt. 4. ſuper verbo: Omnem hominem, ſic dicit: *Ergo, & B. Virgo, & Hieremias, & Ioannes Baptiſta, cum originali peccato ſunt nati, cũ conſtet eos per concubitum maſculi, & fœminæ eſſe conceptos: ſed duæ natiuitates ſunt, ſcilicèt, in vtero, & ab vtero, prædicti enim Sancti cùm originali peccato nati ſunt in vtero, & ideò B. Mariæ Conceptio non debet celebrari, quia fuit in peccato cõcepta. Hæc ille ad litteram.* Hucuſque ſunt Anonymi verba, an verò ipſe trãſcripſerit ad litteram Ioannem Gallicum, infrà examinabitur, regulando auctoritates, quia hic ſolùm indagamus Auctorem. Vbi notare debes, Lector. Primo, quod iſte Anonymus ex vno indiuiſibili Auctore fecit tres diuerſos, Ioannem Theutonicum, Ioannem Compilatorem Sũmæ Canonicæ, & Ioannem Gallicum. Secundò, quòd ſemper tacet, quòd iſte Ioannes Theutonicus, Compilator, Gallus, fuerit ex Ordine Prædicatorum. Tertiò, quòd citat ſuper caput Pronidendum, de conſecrat. diſt. 3. cum in tota illa diſtinctione non ſit tale caput, ſed Pronuntiandum. Et omnes iſtas chimeras compoſuit in ictu oculi, in nouiſsima claſsi Iuriſtarum.

Bandellus hunc adducit ſic: Idem tenet Auctor operis ſolemniſsimi ſuper toto Decreto, quòd incipit: Ad decorẽ Sponſæ. Sic dicens ſuper cap. Pronuntiandum: *Feſtum Conceptionis non eſt celebrandum, quia fuit concepta in peccato originali.* Et ſuper cap. Firmiſsimè: *Beata*, inquit, *Virgo, & Ioannes Baptiſta, fuerunt cùm originali peccato nati in vtero: vndè B. Mariæ Conceptio non debet celebrari, ſed quia fuit in vtero ſanctificata, eius Natiuitas celebratur: Hæc ille.* Eadem verba ad litteram habet Vincentia. Nota calliditatem Bandelli in occultatione nominis, ac cognominis huius Auctoris! Gryſaldus illum adducit ſub nomine Compilatoris. Turrecremata (cuius verba iterum dabimus infrà num. 192.) ſic dicit: Item adidem eſt inter Doctores eximios clariſsimos, qui in Iure Canonico floruerunt, Ioannes Theutonicus, Gloſſator Decreti, ſuper cap. Pronuntiandum, de conſecrat. diſt. 3. qui ſuper verbo, Natiuitas, ita dicit: *Deſeſto Conceptionis, nihil hic dicitur, quia celebrandum non eſt, ſicut in multis regionibus fit, & maximè in Anglia; & hæc eſt ratio, quia in peccato concepta fuit, ſicut, & cæteri Sancti, excepta vnica perſona Chriſti.* Ex his omnibus Aduerſariorum verbis deduco pro concluſione prima, vnica, ac præcipua: vnum, & eundẽ eſſe Auctorẽ adductum ab Anonymo, ſub nomine Ioannis Gallici, & adductũ à Badello, & Gryſaldo, ſub nomine Copilatoris, ſeu Gloſſatoris Decreti, cũ illo adducto à Turrecrem. ſub nomine Ioan. Theutonici, vt colligitur euidentèr ex dictis numer. 36. & 125. vide ibi. Pro ſecunda cõcluſione deduco, tres Gloſſas præcipuas Decreti, duas exiſtẽtes in corpore Iuris, & alteram ad marginem, omnes eſſe huius Ioannis Gallici, ſeu Theutonici (ſiuè ille ſit Halberſtacenſis, vt dicit Spondanus ad ann. 1268. ſiuè Dominicanus, vt affirmãt Nomenclatores Dominicani) & nullam fuiſſe Hugonis Ferrarienſis, ſeù Hugutii, de quibus egimus ſuprà num. 125. & 129. Tertia concluſio, quòd Aduerſarii hunc multiplicarunt, quoad Auctorem ſic: nam auctoritas adducta ſuprà num. 36. ex Bartholomæo Brixienſi, eſt huius Ioannis, ſicut illa Bernardi Papienſis, num. 47. & Guillielmi Epiſcopi Metenſis, exiſtente num. 109. Et illa Hugonis Ferrarienſis, atque illa Hugutii. Item hic idẽ Ioannes eſt ille Epiſcopus Boſinienſis, adductus num. 157. & ſimiliter ille Ioannes Compilator Summæ Canonicę, de quo num. 166. & hic Ioannes Gallicus, ſicque Auctor iſte in prædictis eſt adductus ſepties. In futuris verò hic Ioãnes Gallicus, eſt Ioannes Theutonicus, Ordinis Prædicatorum, de quo num. 193. & Ioannes Theutonicus Canoniſta, vt dicemus num. 192. & Magiſter Moneta, de quo num. 219. quibus adde Petrum de Braco, & Petrum Mediolanenſem, de quibus ſuis locis.

Hucuſque diximus de Auctore: circa auctoritatem verò ſcias. Primò, quòd cum ſit certum, atque indubitatum, hũc Ioan. Gallicum, Compilatorem, ſeù Gloſſatorem Decreti, & Ioannẽ Theutonicum, atque Ioannem Compilatorem Summæ Canonicæ fuiſſe vnum, & eundem Auctorem, quomodò Turrecremata dicit, & affirmat in Ioanne Compilatore, quòd eius Sũma incipit: *Omnis qui iuſtẽ iudicat, ſtateram in manu geſtet*, & idem dicunt, vt vidimus ibi Ano-

ny-

nymus, Bandellus, Vincentia, & Deza. Hìc (excepto vno Turrecremata) omnes relati affirmant, Summam Ioannis Gallici incipere sic: *Ad decorem sponsæ*, tene me Lector. Auctor fuit vnus Ioannes, vel ergo hic confecit duas Summas, vel vnam; si duas, quomodo Auctoritas ibi, & hìc adducta est vnamet, & ex eodem cap. Firmissimè, de Consecrat. dist. 4. Si tantum fuit vna Summa, quomodò habet duplex principium adeo diuersum? Solutionem huius difficultatis, secundùm veritatem, inuestigare non potui, nisi dicendo, quòd principium hic adductum: *Ad decorem sponsæ*, est fictum ab Anonymo, & Bandello, & desumptum ab alio opere, & Auctore, scilicèt Hostiense; nam hic edidit quandam Summam Iuris Canonici, non super Decretum, sed super Decretales, impres. Parisiis 1512. in fol. magno, cuius initium est: *Ad Dei omnipotentis gloriam, & vniuersalis Ecclesiæ decus, & decorem, &c.* Existimo enim, quod ex hac Hostiensis Summa furati sunt titulum pro sua Summa Ioan. Gallici: si hoc verum est; illud verissimum erit: Quomodo confunditur fur, quando comprehenditur, &c.

Secundo, de auctoritate dicimus, quòd Turrecremata fideliter transcripsit auctoritatem; at Bandellus pessimè, vt solet; Anonymus similiter, præcipuè in illa capitali adulteratione, quia vbi Glossa, *In peccato concepta*; ipsi, quia fuit *concepta in peccato originali.* Et vt videas, qua veritate dixit illud, *hæc ille ad litteram*, decreui, & ego pariter dare auctoritatem Decreti ad litteram. Ad illud ergo verbum: Omnem hominem, sic inquit Ioannes Gallicus, siuè Theutonicus, quisquis ille fuerit: *Vt hoc melius intelligas, scias, quòd duæ sunt natiuitates, scilicèt, in vtero, alia ab vtero. In vtero nasci, est, in vtero animam corpori infundi, ex vtero nasci, est, ex vtero in lucem prodire. Vndè B. Virgo, & Ioannes Baptista, & Hieremias cum originali peccato nati fuerunt in vtero, & hoc vult dicere littera cap. in principio, ibi, omnem hominem, &c. Vndè Conceptio B. Mariæ nõ debet celebrari, sed Natiuitas ex vtero fienè celebratur, & S. Ioannis, quia fuerunt in vtero sanctificati, & eis fuit dimissum originale peccatum.* Hæc Patres mei, est Glossa vestri Ioannis Gallici ad litteram, vndè illa vestri Anonymi non est ad litteram, rigam, neque ad papyrum, quia à primo vsquè ad vltimum verbum est viriata, & contra veritatem addita illa clausula, *cùm constet eos per concubitum masculi, & fœminæ esse conceptos.* Sinite ergo Ioannem in suo testamento, quia sufficit diei malitia sua.

IOANNES Gallicus, Ordinis Minorum, in Summario, in Ser. Annuntiationis, & Natiuitatis B. Virginis. *Anonym. Auctore* 122. *Bandel. cap.* 24. *Deza fol.* 48. *Vincent.*

VERITAS 174.

SI Auctores isti Anonymus, Bandellus, & Vincẽtia scripsissent in Gallia, posset pietas Christiana, ac religiosa modestia saltem dubitare de aliquo Scriptore, ab ipsis adducto inter tot, ac tantos Doctores Gallos, Parisienses, hìc citatos, nam si notassis, ferè nullus est ex incognitis, qui non fuerit Doctor Parisiensis, sed cùm omnes scripserint in Lombardia tempore Pontificatus Sixti IV. miror certè vndè extraxerint tot Parisienses Gallos præclarissimos. Inter hos vnus est hic Ioannes Gallus, Ordinis Minorum, quia de illo nulla extat notitia in Seraphicæ Religionis Scriptoribus, nisi in Vvilloto, qui in fol. 229. suarum Athenarum sic inquit: *Ioannes Gallicus edidit quosdam Sermones*, & nihil amplius. Ab hoc eadem verba transcripsit Vvadingus in suo Chatalogo, fol. 208. sed Vvillotus, qui scripsit nostris temporibus, hunc, & alios Auctores desumpsit à Bandello, & sic manet in suo robore dubitatio de fictione, vel multiplicatione. Quæsiui, qua potui diligentia, istum Ioannem Gallum, sed ille non cantat hodiè. Nisi fortè hic sit, quem adduxerunt suprà, sub nomine Iacobi Pictauiẽsis, etiam Ordinis Minorum, & in eisdem sermonibus Annuntiationis, & Natiuitatis, vt vidimus n. 138. & sic iam est duplicatus, & fortè triplicatus cum Pictano, adducto etiã in Summa sua, de quo infrà num. 257.

Auctoritatem illius sic adducunt Aduersarii: Idem tenet F. Ioannes Gallicus in suo Summario solemni, quod incipit: In principio creauit Deus cœlum, & terram, in sermone Annuntiationis, & Natiuitatis B. Virginis, dicit: *Quòd B. Virgo in vtero matris fuit sanctificata, & à peccato purgata.* Cum hac notitia recognoui opera, & sermones Ioannis Gryset, Ioannis de Vverda, Ioannis Royardi, qui fuerunt Galli, & Ordinis Minorum, sed opera illorum, nec habet tale principium, nec in ipsis sunt verba proposita, quia omnes habent sermones Conceptionis, in quibus expressè tenent, Virginem Mariam fuisse conceptam absque peccato originali. His suppositis, existimo, istum Ioannem Gallicum Minoritam, esse eundem, quem suprà numer. 171. appellarunt Ioannem de Gallicis, Ordinis Prædicatorum, & num. sequenti 172. vocarunt Ioannem Gallicum, Ordinis S. Augustini, & infrà numer. 191. iterum nominant Ioannem Theutonicum, etiam Ordinis Sancti Augustini, & cum hi duo Augustiniani, & ille Dominicanus absque vlla dubitatione, & controuersia sint ficti, & multiplicati cum Iordano de Saxonia Theutonico, vt ex ipsis constabit, & Ioannem Gallum Augusti-

guſtinianum citant in eiſdem ſermonibus Natiuitatis, & Annuntiationis, ſicut hunc, credo, quod etiam Minorita ſit eodem modo fictus, & multiplicatus, & ſic Auctor iſte eſt quinquies adductus.

Nec hoc dicitur abſque ſufficientiſsimo fundamento, nam ſuppoſito, quod talis Ioannes Gallicus non inuenitur in Religione Minorũ, imò exiſtimandũ eſt, nunquã fuiſſe, & quod tantũmodò Aduerſarii de illo mentionẽ faciunt, & quod nullam formalem auctoritatem de illo adducunt, & quod Anonymus, Bandellus, & Vincentia, generaliter, & in communi finxerunt, & multiplicarunt Auctores pro libitò, & abſque menſura, & in particulari, pro hic, & nunc, ex vno Ioanne fecerunt quatuordecim Auctores, vt vidimus num. antecedenti, ex vno Guillielmo, ſeptem Guillielmos, ac denique ex vno Iordano Auguſtiniano, vnum Ioannem de Gallicis Dominicanum, alterum Ioannem Gallicum Auguſtinianum, & alterum Ioannem Theutonicum, voluerunt etiam fingere alterũ Ioannem Gallicum Minoritam. Hic diſcurſus indiuidiatur amplius: quia Ioan. Gallicum Auguſtinianum citant in ſermonibus Annuntiationis; & Natiuitatis, & hunc Ioannem Gallicum Minoritam ſimiliter in eiſdem Sermonibus, & eſt certum, quod Iordanus in præallegatis ſermonibus Annuntiationis, & Natiuitatis, dicit, & affirmat, quòd Aduerſarii hic dicunt, ſcilicèt: *Quòd B. Virgo in vtero Matris fuit ſanctificata, & à peccato purgata:* nam in 1. Sermone Annuntiationis, qui eſt in ordine 64. fol. 96. qui incipit: *Hæc dies boni nuntii eſt*, circa principium, Iordanus habet propoſitam ſentẽtiam de ſanctificatione Virginis in vtero matris ſuæ, & purgatione à peccato. Sed clariùs, & expreſsiùs in ſermone Natiuitatis citato ab Aduerſariis, qui incipit: *Sapientia ædificauit, &c.* qui eſt in ordine 154. Et ſimiliter in Sermone 159. qui incipit: *Sponſus, & Spõſa, &c.* En quomodo Auctor, qui non inuenitur inter Minoritas, inuenimus in campeſtri regione Iordanis, iuxta mare mortuum. Si autem contenderint, Ioannem iſtum Gallicum eſſe diſtinctum à Iordano, illum oſtendant, & ſtatim Iordanis conuertet ſe retrorſum.

Sed vt videat Lector, quòd pro indagãda veritate nihil prætermittimus, ſciat, quòd in Bibliotheca Regia Scorialis extat quoddam Sermonarium manuſcriptum antiquis characteribus, ſine principio, littera E. Pluteo V. num. 23. & hoc exiſtimo, fuiſſe elaboratum à quodam Minorita; quia adducit ſermones S. P. N. Franciſci, & habet ſermonem Annuntiationis, qui incipit: *Aue gratia plena*, vbi inquit Auctor: *Plena fuit gratia ſanctificante, ad purgamentum fœditatis culpæ, à qua fuit prorſus purgata per gratiam, vt de ea poſsit dici illud Eccleſ. 21. Gratia ſupergratiam, &c.* In ſermone verò Natiuitatis, qui incipit: *Lux orta eſt iuſto*, ſic inquit: *Fuit igitur lux Virgo Maria in ortu ſuo impermixta, propter gratiam ſanctificantem, vndè ſibi competit illud Geneſ. 1. Fiat lux, & facta eſt lux. Diuiſit lucẽ à tenebris, quia B. Virgo taliter facta eſt, vt tenebra peccati comp. penitùs impermixta. Ita vt ſibi cõpetat illud Sapient. 7. Emanatio quædã eſt claritatis omnipotentis Deiſincera: & ideò nihil inquinatum in ea incurrit. Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculũ ſine macula, &c.* Si ergo iſte Minorita eſt ab Aduerſariis dictus Ioannes de Gallicis, & illi ſunt ſermones Annuntiationis, & Natiuitatis, quid mirum, quod non adduxerint auctoritates ad litteram? Quia licèt prima habeat aliqua verba æquiuoca, cùm ibi loquatur de tempore Annuntiationis, nihil cõtrà nos: & quando loqueretur abſolutè, & ſimpliciter, vel agit de fœditate culpæ primæ generationis; vel ex ſecunda, aufertur omnis ambiguitas, quia expreſsè eſt pro nobis. Sed quidquid ſit de ſenſu auctoritatum, cùm in nulla illarum extent verba adducta ab Aduerſariis, ſcilicèt; *quòd B. Virgo in vtero matris fuit ſanctificata, & à peccato purgata.* Iàm, vt falſa, & ficta, repelli debent, quouſque oſtendant Auctorem, & auctoritates, quod ſine dubio erit ad Kalendas Græcas.

IOANNES Gallicus, Pariſienſis Doctor, in 3. libro Summæ ſuæ. *Ita Vincentia. Bandello, capit. 21. Didacus Deza fol. 36. à tergo.*

VERITAS 175.

SVPPOSITO, Quòd Vincentius Bandellus de Caſtronouo in capitulo de Doctoribus ſecularibus, atque clariſsimis Theologis antiquis, adducit Ioannem iſtum Gallicum, & auctoritatem eius ſic: Idem tenet Magiſter Ioannes Gallicus, Doctor Pariſienſis, in 3. libro Summæ ſuæ, ſic dicens: *Caro Chriſti in B. Virgine fuit obnoxia, & obligata peccato: ſed antequam vniretur verbo, ab omni contagione peccati purgata fuit. Hæc ille.* Dicam breuiter, quid pro indaganda veritate de Auctore, Summa, & auctoritate, adhibita omni diligentia, inuenire potui, quia cum in Chriſtianitate fuerint multi Ioannes, & in Europa multi Galli, & in Gallia non pauci Doctores Pariſienſes, & ex his Scriptores Summarum inueniantur quam plurimi, non erit facilè verum à falſo diſcernere.

Inter Patres contemporaneos S. Bernardo, ac Philippo Abbati, fuit quidam Ioannes, qui ſcripſit Epiſtolam, cuius initium eſt: *Fratri Philippo, Ioannes, &c.* in qua extant hæc verba: *Et*

quòd

quod liber dicit; neque Maria corpori originem dedit, quod reuera error est, cùm Psalmus dicat: Veritas de terra orta est. Vos exponitis sic, quod à vitijs nostræ originis non accepit, quod aperta fides est. Materialem enim originem Mariæ illi corpori dedit, non vitium, & ô quam differunt Maria, & vitium, quorum duum vos alterum pro altero ponitis. In illa enim Conceptione, in qua Deus de homine iustus de massa peccatrice azimus de fermento factus est, non tantum in nascente, sed etiam in conceptione, vel conceptura sanctificatio incepta est, vt iusto filio iusta mater, iustam materiale originē ista conceptione præberet, dicēte Angelo: Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrauit tibi; & Propheta: Aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Et, quomodo discendit imber, & nix de cœlo, & illud: vltra non reuertitur, sed inebriat terram, id est, Mariam, & infundit eam, & germinare eā facit. Vt enim non haberet peccatum ipsa Mater Spiritus Sanctus, super, idest, dignius veniet in te: vt autē nec fomes peccati tunc, nec deinceps virtus Altissimi obumbrabit tibi, quod vtrumque signat Propheta, per niuem, quæ est alba, & frigida, &c. Hic fuit Ioannes, & antiquus, sed nescimus, an fuerit Gallus, & Doctor Parisiensis, nec scripsit Summam, neque auctoritas in aliquo verbo coincidit cum illa Bandelli, sed potiùs est pro nobis, vt in nostra Militia demonstro. Vide ibi.

Inter Doctores minus antiquos etiam fuit Ioannes à S. Geminiano, de quo numero sequenti, Doctor Parisiensis, & qui scripsit Sūmā de exēplis, & rerū similitudinibus, impress. Basileæ, & Venet. 1499. in 4. & Antuerpiæ 1583. in 8. & libro 3. vt citat Bandel. cap. 10. fol. 157. loquens de humanæ carnis fragilitate, &c. sic inquit: *Potest enim in hac vita fomes peccati mitigari, sed non extingui; dum scilicèt homo est in carne corruptibili. Licèt in B. Virgine ex priuilegio gratiæ, primò quidem in sua sanctificatione, scilicèt, in vtero matris suæ, fomes dicatur fuisse, non secundùm essentiam extinctus, sed manifestè ligatus. Deindè in Conceptione Filij credendum sit, quòd totaliter fuit extinctus, &c.* Hucusque Geminianus. Licèt ergo iste vocatus fuerit Ioannes, & simul fuerit Doctor Parisiensis, & scripserit Summam, & libro 3. habeat relatam auctoritatem, cùm non fuerit sæcularis, sed Dominicanus, nec Gallus, sed Italus, nec auctoritas sua conueniat saltem in vnico verbo cū adducta à Bandello, non videtur iste suus Ioannes Gallicus, vel si est, iam erit duplicatus cum sequenti, & auctoritas penitùs ficta, quia in toto libro 3. Summæ Ioannis à S. Geminiano talia non extant verba, neque in tota Summa. Et sic necesse erit quærere alium.

Inter Theologos antiquos fuit etiam alius Doctor Parisiensis, natione Gallus, appellatus Ioannes Bromiart, Ordinis Prædicatorum, qui scripsit Summam prædicantium, qui licèt non libro 3. tamen cap. 3. tomi 2. verbo, Maria, art. 4. num. 33. fol. 13. sic inquit: *De eius verò Conceptione, Annuntiatione, & Natiuitate dici potest illud Apoc. 21. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. H. I. In die namque Conceptionis, & sanctificationis eius, quæ statim facta fuit vineæ dilecto, & tabernaculum Dei factum, & sanctificatum fuit, quia illo die sanctificauit tabernaculum suum Altissimus. Ad hoc nota capitulum Dedicationis, & Sanctificationis, & Mundationis; quia festum illud potiùs sanctificationis, quā Conceptionis dici debet, quia solemnitas ad punctum sanctificationis, & non Conceptionis (quia concepta fuit in originali peccato) referri debet, &c.* Cum ergo iste Bromiardus fuerit Auctor classicus, atque eius Summa communissima, siquidèm fuit typis mādata primo absq; anno, & loco impressionis: Deinde Lugduni 1522. in 4. Venetijs 1586. Norimbergiæ 1518. Antuerpiæ 1614. in qua, licèt, vt dixi, non lib. 3. tamen cap. 3. habeat auctoritatem relatam adeo expressam pro Aduersariorum opinione, & simul sit Ioannes, Gallicus, & Doctor Parisiensis, & alias Bandellus in toto suo Cathalogo ipsum non adducat sub proprio nomine, prima facie, ex tot signis, iudicaui me inuenisse confusum, & incognitum Auctorem Ioannem Gallicum: At cum ex altera parte videam hūc Bromiardum, Ioannem, Gallum, Doctorem Parisiensem, & Scriptorem Summæ, non esse sæcularem, sed Dominicanum, neque auctoritates inter se, vel in vna syllaba conuenire, dubitaui de thesauro inuento, & alios Ioannes Gallicos, Doctores Parisienses quærere decreui; sed si necessitate compulsi voluerint dicere Aduersarii, hunc fuisse Ioannem Gallicum, Doctorem Parisiensem, ab ipsis citatum; notare debet Lector, quòd fuit Dominicanus, & auctoritas est penitùs ficta, & insuper, quòd Ioannes Bromiardus pro nostra videtur fuisse sententia; nam in prælegata Sūma eodem cap. 3. art. 4. num. 28. fol. 13. sic inquit: *Filius Dei volens in aliquo loco, & de aliqua muliere naturam nostram assumere, & nobiscum morari, à principio mundi nullam inuenit pro hospitio dignam, quia omnes peccato originali, vel actuali, vel vtroque infectæ erant: & tandem verò in fine mundi hanc mundissimam inueniens Virginē, in qua nullū erat peccatū, vel originale, vel actuale, tanquā gaudēs de fortuna optata dicere potuit: Hæc requies mea, &c.* Illud *erat*, non supponit hìc pro tempore præsenti, id est, Incarnationis Verbi, quia sic nihil diceret Bromiardus, sed comprehendit totum tempus præteritum. Habemus ergo in Bromiardo has duas propositiones quæ videntur oppositæ, & repugnantes. Prima est: Conceptio Virginis Mariæ non debet celebrari; *quia concepta fuit*

in

in originali peccato. Secunda verò eſt: in Virgine Maria *nullum erat peccatū originale, vel actuale*. Si concepta in originali, quomodo non fuit in ea originale? vel contrà, ſi non habuit originale, quomodo concepta in peccato originali? Sed in rei veritate non ſunt contrariæ, imo ex ipſis exactiſsimè percipitur mens Doctorum antiquorum: aliud enim eſt loqui de feſtiuitate, ſeu Conceptione facta die 8. Decembris, & aliud de ipſa perſona Virginis, aliter enim loquebantur de generationis tempore, quando verè, ac realiter concepta fuit in vtero Annæ, & aliud de infuſione animæ, & vnione ad carnem conceptam; de prima dicebant, quod feſtiuitas Conceptionis non erat celebranda die 8. Decembris, quia tunc nihil fuit ſanctitatis, ſed copula, libido, ſenſualitas, voluptas, delectatio, & ſic in originali peccato, aut peccatis parentum concepta: at quando loquebantur de ipſa macula perſonali Mariæ, & peccato originali, formaliter, abſolutè dicebant, quod in Maria non fuit originale. Aduerſarii autem hæc inter ſe diſtinctiſsima confundunt, & illud concepta eſt (videlicèt ſecundùm carnem) transferunt ad animationem, ſed quidquid ſit de mente Bromiardi, pro nunc ſat eſt oſtendiſſe, auctoritatem adductam à Bandello non eſſe iſtius Ioannis Gallici, Doctoris Pariſienſis, propter rationes aſsignatas. Sed ſi eſt Auctor, non eſt multiplicatus, nec liber Summæ fictus, attamen auctoritas eſt penitus mendaciter adducta.

Item alius fuit Ioannes de Linctimberg, de quo Anton. Senenſis in ſua Bibliotheca, folio 138. ſic inquit: *Ioannes Pichardi de Lucemburgo, natione Theuto, fuit Ratiſponenſis Eccleſiæ Præſul, &c. ſcripſit Summam Theologicam, quæ citatur in illo libro recollectorio ex ſententiis Patrum, ad probandam Conceptionem B. Virginis, & creditur eſſe Bandelli: Sermones etiam Quadrageſimales, Sermones de Sanctis per annum, anno* 1310. *fuit promotus Pariſiis ad gradum licentiarum.* Ioannes Mich. Pius, part. 2. lib. 2. col. 151. loquens de hoc Ioanne Pichardo de Lucemberg, inquit: *Scriſſe vna Somma di Theologia (come ſcriſſe il Bandello nel trattato della Concettione) & i ſermoni Quadrageſimali, è de Sancti per tuto l' anno, &c.* Eadem ferè verba habet Placentinus, fol. 389. & citant Leandrum lib. 3. fol. 114. & Taeg 1. part. Sed notare debes, Lector, quod Bandellus in illo ſuo libro recollectorio, nec in aliis duobus de Coceptione à ſe editis, adducit Ioannem Pichardum de Lucemburg in Summa, ſed tantum in Sermonibus, ideſt, in ſerm. Natiuitatis Virginis, vt videbimus infrà num. 179. in illo autem libro Recollectorio adducit Bandellus Ioannem Pichardum, Epiſcopum Draconenſem, Ordinis Minorum, in Summa, ſeu Compendio Theologiæ, libro 4. vt dicemus latè numer. 185. vel ergo Ioannes Gallicus, Doctor Pariſienſis, hic adductus à Bandello in 3. libro Summæ ſuæ, eſt Ioannes Pichardus de Lictimberg, aut Lucemberg, vel omnes ſuprà relati Nomenclatores ex Ordine Prędicatorum errarunt, dicentes: *Scripſit Summam Theologicam, quæ citatur in illo libro Recollectorio*, quia, vt dixi, & iterū affirmo, in illo libro Recollectorio Bandelli, nec in aliis Ioan. Pichardus citatur in Sūma, ſed in ſer. Natiuit. & tantū hic Ioan. Gallicus allegatur in Sūma. Si autem Ioannes Gallicus eſt idem cum Ioanne Pichardo, quia hic etiam fuit Gallus, & Doctor Pariſienſis, Nomenclatores veritatem dixerunt. Sed defecit ab illa Bandellus. Primo, quia iam hic Ioannes Gallicus non eſt ſæcularis, ſed Dominicanus, vel Minorita ſecundùm veritatem, ne de Conceptione agit in libro 3. Summæ ſuæ, ſed in libro 4. cap. 3. Secūdo, quia in illa Summa, ſeu Compendio Theologiæ adſcripto Ioanni Pichardo, ſed falsò, nec vnum ſolùm verbum inuenio auctoritatis ſuprà adductæ à Bandello, & ſic eſt penitus ficta. Tertio, quia Summam iſtam Theologię adduxit Bandellus, non tantum duplicatam, ſed decieſplicatam: ſi hic Ioannes Gallicus, eſt Ioannes Richardi, Ordinis Minorum, qui ſcripſit Summam, vel Compendium Theologiæ, vt dicemus prędallegato num. 185. qui etiam fuit Gallus, & Doctor Pariſienſis, ex his, & aliis breuitatis cauſa prætermiſsis.

Dico reſolutiuè, quod ſi Ioannes hic Gallicus non eſt aliquis ex ſuprà dictis, abſolutè eſt ſuppoſitus, & fictus; quia nullus Nomenclator Eccleſiaſticus antiquus, vel modernus de ipſo magnam, aut paruam mentionem facit, nam Ioannes Gallus, de quo Poſſeuinus fol. 879. non fuit Sæcularis, ſed Monachus, & Abbas Fontanellæ, nec ſcripſit Summam, ſed tantùm vitam S. Vvolfangi, Archiepiſcopi Senonēſis, & cùm non adducatur à Turrecremata Anonymo, nec Vincentia, ſed ſolùm à Bandello, paruæ fidei Scriptore, & in illo cap. 21. in quo adducit hūc, citat alios viginti quatuor, quorum decem & octo ſunt in toto, vel ex maiori parte ficti, vt ſuis locis demonſtramus: idem credendum eſt de Ioanne Gallico: quia hæc eſt regula generalis, quòd vbicumque Bandellus relinquit proprium cognomen Auctoris; & recurrit ad Nationis, Prouinciæ, Ciuitatis, vel Regni, fugit à veritate, vt non deprehendatur in fraganti delicto. Sed quidquid ſit de Auctore ſuppoſito, vel multiplicato, auctoritas eſt penitùs ficta, & falſa, quam fabricauit Bandellus ſumpta occaſione ex verbis Magiſtri Sententiar. in 3. diſt. 3. vbi quærens de carne Verbi: *An prius quàm cōciperetur, obligata fuerit peccato*, dicit ſic: *Sanè dici poteſt, & credi oportet, iuxtà Sanctorum atteſtationis conuenientiam, ipſam priùs peccato fuiſſe obnoxiam, ſicut reliqua Virginis caro; ſed Spiritus*

tus Sancti operatione ita mundatam, vt ab omni peccati contagione immunis vniretur Verbo, &c. Ex hac auctoritate (sed pessima structura dispositâ assumens, & derelinquens verba pro libito) suam disposuit Bandellus, præterm. fit enim illud, *priùs*, coniunxit illud interrogationis, *obligata*, cum illo resolutionis, *obnoxia*, addidit illud; *sed ante quàm vniretur Verbo*, abstulit vocem illam, *immunis*, & loco illius apposuit, *purgata*, vt sic ex propositione Magistri, quæ facit hunc sensum: caro Christi, quæ prius in B. Virginis generatione, vel Conceptione carnali fuerat peccato obnoxia, per Spiritus Sâcti superuentionem vnita fuit Verbo ab omni contagione peccati immunis, quia in illa non fuit vlla obligatio (hæc verissima, ac Catholica propositio opponitur formaliter huic: Caro Mariæ in B. Anna peccato fuit obnoxia, nec ab omni contagione peccati erat immunis, quæ etiam est vera, & ab omnibus antiquis recepta, siquidèm tunc interfuit concupiscentia, & libido, sensualitas, & delectatio: vnde nec fuit, nec dici potest caro illa ab omni contagione peccati immunis) fecit Bandellus hanc: Caro Christi in B. Virgine fuit tempore Incarnationis obnoxia, & obligata peccato, sed antè quàm vniretur Verbo, ab omni contagione peccati purgata fuit. Quomodo poterit sanare hanc fictionẽ ille Ioannes-Vincentius, Gallicus-Bãdellus Parisiensis Doctor, de Castronouo: nam si caro Christi in B. Virgine fuit obnoxia, & obligata peccato vsque ad Incarnationem Verbi, vbi est nostra præseruatio, vel saltim vestra sanctificatio? Sed transeat hoc, quia possunt recurrere ad sanctificationem naturæ, non personæ, vt discurrunt aliqui Thomistæ, & trãseamus ad aliud. Si Maria tempore incarnationis fuit ab omni contagione peccati purgata: ergo quando Angelus venit ad eam, habebat Mariæ caro non qualecumque, sed omne cõtagium peccati; nõ sufficiebat aliquod contagium, & non omne? Quid amplius dicere poteras de qualibet mundana fœmina omne, omne, ò omne caput languidum, vt sit omne cor mœrens! Deindè si purgare semper, & vbique per te supponit maculã, & infirmitatem actualem, veram, & existentem, quomodo caro illa erat tantùm obnoxia, & obligata, quando purgata? Et si tantum obnoxia, ex obligata peccato: ergo purgatio cõpatitur cum sola obligatione, & obnoxitate, quod tu semper, & vbique negas? & hæc sufficiant pro Ioanne Gallico omnibus incognito, nisi vni Bandello.

IO ANNES à S. Geminiano, Ordinis Predicatorum, in Sermonibus Natiuitatis, & Assumptionis. *Anonym. Auctore 88. Bandellus cap. 23. Deza fol. 42. à tergo. Vincent. atque Gryfald.*

VERITAS 176.

HIC Notissimus, sicut & doctus Auctor fuit, cuius opera aliqua sunt typis mandata, floruitque ad annum 1310. vel 1314. & sic constat de Auctore. Auctoritatem sic adducunt: *Idem tenet Magister Ioannes de S. Geminiano, in sermone Annuntiationis, & Natiuitatis B. Virginis.* Et nullam adducunt auctoritatem, ex hac parte, & ex eo quòd hic præcelsit Turrecremata per integrum sæculum, & Auctor, atque opera illius erant communissima, & illum non adducit in suo Cathalogo, absque alio examine, & sine vlla temeritate poterat quis dicere, & affirmare, totum dictum Bandelli de suo Geminiano esse fictum, & suppositum. Pro hac veritate demonstranda, dicam, quidquid de hoc Auctore inuenire potui, quia existimo quod adducere hunc, fuit rectum ab errore, vt Deus confundat sapientes, & prudentes in astutia sua

Hic in primis scripsit opus Quadragesimalium Sermonum, quod incipit: *Sicut Prædicatores, & instructores fidelium, &c.* excusum Parisiis anno 1511. in 4. sed in hoc nihil habet de Conceptionis materia, nec exprofesso, nec incidenter, nec in Serm. 90. qui est de septem doloribus B. Mariæ, & incipit · *Ibi dolores, vt parturientis*, habet aliquod verbum pertinens ad præsens assumptum. Edidit etiam Sermonem de Passione, qui extat in operibus Golchalci Augustiniani, & hìc nihil reperitur, neque in sermonibus Aduent. impressis Parisiis anno 1512. in 4. per P. F. Petrum de Tardito, eiusdem Ordinis, & dicatis Guillielmo Paruo, Dominicano, ac Regis Confessario; sed in his, licèt quàm plura habeat elogia vniuersalia indicãtia B. Mariæ puritatem, nullum inuenio directè loquens de eius Conceptione: serm. Feriæ 2. Dominicæ 2. fol. 18. inquit: *Designatur enim Virgo in vellere, quia vellus quamvis sit de corpore, tamen corporis passiones nescit, & sic Maria quamvis fuerit in carne, tamen carnis passiones nesciuit, nec vnquam corruptionem sensit, sed semper impolluta, & illibata permansit, &c.* Et Sermon. 5. inquit: *Tertia nubes fuit B. Virgo Maria, de qua Isa. 19. Ascendit Deus super nubem leuem, id est, Virginem Mariam, quæ fuit nubes per carnis passibilitatem, sed leuis per culpæ, & corruptionis immunitatem.* Hìc pro nobis est expressè Ioannes de S. Geminiano. Scripsit etiam Summam de exemplis, & rerum similitudinibus, de qua locuti sumus in Auctore antecedenti, vbi in diuersis locis loquitur de Virgine Maria, præcipuè lib. 1. cap. 48. fol. 54. col. 4. sub hoc titulo: De quam plurimis sanctissimæ Virginis perfectionibus, & excellentiis, quæ hìc per diuersas simi-

ſi militudines, Solis, Lunæ, lucis, Auroræ, nubis, maris, &c. inquit: *Maria mater Domini aſſimilatur Soli. Primò, quia Sol habet nobilitatem in ortu, oritur enim ex alto, & cum ſplendore multo: Sic Beatiſſima Virgo Maria orta eſt ex alta progenie, quia ſcilicèt ex regaliſtirpe, & nata cum ſanctitatis ſplendore. Non enim nata eſt infecta originali peccato, ſicut alii communiter naſcuntur; hinc eſt quòd Eccleſia feſtum de eius Natiuitate agit, &c.* Hic nihil ad rem noſtram dicit Geminianus, quia loquitur de Natiuitate, quod Eccleſia, vos, & nos libenter, & vnanimiter receptum habemus, niſi aliquis vellet ſic argumentari: Maria nata eſt abſque infectione originalis peccati: ergo concepta eſt cum infectione originalis peccati, quæ eſſet pluſquam barbara conſequentia. Vidi totum illud opus, quod latiſsimum eſt, ſed ibi non extant alia verba, ex quibus Aduerſarii poſsint deducere ſuam concluſionem. Imò ſæpè vocat B. Virginem puram, ſpeculum ſine macula, & totam pulchram. Libro verò 3. cap. 10. habet auctoritatem, quam dedimus numero antecedenti, in qua ſolùm dicit Geminianus, quòd fomes in Mariæ ſanctificatione non fuit extinctus, ſed ligatus: ſed hæc verba non contradicunt noſtræ ſententiæ, quantum ad aſſumptum principale, ſicut nec illa quæ habet Sermone 14. Aduent. folio 20. col. 3. *Nam in aliis Sanctis etiam Virginibus caro eſt ſicut aurum obſcurum ratione fomitis, ſed in Beata Virgine fuit vt aurum fuluum, præcipuè poſt extinctionem fomitis. Sed caro Chriſti fuit etiam aurum fuluum nimis per omnimodam carentiam, &c.* caruit Chriſtus fomite, adhuc in ſua generatione, non ſic Maria, quia cum fomite fuit eius caro generata à Ioachimo, & Anna. Tandem lib. 7. capit. 20. iterum agit latè de Virgine Maria, & ad noſtrum propoſitum ſolùm habet hæc verba, folio 390. *Pulchritudo verò competit eius puritati, per quam immunis fuit ab omni deformitate peccati. Cantic. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te, &c.* Hæc verba clara, videntur pro noſtra ſententia. Sed ſurſum corda, altiora inueſtigemus.

Geminianus ſcripſit etiam Sermones funebres, qui fuerunt impreſsi Lugduni anno 1510. & 1536. & Pariſiis 1611. in 8. & diſt. 1. Serm. 2. fol. 17. ſic inquit: *Eſt autem aduertendum, quòd in natis ex muliere inuenitur triplex malum. Primum eſt infectionis ſubiecti, ratione ſcilicèt horribilis, vtpotè originalis peccati. Cùm enim duplex ſit natiuitas, ſcilicèt, in vtero, & ex vtero; quantum ad primam natiuitatem, ſcilicèt, in vtero, ſolus Chriſtus natus eſt ſine infectione originalis peccati. Lucæ 1. Dixit Angelus Virgini Mariæ: Quod enim ex te naſcetur Sanctum, vocabitur Filius Dei; ſed quòd quidam alii Sancti ex ſpeciali priuilegio gratiæ fuerunt ſanctificati in vtero, & à peccato originali purgati, in quo fuerunt concepti: tales quantum ad ſecundam natiuitatem ex vtero, nati ſunt ſine peccato, ſicut legitur de Hieremia Propheta, & de Beata Virgine Maria. Etiam tenet Eccleſia de Beato Ioanne Baptiſta, qui Spiritu Sancto repletus eſt ex vtero matris ſuæ, vt dicitur Lucæ 1. &c.* In impreſsione Pariſienſi, fol. 34. hæc vltima verba continuantur ſic: *Dicitur Lucæ 1. capit. & Matthæi 11. Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta, & de B. Maria Virgine, quæ, quia præuenta fuit à filio, ex vtero matris nata eſt expers peccati originalis.* Hæc eſt differentia, quæ extat in originalibus. Vndè colligo. Primò, quòd in impreſsione Lugdunenſi malitiosè prætermiſſa fuerunt hæc vltima verba, quia in illis expreſsè fatebatur Geminianus præuentionem, & præſeruationem Virginis à peccato originali: ſed de hoc in auctoritatibus ſequentibus. Secundo colligo, quòd apud antiquos, naſci in vtero, & naſci ex vtero, non eodem modo accipiebatur, naſci in vtero, aliqui ſumebant pro ipſa generatione carnali, quando ſemen recipiebatur in vtero matris, & incipiebat formari embryon, ſeu fœtus coaptari in maternis viſceribus: & hi Doctores, illud naſci ex vtero ſumebant indifferenter, vel pro naſci in animatione, vel pro naſci ad lucem huius mundi, vel etiam pro naſci *ex* parentibus in generatione, ac ſeminis deciſione, vt denotant illa verba: *Quod enim ex te naſcetur Sanctum*, nota iſtam neutralem locutionem, *Sanctum*, quia totum quod natum fuit *ex* Maria in illo inſtanti generationis Verbi, totum fuit *Sanctum*; non verò fuit ſic in generatione Mariæ, quia non totum illud, quod natum fuit *ex* Anna in generatione Deiparæ, fuit *Sanctum*. Vndè in qualibet generatione erat naſci *ex* parentibus, & naſci *in* vtero proles, illud, *ex*, erat cum peccato, id eſt, concupiſcentia, libidine, ac delectatione, &c. At, *in*, non erat, niſi cum obligatione, reatu, & obnoxietate ad peccatum in prole, & hæc eſt prima acceptio illarum præpoſitionum *ex*, & *in*, vt alibi etiam notauimus ex Catharino. Alii verò antiqui diſcurrebant aliter: nam naſci in vtero, vocabant ipſam animationem fœtus: naſci verò ex vtero, quando in lucem huius mundi prodibat infans, & ſic loquitur Ioannes de Friburgo, & Antonius de Gyslandis, fol. 21. dub. 27. Sermone de Natiuitate Domini, ex Ordine Prædicat. pro vna, & altera acceptione poſſem adducere quàm plures Doctores antiquos, ſed ab illis ſuperſedeo, quia hìc ſolùm argumentor ad hominem, ex Auctoribus, & auctoritatibus adductis, & receptis ab Aduerſariis, & hæc eſt vna ex præcipuis æquiuocationibus, quæ hanc controuerſiam reddiderunt confuſam. Dicebat vnus antiquus Doctor: ſolus Chriſtus natus eſt

ex Virgine ſanctus, purus, immaculatus, & ſine peccato, &c. Et ſumebant *ex*, à cauſa efficiente, & origine generationis maternæ reduplicatiuè, prout à matre; & hoc modo rectiſsimè dicebãt, quia Virgo Maria non fuit ſic *ex* parentibus generata, ſecundùm omnes antiquos. Alii verò loquebantur aliter dicendo, ſolus Chriſtus natus eſt *in* vtero ſine peccato originali, ac percõſequens Virgo Maria nata eſt *in* vtero cum peccato originali. Si iſti antiqui ſumebant naſci *in* vtero, pro conceptione prima carnali, quando fœtus fuit ſeminatus *in* vtero, ſiuè ſemen receptum *in* vulua matris, rectiſsimè, & optimè dicebant: quia tunc ſolus Chriſtus natus eſt *in* vtero ſine peccato originali; & quòd hoc modo Virgo Maria nata fuerit *in* vtero cum peccato, tranſeat, admittimus, nihil contra nos. Aduerſarii autem omnes illas varias, ac diuerſas acceptiones, & locutiones antiquorum Doctorum, volunt reducere ad ſolam, & vnicam animationem, & ſic confuſio illorum cum ipſis, & etiam cum nobis, ſine intermiſsione à propoſitionibus *ex*, & *in*.

Tranſeo ad alteram auctoritatem. Nam in eodem Funerali, diſtinctione 2. Sermone 4. fol. 42. ſic inquit: *Circa primum, aduertendum eſt, quòd per vnum hominem, ſcilicèt primum Adam, qui ſcilicèt primò peccauit, peccatum intrauit in mundum, id eſt, in homines, qui in mundo naſcuntur, & concipiuntur, quia omnes qui concipiuntur in mundo, ex ipſo peccato Adæ in ipſa ſui conceptione trahunt originale peccatum, excepto Chriſto, qui non eodem modò, quo alii eſt conceptus, ſcilicèt non ex virili ſemine, ſed myſticoſpiramine carnem ſumens, vndè quod in ea natum eſt, ſcilicèt ex ſanctiſsima Matre eius, de Spiritu Sancto eſt.* Huculque in vno originali, in alio verò conſequenter ad verba præcedentia ſunt hæc: *Idem nunc ſentit Eccleſia de Virgine Maria Matre Domini intemerata, & immaculata, &c.* Quid expreſsius eſſe poteſt pro noſtra ſententia, quis autem hoc ademit ab originalibus Pariſienſibus, vel addidit in Lugdunenſibus? Ipſi videant. Solùm enim hìc noto, quod in Euangelio Lucæ ſunt illæ duæ clauſulæ: *Ecce concipies in vtero*; & altera: *Quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur*, in quibus ſunt illæ duæ præpoſitiones, *in*, & *ex*, illud concipere in vtero (licèt in Chriſto Domino, fuerint in eodem inſtanti, concipi, ſeu recipi in vtero materia, & animari) formaliter loquendo, & præciſiuè, ſupponit pro prima conceptione, quia illa fuit ex parte vteri virginalis, animatio autem ex parte omnipotentiæ Diuinæ, & ad hoc reſpiciunt verba Geminiani dicentis: *Qui concipiuntur in mundo ex ipſo peccato Adæ, in ipſa ſui conceptione trahunt originale peccatum, excepto Chriſto, qui nõ eodem modo, quo ipſi, eſt cõceptus, ſcilicèt, non ex virili ſemine.* Ergo concipi in vtero ſecundùm Geminianum, reſpicit primam conceptionem, ſicut illud: *Quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt*, reſpicit ſecundam. Sed nondum peruenimus ad finem, quia omnia ſupradicta confirmantur ex aliis Geminiani verbis, eadem diſt. 2. Serm. 6. fol. 50. col. 3. vbi ſic inquit: *Et ideò quia peccato originali omnes infecti ſunt; patet; quòd quantum eſt ex eo, omnes inutiles facti ſunt. Hic attendat pius Lector, & Chriſtianæ veritatis cultor, quòd ab vniuerſali hac ſententia, vti modernorum tenet Eccleſia excipitur Virgo Maria in Conceptione puriſsima, quæ per gratiam præuenientem, præſeruata creditur, & colitur, &c.* In altero verò originali ſic ſe habent, hæc verba, fol. 184. *Omnes igitur ex eo, quòd in peccato originali naſcuntur, inutiles facti ſunt. Hic porrò attendat pius Lector, & Chriſtianæ veritatis cultor, Virginem Mariam ab hac lege, ſeu maledictione excipi, credit etiam Eccleſia, & docet, eam non conceptam in peccato originali, ſed ſpeciali, diuinoque priuilegio præſeruatam fuiſſe, &c.* Ex his omnibus deducit veritas ſequentes concluſiones. Prima, quòd Ioannes Gallicus in antecedenti numero poſitus, eſt fictus, quoad nomen, & quoad auctoritatem. Secundo, quod eſt multiplicatus cum hoc Ioanne Geminiano, Ordinis Prædicatorum, Italo, & quòd illud de Doctore Gallo Pariſiẽſi, fuit contra veritatem. Tertia, quòd Sermones citati ab Aduerſariis de Natiuitate, & Aſſumptione, nec fuerunt typis mandati, nec comparent in rerum natura, & ſic debent illos oſtendere, vel vt ficti erunt reputãdi. Quarta, quòd hic Auctor mendaciter fuit adductus, cùm conſtet ex ipſius repetitis verbis, noſtram tenuiſſe ſententiam: veſter Auctor eſt iſte, non meus, pro veritate hìc dimicamus, & ad ipſam tendimus, rectas ergo facite ſemitas eius. Et conſiderate, qua veritate fuit hic adductus à Bandello pro veſtra opinione?

IOANNES Geneſius de Parma, Ordinis Minorum in ſuo Roſario capit. 5. *Bandellus capit. 24. Dezafol. 48. Vincentius, atque Paul. Gryſal.*

VERITAS 177.

HIC Auctor notiſsimus eſt, propter antiquitatem, ſanctitatem, doctrinam, atque dignitatem, vixit enim ad annum 1278. fuit inculpatæ vitæ, & Angelus pacis communiter nuncupatus, totius Ordinis Minorum Generalis Miniſter, ſcripſitque plura, vt videre eſt apud Vvillotum, folio 114. Vvadingum, folio 208. quem vocat Ioannem de Qualia, & Ioannem Paulinum Parmenſem. Antonius Poſſeuinus in tribus diuerſis locis de ipſo mentionem fa-

fecit, vt videre eſt folio 880. & folio 927. Trithemius, fol. 73. & ferè omnes Nomenclatores antiqui, & moderni. Inter alia ſcripſit opus ſub titulo: *Roſarium in Geneſim*, de quo dicit Poſſeuinus, ſe illum vidiſſe Patauii, apud Patres Auguſtinianos, & ſic nec de Auctore, nec opere dubitandi relinquitur locus.

Hunc ſic adducunt: *Idem tenet Magiſter Ioānes Geneſius de Parma, in ſuo Roſario, cap. 5.* Et nullam adducunt auctoritatem. Et ſic exiſtimo, aliquod hic latere mendacium. Primo, propter illam regulam generalem toties repetitam, & ſemper verificatam, quòd adducere Auctorem, & prætermittere auctoritatem, eſt, quia Auctor nihil dicit, vel contra illos eſt, vt etiam in Auctore ſequenti demonſtrabimus. Secundo, quia cùm hic fuerit Generalis Ordinis Minorum, & ſanctiſsimus vir, & præceſſerit Turrecrematam, iſte non prætermitteret ſub ſilentio tantæ auctoritatis virum. Tertio, quia citant locum extra propoſitum, ſcilicèt cap. 5. ſui Roſarii, & cùm hoc ſit ſuper Geneſim, neſcio, qua occaſione poterat Geneſius ſuper capit. 5. Geneſeos loqui de Conceptione: niſi forte ſit error Typographiæ, & loco capitis 5. apponendum eſſet cap. 3. vbi ad illud: Ipſa conteret caput tuum, cōmuniter tractant Expoſitores de myſterio Cōceptionis. Quarto, quia huius Auctoris vidi librum de Ciuitate Chriſti, impreſſ. Regij, anno 1501. in 4. & in ipſo nullum extat verbum, contra immaculatam Virginis Conceptionē. Quouſque ergo oſtendant Aduerſarii huius Doctoris verba, vt ſuſpectus habendus erit: quia ego facta omni diligentia cum Patribus Paduanis ipſum inuenire non potui.

IOANNES De Herphordia, Ordinis Minorum, in ſua Summa capit. de Conceptione, & cap. de peccato originali. *Bandel. capit. 24. Dezafol. 48. & Petr. de Vincent.*

VERITAS 178.

IOANNES De Herfordia, vel Erdfordia Thuringius, natione Theutonicus, cuius frequens eſt mentio apud Nomenclatores, ſcripſit Tabulam originalium nominum, quæ incipit: *Quum vt ſcriptum eſt*, & Summam de caſibus, quæ incipit: *Rogatus à fratribus*, de quibus vide Ioannem Trithemiū folio 90. Vvadingum fol. 204. Geſnerum folio 443. &c. Vvillotus affirmat, quòd Summa de caſibus incipit: *Aaron, &c.* Vixit hic Auctor ad annum 1350. & 1359. Huius opera non ſunt typis mandata. Sed in Conuentu S. Ioannis Regum Toletan. Arca Y. numer. 70. extat manuſcriptum antiquis characteribus hoc opus, Summa, vel Summarium, ſiuè Tabula originalium nominum appellatum, cuius initium rubris characteribus eſt: *In nomine Sanctiſsimæ Trinitatis; originis omnium rerum: Incipit Tabula originalium, edita, & compilata à Fratre Ioanne Etphordienſi, Ordinis Minorum.* Procedit opus ordine Alphabetico, & incipit: *Aaron, &c.* Et in Bibliotheca S. Eccleſiæ Toletanæ extat alterum, cuius initium eſt: *In nomine Domini Ieſu Chriſti, incipit Tabula originalium, compilata à Fr. Ioanne, Ordinis Fratrum Minorum.* Et opus ſic: *Aaron: Quod iubet Aaron in aures demi ab auribus vxorum, & filiarum, &c.* En habemus Auctorem, & opus citatum ab Aduerſariis: & ſic properemus ad eius auctoritatem.

Prædictum ſic adducunt: *Idem tenet Ioannes de Erphordia eiuſdem Ordinis Minorum in Sūma ſua, cap. de Conceptione, & capit. de peccato originali.* Et nihil amplius. En citant duo capita, ſed auctoritatem nullam: & vt firmiſsimè credas, quod ſæpè diximus, & affirmauimus in hac Ventilatione, ſcilicèt, quod vbicumq; Aduerſarii adducto Auctore tacent auctoritatem, aliquod latet mendacium, ſcias, o Lector quòd in illo primo verbo citato ab Aduerſariis: *Conceptio*, non agit Ioannes de Herphordia de Cōceptione Mariæ paſſiua, ſed actiua, id eſt, de Incarnatione Verbi, & incipit illud Caput, ſeu Diſtinctio, ſic: *Conceptio Chriſti, & Partus Mariæ, &c.* in quo agit latiſsimè de Conceptione Chriſti Domini, & quomodo fuit conceptus abſque originali peccato, quia ſolùm fuit in Abraham ſecūdùm corpulentam ſubſtantiam, adducendo ad litteram auctoritates S. Anſelmi, de Cōceptu Virginali, ca. 7. & 13. & 18. & 23. De Virginis autem Conceptione paſſiua, vel eius ſanctificatione in vtero, nec minimum habet verbum, & ſic prima citatio penitus eſt ficta, & falſa. Secunda autem non eſt falſa, quia eſt falſiſsima in ſuperlatiuo gradu: nam caput illud, ſeu diſtinctio citata de peccato originali, quæ incipit ſic: *Peccatum originale, nec maius, nec minus eſſe poteſt, &c.* agit latè de natura peccati originalis, eius cauſa, & effectu: At de Virgine Maria, eius Conceptione, vel ſanctificatione, non ſolùm habet verbum, imo nec minimam alluſionem: in cap. verò, ſeu verbo, de Sanctificatione, quod incipit: *Sanctificatio viſitatum eſt in ſcripturis, &c.* affirmat, quòd Virgo Maria fuit ſanctificata in vtero matris ſuæ, ſicut Ioannes, & Hieremias, quia hoc priuilegium aliis conceſſum, non eſt Matri Chriſti denegandum. Et, Lector, ratio, & cauſa quare Aduerſarii ſolùm citarunt Auctorem, ſed nullam auctoritatem, quia nulla erat. Sicque in Ioanne de Herphordia omnia ſunt ficta, & falſa, & contra veritatem, niſi illud quod habet caput de Conceptione, & caput de peccato originali, de reliquo, nec vngula quidèm

remanet veritatis, niſi illud: Maria fuit ſanctificata in vtero matris ſuæ, & hoc non in cap. de Conceptione, & peccato originali, ſed in cap. de Sanctificatione.

IOANNES De Linctimber, vel Lettimberg, vel Littiber, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Ratiſponenſis, in Serm. Natiuitatis B. Virginis. *Turrecrem. cap. 29. fol. 120. Anonym. Auctore 59. Bandel. cap. 23. Deza fol. 40. Vincent.*

VERITAS 179.

IN Hoc Auctore, omnia ſunt confuſione plena (cuius proprium nomen fuit Ioannes Pichiardus de Lucemburgo, Epiſcopus Ratiſponen.) Prima, quia nullus Nomenclator antiquus, vel modernus de ipſo mētionem facit, vt Trithemius, Sixtus Senenſis, Geſnerus, Poſſeuinus, Myræus.

Secunda, quia Anton. Senenſis in ſua Bibliotheca, fol. 138. ſic inquit: *Frater Ioānes Pichardi de Lucemburgis, natione Theuto, qui fuit Ratiſponenſis Eccleſiæ Præſul, ſcripſit Sūmā Theologiæ, quæ citatur in illo libro recollecto ex ſententiis Patrum, ad probandam Conceptione B. Virginis, & creditur eſſe Bandelli. Sermones etiā Quadrageſimales, & Dominicales, Sermones de Sanctis per totum annum, anno* 1310. Quod dicit Senēſis de Summa Theologiæ, citata in illo libro recollecto à Bandello, iam vides eſſe gratis dictum, quia talis Summa Theologiæ no citatur à Bandello, neq; ab aliquo alio, ſed ſolùm ipſum citant in ſermone Natiuitatis, nec ſolùm adducitur à Bandello, ſed etiam à Turrecrem. & Vincentia, cùm autem in illo Recollectorio Bandelli præcipuè, ac principalitèr citentur duę Summæ Theologiæ, vna S. Thomæ, & altera S. Bonauenturæ, fortè loquitur de aliqua iſtarum, quod notare debes pro infrà dicendis.

Tertia confuſio eſt, quia iſtum Auctorem ſic adducit Turrecremata: Item ad idem eſt eiuſdē Ordinis Magiſter Ioannes de Lettimberg, Epiſcopus Ratiſponenſis, in ſer. Natiuitatis B. Virginis, ſub themate: Paruus fons qui creuit in fluuium, &c. Eſther 10. dicit: *Hic fons paruus erat, quia in originali conceptus, ſed creuit in ſui Sanctificatione in vtero, & incrementū fuit quadrupliciter. Primum fuit ſanctificatio in vtero, quæ maior fuit, quàm ſanctificatio Hieremiæ, vel Ioannis Baptiſtæ.* Bandellus autem illam adducit ſic: Idem tenet Dominus Ioannes Linctimber, Epiſcopus Ratiſponenſis, in ſerm. Natiuitatis B. Virginis, ſic dicens: *Natiuitas B. Virginis non habuit admixtionem tenebræ peccati originalis, quia fuit ab ipſo per gratiam ſanctificationis mundata. Hæc ille.* Eadem verba ad litteram habet Petrus de Vincentia. Vel ergo iſtæ duæ auctoritates tranſcriptæ fuerunt ex vno, & eodem ſermone Natiuitatis, ex eodemmet loco, vel ex diuerſis, ſi ex eodem, quomodo ſunt primo diuerſæ, ita vt nec vnum verbum auctoritatis Turrecrematæ reperiatur in auctoritate Bandelli, ac Vincentiæ? Si fuerunt tranſcriptæ ex diuerſis locis eiuſdem Sermonis: igitur opera iſtius Ioannis de Linctimber viderunt Turrecremata, Bandellus, ac Vincentia, ex nullus alius in mundo vidit, nec audiuit, o res mira?

Quarta confuſio orta ex præcedenti eſt, quòd Albertus Magnus, Ratiſponenſis Epiſcopus, ſcripſit Sermones, ſed nullum adducit ſub illo themate: *Fons paruus, &c.* Hugo de Pratoflorido, Ordinis Prædicatorum, qui floruit ad ann. 1322. fol. 236. adduxit ſermonem Natiuitatis, ſub illo themate: *Fons paruus creuit in fluuium, &c.* & in principio habet aliqua verba ſimilia illis quæ adducit Turrecremata, & cum iſtum Hugonem de Prato nunquam citent Aduerſarii, poteſt eſſe, quod Sermo adductus ſub nomine Ioannis de Linctimberg, ſit Hugonis, cuius nomen mutarunt, vt non deprehenderetur falſitas auctoritatis, quod ſæpiſsimè faciunt, licèt in præſenti temerarium eſſet, affirmare aliquid aſſertiuè. Vt certum vero, ac indubitatum propono, Aduerſarios non conuenire in cognomine, huius Auctoris, neque in auctoritate illius, quod opera iſtius non ſunt typis mandata, nec alicubi reperiuntur manuſcripta; nam Valerius Andr. fol. 549. ipſum adducit ex Leand. Alberto, & hic ex Bandello, & Bandellus ex Turrecremata. ac cum omnes ſint Auctores Ordinis Prædic. deducat Lector ſuas conſequētias, quia mea, quouſque ipſum videam, erit: quod homo fecit illum, & qui ſpiritum maculatum mutuatus eſt, is finxit illum.

Quinta, quia auctoritas in rei veritate nihil dicit contra immacul. Virginis Concept. quia tenebræ peccati originalis potuerunt mundari per ſanctificationem carnis antè animæ infuſionem, quæ etiam fuit, & dicitur gratia.

IOANNES Monachus, Ordinis Ciſtercienſis, Doctor Pariſienſis in 3. Sentent. diſt. 3. *Turrecrecremata, part. 6. capit. 35. fol. 125. Anonym. Auctore* 145. *Bandello cap. 22. Deza fol. 37. Vincent. & Gryſald.*

VERITAS 180.

SOLVS Arnoldus de Vvion in Ligno vitæ, tom. 2. à folio 438. refert triginta Ioannes Monachos, Scriptores in ſacra Religione Benedictina, ſed eodem tom. fol. 77. vbi agit de Scriptoribus Ordin. Ciſterc. nullum Ioan. Monachū adducit. Idē dico de Chryſoſtomo Enriquez, qui in ſua Biblioth. Ciſter-

Ciſtercienſum de nullo cognominato Ioanne Monacho mentionem facit. Geſnerus aliquos refert Ioānes Monachos, ſed nullum Ciſtercienſem. Pieryus ſuper Capreolum, lib. impreſ. Cremonæ, ann. 1496. fol. 1. ſub nomine Monachi Albi, allegat quendam Scriptorem ſuper Sentētias. In Biblioth. Eccleſiæ Toletanæ extat quoddam manuſcriptum antiquis characteribus, in fol. ſuper Sententias intus, & foris, ſub nomine Monachi. Item in Biblioth. S. Ioannis Regū, lit. X. num. 60. in carta pelicea antiquis characteribus extat aliud Manuſ. cū hoc titulo: *Monachus ſuper quatuor libros Sententiarum*, & opus incipit ſic: *Quoniam ſecundū doctrinam Ariſtot. 1. Poſteriorū diſciplina quælibet intellectiua, &c.* Conſtat ergo fuiſſe quendam Monachū Scriptorem ſuper Sententias; ſi autem ille fuerit Ioānes, vel Petrus; albus, ſeu niger; Ciſtercienſis, vel Benedictinus, inueſtigare non potui, ſed ſat eſt, quòd conſtet de Auctore, & opere; & ſic pergamus ad auctoritatem.

Turrecremata ita inquit: *Item ad idē eſt eiuſdē Ordinis Ioannes Monachus in ſuo 3. diſtin. 3.* Et nihil ampliùs, quia nullam adducit auctoritatē, & illam non adduxit (præter ſolitum morem in omnibus aliis Doctoribus obſeruatum) prudenter ſe abſtinens à ſecunda fictione: at Bādellus vltra progreſſus eſt, ſic dicens: Idē tenet Dominus Ioan. Monachus, Doctor Pariſienſis in 3. Sēt. diſt. 3. ſic dicēs: *B. Virgo fuit in originali peccato concepta, ſed per ſanctificationem fuit ab eo antè quam naſceretur, mūdata.* Et ipſiſſima verba habet Vincentia: Vel ergo fuit alius Monachus Scriptor ſuper Sententias, vel omnes iſti Patres euidenter conuincuntur de fictione: nam in prædictis originalibus Monachi, nec extat verbum vllum auctoritatis adductę à Bandello, nec aliquod aliud directè, vel indirectè agens de Concept. aut Sanctificat. Mariæ: incipit enim lib. 3. Sent. ſic: *Quoniam in collatione dictum eſt, quòd per Incarnationē, & Paſſionem Chriſti genus humanum redemptum eſt à peccato, idcircò quæritur, vtrùm mors Chriſti, ſiuè eius Incarnatio fuerit pretium ſufficiēs pro peccato, &c.* Hæc eſt prima quæſtio Monachi in illo 3. Sent. Secūda: *Vtrùm Deus aſſumpſerit naturam humanam in vnitate ſuppoſiti.* Tertia: *Vtrùm propter bona opera futura anima Chriſti fuerit ab æterno prædeſtinata.* Quarta: *Vtrū Dei Filius potuerit aſſumere naturam humanā cū libertate potente agere meritoriè, & demeritoriè.* Quinta: *Vtrùm Chriſtus per naturam aſſumptam meruerit ſibi, & nobis.* Hæc, & nihil ampliùs extant in illo Monacho: Si autem hoc ſit dicere: *B. Virgo fuit in originali concepta, &c.* nunc examinate.

Inſuper exiſtimo, quòd iſte Ioannes, Monachus Ciſtercienſis, ſit multiplicatus cum Ioāne de Ceruo, etiam Ciſtercienſi adducto etiam in 3. Sent. diſt. 3. vt vidimus ſuprà num. 163. quod conſtat ex auctoritate: dicit enim Bandel. Idem tenet Magiſter Ioan. de Ceruo in 3. diſt. 3. ſic dicens: *B. Virgo fuit in originali peccato concepta, & ab eodem, antè quam naſceretur, per ſanctificationem mundata.* Confer hanc cum ſuprà poſita, & inuenies, eſſe vnam, & eandē: & ſic concluditur, quod Monachus fuit, ſed non auctoritas. Ceruus ne ipſe, nec auctoritas. O ſacratiſſima Virgo Maria! omne vas, quod fictum eſt, contra te non dirigetur.

IOANNES De Montenigro, Ord. Prædicatorum, in Tract. Glorioſo de Concept. diſt. vel diuiſ. 7. *Anonym. Auct. 92. Band. cap. 23. De Xafol. 42. Vincent. & Gryſaldus.*

VERITAS 181.

IOANNES De Montenigro eſt quidam Prouincialis Lombardiæ, qui ad Concil. Baſilienſe fuit miſſus à tota ſua Religione; vna cum Ioan. de Turrecremata, vt in illo ſuam defenderet opinionem de Sanctificatione Virginis Mariæ in vtero, poſt peccati originalis contractionem, qui quidèm illuc peruenientes ann. 1436. Ioan. de Montenigro edidit, ac præſentauit coram Præſide Cōcilii, Archiepiſcopò Arelatēſi, reſcriptum, ſeu allegationem pro ſua opinione, quā ipſe elaborarat an. 1432. vt dicit Leand. Alber. libr 4. fol. 150. Accipite rei veritatem ex ipſomet Turrecr. p. 1. cap. 1. ad finē, vbi poſt multa de modo procedendi in rebus fidei, ſic inquit: *Quod cùm apud omnem Catholicum Doctorē indubitatum hoc eſſe debeat, ſequitur, quòd ſuppoſitio prima, qua collega meus venerabilis, ſcilicèt, Magiſter Ioan. de Mōtenigro, Prouincialis Lōbardiæ, in ſua Relatione poſuit, &c.* vt diximus ſuprà in Tritur. num. XV. Ad hanc Relationem iuſſu eiuſdē Præſidis reſpōdit Ioan. Gonzalez de Cōtreras, dictus cōmuniter Ioan. de Segouia, quia ex Ciuitate Segouienſi erat oriundus, de quo latè infrà num: 195. Notab. 5. & 6. vbi agendum erit de Ioan. de Turrecr. quid ad hanc allegationem Ioan. de Segouia, reſpondit, vide etiam ibidem, quia totus hic liber pro ſolò illo elaboratus eſt. Ab hoc ergo Ioanne de Montenigro, Prouinciali Lombardiæ, ſeminata fuit zizania, quæ poſteà in tota Lombardia creuit, quam eradicare conatus eſt Summus Eccleſiæ Pontifex Sixtus IV. in illis Extrauagantibus; *Graue nimis, &c.* quæ paſſim circumferuntur. Hæc eſt vera notitia de illo Montenigro, quia conueniunt rebus nomina ſæpè ſuis.

Aduerſarii illum addūcūt ſic: *Idem tenet Magiſter Ioannes de Montenigro, in Tractatu glorioſo, quem fecit de Conceptione.* Idē dicit Anonymus, ſed addidit cotam dicendo: *Di. 7.* hoc eſt, Diſtinctione, vel Diuiſione 7. Iā ergo ex hac parte Aduerſarii non dixerunt veritatem; quia

Ioannis de Montenigro non fuit Tractatus glorioſus, ſed quædam Relatio. Vt dicunt Turrecremata, & Ioan. de Segouia teſtes oculati: nam exiſtimo, neque Bandellum, neque Anonymũ, vidiſſe illum glorioſum Tractatum, fuit enim adeo glorioſus, quod ab humanis oculis videri non potuit, nec hucuſq; viſus eſt. Audi quid de ipſo dicat Anton. Senenſis fol. 150. *Ioannes de Montenigro, vir feliciingenio, &c. ſcripſit Tractatum de Conceptione B. Virginis, ad probandũ Conceptionẽ B. Virginis Mariæ, & tàm Auctor. quàm tractatus citatur in illo libro recollecto ex Patribus, qui Bandello tribuitur. Plura eius ad meam non venere notitiam. Claruit anno 1436.* Eadem ferè verba adducit Alph. Placẽtinus, fol. 383. citans prælegatũ Anton. Senẽſem. Etiã Ioan. Mich. Pius par. 2. lib. 3. fol. 25. ſic inquit ex eodẽ Anton. Senenſi: *Fra Giouuani da Mõtenegro, di felice ingenio, di dottrina eminente, & di grande energia nel diſputare, ſcriſe vn trattato della ſanctificatione, de Maria Vergine eſci elto da i Padri del Concilio di Florentia, à diſputare contro i Greci, n' ottenne di loro honorata vittoria.* Auctor iſte cõfundit verba Senenſis, & omnia ab ipſo propoſita ſunt contra veritatem, nã tractatus ille de Sanctificatione, non fuit oblatus Patribus Concilii Florentini, ſed Baſilienſibus, nec in Florentino aliquid actũ fuit de hac Conceptionis materia, nec de hoc fuit cum Græcis diſputatio, nec illa honorata victoria fuit circa Sanctificationem, vt ſimulata hæc verba, & artificioſè diſpoſita indicant. Sixtus verò Senenſis nullam de hoc Auctore mẽtionem facit, nec vllus alius Nomenclator antiquus, vel modernus, ex quibus hæc tria deducuntur. Primum, quòd Monſniger, vel nigrus, non fuit Scriptor, nec Auctor, nec ipſe elaborauit aliquod opus magnum, vel paruum, vt ipſemet Antonius Senenſis fatetur, imò tractatus ille, ſeu allegatio, ab ipſo deportata ad Concil. Baſiliẽſe, non fuit ſua, ſed Romæ elaborata à tota Religione Prædicatorum, & ipſe ſolùm fuit inſtrumentum ad illam præſentandam, & cùm Doctor Ioan. de Segouia reſpondiſſet, ex aduerſo cauſam ſumpſit Turrecrem. non Montenigrus. Secũdo, quod huius Auctoris, ac ipſius glorioſi operis, nulla memoria remanſit, non ſolùm apud exteros Scriptores, ſed neque apud proprios ex Domicana familia, & quid mirum? ſi Mõtenigrus nihil ſcripſit, & opus illud non erat ſuum. Tertio, quòd iſtius nullam adducunt auctoritatẽ, & exiſtimo malitioſè actum fuiſſe; quia Tractatus ille glorioſus extat incorporatus cũ tractatu edito ſub nomine Turrecrematæ, ſed de hoc aliàs latiſsimè. Concludimus ergo affirmando, quòd Ioan. de Montenigro non fuit Auctor, ſed Relator, non Scriptor, ſed Scriptoris ſocius, & vmbra, & ſic tranſit velut talis. Vide alia infrà in prælegato num. 195.

IOANNES De Neapoli, Ordinis Prædicatorum in Quodlib. 11. vel 12. *Turrecrem. cap. 29. fol. 119. à terg. Anonym. Auctor. 60. Deza f. l. 41. Vinc. Gryſal. Capreol. Soncin. & S. Antoninus paſsim.*

VERITAS 182.

DE Hoc Auctore ferè omnes Nomenclatores ſpecialem faciunt mentionem, & communiter affirmãt, opus illud Quodlibetorum manuſcriptum aſſeruari in Conuentu S. P. N. Dominici Neapolit. quod ſcripſit Serm. contra immacul. Virginis Conceptionẽ, temeritas eſſet velle in dubium vertere, quia S. Antoninus in ſua quæſtione, aut Sermone de hac materia, ſepiſsimè ipſum citat, adducendo ad litterã illius verba, his tamen non obſtantibus, dico, quod opus Quodlibetorũ iſtius Auctoris prodiit Neapoli anno 1618. in fol. & ibi taliis quæſtio de Conceptione non extat: quomodo, vel quare hoc factum fuerit, ſecundùm legem veſtram iudicate. Et hęc de Auctore, & opere.

Auctoritatem ſic adducit Turrecrem. Item ad idem eſt eiuſdem Ordinis P. Magiſter Ioannes de Neapoli, Magiſter ſolemnis Pariſienſis, in Quodlib. ſuo, queſt. 11. qui narratis ambabus opinionibus dicit ſic: *Opinionem autem dicentium, quòd B. Virgo concepta fuerit in originali peccato, tanquam magis conſonam Scripturæ ſacræ, ad præſens tenco. Hæc ille.* Bandellus verò, & Vincentia ſic: Idem tenet Magiſter Ioannes de Neapoli, Doctor Pariſienſis, in Quodlib. 1. quæſt. 12. ſic dicens: *Beata Virgo fuit Concepta in peccato originali. Tum, quia deſcendit ſeminaliter ab Adam, quia Scriptura neminem excipit, niſi Ieſum Chriſtum. Tu, quia Auguſtinus, Gregorius, Leo Papa, Anſelmus, & Bernardus hoc expreſsè ad litteram dicunt. Hæc ille.* Bandelle, Vincentia, atque Deza, illa Turrecrematę eſt concluſio Ioannis de Neapoli, hæc veſtra etiam eſt concluſio; videte ergo, quantùm diſtet vna ab altera? Ego dicerẽ abſque vllo timore, formidine, vel temeritate, hanc ſecundã auctoritatem à primo vſque ad vltimum verbum eſſe fictam, falſam, & contra veritatem. Tùm, propter iſtam tàm enormem differentiam verborum. Tùm, quia licèt S. Antoninus ſæpè adducat verba iſtius Auctoris, nunquam talia refert. Tùm, quia tres relati Auctores omnes, omnes, & iterum dico omnes Doctores, tàm proprios, quàm extraneos adulterarunt. Tùm quia iſta ex ſe clamant, & apertè dicunt, eſſe Bandelliana. Tùm denique, quomodo poterat Ioannes de Neapoli, vir doctus, vt eius Opuſcula indicant, Chriſtianus, & Religioſus, dicere de illis Sanctis Patribus: *Beata*

Vir-

Virgo fuit concepta in peccato originali, &c. Hoc expreſsè ad litteram dicunt? Quis talia auderet dicere, quando viuunt opera Auguſtini, Gregorii, Leonis, Anſelmi, & Bernardi? Vos contra honorem Ioannis de Neapoli, & Virginis puritatem affirmatis ita eſſe, nos pro veritate, & eorundem honorem, & gloriam, negamus. Iudicet Deus inter nos, & vos. Quod ego affirmo iuxta rei veritatem, eſt, quod Ioannes de Neapoli veſtram tenuit opinionem, & ſic collocaui ipſum in 8. claſſe, ſed adhuc iſte ſuam poteſt admittere Epycheyam. Nam de ipſo inquit Catharinus in 3. Opuſc. Teſtim. 4. fo. 59. *Ioannes de Neapoli ad id quod ex Anſelmo obiectabatur, dicente: Non eſſe deuotum B. Virginis, qui eius Conceptionem colere reſpueret, ita reſpondit: Eccleſia Romana ſupponitur vera amatrix Virginis, & tamen hanc ſolemnitatem non celebrat.* Igitur ſi Ioannes de Neapoli vidiſſet tàm feſtiuè eam celebrare, aliter ſentiret?

IOANNES Pariſienſis, Ordinis Prædicatorum, in 3. Sent. diſt. 3. *Turrecrem. part. 6. cap. 29. fol. 119. à tergo. Anonym. Auctore 62. Bandel. cap. 23. Dezafol. 42. Vincent. & Gryſald.*

VERITAS 183.

QVIS, vel qualis fuerit Auctor, ex nomine deprehendi non poteſt, quia Scriptores *Ioannes* ſunt innumerabiles, neque etiam ex cognomine, quia *Pariſienſis* eſt inter Aduerſarios nomen tranſcendens, quia omnes à ſe adductos faciunt Pariſienſes, Doctores clariſsimos; neque etiam poteſt colligi ex citatione, quia *in 3. Sent. diſt. 3.* iam vides, ſi eſt cota communis, nec denique quod indagamus, poteſt aſſequi ex verbis, quia non adducunt auctoritatē formalem, ſed quandam relationem. Dicunt enim ſic: Item ad idē eſt eiuſdem Ordinis Pater Magiſter Ioannes Pariſienſis, eiuſdem Vniuerſitatis, qui in 3. diſt. 3. docens, Virginem Mariam in originali peccato eſſe conceptam, dicit: *Oppoſitam opinionem eſſe contra auctoritates Sanctorum, & derogare dignitati Filij Dei, & Matris eius, quia ſecundùm iſtam nunquam pertinuiſſet ad redemptionem generalem Filij, nec Mater ipſa fuiſſet vniuerſalis Redemptoris. Hæc ille.* Hæc autem verba apud Auctores contrariæ ſententiæ ſunt communiſsima, vtpotè fundamentum totale ſuæ opinionis: ex nullo ergo capite poſſumus detegere Auctorem iſtum incognitum, niſi ex illo: *Ordinis Prædicatorum.*

Et in primis fuit quidam Ioannes Pariſiēſis, Ordinis Prædicatotum, qui ſcripſit ſuper Sententias ad annum 1280. vt dicit Trithem. folio 301. & in alio originali, fol. 74. potuit eſſe iſte, ſed huius opera nunquam lucem viderunt. Fuit etiam alius Ioannes Pariſienſis, qui ſcripſit tractatum de Antechriſto, vt videre eſt in operibus Ioachimi Abbatis, & Theleſphori de Cuſentia lib. impreſ. Venetiis anno 1516. in 4. Sed hic non poteſt eſſe, quia nō eſt ſuper Sentētias. Fuit & alius Ioannes Pariſienſis, Ordinis Predicatorum, de quo Franc. Maria Piſtoia, in ſua Maria triumphante, coron. 2. cap. 5. fol. 162. affirmat, tenuiſſe ſententiam de immaculata Virginis Conceptione: ergo multo minus eſt hic. Aut. Poſſeuinus in Apparatu ſuo folio 927. adducit quemdam Ioannem Pariſientem, Ordinis Prædicatorum, qui ſcripſit Quodlibeta, ſuper Magiſtrum Sententiarum, & contra Henricum de Gandauo, & citat Eſingrenium, & Antonium Senenſem. Anton. verò Senenſis fol. 134. meminit cuiuſdam Ioan. Pariſienſis, qui ſcripſit ſuper 4. libros Sententiarum, Quodlibeta, & cōtra Henricum de Gandauo ad annum 1294. Et infrà fol. 136. adducit alium Ioannem Pariſienſem, qui floruit anno 1300. & ſimiliter ſcripſit ſuper 4. lib. Sent. Quodlibeta, & contra Henricum de Gandauo. Et inſuper fol. 135. adducit eodem modo Ioannem de Tortocollo, qui etiam fuit Pariſienſis Doctor, qui ſcripſit in 4. libros Sententiarum, Quodlibeta, & contra Henricum de Gandauo. Turrecremata, vt vidimus ſupra num. 45. adducit Bernardum de Caramonte, Doctorem Pariſienſem, qui ſcripſit contra Henricum de Gandauo, & hic vixit anno 1292. Leander Albert. fol. 137. refert de quodam Ægidio de Liſciuis, qui ad ann. 1271. ſcripſit de vnitate formarum, & immediata viſione diuinæ Eſſentiæ. Et idem dicit de Richardo Clapoel Anglo, & quòd ſcripſit contra corruptorium D. Thomæ, Alphonſus Fernandez in ſua Concertatione, fol. 387. adduci hos duos Ioannes Pariſienſes vltimos, & citat Albertum, & Senēſem. Denique omnes iſti Scriptores Dominicani dicunt, & affirmant, quòd Heruæus Natalis, ſiuè Henricus Brito, Doctor Pariſienſis, qui vixit ad annum 1310. ſcripſerit ſuper Sententias, & contra Henricum de Gandauo. Item Ioannes Capreolus, qui ſcripſit ſuper Sententias, & vixit ad annum 1415. fuit Pariſienſis, & ex Ordine Prædicatorum. Ecce ergo, ò Lector! habes ſeptem Ioannes Pariſienſes, ex Ordine Prædicatorum, Scriptores ſuper Sententias, & contra Henricum de Gandauo, & ſi ille relatus à Myræo in Auctario fol. 253. cap. 405. qui etiam fuit dictus Ioannes Pariſiēſis ex Ordine Prædicatorum, & ſcripſit in 4. libros Sentent. & Quodlibeta, & vixit ad annum 1299. fuit diſtinctus à præcedentibus, iam ſunt octo. Quis ergo adeò cœcus, & ineptus erit in rebus litterariis, vt dixi ſuprà in ſimili caſu num. 126. quòd non videat, & intelligat, totum hoc eſſe

eſſe quandam reduplicationem, & multiplicationem Auctorum ſine vllo fundamento, nec veritate? Sed gratis dato, quod fuerint in rerum natura iſti ſeptem Ioannes Pariſienſes, ex Ordine Prædicatorum, Scriptores ſuper Sententias, eodem tempore, & eiſdem circũſtantiis, quorum nullus eſt typis mandatus, quomodo cognoſcemus, quis, vel qualis fuerit Ioannes Pariſienſis hìc ab ipſis adductus? O quàm aptè dicere poſſumus illud Sapientis: Datus inſipientis non erit vtilis tibi, oculi enim illius ſeptemplices ſunt, exigua dabit, & multa improperabit, &c.

Dico ergo, quòd Auctor hic aliquam occultam habet infirmitatem; quia vbicumque Aduerſarii, loco cognominis proprii, adducunt Gallum, Pariſienſem, Anglum, vel Theutonicum, aliquod latet malum. Quare aut Actor eſt fictus, vel multiplicatus, vel eſt Hugo Gallicus, de quo ſuprà nu. 126. vel Ioannes de Neapoli, de quo numero antecedenti, vel Ioannes Capreolus, qui fuit Pariſienſis, qui ſcripſit ſuper Sententias, de quo in Trituratione num. xl. & in Ventil. num. 161. vel Ioannes Boſinienſis, de quo ſuprà num. 157. & ſi nullus ex his, quærite illum, ſi inueniri poteſt, & adducite eum ad nos, vt non deambulemus errantes in agro. Sed fortè, fortè, quæretur, &c. illius, & non inuenietur.

IOANNES De Poliaco, vel Policratis, Doctor Pariſienſis, Sæcularis, in ſuo Quodlibeto 3. quæſt. 3. *Turrecrem. part. 6. cap. 28. fol. 112. Bandel. cap. 21. Dezafol. 36. Anonym. Auctore* 160. *Vincent. S. Antoninus.*

VERITAS 184.

FATEOR, atque profiteor in Sacerdotis verbo, quod nullum ex Auctoribus adductis ab Aduerſariis deſideraui originaliter videre, quàm hunc Ioannem de Poliaco, non propter ſententiam, ſed propter veritatem verborum, & quia Vincentia in claſſi 4. antiquorum Theologorum ipſum ponit primum, Principem, & anteſignum, antè S. Ioannem Damaſcenum, Andræam Hieroſolymitanum, Alcuinum, & Ricardum de Sancto Victore, ita vt propter hoc dixerit Petrus Poſinus in ſuo Libello: Vincentia victus folio 142. cap. 12. cuius titulus eſt: *Ioannes de Poliaco, hoſtis Religioſorum, teſtis Vincentiæ, dignum patella operculum, eius ſanguinaria, immanis ſententia, &c. vt Principem inter omnes locum tribueris, i laudabo hominì Ioanni de Poliaco capitali quondam hoſti Religioſorum Mendicantium, cuius atrocem indolem, cruentumque ingenium facilè produt illa, quam ex eo recitare commendando non vereris, &c.* Deſiderabam igitur videre huius Auctoris opera. Tum, vt recognoſcerem, an eſſent fideliter tranſcripta ab Aduerſariis. Tum, quia exiſtimo, ipſum locutum fuiſſe ſub illa vniuerſali æquiuocatione antiquorũ de prima conceptione carnali ſub concupiſcẽtia parentum facta, non de conceptione propria, animatione ſcilicèt. Sed cùm huius opera non fuerint typis mandata, imo neque inueniantur manuſcripta, quia vt iuſtè damnata à Summis Eccleſiæ Pontificibus, penitùs perierunt, & ſic in hoc Auctore non ego à me ipſo loquar.

Ioannes de Poliaco, quem S. Antoninus paſſim vocat de Policratis, fuit Doctor Pariſienſis, qui floruit ad annum 1320. tempore Ioannis XXII. fuit capitalis hoſtis Religionum Mendicantium, temerarius, & audax. Vndè in quodã Libello antiquiſsimo edito etiam à quodam P. Dominicano, cuius titulus eſt: Summa vtiliſſima errorum, & hæreſum, per Chriſtum, & eius Vicarios, & per Inquiſitores hæreticæ prauitatis, in diuerſis mundi partibus damnatarũ, &c. In ſpeciali capitulo ponit errores Ioannis de Poliaco Clerici, & concludit Auctor: *Iſti tres errores ſunt cõdemnati in Extrauaganti D. Ioannis XXII. quæ incipit: Vas electionis. Horum autem errorum Auctor fuit, & inuentor quidam Magiſter in Theologia Pariſius Magiſtratus, vocatus, Magiſter Ioannes de Poliaco, &c.* Vide Henric. Spondanum ad ann. 1320. num. 11. Eandem doctrinam Ioannis de Poliaco damnarunt etiam poſt Ioannẽ XXII. Eugenius IV. Nicolaus V. Sixtus IV. & Leo X. vt conſtat ex eius Bulla, quæ incipit: *Exponi nobis, &c.* vt videre eſt apud Brunonem Canſteing. fol. 91. Gabriel Prateolus in ſuo libro de Dogmatibus hæreticorum fol. 234. cap. 26. loquens de hoc, incipit ſic: *Ioannes de Poliaco, Theologus Pariſiẽſis, varios ſeminauit errores, &c.* Contra hunc etiam ſcripſit Petrus de Palude, Ordinis Prædicatorum, inſignem librum, vt dicit Geſnerus, fol. 878. Hic eſt ergo Ioannes de Poliaco, quẽ Aduerſarii contra immaculatam Virginis Cõceptionẽ adducunt, quaſi pro teſſera, & ſigno: In hoc vinces.

Auctoritatem ſic adducit Turrecremata: Itẽ ad idem eſt Magiſter Ioannes de Poliaco Sæcularis, Magiſter Pariſienſis in ſuo 3. Quodlib. quæſt. 3. dicit: *Mihi videtur, quòd non poſſet ab aliquo pro opinione teneri, ſed potiùs pro hæreſi reputari, quòd B. Virgo non contraxerit originale peccatum, cùm ſit contra ſacram Scripturam, & dicta Sanctorum.* Et poſtquam allegationes multas ſacræ Scripturæ, & Doctorum, ſicut eſt illud Roman. 3. Omnes peccauerunt. Cùm Gloſſa Auguſtini, & illud: Roman. 5. Sicut per vnum hominem peccatum intrauit in mundũ, cum Gloſſa. Et illud Epheſ. 2. Eramus, & nos

natu-

natura filii iræ, adiunctis multis dictis Augustini, & B. Thomæ, in 3. subdit dicens: *Cùm ergo illud, quod est contra omnem Scripturam, non possit pro opinione probabiliter teneri, imò in quantum est contra sacram Scripturam, debet tenens hæreticus reputari; quis est tantæ præsumptionis, & audaciæ, vt præsumat contrarium asserè prædictorum testimoniorum in æternum fundatorum? Certè nullus. Quòd si aliquis præsumeret non argumẽtis, sed aliter esset contra eum procedendum. Hæc ille.* Hucusque Turrecremata ex Ioanne de Poliaco, in quibus, vt vides, aliqua adducit, vt verba formalia, alia verò tolùm relatiuè desumpta ex tota quæstione, vt expressè denotant illa verba: *Et postquã allegationes multas sacræ Scripturæ, & Doctorũ, sicut est illud, &c.* Anonymus transcribens ex Turrecremata, ad litteram illam refert, vno, vel altero verbo parui tamen momenti mutato. Venit post istos insignis P. Bandellus, & sic composuit totam auctoritatem: Idem tenet Magister Ioannes de Poliaco, Doctor Parisiensis in 3. Quodl. quæst. 3. sic dicens: *Videtur mihi, quòd non possit ab aliquo pro opinione teneri, sed potiùs pro hæresi reputari, quòd Beata Virgo non contraxerit originale peccatum, vel quòd fuerit ab originali peccato præseruata, quia hoc est contra sacram Scripturam, & contra dicta Sanctorum Doctorum, Augustini, Anselmi, Bernardi, & aliorum. Quòd si aliquis tantæ temeritatis esset, qui præsumeret contra testimonia tantorũ Doctorum asserere, Beatam Virginem nõ contraxisse originale peccatum, certè cõtra talem, tanquam contra hæreticum, non cum argumentis, sed aliter (videlicèt cum igne) esset procedẽdum. Hæc ille.* Ingressus est posteà Petrus de Vincentia, & derelinquens auctoritatem Turrecrematæ, de verbo ad verbum transcripsit hanc Bandelli; idem dico de Deza, qui ad marginẽ quasi ironicè addidit: *Caue ex communicationem.* Et infrà: *Iste dimittit verba, & venit ad verbera.* Sanctus Antoninus ter citat ipsum, sed nunquã adducit ipsius verba. Ecce cum Poliaco positi sunt omnes in Area, & illud: inimicos nostros ventilabimus.

Supponimus, Turrecrematã dixisse veritatem, atque etiam Anonymum. Sed Bandellus, & alii adulterarunt sequẽtia. Primò, vbi Poliacus, *posset*; ipsi, *possit*, quod verbum cum tempore mutat etiam sensum. Secundo, iniquè addiderunt illud, *vel quod fuerit ab originali peccato præseruata*; quæ verba nõ sunt in originali, si credẽdum est Turrecrematæ. Tertio, vbi Poliacus, *cùm sit contra sacram Scripturam, & dicta Sanctorum*; ipsi sic, *quia hoc est contra, &c.* addentes illud, *hoc*, id est, quòd Maria fuerit ab originali peccato præseruata, ideò interposuerunt clausulam illam, vt censura caderet suprà præseruationem, non super contractionem. Videbant enim, quod suo tempore ad hanc instantiam: Maria contraxit originale: Respondebant aliqui dicentes: contraxit in Adam, concedo; contraxit in parentibus, concedo; contraxit in femine, concedo; contraxit in se ipsa, nego; quia ab hac contractione fuit præseruata; vt ergo clauderent aditum ad has solutiones, addiderunt, atque composuerunt illam clausulam, *vel quod fuerit ab originali peccato præseruata; quia hoc est contra sacram Scripturam, &c.* Quarto, Poliacus ex S. Patribus solùm citat secundum Turrecrematam, Augustinum nudè, & absque vllo epitheto, & B. Thomam, Aduersarii vero dicunt: *Augustini, Anselmi, Bernardi*, addentes duos, Anselmum, & Bernardũ, & derelinquẽtes Beatum Thomam, credne mihi, quod hoc non fuit casu factum. Quinto, vellem, vt mihi ostenderent vbi est illud verbum, *& aliorum.* Sexto, ex formalibus verbis Poliaci, prætermiserunt totam illam clausulam, *cùm ergo illud, quod est, &c.* Septimo, addiderunt ex proprio cerebro, absque vllo timore totum illud, *qui præsumeret contra testimonia tantorum Doctorum asserere, Beatam Virginem non contraxisse originale peccatum*; quia hæc in Poliaco non extant. Octauo, eodem modo addiderunt alteram clausulam: *Certè contra talem, tanquã contra hæreticum, &c.* Quæ verba falsissimè hìc addita fuerunt, vt sic denotarent esse hæreticum, qui affirmaret, Virginem non contraxisse originale peccatum; nam licèt Poliacus suprà dixerit illud, *deberet tenens hæreticus reputari*, illud dicit de negante auctoritates Pauli ad Romanos, & ad Ephesios, & quod Poliacus dixerat de negante propositiones illas: omnes in Adam peccauerunt, & : eramus, & nos natura filii iræ: Aduersarii suo pessimo artificio determinarunt censuram istam contra asserentes, Virginem non contraxisse peccatum originale, aut fuisse præseruatam à macula. Nota, o Lector! & iterum nota, quod non sistit hìc malitia, quia vlterius tendit ad alium execrabilem finem. Dixerat Sixtus IV. in sua Extrauaganti: *Graue nimis, &c.* Non esse hæreticum dicere, Virginem Mariam non contraxisse originale peccatum, & ideò sub nomine Ioannis de Poliaco, Auctore damnato, voluerunt recõuenire Summum Ecclesiæ Pontificem Sixtum IV. &c. Multa erant hìc detegenda ex Bandello, Vincentia, & Spina, quæ Religionis causa scindimus. Nono, addiderunt illud, *videlicèt cum igne*, vt sic euomendo totum virus, clarè, & appertè dicerent, seu promulgarent vltimã, ac definitiuam sententiam, pro tribunali sedendo, contra totum fidelium corpus, à capite vsque ad pedes esse igne comburendos, tanquam hæreticos formales, tenentes, Virginem Mariam fuisse conceptam absque originali peccato. Hoc non dixit Poliacus detestandus, & dam-

damnatus hæreticus à tot Summis Pontificibus, relaxatus; quis ergo hoc dixit? At illi tacebant; siquidem in via inter se disputauerant; quis eorum maior esset? Nullam ergo in iudicio potest habere fidem Poliacus, neque ex Auctore, neque ex auctoritate.

IOANNES Richardi, Episcopus Draconensis, Ordinis Minorum, in Compendio Theologiæ lib. 4. *Turrecrem. part. 6. cap. 30. fol. 122. Anonymus Auctore 106. Bandell. capit. 24. Deza folio 145. à tergo. Gryfaldus.*

VERITAS. 185.

TRIA Hic sunt dicenda de Auctore, opere, & auctoritate. De Auctore dico, quod hunc aliqui vocant Ioannē Richardum, vt Vvillotus folio 241. Gonzaga fol. 87. Possevinus fol. 935. Rodulph. Tosignianus fol. 327. Alii Ioannem Rigaldū, vt Vvadingus fol. 224. Sanctus Antoninus, & alii. Tandem alii vocant Ioannem Coraldum, vt in eius libro, de quo infrà. Iste fuit Episcopus Draconensis, assumptus tempore Ioan. XXII. Nota hoc, quia omnes Fratres Ordinis Minorum sustinentes, Virginē Mariam fuisse in originali peccato conceptam, fuerunt tunc ad supremas dignitates Ecclesiasticas assumpti, vt Aluarus Pelagius, Beltrandus de Turre, & hic Ioannes Richardus.

De opere verò dico, quòd inter Scholasticos antiquos fuit quoddam opus celeberrimum, Compendium Theologiæ nuncupatum, sine Auctoris nomine, quod incipit: *Veteris, ac noui, &c.* septem libris distinctum. Hoc ergo Cōpendium Theologiæ aliqui tribuunt S. Thomæ Aquinati, vt vidi in duobus M. S. & dicit Ang. Rocca. Alii tribuunt S. Bonauenturæ, vt est in operibus eius tom. 7. Alii verò Alberto Magno, & extat in operibus eius, nouissimæ impress. tom. 13. Alii Petro de Tarantasia, vt dicemus num. 253. Alii Ægidio Romano, & sic fuit impressum Venetiis. Alii tribuunt Hugoni Cardinali, vt dicitur in 1. tom. suorum operū, & Frizon. Aduersarii hoc Compendium adscribunt Hugoni de Argentina, vt vidimus suprà num. 124. Ipsimet iterum illud adscribunt Ioanni Rigaldo, vt videbimus numero sequenti. Item etiam adiudicant illud Thomæ de Suetonia, vt dicemus infrà num. 299. Hic, & nunc illud appropriant Ioanni Richardo, Episcopo Draconensi. Isti sunt nouem Patres vnius filii, siue nouem Auctores vnius libri. Restant insuper alii tres Patres, & Auctores dubii, ac incerti, scilicet Polidophorus, quem adducunt Aduersarii infrà num. 258. Reginaldus Rothomagensis; de quo iidem Aduersarii infrà num. 266. & Vlricus de Argētina, de quo etiam Aduersarii infrà num. 312. quia videtur multiplicatus cum Hugone de Argētina, vt ibidem demonstrabimus. Quibus omnibus adde Ioannē de Litemberg, Ordinis Predicatorum, & Ioannem de Combis, Ordinis Minorum, qui vltimò prædictum Compendium typis mandauit Venetiis 1575. in 12. & 1560. in 8. Lugduni 1563 & 1554. & 1633. & Lutetiæ 1556. nihil immutans in textu, addidit tamen aliquas Notatiunculas ad marginem, & aliquando in textu, sed diuerso charactere, & inter parentesim. Ex his ergo tredecim Auctoribus Compendii adducunt aliquos Aduersarii pro sua sententia, pauciss imos tamen, scilicèt, solùm duodecim prætermittentes tantummodò vnum, quia fuit ipsis posterior, cum hac tamen differentia, quod sex, scilicèt, Bonauenturam, Albertum Magnum, Ægidium, Hugonem, Petrum de Tarantasia, & Ioannem de Litemberg, non ex Compendio, sed ex aliis operibus sumpserunt auctoritates, & sic isti sunt multiplicati secundū quid. Alii verò quinque videlicèt, Thomam, Hugonem de Argētina, Ioannem Richardum, Ioannem Rigaldum, Thomam de Suetonia, ex illo Compendio sumendo auctoritates, multiplicant simpliciter: de aliis duobus, vel tribus Polidophoro, & Reginaldo, & Vlrico res dubia est; vide infrà quæ suis locis dicimus. Si ex his solùm vnus fuit Auctor illius Compendii, & fortè Ioannes Coraldus, quem ipsi non adducunt, quid dicemus, vel faciemus de aliis tredecim? Nisi dicamus: Iuuenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt, &c. Est ne hoc verum?

Auctoritatem verò sic adducunt: Idem tenet Dominus Ioannes Richardi, Episcopus Draconensis, Ordinis Minorum, in Compendio suæ Theologiæ libro 4. sic dicens: *Prima sanctificatio Virginis Mariæ fuit in vtero Matris, quæ habuit tres effectus, videlicèt, culpæ originalis iam contractæ expiationem, & gratiæ infusionē, & fomitis tantam restrictionem, vt non posset in aliquod peccatum actuale deiici, & propter hoc celebratur festum Natiuitatis eius, non autem Conceptionis, nisi ratione sanctificationis in aliquibus partibus. Hæc ille.* Suprà diximus de Auctore, vel Auctoribus Compendii in generali, nunc restat examinare veritatem in particulari. An scilicèt fuerit huius Ioannis Richardi, & in primis Basileæ apud Iacobū de Pforzē anno 1509. cura, & solicitudine P. Francisci Vviler, Ordinis Minorum prodiit liber impressus in 4. sub hoc titulo: Compendium sacræ Theologiæ pauperis: Sancti Bonauēturæ, Doctoris Seraphici, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Episcopi Albanensis, ex Ordine Minorum, Theurgicis, diuinique verbi Concionā-

cionatoribus accomodatiſsimū. In cuius Præfatione dicit Vviler hæc verba: *Hanc planè doctrinam ſanam, quia opus illud perrarum, omnique dignum celebritate iudicio nonnullorum adſcriptum Domino Fratri Ioanni Coraldi, Epiſcopo Draconenſi, ſacræ Theologiæ profeſſori, Minorum Ordinis ſub Ioanne XXII. in humanis ſuperſtiti; aliorum autem, & noſtro Seraphici Doctoris Sācti Bonauenturæ Compendij ſacræ Theologiæ continet, &c.* Et incipit liber: *Veteris, ac Nouæ legis, &c.* P. Lucas Vvadingus in ſuo Cathalogo fol. 224. ſic inquit: *Ioannes Rigaldi, aliàs perperam Richardi, Epiſcopus Draconenſis, ſcripſit Compendiū Theologiæ, elegans quidèm opus libris ſeptem diſtinctum, quod habeo manuſcript. pulchro charactere, & minio, auratiſque māiuſculis exaratum.* Gonzaga, Poſſeuinus, & Vvillotus, ſtant pro Ioanne Rigaldo, Vviler, & Angelus Rocca Auguſtinianus in Præfatione ad Compendium tomo 7. fol. 687. quàm plurimis coniecturis probat eſſe S. Bonauenturę, cui etiam ſubſcribunt ferè omnes Nomenclatores: ego verò in re tàm dubia, exiſtimo, & credo eſſe S. Bonauenturæ, hac ſola ratione motus S. Bonauētura cùm eſſet Generalis Ordinis, vt ſubueniret paupertati ſuorū ſubditorum, edidit duo Opuſcula, ſcilicèt Bibliam pauperis, & Theologiam pauperis, illud eſt Compendium totius Bibliæ, hoc eſt Compendium totius Theologiæ, illud eſt certum, & hoc exiſtimo eſſe certiſsimum: Vndè Auctor hic adductus ab Aduerſariis, cum aliis vndecim relatis pro hoc Compendio, quoad ſententiam de Conceptione Virginis abierunt retrorſum.

Sed vt huius Compendii Auctorem à fundamentis inueſtigemus notet Lector, quod vt nunc extat in operibus S. Bonauenturæ, Alber. Magni, ac Ioan. de Combis, in diuiſione librorum, diſpoſitione capitulorum, concluſionibus, ac verbis ipſis taliter coincidunt, quod nunquā diſſentiunt in ſubſtantia, & rariſsimè in vno, vel altero verbo; illud verò antiquum ſeorſim impreſſum, ānno 1501. ſub nomine S. Bonauenturæ, habet eoſdem libros ſeptem, capita etiam eadem, ſed ipſa appellat Rubricas ſolùm quòd in vno ſunt cap. 307. & in alio Rubricæ 306. & in omnibus aliis ſeruat eundem ordinē, tamen eſt ſine comparatione magis diffuſum, quia pro maiori explanatione extant in eo innumerabilia verba, atque clauſulæ integræ ſuperadditæ, ſed in reſolutionibus, & in omnibus eſſentialibus verbis, & clauſulis eſt dem cum illo S. Bonauenturæ, Alber. Magni, & Ioann. de Combis. Item ſciat etiam Lector, quod Compendium S. Bonauenturæ, Alberti, & Combis, quem paruū vocabimus lib. 7. cap. 6. vbi quærit: *Vtrum indulgentiæ proſint defunctis.* Sic concludit: *Vndè non poſſunt defunctis impendere, id eſt, laici indulgentiam per auctoritatem, ſed ſolùm boni operis ſui ſuffragium per charitatem: Papa verò poteſt vtrumque.* In Compendio verò maiori antiquo, eodemmet libro 7. Rubric. 5. vbi quærit: *Vtrum indulgentiæ defunctis valeant*, extant verba ſic: *Vndè non poſſunt impendere defunctis indulgentiam per auctoritatem, ſed ſolummodò boni operis ſui ſuffragium per charitatem: Papa autem vtrumque poteſt.* Ex quibus patet, quòd verba vnius Compendii fuerunt ad litteram, & verbatim translata ex alio, & idem conſtat ex toto Compendio; ſed attende ad ſequentia; nam Compendium paruum Bonauenturæ, Alberti, & Combis, in dictis verbis claudit cap. 6. & tranſiit ad 7. At alterum Compendium magnum proſequitur vltra ſic: *Papa autem vtrumque poteſt: Alij dicunt, quòd imò ille, cui data eſt indulgentia, poteſt eam vendere, vel in alium transferre. Tum, quia ſibi acquiſitum eſt ius, & licitum eſt cuilibet ius ſuum in alium transferre. Tum etiam, quia ſibi communicatus eſt Eccleſiæ theſaurus, & ipſe theſaurum ſibi communicatum poteſt aliis communicare. Ego autem rem, quam fideli relatione audiui de hac materia in loco de Porciuncula, ſito prope Aſsiſium, in quo loco B. Franciſcus Ordinem Fratrum Minorum inchoauit, & in quo loco ex hoc mundo ad patrem tranſiuit: hæc fideliter referam, vt audiui. Pro illo ſiquidèm loco B. Franciſcus adhuc viuens, obtinuit à Summo Pontifice plenam indulgentiam peccatorum omnibus accedentibus ad locum præfatum prima die menſis Auguſti. Ego autem deuotionis cauſa locum illum anno Domini M. CCCI. viſitaui, & in eodem loco narrauit mihi quidam frater intelligens, & deuotus, quòd eodem anno duo homines de Mediolano venerant, &c.* Et narrat latè per integram ferè columnam quoddam miraculum de indulgentia Porciunculæ.

Item in hoc compendio maiori lib. 5. Rubr. 29. *De ſignis dilectionis*, ad finem dicitur: *Et B. Franciſcus, cui fuit reuelatū à Deo, quòd omnia peccata erant ſibi dimiſſa, vſq; ad nouiſsimū quadrantem*, & in cap. 28. Compendii parui, quod etiam eſt. *De ſignis dilectionis*, hæc verba non extant. Item lib. 6. Rubric. 12. quæ eſt: *De dignitate, & mirabilibus Euchariſtiæ*, inquit Compendiator, *in fine autem tractatus, ſeu lecturæ, quam ordinaui de expoſitione Miſſæ, iuuenis, vigintiquatuor mirabilia, &c.* Vbi ſignat ſe compoſuiſſe librum de expoſitione Miſſæ; ſed hæc verba non extant in capit. 13. & 14. minoris Compendii, quæ ſunt *de dignitate, excellentia, & mirabilibus Euchariſtiæ.* Item eodem lib. 6. Rubr. 30. quæ eſt: *De iuſtificatione impij*, in maiori compendio dicitur: *Vndè Nicolaus Papa Tertius, qui priùs fuit dictus Ioannes Gaietani, ſicut percepi fideli narratione illorum, qui audierunt Fratri Bermundo, Miniſtro Ordinis,*

Fra-

Fratrum Minorum in Prouincia Prouinciæ inextremis laborantí, &c. ſed in Compendio minori cap. 32. qui eſt etiam, *de iuſtificatione impij*, non extant hæc verba. Tandèm lib. 7. Rubric. 28. quæ eſt: *De aureolis in genere*, concludit ſic: *Iſtud autem cantatur de B. Franciſco. O Martyr deſiderio, Franciſce, quanto ſtudio, &c. ſic apparet, quòd vterque, ſcilicèt B. Martinus, & B. Franciſcus palmam attigit martyrii*, in Compendio verò minori cap. 29. quod eſt: *De aureolis in genere*, ad finem adducit exemplum de Sancto Martino, & prætermittit illud de Sancto Franciſco. Ex his ergo omnibus fundamẽtis ſecundùm veritatem conſtitutis, deduco ſequentia.

Primum, quòd Auctor huius Cõpendii magni cuius Prologus incipit: *Veteris, ac nouæ legis continentiam, &c.* Quisquis ille fuerit, vixit poſt Nicolaum III. Summum Pontificem, qui mortuus fuit anno 1280. atque prædictum Compẽdium elaborauit poſt annum 1301. vt ex ſuprà adductis ipſius verbis conſtat, probabiliter verò colligimus ex eiſdem, ipſum fuiſſe Ordinis Minorum, atque ſimiliter Ioannem Coraldum, Richardum, vel Rigaldum, Dracronẽſem Epiſcopum aſſumptum à Ioanne XXII. Sum. Eccleſ. Pontifice, qui regnare incepit anno 1316. & ſic Coraldus viuebat ad ann. 1301. atque tẽpora concordant. Perperam igitur, & ſine fundamento Ioannes Vvilier adſcripſit Compendium hoc magnum S. Bonauenturæ, nam Seraphicus Doctor obiit Lugduni anno 1274. die 14. Iulii, quomodo ergo potuit eſſe Auctor Compendii laborati ad minus poſt ann. 1301? Secundum, Auctor Compendii Minoris, cuius Prologus incipit: *Veritatis Theologicæ ſublimitas, &c.* Hucuſque ignoratur, quis fuerit, vel quando ſcripſerit prædictum Compendium, nec ex ipſo poteſt colligi: attamen certiſsimũ, atque indubitatum eſt, quòd vnus Compendiator ab alio tranſcripſit, & conſtat euidenter ex ipſiſmet Compendiis, & ipſorum ſtructura, nam æqualiter ſunt diuiſi in ſeptem libris, & in vnoquoque libro habent eadem capita, & eoſdem capitulorum titulos, ac denique ferè ſemper coincidunt in clauſulis, ita vt verba ſint ipſiſsima nulla mutata ſyllaba. Hæc autem omnimoda correſpondentia, & totalis vniuocatio eſſe non poterat, niſi vnus compendiator ab alio tranſcriberet; quale autem Compendium fuerit priùs elaboratum, poſt longum ſtudium, atque exactiſsimum examen, inuenire non potui. Ideò dico Tertium, quòd ſi Compendium maius fuit priùs ſcriptum, & ab illo extractum, & compoſitum Compẽdium minus, quaſi Auctor iſtius voluerit eſſe abbreuiator, ac compẽdiator Compendii maioris, cùm Compendiũ maius fuerit ſcriptum, & laboratum poſt annũ 1301. ſequitur neceſſaria illatione, quòd Compendium minus ex maiori genitus, fuerit natus poſt annum illum 1301. & ſic non potuerunt eſſe Auctores, & Patres Albertus Magnus, S. Bonauentura, S. Thomas, Petrus de Tarantaſia, Hugo de S. Caro, Ægydius Romanus, Hugo de Argẽtina, ſiue Vlricus Argentin. quia omnes iſti vita functi ſunt ante ann. 1301. Potuerunt tamẽ eſſe Auctores, Suetonia, & Lectemberg, Ordinis Prædicatorũ, & iſte Ioannes Richardus, vel Coraldus, Ordinis Minorum, qui floruerunt poſt illum annum. Si autem viceverſa Compendium paruum fuit prius elaboratũ, & ab illo ad ann. 1301. fuit aliud Compendiũ nouis additionibus auctum, & maius factum; paruum potuit eſſe Sancti Bonauenturæ, vel Alberti Magni, &c. non autem Suetoniæ, nec Lictembergi: iſtæ ſunt res per ſe notæ. Quartũ, quomodocumque facta fuerint iſta, ſaltẽ conſtat, Compẽdia paſſa fuiſſe variationum viciſſitudines per augmentum, & diminutionem. Deindè cùm verba adducta ab Aduerſariis ex dictis duobus Cõpendiis contra immaculatam Conceptionẽ, ſint ipſiſsima nulla mutata ſyllaba in vtroque ſequitur, quòd vnus ſolus ſit addu cendus; nam in rei veritate, licèt eſſent triginta Cõpendii diſtincti operũ S. Thomę, dum tamẽ omnes eſſent ſub hoc titulo: *Compendij doctrinæ D. Thomæ*, tranſcribentes ipſius verba ad litteram nihil addendo ex propriis; omnes illi triginta Auctores, ſeu Compendiarii, non ſunt nec recipientur in iudicio, vt Doctores, ſed vt relatores, quia eorum ſententia refunditur in S. Thomam, & ipſi non augent numerum, ſed de hoc aliàs. Cùm ergo iſti duo Compendii habeant eademmet verba, quærendus eſt Theologus primus, qui illa protulit, & ſic erit vnus Auctor, & ſi adhuc contenderis, quòd licèt ſint eadem verba, debent eſſe duo Auctores, optimè; erunt igitur duo, non quatuortuordecim. Richardus, vel Rigaldus fuit maior, ex aliis tredecim ſignate minorem? Et hæc de Auctore, vel Auctoribus.

Sed iam videamus, qua fidelitate tranſcripſerunt Compendii verba, auctoritas in antiquo originali lib. 4. Alphabeto x. Rubr. 3. *de Sanctificatione materna*, col. 3. littera H. ſic extat: *Circa quartum ſciendum, quòd tres fuerunt Sanctificationes Matris Dei. Prima fuit ſanctificatio in vtero, & hæc habuit effectus tres, ſcilicèt originalis culpæ expiationem, & gratiæ infuſionem, & fomitis tantam reſtrictionem, quòd non poſſet in aliquod peccatum duci, licèt tamen ipſe fomes maneret ſecundùm eſſentiam. Secunda ſanctificatio fuit in Spiritus Sancti obumbratione, &c.* Ex quibus verbis conſtat, hanc auctoritatẽ fuiſſe vitiatam, & adulteratam. Primò, quia malitiosè prætermiſerunt illa verba, *ſciendum, quòd tres fuerunt ſanctificationes Matris Dei.* Vt ſic denotarent, quòd ſola vna fuerat ſanctificatio

Vir-

Virginis, & illa in vtero materno, quia ſecundū illos, ſanctificatio ſemper ſupponit culpā: cùm autem Auctor Compendii ponat tres ſanctificationes, ſcilicèt obumbrationem Spiritus S. & cohabitationem filii Dei in vtero eius, per nouē menſes, in quibus à nulla culpa præexiſtēte fuit Virgo Maria ſanctificata, timuerunt illas in lucem prodire. Secundo, addiderunt illam vocē, *Matris*, ad maiorem expreſsionē. Tertio, vbi Compēdium ſolùm dixit, *originalis culpæ expiationem*, ipſi iniquè addiderunt illud, *iam contractæ*, quia præuidebant, quod illa duo verba deerant auctoritati, vt integrè, & cōpletè, ſtaret pro ipſorum ſententia. Quarto, vbi in Compēdio ſolùm dicitur, *in aliquod peccatum*; ipſi eadem intētione addiderunt, in aliquod peccatū *actuale*. Quinto, vbi Compendium, *duci*; ipſi adulterantes oppoſuerunt, *deiici*, ſunt enim diuerſiſsima, ſicut in ſignificatione, ita in ſenſu, ſupponētes, quòd per peccatum originale iam fuerat Maria no ducta ad peccatū, ſed etiam ab illo deiecta. Sexto, abſque vllo timore addiderunt totum illud: *Et propter hoc celebratur feſtū Natiuitatis eius, non autem Cōceptionis, niſi ratione ſanctificationis in aliquibus partibus.* Horum autem verborum nec minimus apex extat in Compendii Rubrica, nec in toto libro. Septimo, antequā vlteriùs progrediamur, cùm hęc verba ficta ſint ab Aduerſariis anno 1484. qua veritate, & conſciētia potuerunt dicere, & ſcribere, quòd feſtum Cōceptionis ſolùm celebraretur in aliquibus partibus? Quando illo tempore iam à tota Eccleſia vniuerſali celebrabatur? Octauo, prætermiſerunt illa vltima verba: *Licèt tamen ipſe fomes*, &c. Nono, malitiosè prætermiſerunt illa verba, quę extant circa finē, loquens de puritate, ac ſanctitate Virginis: *Sancta, id eſt, ſine fœce, per plenæ munditiæ puritatē. Si enim habuit originale, ab eo fuit in vtero, vt dictum eſt, per gratiam ſanctificationis purgata*, &c. Conſtat ergo ex illo aduerbio, *ſi enim*, quod non loquitur abſolutè, ſed coditionaliter. Si ergo in vnā auctoritate vix habēte quinq; lineas, ſunt nouem adulterationes capitales: igitur Cōpendium non peccauit, neque parentes eius, vt cœcus naſceretur, ſed inimicus homo, qui ſuper ſeminauit zizaniam.

Sed nè aliquis iudicet, quòd hæc verba ſint, vel fuerint in aliquo originali, vt ab Aduerſariis adducuntur, tranſcribo verba, vt extant in Sancto Bonauentura, & Compendio illius, impreſſo in Romana Curia, vbi Patres Dominicani tantam adhibuerunt diligentiam, vt textus eius Compendii non corrumpetur, vt notaui num. 49. ad finem. Igitur lib. 4. Compendii, cap. 4. de Sanctificatione materna, folio 704. inquit Sanctus Bonauentura: *Tres autem fuerunt ſanctificationes Matris Dei, prima fuit ſanctificatio in vtero, & hæc tres habuit effectus, ſcilicèt, originalis culpæ expiationem, & gratiæ infuſionem, & fomitis tantam reſtrictionem, vt non poſſet in aliquod peccatum duci, licèt tamen ipſe fomes maneret ſecundum eſſentiam*, &c. Et nihil ampliùs, & hæc ipſa ſunt in originalibus Combis, folio 314. & in Alberto Magno tom. 13. fol. 72. atque in origin. manuſc. Sancti Thomæ: ergo iis vitis, lectis, & attentè conſideratis credite, antiquos illos veſtros Scriptores fuiſſe falſarios, ac deprauatores auctoritatum Sanctorū Patrum, ac ſacroſanctæ Eccleſiæ Doctorum, & vos in hac materia eſſe deceptos, & ſi demonſtrationibus noſtris non creditis, ſaltem operibus veſtris, & veſtrorum credite, legite compēdia Sancti Thomæ, & Alberti Magni, & videbitis lucem magnam.

Qui autem Vvilier in Compendio maiori, & Combis in minori, ex ſola ſuperficie verborū cōiecti, exiſtimarunt Compendiatores apertè, & clarè fuiſſe minus piam opinionē, ac pio zelo ductī appoſuerunt ſuas notatiunculas pro immaculata Cōceptione, operepretium erit genuinam, atque propriam Compendiatorum ſententiam, ex ipſorum verbis in medium adductis radicitùs inueſtigare, vt hinc etiam appareat, qualis fuerit antiquorū Theologorū mens. Suppoſito ergo, quòd in vtroque Compendio magno, & paruo eadem ſunt verba eſſentialia, nulla alterata littera, in omnibus locis, & auctoritatibus hic à nobis adducendis de illis in communi loquar.

In libro ergo 3. in cap. ſeu Rubr. de peccato originali ſecundùm rem, ſic dicunt: *Circa primum nota, quòd primus homo miſit ad poſteros originalē culpam, quia licèt anima non ſit extraduce, tamen originalis culpa tranſit ab anima Adæ ad animas poſterorum, mediante carne per concupiſcentiā generata. Item, quòd ſicut ab anima peccante infecta fuit caro Adæ, & prona effecta ad libidinē, ita ſeminata caro ſecum trahens infectionem, vitiat animam. Circa ſecundum nota, quòd ex hoc patet, quòd peccatum originale etiam eſt in carne, & eſt in anima, ſed in carne materialiter, & originaliter, in anima verò formaliter, & tanquā in ſubiecto. Sola enim anima eſt ſuſceptibilis virtutis, & vitij, & tamen ſicut dictum eſt, ex cōiunctione ipſius ad corpus corruptum trahit illud vitium*, &c. Obſerua, Lector, iſtum antiquorū modum loquendi: fatebantur, quòd in ſola anima poterant eſſe vitium, & virtus, peccatum, & gratia; & ſimul affirmabant, quòd in carne erat originalē peccatū, cum hac tamen diſtinctione, quod in carne erat originale peccatū materialiter, in anima verò originale peccatū formale; ſed illud quod erat in carne originaliter, & materialiter, erat poſteà in anima formaliter. Deindè ſic proſequitur: *Circa tertiū nota, quod talis infectio animæ non tantū eſt pœna, ſed etiā culpa. Ipſa verò culpa, quæ ma-*

cula eſt deletur in baptiſmo, &c. id eſt, peccatum originale, & infectio, quę ſunt in carne, & in anima in hoc diſtinguũtur, quod illa animæ, eſt culpa, & macula, & hæc eſt quæ deletur in Baptiſmo. Proſequitur ſic: *Circa quartũ nota, quòd ex prædictis patet, quòd perſona corrumpit naturã, & è contra natura corrupta corrumpit perſonã, nam per peccatũ primi hominis corrupta eſt humana natura, ſed natura ſic corrupta corrumpit alias perſonas. Nota autem, quòd corruptio perſonæ eſt reatus mentis; corruptio verò naturæ, eſt infectio carnis, prout eſt principiũ ad aliam carnem, &c.* Cùm ergo ſit certũ, quod ex his mutuis corruptionibus, tantummodo in Adam perſona corrupit naturã, nam in omnibus aliis natura corrumpit perſonas: in omnibus nobis prius eſt cum peccato originali, infecta, & corrupta natura, quam perſonã, ad cuius confirmationem proſequitur: *Ex quo patet, quòd pater eſt cauſa originalis peccati in filio, ſed cauſam intellige hic in genere cauſæ efficientis: omnes enim per concupiſcentiã geniti naſcimur filii iræ; propter quod incurrimus multiplicem defectum tàm corporis, quàm animæ, ad quos ſubſequitur pœna mortis, & pœna carentiæ diuinæ viſionis, & amiſſionis gloriæ non ſolùm in adultis, verumetiam in paruulis non baptizatis, &c.* Obſerua, quomodo omnes defectus mortis, &c. reducit ad generationem cum concupiſcentia? Vndè, ſi per poſsibile, vel impoſsibile, aliquis ſic genitus preſeruaretur à peccato originali, adhuc cõtraheret illos defectus. In altera Rubr. quę eſt de peccato originali ſecundũ nomẽ dicunt, quòd peccatum originale prout comparatur ad animam, vocatur fœditas, corruptio, &c. & prout comparatur ad corpus, tyrannus, fomes, &c. prout verò *ad primum hominem, à quo contrahitur, vocatur peccatum originale.*

Ex his omnibus principiis vtriuſque Cõpẽdii deducimus quaſi pro vnica cõcluſione; quòd iuxta doctrinam ipſorum, & omnium Theologorum antiquorum, quorũ ſententias epilogarunt, quòd erat, & eſt originale peccatum materialiter, in carne, & natura; & originale peccatum formaliter in anima, & perſona: & quod peccatum originale, infectio, ac corruptio prima, & materialis, carnis, & naturæ, erat fomes; peccatũ verò originale formaliter infectio, ac corruptio animæ, & perſonæ eſt macula, & quòd hoc peccatũ originale ſecundum contrahitur à primo, & primum à parentibus in genere cauſæ efficientis: vndè omnia iſta quomodocumq; contrahantur, dicuntur peccatum originale per ordinem ad Adam, à quo originaliter emanarunt. Videamus ergo, quomodo Compẽdiatores adaptant hanc doctrinã de peccato originali hic traditam ſanctificationi Mariæ in vtero, in illo capit. de Sanctificatione materna toties ab Aduerſariis adducto contra immaculatam Virginis Conceptionem, & in quo ſunt tres propoſitiones, quæ contra ipſam militare videntur?

Prima, in principio talis eſt: *Circa primum aduertendum, quòd ſanctificatio triplex eſt, quædam eſt communis, quæ fit per ſacramenta, quædã ſpecialis, quæ fit per gratiam Spiritus S. & quædam ſpecialiſsima, quæ fit per gratiam ſingularẽ. Prima, remouet culpam, & confert gratiam, remanet tamen fomes, & pronitas ad peccandu, & talis eſt in baptizatis. Secunda, remouet culpã, & pronitatem peccandi mortaliter, & talis fuit ſanctificatio Ioannis Baptiſtæ in vtero, & Hieremiæ. Tertia, remouet culpã originalem, & pronitatẽ ad peccandũ tàm venialiter, quàm mortaliter, & talis fuit in B. Virgine.* Fateor millies, quòd ſecundu corticem verborum hęc auctoritas videtur eſſe pro opinione Aduerſariorum, quia de his tribus ſanctificationibus æqualiter dicitur, *remouet culpam*, & ſi in duabus prioribus remouetur culpa iam exiſtens in anima, in perſona, & quę eſt macula: ergo cùm loquatur textus eiſdem verbis de tertia, idem eſt ſentiendũ. Item quia diſtinctionem in his tribus ſanctificationibus cõſtituere videtur tantũmodo in hoc, quod in baptizatis remanet fomes, & pronitas ad peccandũ, in illa Ioannis, & Hieremiæ ablata fuit pronitas ad peccandum mortaliter; at in ſanctificatione Mariæ fuit ablata pronitas ad peccandũ tàm venialiter, quàm mortaliter: igitur differentia fuit ſolũ in ordine ad peccatum mortale, & veniale, & nõ in ordine ad originale. Patres mei hoc vim habet in apparientia, & via argumẽtatiua, ſed ex his verbis non conſtat expreſsè, & in individuo, quòd Virgo Maria in ſua animatione contraxerit peccatũ originale. Deindè ſi inter Theologos ſtandum eſt formaliſsimis verbis, quantò magis in Compẽdio totius Theologiæ, cùm ergo dicat de prima ſanctificatione abſolutè, *remouet culpam*, & ſimiliter de ſecunda, *remouet culpam*, & in tertia loquatur cum addito, *remouet culpam originalẽ*, & in ſuperioribus dixerit, quòd culpa originalis, ſeu originaliter eſt fomes in carne, & quod originale peccatum formaliter, & culpa animę eſt macula, credendũ eſt, quòd non loquitur textus in tertia ſanctificatione Virginis de hac culpa, vt eſt macula, ſed vt eſt originale principiũ maculæ, ſeu peccatum originale materialiter. Item quià ſi ſolùm diſtinguerentur iſtæ ſanctificationes, quia Mariæ non habebat pronitatem ad veniale, hæc nõ eſſet ſpecialiſsima, & gratia ſingularis; nam etiam de Ioanne dicitur nec leui ſaltem maculare vitam, &c. Denique quia hæc Rubrica habet ſex articulos, & in præallegatis verbis reſpondit ad primum, vbi quæritur: quot modis dicatur, & quid efficiat ſanctificatio, & hic eſt extra rẽ, & ſic queſtionis ſolutio ſumẽda eſt ex quarto, & quinto Articulo, vbi quæritur,

quo-

quomodo in Beata Virgine triplex fuerit ſanctificatio, à quo etiam Aduerſarii ſuam ſumpſerunt auctoritatē, & quam vt expreſſam adnotarunt Vvilier, & Combis.

Secunda ergo auctoritas, & principalis eſt illa ſuprà adducta ab Aduerſariis, ſed in ipſa ſolū dicitur, quòd ſanctificatio Mariæ habuit effectus tres, ſcilicèt primum originalis culpæ expiationem, ſecundum, gratiæ infuſionem, tertium fomitis reſtrictionem; illa originalis culpę expiatio (in qua ex tota auctoritatis vis) vel fuit expiatio originalis materialiter, vel formaliter, vel fuit expiatio naturę, vel perſonę; vel fuit expiatio carnis, vel animæ? Cùm autem nihil horum exprimatur, manet æquiuoca, & indiget declaratione, nam ſi fuit expiatio naturæ, & carnis, ſiuè fomitis exiſtētis in materia genita Cōpendiatores pro noſtra ſunt ſententia, quia ſic Virgo Maria fuit ſanctificata in cauſa, & per cōſequens ſanctificata in ſua perſona, & anima: ſi autem illa originalis culpæ expiatio fuit perſonæ, & animæ, & peccati originalis formaliter, Compendiatores erunt pro veſtra opinione, ſed oſtendite, amore Dei, in ipſis dictiones iſtas perſona, anima, formaliter? Has non prætermiſerunt Compendiatores loquētes de peccato originali; nullam ex his adducunt loquentes de ſanctificatione Virginis? Vndè ergo oſtē ditis, quòd loquuti ſunt formaliter de anima, & perſona?

Tertia auctoritas, quæ eſt antecedenti contigua, & à qua fugerunt Aduerſarii, quia erat omnium antecedentium declaratio, ſic ſe habet: *Circa quintum, quia per ſanctificationem extinguitur fomes, idcirco ex prædictis collige, quòd fomes & perſonam inficit, & naturam; perſonā quidēm, quam ad malū pronam facit, ac ſtimulat ad peccatum; naturam verò, quia carnem inficit prout eſt principium ad carnem alteram. Sed B. Virgo in prima ſanctificatione, qua fuit in vtero, mundata fuit ab originali peccato, in quantū fomes reſpicit perſonā ſuam; quia nihil in perſona ſua purgandum remanſit, in ſecunda verò ſanctificatione quæ fuit, quando Spiritus Sanctus ſuperuenit in eam, purgata fuit à fomite, prout fomes ipſe naturam reſpicit in cōparatione ad prolem propagandā non opere naturæ, ſed opere Spiritus Sancti. Remotus enim fuit fomes eſſentialiter, propter quod pars ab ea ſeparanda in corpus Chriſti de fomite nihil habuit, ſicut nec mater.* Ecce peccatum originale, quod ſecundùm Compēdiatores inficit naturam, & perſonā, carnem, animā, ſcilicèt fomes: ſi ergo Virgo Maria fuit in vtero mundata ab hoc originali peccato, id eſt, fomite, in quantum fomes reſpiciebat perſonam ſuam: ergo in perſona ſua nec habuit fomitem, nec peccatum originale fomes erat, & ſemper eſt in carne: igitur purgato? Fomite carnis, quoad perſonam Virginis nihil purgandū remanſit? Remanſiſſet verò aliquid purgandū, ſi contraxiſſet originale peccatum in anima. Concludimus ergo quòd in prędictis Compēdiis nunquam dicitur B. Maria, in matris vtero fuit ſanctificata à culpa perſonali, contracta, vel expiata à macula propria, vel à peccato originali cōtracto in animatione, vel ſaltim ab originali formaliter; & cum iſtæ propoſitiones nō ſint, neque aliæ æquiualentes ex poſitis in tertia claſſi in Ventilabro, de cæteris non curamus, quia ſunt æquiuocæ, & indifferentes.

IOANNES Rigaldus, vel Regaldus, Ordinis Minorum. *Ita S. Antoninus inter Fratres Minores, Barel. fol. 225. colum. 4. Gryſald. Alphab. 6.*

VERITAS 186.

IN Hoc Auctore ſolus bonus vir Paulus Gryſaldus, vel ex malitia, vel ex ignorantia peccauit: nam S. Antoninus, & Barelete ſcientes, Ioannē Rigaldum eſſe idem cum Ioanne Richardo, relicto hoc cognomine improprio illum citarūt ſub proprio Rigaldi, & ſic illum non multiplicant. At Gryſaldus credens eſſe Auctorem diſtinctum à præcedenti ſic eum adducit: *Ioannes Rigaldus, quem Gabriel Bareleta refert.* Et ſtatim proſequitur addens alterū, & dicens: *Ioannes Richardus, Epiſcopus, in Compendio Theologiæ.* Et ſic ex vno, duo dolauit, & hoc ſæpiſsimè facit, vt ſuprà eſt demonſtratum, & infrà maiora videbimus. Citat Bareletem; & eſt ſignum quòd non viderat S. Antoninum; nullam adducit auctoritatem de vno, nec de altero: ergo non vidit opus, ſeu Compendium. Quod autem hic Rigaldus ſit idē cum antecedenti, non indiget alia demonſtratione, niſi quod legas ſuprà poſitum. Vvadingus enim in Cathal. fol. 200. inquit: *Ioannes Coraldus Dracron. edidit prænotatum Compendium ſacræ Theologiæ pauperis, ſed quidam confundunt opus hoc cum Opuſculo Compendij Theologiæ veritatis, quod inter opera S. Bonauenturæ recenſetur.* Et infrà fol. 224. ſic iterum: *Ioannes Rigaldi, alijs perperam Richardi, Epiſcopus Draconēſis, ſcripſit Compendium Theologiæ, elegans quidē opus libris ſeptem diſtinctum, quòd habeo M. S. pulchro charactere. &c.* Sicq; Richardus, Rigaldus, Regaldus, & Coraldus vnum ſunt, ſicut & Compendium. Si autē idem ſit exiſtimandū de Reginaldo Rothomagenſi, vide infrà num. 266. Sed cum liber ille Compendium Theologiæ veritatis nuncupatū, nec ſit Richardi, nec Rigaldi, ſed S. Bonauēturę, periit Auctor, atque ipſi perdiderunt oleū, & opera: melius eſt enim parum cum iuſtitia, quàm multi fructus cum, &c.

IOANNES De Rupella, Ordinis Minorum, in ſermone Natiuitatis Virginis. *Turrecrem. cap. 32. fol. 123. Anonymus Auctore 113. Bandel. cap. 24. Deza folio 46. Vincent.*

VERITAS. 187.

HIC Auctor fuit Gallus, Aquitanus, & Doctor Pariſienſis, de quo Sanctus Antoninus 3. part. titul. 24. cap. 8. §. 1. fol. 772. vixit ad annum 1270. ſed ſecundùm Geſnerum, fol. 492. ad annum 1250. ſcripſit plura, quorum aliqua ſeruantur in Bibliotheca Vaticana, alia in ciuitate Aſſiſiatis. Et in Bibliotheca Regia Scorialis V. G. 32. extat Summa de Articulis fidei, quę incipit: *Sũma Theologicæ diſciplinæ, &c.* Et aliud magnum volumen ſuper Epiſtolas Pauli, cuius initium eſt: *Dixit Regina Heſter ad Regem Aßuerum, &c.* L. E. 2. in membran. Conſule Vvadingum fol. 225. Vvillotum 215. Gonzagam, fol. 87. Poſſeuinum folio 936. Et hæc de Auctore.

Auctoritatem ſic adducit Turrecremata: Item ad idem eſt eiuſdem Ordinis P. F. Ioannes de Rupella, in opere eleganti Sermonum ſuorum, qui in ſermone Natiuitatis Beatæ Virginis, qui incipit: Fluuius egrediebatur ad irrigandum Paradiſum, &c. Geneſ. 3. dicit ſic: *Maria in origine Conceptionis habuit amaritudinẽ originalis corruptionis, ſed in vtero matris dulçorata eſt per gratiam ſanctificationis, vt naſceretur in dulcedine ſanctitatis.* Et eiuſdem ſententiæ eſt in aliis Sermonibus eiuſdem feſti, ſcilicèt ſub themate: Ferculum fecit Rex Salomõ, Cantic. 3. & ſub themate: Spectet lucem, &c. Iob 3. Hucuſque Turrecremata. Bandellus verò, & alii ſic: Idem tenet Magiſter Ioannes de Rupella, Ordinis Minorum, in ſermone Natiuitatis Virginis, ſic dicens: *Beata Maria in ſui Conceptione habuit amaritudinem originalis corruptionis; ſed adhuc in vtero matris eius exiſtens, dulçorata eſt per gratiam ſanctificationis, vt naſceretur in dulcedine ſanctitatis. Hæc ille.* Ex his fundamentis dico, auctoritatem Rupellæ, vt adducitur à Turrecremata, nihil continere contra immaculatam Virginis Conceptionem: nam origo Conceptionis eſt generatio parentum, concupiſcentia, concubitus, ac libido; hæc enim eſt amaritudo dimanans ab originali corruptione Adami, in quo fuit tota natura corrupta, & ſalſuginata, ſicut eſt aqua maris, fontale principium omnium aquarum, quæ ſcaturiunt in mundo, ſed quod hæc amaritudo originalis corruptionis fuiſſet in origine Mariæ, parum intereſt pro noſtra controuerſia, ſi poſteà, per decurſum quinquaginta dierum illa amaritudo, & corruptio dulçorata fuit per ſanctificationem, vt Maria in ipſo vtero animata, naſceretur in dulcedine ſanctitatis. Hic eſt genuinus ſenſus verborum Rupellæ.

Ideò Bandellus prænidens, auctoritatem iſtam Turrecrematæ nihil probare, illam adulterauit in duobus principalioribus verbis. Nam primò abſtulit vocem illam, in *origine*, dicens abſolutè, & ſimpliciter: *In ſui Conceptione habuit amaritudinem*; eſt enim diuerſiſsimum, habere amaritudinem in origine Conceptionis, vel habere amaritudinem in ipſa Conceptione. Item aliud eſt habere *amaritudinem originalis corruptionis*, quàm habere peccatum originale, nam habere amaritudinem originalis corruptionis, eſt habere principia carnis corruptibilis: Si enim ex maſſa Adami habuit carnem, quę in primo parente tota fuit corrupta, & morti ſubiecta, quid mirum, quod habuiſſet à tali fonte corrupto amaritudinem corruptionis? Tantum ergo diſtant hæc verba Rupellæ à contractione peccati originalis, quòd ego non ſemel, ſed millies concederem illam propoſitionem: *Maria in origine Conceptionis habuit amaritudinem originalis corruptionis.* Secundo, addidit Bandellus verbum illud, *exiſtens*, vt ſic malitiosè indicaret amaritudinem illam originalis Conceptionis non fuiſſe dulçoratam, niſi poſt Mariæ exiſtentiam in vtero, id eſt, poſt animationem, quando verba Auctoris loquuntur vagè, & indeterminatè. Ex his ergo duobus verbis additis, & vitiatis demonſtrauit Bandellus euidenter originalia Rupellæ, vt adducuntur à Turrecremata, non habere formalem efficatiam, ad probandam concluſionem opinionis contrariæ, & telas araneæ texerunt, & telæ eorum non erunt in veſtimentum, neque operientur operibus ſuis.

Hucuſque locuti ſumus ex ipſis Aduerſariorum verbis. Ex propriis verò loquendo, dico, Bandellum adulteraſſe partem auctoritatis adductæ à Turrecremata, ſed reſtat inquirere de fundamento, an ſcilicèt, opus illud elegans Sermonum adductum à Turrecremata, ac per conſequens tres illi, vel quatuor ſermones Natiuitatis Virginis Mariæ fuerintne in rerum natura, vel ſint ficti, & ſuppoſiti, & dico eſſe fictos, & ſuppoſitos. Primò, quia Ioannes de Rupella ſecundùm omnes Nomenclatores, ſolùm ſcripſit Poſtillam ſuper Danielem, in Euangelium Matthæi, in Epiſtolas Pauli, in Apocalypſim, in Sententias, in Regulam Minorum, Summam virtutum, ac vitiorum, ac denique Sermones Dominicales, & nullomodo edidit Sermones de Sanctis. Secundò, quia in Bibliotheca Vaticana, & in ciuitate

Aſſi-

Asisiensi sunt aliqua huius Auctoris opera, sed illud opus elegans Sermonum ibi non inuenitur. Tertiò, quia cùm omnes Nomenclatores mentionem faciant de Sermonibus Dominicalibus, de illo opere solemni (quod magnum necessariò futurum erat, siquidèm de sola Natiuitatis festiuitate adducebat tres Sermones) nullam faciunt mentionem: res enim mira videtur, quòd quinque Patres Dominicani, viderint opus cuiusdam Minoritæ, penitùs ignoratum à suis Scriptoribus Minoritis. Et sic quousque Aduersarii ostendant illud elegans opus Sermonum Ioannis Rupellæ, existima esse fictum, & simul pro hoc expecta iudicii diem.

IOANNES Scotus, appellatus Doctor subtilis, Ordinis Minorum in 3. Sentent. distinction. 3. quæst. 1. *Anonymus Auctore* 123. *Bandell. cap.* 24. *Dez. fol.* 47. *à tergo. Spina part.* 6. *cap.* 4. *fol.* 81. *à tergo, Vincent. & Gryfald.*

VERITAS 188.

SI Hunc Auctorem allegasset vnus, vel alter aduersariorum, existimassem fuisse errorem calami. Si solùm dicerent Ioannem Scotum, iudicarem esse alterum, quia huius nominis fuerunt alii Scriptores; at cùm appellent illum subtilem, Ordinis Minorum, & adducant auctoritatem ex 3. Sentent. distinct. 3. omnem abstulerunt dubitationem. Sed qua intentione, fine, motiuo, fundamento, aut veritate ausi fuerint tot, tantique Patres doctissimi adducere Ioannem Duns Scotum, Doctorem subtilem, Ordinis Minorum, Principem, & Anteſignanum, ac primum Colonum, & assertorem opinionis piæ, quem aliàs ipsimet Aduersarii in eisdem libris, propter hanc solam causam, improperia, & opprobria in eum accumulant, aliquem reconditum videtur habere finem. Hoc non processit ex ignorantia, quia verba Scoti sunt clarissima in præallegata quæstione, nec potest dici, quod ex malitia, vt sic deciperent suos, & nostros paruulos, nouitios, ac sciolos studentes. Nisi dicamus, quòd ita factum fuit, quia in aliis quam plurimis in hac ventilatione adductis, dixerant malum, bonum, & in hoc voluerunt complere væ, appellantes bonum, malum.

Huius auctoritatem sic adducunt. Idem videtur tenere Ioannes Scotus, Doctor subtilis appellatus (Anonymus dicit sic: Idem tenet Magister Ioannes Scotus, qui à Minoribus vocatur Doctor subtilis) in 3. Sentent. distinction. 3. quæst. 1. vbi quærit, vtrum Beata Virgo fuerit concepta in peccato originali, & deductis argumentis pro vtraque parte, tandèm in corpore quæstionis, sic dicit: *Ad quæstionem dicendum, quòd Deus potuit facere, vt Beata Virgo nunquam fuerit in peccato originali, potuit etiam fecisse, vt ipsa tantum in vnum instanti fuisset in peccato: potuit etiam facere, quod per tempus aliquod esset in peccato, & in vltimo instanti illius temporis purgaretur.* Et declarata suo modo possibilitate istorum trium, subiungit. *Quod autem horum trium, quæ ostensa sunt, esse possibilia, sit factum circa Mariam, Deus nouit. Si autem auctoritati Scripturæ non repugnat: videtur probabile, quod excellentius est attribuere Mariæ. Hæc ille.* Cùm igitur primum horum repugnet Scripturæ, & auctoritatibus Sanctorum; igitur primum non est Virgini attribuendum, secundùm Scotum, sed secundum, vel tertium. Hucusque Aduersarii: quæ Auctoritas licèt in aliquibus sit vitiata, tamen quoad substantiam extat ad litteram in omnibus originalibus typis mandatis Venetiis ann. 1580. & 1506. & 1497. & 1490. atque Parisiis anno 1519. & 1617. per Paulinum Berti Augustinianum, Antuerpiæ ann. 1620. & nouissimè Lugduni 1639. & alibi, sæpè illius, qui à Minoribus *vocatur subtilis*, sed à Maioribus subtilissimus, quia licèt consumatus in breui, expleuit, nescio an dicam, tempora multa, vel illa, quæ intacta reliquerunt omnes Theologi ipso antiquiores, &c. non scruteris illud Aduersariorum: *declarata suo modo possibilitate*, quia in hoc etiam Bandellus loquitur *suo modo*: nec cures de illo, *primum non est Virgini attribuendum secundùm Scotum.* Licèt fuerint cum secunda, atque tertia intentione prolata; & tantummodo.

Nunc examinemus illud Aduersariorum: *Idem videtur tenere Ioannes Scotus.* Videtur? Ergo non tenet, *videtur*? Parum videt, qui in Scoto non videt clarè, & distinctè puritatem Mariæ? *Videtur*? Dicendum, & addendum erat: vobis, quia videtis homines sicut arbores ambulantes: si Scotus *videtur* sequi vestram opinionem, quarè contrà illum omnes insurgitis, tàm in scholasticis quæstionibus super tertium Sententiarum, quam in omnibus vestris libris de Conceptione improperiis, & irrisionibus, quia secutus est opinionem nouam contrà mentem expressam omnium Sanctorum Patrum, &c. Si *videtur* esse pro vobis, quare ipsum non vocatis Sanctum, vel Beatum sicut in hac Ventilatione appellatis quindecim, qui nec fuerunt Sancti, nec Beati, & solùm quia vobis *videtur* vestram sustinuisse sententiam, illos ore pleno canonizantes, vocatis Sanctos, atque Beatos. Si *videtur*, quomodo S. Antoninus posita sua opinione, & omnes Auctores

pro ea, inquit: *Quidam alij dicunt, non fuisse cõceptam in peccato originali Virginem ipsam, & præcipuè Ioannes Scotus, Ordinis Minorum, Doctor subtilissimus, &c.* Sed hic absque dubio videbat, & vidit vt Sanctus? Si vestram hic *videtur* tenere sententiam, quare etiam non citatis Scotum pro vobis in omnibus aliis controuersiis, quia in illis loquitur sicut hic? Denique si hic *videtur*, etiam videbitur infrà eodem lib. 3. distinct. 18. quæst. vnica, §: *Aliter dicitur*, vbi quærens. An Christus meruerit in primo instãti suæ Conceptionis, inquit: *Nam ibi*, loquitur de Beatitudine, *sunt aliqui Beati, qui nunquam fuerunt inimici actualiter peccato actuali, vt multi innocentes; & multi alij, qui aliquando fuerunt inimici, vt mortaliter peccantes, & postea pœnitentes. Est ibi etiam Beata Virgo Mater Dei, quæ nunquam fuit inimica actualiter, ratione peccati actualis, nec ratione originalis (fuisset tamen, nisi fuisset præseruata) igitur decens fuit, quòd esset Beatitudo alicuis personæ sine omni merito præcedente, &c.* Quid vobis *videtur* de hoc, *videtur* nè vobis quod hic etiã videatur tenere vestram opinionem? Quod *videtur* tenere hic, *videtur* tenere etiam, vbi eum vos ipsum non tenuistis; ipse enim idem est, & vtinam in hoc teneretis eum.

De Scoti sententia nihil volo dicere, quia esset tempus terere: nam qui per limpidissimum illius subtilissimæ quæstionis speculum macula tam viderunt Virginis Mariæ purissimam Cõceptionem, aut se cæcos esse comprobarunt, aut omnes alios stupidos facere voluerunt. Solùm enim notare debet Lector, quod in hac quæstione loquitur, & procedit subtilis Doctor, sicut in omnibus aliis suis controuersiis, fuit enim sicut doctissimus, etiam modestissimus in suis resolutionibus opinabilibus, loquendo semper, vt par est, cum formidine, nec vnquam se temerariè, aut præsumptuosè præcipitauit, vt non obstante hoc raro, & nunquam satis laudato virtutis, humilitatis, ac modestiæ exẽplo: aliqui è contra fecerunt, vt videbimus infrà in Ioanne de Turrecremata, numero 195. & in Vincentio Bandello numero 307. Deindè præallegata verba ab Aduersariis adducta sunt quasi introductoria ad quæstionem, in quibus primò agit de possibilitate ex parte Dei, & quid eius potentia agere potuit in hoc Mysterio, & stabilitis illis tribus modis possibilibus, cũ illa sibi innata modestia, vrbanitate, ac sinceritate, tribuit Virgini primum modum, scilicèt, nunquam fuisse sub originali. Cùm enim esset Ioannes, & vt Præcursor primus, qui parabat viam in deserto opinandi modo Dominæ suæ, & rectam faciebat semitam præseruationis, atque incipiebat ponere aspera legis cõmunis, & peccati originalis, in vias planas priuilegii, & exemptionis; doctè, prudenter, ac sanctè submittendo suum subtilissimum intellectum altissimo, ac profundissimo Dei iudicio, & incomprehensibili scientiæ Diuinæ; attendens, & considerans illa tria æqualiter esse possibilia, scrutando, quid esset rationabilius, vt Deus faceret de facto cum Matre sua, examinatis omnibus pro, & contra, concludit: *Si autem teneatur pars negatiua quæstionis, ad omnes auctoritates in contrariam partem, respondetur, &c.* Et sic prosequitur vsque ad finem quæstionis, defendendo omni excogitabili subtilitate, & efficacia Virginis præseruationem à peccato originali. Hoc est, ò Patres mei! quod *videtur* in Scoto, processit enim sicut Ioannes, de quo, si fas est dicere hac materia controuersia, quæstione, ac conclusione, non surrexit maior, quòd inter alios infinitos pulcherrimis verbis nouissimè expressit R. P. Martinus Philippus de Connelt Societatis Iesu, in suo Theatro Excellen. SS. Deiparæ, tom. 2. sæculo 14. folio 1210. Vide ibi quot, quantaque egerit Scotus pro hoc Mysterio. Videque similiter Cursum Carm. tomo 4. quæst. 81. tractat. 13. disput. 15. dub. 5. num. 208. folio 640. vbi inter alia inquit: *Absit tamen, vt nos sacro Seraphico Ordini eam gloriam inuideamus, aut denigrare velimus, quam ex assertione, & defensione immunitatis Deiparæ præ omnibus aliis Ordinibus optimo iure consecutus est à tempore ipsius Doctoris subtilis Scoti: qui primus Scolasticorum (eorum saltem, quorũ habemus opera) pro tuenda hac veritate felici forte in arenam descendit: ex tuncque piæ sententiæ sectatoribus dux constitutus est, & facẽ ascendit, &c.* Et post alia, & Scoti verba concludit: *Qua modestissima, cautaque satis responsione, & nos multa docuit, & ipse pius, & humilis se ipsum subtilem, & sapientem superauit. Huius Doctoris secuti vestigia cæteri eiusdem Seraphicæ Familiæ, tanta vi, tantoque successu piam sententiam continuò propugnarunt, vt quidquid secũdæ sortis, quidquid bonitatis, & progressus vsque modo consecuta est totum illis deberi non dubitemus: sed & fœlicem quem optamus, exitum non aliorum cura, vel studio (experientia ipsa testante) futurum arbitramur, &c.* Consonant hæc cum illis suprà positis numero 4. in Ægidio Romano. Vide ibi.

IOANNES Sernigacii, vel Sternigatii, Theutonicus, Doctor Parisiensis, Ordinis Prædicatorum, in 3. Sent. dist. 3. *Turrecrem. part. 6. cap. 29. fol. 129. à tergo. Anonym. Auctore 65. Bandel. cap. 23. Deza fol. 42. Vincent.*

VERI-

VERITAS 189.

SVPRA Ioannes-Gallicarunt, nunc verò incipiunt Theutonizare, & iſte eſt primus multiplicatus, & fictus. Et licet hoc poſſem ſolo vno verbo euidenter demonſtrare, quia talis Ioannes Sernigacius nō fuit in rerum natura: tamē ventilando rem more noſtro: Hic Auctor eſt multiplicatus, quia eſt idem met cum Auctore, numero ſequenti adducendo, ex Ordine S. Auguſtini, vt ibi demonſtrabitur ex nomine, cognomine, Patria, libro, & auctoritate: ſolùm enim mutarunt illi habitum, vt ſic occultaretur eius introitus. Et quid eſſet, Lector, ſi non ſolùm eſſet duplicatus, ſed ſeptemplicatus, vt ſtatim dicetur? Eſt autem fictus; quia talis Auctor non fuit in Ordine Prædicatorum. Primò, quia nullus Nomenclator antiquus de tali Ioanne mentionem facit. Item nec nullus modernus, nàm licèt Antonius Senenſis, fol. 146. mentionem faciat de quodam Ioanne Sternageſtem, Theutonico, Ordinis Prædicatorum, qui ſcripſit ſuper libros Sententiarum, & idem dicat Alphonſus Placentinus, fol. 391. & citet Leandrum Albertum, lib. 4. folio 136. & idem Poſſeuinus, fol. 941. & Michael Pius, part. 2. lib. 3. col. 45. & iterum col. 121. libri 1. Sternageſtem, & Sernigacius non conueniunt in nomine. Et quando ſint idem, omnes iſti ſcripſerunt poſt Turrecrematam, & Bandellum, à quibus illum tranſcripſerunt, & narrata narrarunt. Secundò, quia ſi ſunt diuerſi, procul dubio adductus ab Aduerſariis fictus erit, quia eius nulla extat memoria. Tertio, demus pro auctoritate tantorum virorum, quod Sernigatii, & Sternageſtem, ſint vnus, & idem Auctor, ſi auctoritas eſt ficta, quid tibi prodeſt lucrari Auctorem, quando eſt neceſſarium, quòd in verbis adductis detrimentum patiaris?

Auctoritatem ergo ſic adducunt: Item ad idē eſt prædicti Ordinis Magiſter Ioannes Sernigatii, Theutonicus, ſuper 3. Senten. diſt. 3. ſic dicit: *Beata Virgo, nec antè Conceptionem, nec in Conceptione antè animæ infuſionem, ſanctificata fuit, quia proprium ſubiectum gratiæ ſanctificantis eſt anima rationalis. Nec iterum in inſtanti infuſionis animæ, quia ſic non contraxiſſet originale peccatum, ſicut nec Chriſtus, & ſic non conueniret omnibus redimi per Chriſtum, ſed tantū creditur ſanctificata poſt animæ infuſionem. Hæc ille.* Hæc auctoritas abſque vlla dubitatione, vel minima heſitationis formidine, eſt eadem cum auctoritate poſita Auctore, & numero ſequenti. Si ergo illa quoad Auctorem eſt ficta: ergo idem eſt dicendum de hac.

IOANNES Sterigatii, vel Stringarii, vel Stingarius, vel Sterigarii, Ordinis S. Auguſtini, in 3. Sentent. diſt. 3. *Turrecrem. ar. 6. cap. 33. fol. 124. Anonym. 134. Bandel. capit. 25. Deza fol. 49. Vincent. atque Gryſald.*

VERITAS 190.

PRIMO, Hic Auctor fictus, atq; duplicatus eſt cū antecedenti, mutatio enim in cognomine aliquas litteras, claſſem, & Religionem, exiſtimarunt ſe penitus occultaſſe Auctorē, & chimerā, & fortè es triplicatus cum Ioanne de Saxonia, etiam Ordinis S. Auguſtini adducto ſimiliter in 3. Sentent. diſt. 3. vt diximus num. 168. nec ſolùm eſt triplicatus, ſed ſepremplicatus, quoad auctoritatem, vt mox oſtendam. Et omnia euidenter demonſtrabo: ſolùm non ſum aſſecutus, quomodo potuerunt fingere in vno ſolo Auctore ſex nomina, ſcilicèt, Sernigatii, Sterigatii, Stringarii, Stigarius. Steringatii, & Sterigarii. O Auctor! quod tibi nomen eſt?

Secundò, Auctor iſte eſt penitùs fictus, nam in Ordine S. P. N. Auguſtini nunquam fuit talis Auctor. Attende, Lector: P. Gratianus in Anaſtaſi Auguſtiniana, fol. 123. ſic inquit: *Ioannes Stringarius, Doctor Theologiæ, ſcripſit in quatuor libros Sententiarum, cuius meminit Vincentius Bandellus è Caſtronouo, Dominicanus, in Diſputatione de Conceptione Virginis, &c. vixit anno* 1430. P. Thomas de Herrera in ſuo Alphabeto, fol. 468. ſic inquit: *Ioannes Stringarius, Poſſeuino, & Pamphilio floret anno* 1420. *eum Vincentius de Bandellis de Caſtronouo, in Diſputatione de Conceptione Virginis, in fauorē ſui Aſſerti, ex Commentariis in 3. Sententiarum, diſt. 3. Doctorem Theologum appellans, allegauit.* Quis ergo videns, & audiens, quatuor iſtos Nomenclatores, Pamphilium, Poſſeuinum, Gratianum, & Herreram, de hoc Ioanne Stringario faciētes mentionem, illum nō exiſtimaret fuiſſe verum, & ſubſiſtentem Auctorem? Sed ſuper omnia veritas, crede illi, quia totum hoc eſt figmentum quoddam: nàm omnes illi decepti fuerunt à libris Bandelli, Bandellus verò à Turrecremata, & hic à ſeipſo, vel ab alio Patre Dominicano antiquiori; ſed attendite ad ſequentia, vt iam deinceps non decipiatis animas veſtras.

Tertiò, auctoritatem huius ſic adducit Turrecremata: Item ad idem eſt eiuſdem Ordinis P. M. Ioannes Steringatii, ſuper 3. Sentent. dicens: *Quòd B. Virgo, nec antè Conceptionem, nec in Conceptione, antè animæ infuſionem ſanctificata fuit, quia proprium ſubiectum gratiæ ſanctificantis eſt anima. Nec iterum in inſtanti infu-*

infusionis animæ, quia sic non contraxisset originale peccatum, sicut nec Christus. Et sic non cõueniret omnibus redimi per Christum, sed tantùm creditur sanctificata post animæ infusionem, quia hoc etiam aliis Sanctis donatũ est, vtpotè Hieremiæ, qui Christum præsignauit, & Ioanni Baptistæ, qui Christum demonstrauit. Ideò maximè hoc decuit conferri Matri sapientiæ, in qua nihil inquinatum incurrit. Si ergo conferas hanc auctoritatem cum suprà adducta numero antecedenti, inuenies esse vnam, & eandem, solùmque differre penes magis, & minus, quia illa fuit illic, *infusionem*, hæc autem vltrà progreditur, transcripserunt enim ex originali duas amplius lineas, vt hæc auctoritas indicaretur distincta à præcedenti. Sicque concluditur, quòd ille Iannes Sernigatii, vel Sternigatii, Ordinis Prædicatorum, & hic Ioannes Sterigatii, vel Stringarii, vel Stingarius, vel Sterigarii, Ordinis S. Augustini, est vnus, & idem Auctor, vt patet ex nomine, cognomine, libro, quæstione, ac demum auctoritate. Et sic de duplicatione non restat locus dubitandi, mutando classem inter Dominicanos fecerunt ipsum Dominicanum; inter Augustinianos Augustinianum, & si ille Ioannes Sterigatius fuisset in rerum natura siuè Dominicanus, siuè Augustinianus, vel saltem sæcularis, error esset comportabilis, sed si penitùs est fictus, quid dicemus ad hæc? Et si non, quomodocumque fictus, sed fictus ex alio ficto, quid dicemus ad hęc? Et si hæc fictio nititur aliis septem fictionibus, quid dicemus de his?

Quarto dicemus hæc, scilicèt, quòd S. Thomas edidit duo Commentaria super quatuor libros Sententiarum, latissimum vnum, alterum verò breue quasi epilogum, & Compendium alterius primi, quod dicauit Hannibaldo Hannibaldensi Romano, Episcopo Cardinali, cuius prologus incipit: *Tranfite ad me*, vt videre est in eius operibus, tom. 17. ad finem. In hoc opere in 3. Sent. dist. 3. quæst. vnica, art. 1 quærit, vtrùm B. Virgo fuerit in vtero sanctificata? Cuius resolutio est hæc: *Ad hoc dicendum, quòd B. Virgo, nec antè Conceptionem, nec in Conceptione antè animæ infusionem sanctificata fuit, quia proprium subiectum gratiæ sanctificantis est anima, nec in ipso instanti infusionis animæ, quia sic non contraxisset originale, sicut nec Christus, & ideò omnibus non conueniret redimi per Christum, sed tantùm sanctificata creditur post animæ infusionem, quia hoc aliis Sanctis est collatum, & ideò Matri sapientiæ maximè decuit hoc conferri, in quam nihil inquinatum incurrit.* Si ergo, ò Lector! conferas hanc auctoritatem cum suprà posita Ioannis Steringatii, inuenies esse ipsissimam, nullo mutato verbo, vel apice, nisi solùm quòd Aduersarii, more suo, quia hanc eãdem auctoritatem adduxerant suprà in Annibaldo Cistercienſi, vt vidimus num. 19. vt erat in originali S. Thomæ, vt ipsam facerent aliquomodo distinctam, addiderunt hic ex propriis illam clausulam: *Vtpotè Hieremiæ, qui Christum præsignauit, & Ioanni Baptistæ, qui Christum demonstrauit* Ex hac ergo vna indiuisibili auctoritate S. Thomæ finxerunt Aduersarii Auctores sequentes. Primo, Annibaldũ Cistercienſem, vide numer. 19. Secundo, Annibaldum Cardinalem, Ordinis Prædicatorum, vide num. 20. Tertio, Sinebaldum, de quo infrà numer. 286. Quarto, Romanum, de quo etiam infra num. 278. Quinto, Ioannem Sernigatii, de quo num. antecedenti. Sexto, Ioannem Sterigatii, de quo hic. Septimo, adde Diuum Thomam, quia ipse dominus, caput, & fertus est huius septenæ fraternitatis.

Quinto, adhuc non est completa mensura, nam Aduersarii in hoc Auctore addunt sequentia: Item idem modicum inferius, ait: *Nec dici potest, quòd totaliter sublatus fuerit fomes à B. Virgine per gratiam sanctificationis, sicut Adæ ante peccatum, per originalem iustitiam concessum fuit, scilicèt vt vires inferiores nunquam mouerentur sine arbitrio rationis. Hoc enim derogat dignitati Christi, vt scilicèt aliquis antè Incarnationem eius, in quo primo debuit immunitas damnationis apparere, sit secundùm carnem à prima damnatione liberatus, & ideò videtur dicendum, quòd per sanctificationem in vtero non fuit Virgini sublatus fomes, secundùm carnem, sed mansit ligatus. Postmodùm verò in ipsa Conceptione carnis Christi, credendum est, quòd ex ipsa prole redundauerit in matrem talis fomitis subtractio. Hactenus.* Hæc referunt Aduersarii ex suo ficto Ioanne Sterigatio, Ordinis S. Augustini. Cùm ergo prima auctoritas desumpta fuerit ex S. Thoma, vt suprà vidimus, hæc etiam inquirenda est in ipso Angelico Doctore, hic ergo parum infra, vt Aduersarii dicunt, id est, art. 2. cuius titulus est: *Ad secundum sic proceditur, & videtur, quòd per sanctificationem in vtero non fuit à fomite liberata, &c.* Et in resolutione inquit: *Ad hoc dicendum est, quòd circa istam quæstionem aliquid est, circa quod omnes conueniunt, scilicèt, quòd per primam sanctificationem fuerit Virgo ab originali, & reatu originalis purgata. De emundatione autem eius à fomite diuersi diuersa loquuntur, &c.* Et refert varias opiniones, sed auctoritas ab Aduersariis relata nullo modo est ibi, nisi sparsim aliqua verba, vndè formalis auctoritas, vt suprà iacet transcripta, falsa, & ficta est, & per consequens fuit ab ipsis Aduersariis fabricata. Et confirmatur, quia quomodo poterat sanctissimus, ac doctissimus S. Thomas, neq; Ioan. Sterigatius, nisi esset penitùs idiota, & absolutè ignarus, dicere, & scribere rem adeo absurdam in Theologia, Scriptura, ac Sanctis Patribus, imo etiam in fide, scilicèt, *quòd ex ipsa prole redun-*

redundauit in matrem talis fomitis subſtractio; nam hæc propoſitio ſupponit Incarnationem Verbi Diuini factam exiſtente, adhuc fomite in ipſa ſacratiſsima Virgine Maria; nam fomes ſecundùm D. Thomam, & omnes ipſum ſequentes, ſublatus fuit in ſuperuentione Spiritus Sancti, & virtute Altiſsimi obumbrante Virginem, antè ipſam actualem Incarnationē Verbi, ita vt fomitis abſtractio præceſſerit ipſum cōceptionis punctum: quomodo ergo ex prole redundauit in matrem fomitis abſtractio? Quod nullus hucuſque dixit ex Sanctis Patribus, nec auſus eſt excogitare; incrementum virtutum, atque gratiarum, & ſanctificationis augmentum, admittunt, & dicunt, redundaſſe ex prole in Matrem, ſed non abſtractionem fomitis. Et hoc denique videtur eſſe expreſsè contra illud: *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſsimi obumbrabit tibi*, vt ſanctè, ac puriſsimè concipias: *Ideòque quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur, &c.* Concluſio ergo quæ deducitur ex hoc numero, & antecedenti, eſt, quòd Aduerſarii ad maculandam Virginem Mariam in ſua puriſsima Conceptione ex vna auctoritate S. Thomæ finxerunt ſeptem Auctores, & inſuper fabricarunt de nouo alteram auctoritatem, quæ in S. Thoma non eſt, nec poteſt eſſe, & in hac auctoritate, vt macularent Conceptionem paſsiuam Virginis Matris cum peccato originali, maculārunt etiam cum fomite ipſam Cōceptionem actiuam, vt ſic filius etiam matrizaret, ſi non in originali peccato, ſaltē in fomite originalis maculæ. Quid ergo, Patres, fecit Spiritus Sanctus ſuperueniens in Virginem, & eam obumbrans, ſiuè purgans, & purificans, vt vos paſsim dicitis? In prima ſanctificatione in vtero matris, per vos ipſam liberauit à macula, & culpa originali, rediit impeccabilem, & ligauit fomitem, in ſecūda ſanctificatione, quid egit? Omnes dicitis, quòd fuit fomes totaliter ablatus, ergo hoc non proceſsit ex prole.

IOANNES Theutonicus, Auguſtinianus, in Serm. 2. de Conceptione Virginis, vel Natiuitatis, & in Poſtilla ſuper Miſſus eſt. *Turrecrem. part. 6. capit. 33. fol. 124. Anonym. Auctore 132. Bandel. cap. 25. Deza fol. 49. Vincent. & Gryſal.*

VERITAS 191.

AVTOR Iſte multiplicatus eſt ſic. Primò, cum Ioanne de Gallicis, Ordinis Prædicatorum, de quo numero 171. Secundo, cum Ioanne Gallico, Eremita S. Auguſtini, de quo locuti ſumus num. 172. Tertio, cum Ioanne Gallico, Ordinis Minorum, de quo numero 174. Quarto, hic ſub nomine propoſito Ioannis Theutonici. Quinto, ſub nomine proprio Iordani de Saxonia, vt videre eſt infrà num. 198. vbi latè ventilabitur quidquid ad hunc pertinet Auctorem. Iſtæ ſunt multiplicationes quaſi per ſe notæ, aliæ tamen quatuor relinquimus in calamo, quia ſolū ſunt dubiæ, ſed probabiles, ſcilicèt cum Ioan. DiuKot de Saxonia, vel de Liniros, etiam Auguſtiniano, de quo numer. 168. & cum Ioanne Sterigatio, etiam Auguſtiniano, de quo numer. 190. & Ioanne Sternigatio, Dominicano, de quo num. 189. & cum Ioanne CliuKot, ſæculari, de quo num. 165: quòd ſi omnes iſti riuuli proceſſerunt ab vno Iordane de Saxonia, Auguſtiniano, iam ſunt nouem multiplicationes, quod neque Iordanis, neque Nilus tantas habet. Hoc dixerim de Auctoribus, nam de Auctoritatibus ſunt alia myſteria iam viſa, & ampliùs videnda.

Huius primam auctoritatem ſic adducit Turrecremata: Item ad idem eſt eiuſdem Ordinis Magiſter Ioannes Theutonicus, tam in Poſtilla ſua ſuper Miſſus eſt, quàm in Sermonibus ſuis de Conceptione B. Virginis, vndè in 2. Ser. qui incipit: Lauda, & lætare filia Sion, dicit ſic: *Tenendum eſt, quòd B. Virgo fuit ſub originali concepta, quia in Conceptione eius virtus virilis ſeminis, & amplexus maritalis interuenit, & ſub huiuſmodi originali culpa, per aliquod tempus fuit, licèt credibile ſit, quòd tempus iſtud fuerit valdè breue, & quaſi imperceptibile. Nec derogat laudi B. Mariæ Virginis, quòd ponatur concepta in originali. Hæc ille.* Et hæc Turrecremata. Bandellus verò ſic: Idem tenet Magiſter Ioannes Theutonicus, eiuſdem Ordinis, in Sermone Natiuitatis B. Virginis, qui incipit: Lauda, & lætare filia Sion, ſic dicens: *Tenendum eſt, quòd B. Virgo fuit in originali peccato concepta, & quòd ſub huiuſmodi culpa ſtetit per aliquod tempus, licèt credibile ſit, quòd illud fuerit breue, & quaſi imperceptibile.* Eandem auctoritatem nulla mutata ſyllaba adducit Petrus de Vincentia. Anonymus ſic: *Idem tenet Magiſter Ioannes Theutonicus in Poſtilla ſuper Lucam, & in Sermone Natiuitatis B. Virginis.* Et nullam adducit auctoritatem. Gryſaldus verò ſic: Ioannes Theutonicus in Natiuit. B. Virginis: *Fuit in peccato originali concepta.* O Ioannes, Auctor ficte, & fantaſtice! Omnes iſti ſex congregati ſunt, & venerunt tibi, ſed exiſtimo, quòd ſolùm adducant myrrham.

Iordanus de Saxonia Theutonicus, in Ser. vocatum Dan. ſerm. 2. de Conceptione, qui eſt in ordine 11. qui incipit. Lauda, & lætare Sic, &c. ad Sermonis medium ponit hanc dubitationē: *Quandiù autem in originali peccato B. Virgo fuerit? Dicunt quidam, quòd ſolùm per inſtans, &c.* Et impugnans hoc dicit: *Et quia rationabilius eſt, cum res non poſsit procedere de oppoſito*

in oppoſitum ſine tempore medio, & niſi per aliquod tempus, quantumcumque imperceptibile fuerit ſub illo oppoſito: tenendùm eſt, quòd B. Virgo fuerit ſub originali concepta, quia in Conceptione eius virtus virilis ſeminis, & amplexus maritalis interuenit, & ſub huiuſmodi originali culpa per aliquod tempus fuit, licèt credibile ſit, quòd tempus illud fuerit valdè breue, & quaſi imperceptibile. Nec derogat laudi B. Virginis, quòd ſcilicèt ponitur concepta in originali, aliquid enim eſt laudabile in inferiori, quod nõ eſt laudabile in ſuperiori, &c. Hæc Iordanus. Nota ergo Lector, quæ, & quanta vitiarunt in Auctore, qui alias erat pro ipſis. Primo finxerũt Auctorem, & quòd hæc fuerit mera malitia, conſtat euidenter, quia omnes infrà adducunt Iordanem Theutonicum. Secundo, multiplicarunt illud non quomodocumque, ſed ſepties, vt videre eſt in numeris ſuprà allegatis. Tertio, nullus ipſorum, niſi ſolus Turrecremata vidit illum Ioannem, ſeu Iordanum Theutonicum, & hoc etiam conſtat, quia ſolus ipſe citauit legaliter Sermonem, quia non eſt ſermo 2. de Natiuitate, ſed de Conceptione. Quarto, quòd nec Anonymus, nec Vincẽtia, Deza, Gryſaldus viderunt Turrecrematam, ſed Bandellũ quia ſi illum vidiſſent, emendaſſent errorem, & ſic accuſantur de peſsimo modo ſcribendi, ſi vero viderunt Turrecrematam, de cæca electione. Quinto, quòd Bandellus malitiosè hic citauit ſermonem 2. Natiuitatis contra veritatem, vt infrà allegaret Iordanum ſub ſer. 2. Conceptionis, vt videbimus num. 198. Sexto, gratis addit Bandellus vocem illam, *filia*, quia licèt ſit in ſacro Textu, ſed non in Sermone. Septimo, prætermiſerunt verba antecedentia, vt ſic facerent concluſionem abſolutam, quę eſt argumẽtatio ab inconuenienti. Octauo, vbi Iordanus, *ſub originali*; Bandellus, *in originali peccato*, mutans illud, *ſub*, in præpoſitione, *in*, & addens illud, *peccato*, quæ duæ peſsimæ adulterationes fuerunt. Nono, prætermiſit totam illam clauſulam, *Quia in Conceptione eius virtus virilis ſeminis, & amplexus maritalis interuenit*, vt ſic auferrent occaſionem iudicãdi, illud quod frequens eſt apud Auctores antiquos, ſcilicèt, vocare peccatum originale, ipſam libidinem, ſeu concupiſcentiam ex amplexibus maritalibus in virtute ſeminis remanentem. Decimo, propter eandem malitiam, vbi Iordanus: *Et ſub huiuſmodi originali culpa*; ipſe ſolum: *Et ſub huiuſmodi culpa*, prætermittens illud *originali*, vt nõ intelligeretur, vocatum fuiſſe concubitum, originalis culpa. Vndecimo, in vltima clauſula multa prætermiſit. Duodecimo, vbi Iordanus, *ponitur*; Turrecremata, *ponatur*, ſunt enim valdè diuerſa. Decimotertio, quia licèt citent Poſtillam ſuper Miſſus eſt, nullam adducunt auctoritatem hic; quia illam reſeruarunt pro Iordano Theutonico, vt ibi videbimus. Iudica ergo, ò Lector! ſi iſte eſt faſciculus myrrhæ, vel zizaniæ? Si ergo ex Iordane Theutonico Auguſtiniano, fecerant alterum Ioannem Theutonicum Auguſtinianum, vt euidenter manet demonſtratum, quid mirum, quòd ex eiſdem facerent alios Dominicanos, & Minoritas?

IOANNES Theutonicus, Canoniſta, Gloſſator Decreti, ſup. cap. Pronuntiandum, de Conſecrat. diſt. 3. verbo, Natiuitas, & cap. Per Baptiſmum. *Turrecrem. par. 6. capit. 39. fol. 125. Anonym. Auctore 177. Bandel. cap. 19. Deza fol. 29. Vincent. Gryſald. Barelet.*

VERITAS 192.

PRÆCIPVI, Ac principales Gloſſatores Decreti, fuerunt tres. Primus Hugo, ſeu Hugutius, vt diximus ſuprà num. 125. & 173. Secũdus fuit quidam Ioannes Theutonicus, qui vixit circa annum 1250. & hoc certiſsimum eſt, vt fatentur omnes Canoniſtæ, & dicitur in ipſomet Decreto. An verò iſte fuerit, Ioannes Semeca Theutonicus, Præpoſitus Alberſtacẽſis, vt dicit Henricus Spondanus ad ann. 1268. tom. 1. fol. 234. vel Ioannes Moneta de Friburgo, Theutonicus, Ordinis Prædicatorum, vt volunt PP. Dominicani, res eſt incerta. Sed cùm in Decreti Gloſsis ſint duæ diſtinctæ notæ, ſcilicèt, vna *Io.* & altera *Ioan. de Fant.* potuit eſſe quòd vnus, & alter fuiſſent Gloſſatores; & quia ambo Ioannes, ambo Theutonici, ac viuentes eodem tempore, confuſa fuerit inter eos notitia, & permixta æquiuocatio. Tertius Gloſſator poſt iſtos fuit Bartholomæus Brixienſis, qui nullas edidit de nouo Gloſſas, ſed ſolùm antiquas poſitas à Ioãne, correxit, & reformauit, vt nos ſupra numer. 36. diximus ex ipſo. Poſt iſtos ingreſſa eſt alia turbamulta Gloſſarum ſecundùm temporũ decurſum, quarum Auctores aliqui ſunt noti, alii autem penitùs incogniti, de quibus nos latè numer. 205. cùm ergo in Decreto inueniantur tres diſtinctæ Gloſſæ, circa myſterium Conceptionis Mariæ, & ipſius feſtiuitatem, quas nos ad litteram dedimus ſuprà num. 125. quarum duæ ſunt ſubſcriptæ nomine Hugonis, & alia ſine Auctoris nomine, & penitùs ignoretur, an fuerint poſitæ à Hugone, vel Ioanne Theutonico, Alberſtacenſi, vel Dominicano, aut à Ioanne Gallico, Gloſſatore, vt diximus numer. 173. ex illis tribus Decreti Gloſsis multiplicarunt Aduerſarii, quindecim Auctores, ſeu teſtes contra immaculatam Virginis Conceptionem, quorum Cathalogum damus numero ſequenti, & etiam num. 205. progrediendo vltra dicimus quòd,

Hu-

Huius auctoritatem sic adducit Turrecremata: Item, ad idem est inter Doctores eximios, ac clarissimos, qui in Iure Canonico floruerunt, Ioannes Theutonicus, Glossator Decreti, super cap. Pronuntiandum, de Consecrat. dist. 3. qui super verbo, Natiuitas, ita dicit: *De festo Conceptionis nihil hic dicitur, quia celebrandum non est, sicut in multis regionibus fit, & maximè in Anglia, & hæc est ratio, quia in peccato concepta fuit, sicut & cæteri Sancti, excepta vnica persona Christi.* Hæc auctoritas ad litteram est transcripta ex prælegato capite Decreti, saluo quod est adulterata in vno principali verbo: nã vbi Glossator, *quia in peccatis cõcepta fuit*, Turrecremata malitiosè transtulit de singulari, quia in *peccato* concepta fuit, vt sic euerteret totum sensum Glossatoris loquentis de peccatis patratis à parentibus in conceptione carnali, vt communiter loquuntur omnes Doctores antiqui. Videns ergo Turrecremata, quòd illud, *in peccatis*, non poterat verificari de persona ipsiusmet Virginis, & quòd peccatum originale solùm erat vnum, ex plurali fecit singulare, & ex multis vnum. O benedictus Deus! quòd Turrecremata, & sui peccarunt in hoc Auctore, quia ex vno fecerunt plures, & in auctoritate peccat, quia ex multis peccatis voluit facere vnum; & sic in omnibus peccauit.

Anonymus verò sic adducit hũc Auctorem: Idem tenet D. Ioannes Theutonicus, Glossator Decreti, de Consecrat. dist. 3. cap. Pronuntiandũ, & dist. 4. similiter cap. Per Baptismũ, vbi sic dicit: *Festum Conceptionis Virginis Mariæ celebrandum non est, quia fuit concepta in peccato, sicut cæteri Sancti, excepta vnica persona Christi.* Vincentia verò sic: Dominus Ioannes Theutonicus. Glossator Decreti, super cap. Pronuntiandum, dist. 3. sic: *De festo Conceptionis B. Virginis nihil hìc dicitur, quia celebrandũ nõ est; quia in originali peccato concepta est, sicut cæteri Sancti, excepta persona Christi.* Bandellus in omnibus verbis sequitur vestigia Vincent. & Anonymi; sed notare debes, quòd iste Anonymus in auctoritatibus ratione 5. adducit alteram sic: Ad idem respondet Ioannes Theutonicus, Glossator Decreti, de Consecrat. dist. 3. cap. Pronuntiandum, dicens: *Conceptionis festum non est celebrandum, sicut in multis regionibus, & maximè in Anglia; & hæc ratio est, quia in peccato originali concepta fuit, sicut cæteri Sancti, excepta vnica persona Christi.* Vide, & nota, quanta addidit Anonymus in hac secunda auctoritate: His suppositis, notet Lector illa Auctoris, & Anonymi verba: *Similiter cap. Per Baptismum, vbi sic dicit: Festum Conceptionis, &c.* in quibus expressè indicat, verba illa esse ex cap. Per Baptismum, quod tamen est falsum; quia non sunt nisi ex capit. Pronuntiandum; hoc autem fecit malitiosè, quia hæc eadem verba adduxerat suprà ex capit. Pronuntiandum, ex Ioanne Gallico, vt videre est numer. 173. & ideo hic variauit caput Decreti; illius enim cap. Per Baptismum est alia auctoritas, quæ sic se habet, verbo, Miraculo: *Vt in B. Maria, & Ioanne Apostolo, quia neutrum eorum potuit peccare. Item Natiuitas Mariæ in vtero non celebratur, sed Natiuitas ex vtero benè.* Ex his patet, quot, quantasque confusiones commiserunt, vt celarent suas multiplicationes Auctorum. Sed etiam notare debet Lector, quod in Decreto impref. Parisiis ann. 1540. in 4. ad marginem huius capit. Pronuntiandum, folio 558. extat talis Glossa: *Virgo B. fuit sine originali concepta; quidquid dicet Gloss. & sentientes cum Gloss. sunt hæretici textus est in Extrau. Sixti IV. quæ incipit. Graue nimis de Reliq. & Venerat Sanct.* Quis autem fuerit istius Glossæ Auctor, inuestigare non potui, sed sat nobis est habere pro nostra sententia in Decreto Glossam expressam; licèt incognitam contra incognitam Glossam.

Ex his ergo deduco pro vera, firmissima, ac indubitata conclusione; secundùm dicta ab Aduersariis, omnes illas Glossas Decreti esse huius Ioannis Theutonici, vt ipsimet fatentur hìc, nam si istæ duæ Glossæ, quæ sunt in corpore Iuris subscriptæ nomine Hugonis, vt ibi videre est, omnes Dominicani affirmant esse Ioannis Theuthonici: ergo subscriptio illa Hugonis posita in Decreto fuit ficta, & suppositia ab aliquo corruptore Decreti: vitiatorem autem illarum Glossarum existimò non fuisse Ioannem Theutonicum, sed alterum posteriorem, qui apposuit illam marginalem Glossam, quæ est in cap. Firmissimè, & incipit: *Vt hoc melius intelligas, &c.* Et hæc est ratio, quarè illa marginalis Glossa in aliquibus originalibus impressis non extat, vt videre est in Impressione Venetiis facta anno 1485. per Baptistã de Tortis, nec in editionibus Parisien. factis ann. 1536. & 1542. & 1540. in 4. nam aliæ omnes sunt in folio, excepta ergo hac Glossa illius incogniti Auctoris, quæ expressè, & apertè militat contra immaculatam Virginis Conceptionem, aliæ duæ ad sanum possunt reduci sensum. De qua dicit Sebastianus Ximenes in Concordan. iis Iuris, fol. 396. col. 3. *Ex eo quia dicit, quòd concepta fuit in peccatis, vt ipsa malè dicit. Ex quo Glossa marginalis, dicit hæreticam, &c. Mihi videtur, quòd hæc Glossa non solùm malè loquatur, verum de libro Decretorum aliàs aureo nuncupato, talia verba, quæ potiùs stercora dicenda sunt, penitùs radenda, nè stercus sit mixtum auro pretiosissimo, &c.* Vide quæ dicimus infrà num. 205; sed præcipuè numero 247. in Petro Mediolanensi, vbi superiùs dicta latiùs examinantur.

IOAN-

IOANNES Theutonicus, Ordinis Prædicatorum, in Summa Confessorum, lib. 1 tit. 12. *Turrecrem. part. 6. cap. 36. fol. 126. Anonym. Auctore 83. Bandell. cap. 19. Deza fol. 30. à tergo.*

VERITAS 193.

CVM Auctor iste sit ex præcipuis in hac Ventilatione cõtentis, à quo Aduersarii tanquam à centro quatuordecim, vel quindecim lineas protẽdunt, quia ex hoc vno totidem fingunt, & multiplicant Auctores diuersos: ideò à radice erit examinandum, quis, & qualis fuerit, ac eius opera, & scripta. Aduersarii ergo omnes numero antecedenti relati, adduxerunt Ioannem Theutonicum, in classe Canonistarumt, acentes, fuisse ex Ordine Prædicatorum; & iterum ipsimet in classe Ordinis Prædicatorum eundem repetunt sub diuersa tamen cita, & libro, scilicèt in Summa Confessorum. Petrus verò Vincent. Gryssaldus, & Barelete videntes, hanc esse euidentem reduplicationem, atque multiplicationem per se notam, vt non deprehenderentur rei, prudenter fugerunt à ventura ira.

Quis autem fuerit hic Ioãnes, ex sequentibus declarabitur. Primus Magister Generalis Ordinis Prædicatorum fuit S. P. N. Dominicus. Secundus Frater Iordanus, electus ann. 1222. Tertius B. Raymundus ad ann. 1237. Quartus Frater Ioannes, electus ann. 1241. hunc ergo aliqui vocant, Ioannem Theutonicum, alii Ioan. à Valdesusen, alii Ioann. de Friburgo, alii Ioan. Monetam; & ex hac variatione exorta est simul confusio, & multiplicatio. Leand. Alber. lib. 1. fol. 36. in Cathalog. de General. in quarto Gener. sic inquit: *Ioãnes Theutonicus circa annum 1220. Bononiæ sacris initiatus est, in Ord. Prædicatorum fuit vir litteratissimus, & moribus ornatus, erat enim Iurisperitus, in capite anni 1241. Generalis electus.* Infrà verò affirmat, quod Ioannes Theutonicus scripsit super Sententias. Actandèm fol. 150. loquendo de viris illustribus in Iure Canonico, inquit: *Hic est Ioãnes Theutonicus, non ille quondã Generalis Magister, sed ille Lector Friburgensis, vir deuotus, &c. scripsit super Summam Raymundi, secundùm ordinem Alphabeti, & Apparatum eius, &c. Item Summam magnam in iure, quæ vocatur Summa Confessorum, mortuus anno 1314. VI. idus Maias.* In quibus, vt vides, distinguit Ioannem de Friburgo à Ioanne Theutonico, Generali. Secundus Nomẽclator, Antonius Senensis in sua Bibliotheca Ordinis Prædicatorũ, fol. 131. mentionem facit de quodam Ioanne de Vriburgo, qui scripsit Summam valdè notabilem de casibus conscientiæ, & Confessionale ad audiendas confessiones (& hoc opus extat manusc. in Bibliotheca Regia Scorialis VI. F. 34. & IV. E. 22. & incipit: *Simpliciores, & minus expertes*) qui vixit ad annum 1262. & folio 134. iterum adducit alium Ioannem Theutonicum, patria Friburgensem, in Iure Canonico benè versatum, qui scripsit Summam notabilem in libros 5. distributam, super 4. libros Sententiarum, qui etiam totum Decretum glossauit, & claruit anno 1250. Item idem Senensis fol. 132. adducit aliũ Ioannem de Moneta, natione Theutonicum, qui in Iure Canonico omnes excelluit, licèt non adducat quando scripserit, aut vixerit. Idem infrà fol. 138. adducit Ioãnem Theutonicum Friburgensem, qui scripsit Apparatum super Summam Raymundi, qui compilauit Summam Confessorum, quæ Ioannina dicitur, quæ fuit impressa diuersis vicibus Norimbergæ, & Lugduni anno 1518. scripsit etiam Confessionale, & obiit Friburgo anno 1313. Idem Senensis folio 177. adducit alium Ioannem de Moneta Cremonensem, qui scripsit Summam quandam perutilem: Summam Monetam dictam, qui claruit ad annum 1225. Placentinus verò in sua Cõcertatione de Scriptoribus Germanicis. fol. 389. ex Ambrosio Tegio part. 1. & Trithemio addu it Ioannem de Friburgis, Episcopum Bosinensem, Generalem sui Ordinis, qui scripsit super 4. libros Sententiarum, & Glossas super totum Decretum, & claruit circa annum 1250. Infrà adducit Ioannẽ de Vriburgo, qui scripsit Confessionale, & Sũmam de casibus conscientiæ, & claruit ad ann. 1262. ex Antonio Senensi. Infrà adducit Ioannem Theutonicum, Lectorem Friburgensem, qui scripsit Summam Confessorum, Apparatum super Raymundum, & in libros Sententiarum, & obiit anno 1313. & citat Leandrũ Albertum lib. 4 fol. 151. Et infrà fol. 391. adducit Ioannem à Moneta Theutonicum, qui scripsit Commentaria super Decretum Gratiani, & super Decretales Gregorii IX. circa annum 1450. & citàt pro hoc Ambrosiũ Gozzæum. Ioannes Michael Pius de Viris illust. Ord. Prædic. part. 2. lib. 1, fol. 21. quartum Generalem Ordinis vocat Ioan. Vvaldesusen, electum ann. 1241. priùs Episcopum Bosnien. & mortuum Argentinæ ann. 1253. sed de eius scriptis nihil ibi dicit. Infrà ad annum 1225. adducit Monetam de Cremona, qui scripsit Summam, quæ incipit: *Tempus faciendi Domine, &c.* Ita par. 2. lib. 1. col. 15. Ad annum 1250. adducit Ioannem de Friburgo, Theutonicum, Theologum, & Canonistam, qui scripsit Summam notabilem in 5. libros diuisam, & super Sententias. Ita par. 2. lib. 1. col. 34. Deindè anno 1260. iterum adducit Ioannem de Vriburgo, Theutonicum, Canonistam, qui scripsit Summam. Ita part. 2. lib. 1. col.

col. 60. Item, ad ann. 1312. adducit Ioannem Theutonicum, Lectorem Friburgenſem, qui ſcripſit Apparatum ad Summam Raymundi, & etiam Summam, atque Confeſsionale, cuius auctoritatem dedimus ſuprà num. 109. 1ta part. 2. lib. 1. col. 137. Tandèm, ad annum 1350. adducit Ioannem Monetam Theutonicum, peritiſsimum in Iure Ciuili, & Canonico, qui ſcripſit Commentaria ſuper Decretum Gratiani, & Summam caſuum conſcientiæ. 1ta part. 2. lib. 3. col. 31. Et ad annum 1440. adducit Ioannem de Francofort, Theutonicũ, quẽ Razzius ponit in primo ſæculo ſuę Religionis. Ita p. 2. lib. 3. col. 26. Et de quarto Generali dicit: *Giouanni Teutonico eſſendo Dottore di Iiggi, &c.* Et proſequitur affirmans, quòd aſſumpſit habitum Bononiæ anno 1220. & quòd poſteà fait Epiſcopus in Hungaria, quo renunciato rediens ad Religionem, & factus Generalis, quieuit in pace Argentinæ anno 1254. die 4. Nouembris. Nonnè notas, Lector, iſtos quinque, vel ſex Ioannes Theutonicos Canoniſtas, ex Ordine Prædicatorum? S. Antoninus 3. part. Hiſtor. titul. 13. capit. 12. §. Fuerunt, fol. 648. ſic inquit: *Quartus Magiſter Ordinis ſucceſſor Raymundi, fuit Frater Ioannes Theutonicus, qui priùs fuerat Epiſcopus Boſnienſis in Hungaria, &c.* De Ioanne Theutonico, Gloſſatore Decreti, loquitur Sanctus Antoninus, quæ videre poteris ſuprà num. 305. & nu. 126. In Summa Raymundi, & Prolog. ad Lectorem, ſic dicitur: *In eadem Ioannes de Friburgo, Lector, Ordinis Prædicatorum, Indicem, & Apparatum, ſeu Gloſſas edidit, antequam opus ſuum, quod Summam Confeſſorum appellauit, confeciſſet, &c.* De Ioanne autem Gallico, Gloſſatore Decreti, de quo Aduerſarii numer. 173. nullam faciunt iſti Scriptores mentionem.

Ex his omnibus dictis Auctorũ Ordinis Prædicatorum (nolui enim extraneos adducere Nomenclatores, vt veritas ex ſolis propriis cõſtaret) deducitur, vnum, & eundem fuiſſe Ioannem de Moneta, Friburgenſem, Theutonicum, ſeu Gallum, vtpotè Doctorẽ Pariſienſem, Gloſſatorem, vel Compilatorem Decreti, qui ſcripſit Sũmam Confeſſorum, & Apparatum Raymundi, & ſuper Sententias, Ordinis Prædicatorum, & hoc tenendum eſt ſecundùm veritatẽ, accipite irrefragabile teſtimonium ex Ioanne Trithemio Nomenclatore, etiam Theutonico, ac veridico in Cathalog. de illuſt. viris Germaniæ, fol. 139. ſic dicente: *Ioannes, cognomento, & patria Theutonicus, ex oppido Friburgenſi oriundus, Ordinis Fratrum Prædicatorum, conuentus Argentinenſis, ac deindè Boſnienſis Epiſcopus, in Hũgaria, &c. quem poſteà deſſerẽs, ad Ordinem ſuum eſt reuerſus, & poſt Raymundum Generalis Magiſter conſtitutus eſt. Scripſit, &c. è quibus extat Summa notabilis de caſibus: quam Summa Confeſſorum appellant, lib. V. ſuper Decretis quoque Gratiani, primus inter nominatos Doctores edidit Apparatum, claruit an. 1250.* Conſtat ergo, quòd Ioannes, Theutonicus de Friburgo, Epiſcopus Boſnienſis, Generalis Ordinis Prædicatorum, Summiſta, Gloſſator Decreti, & ſcoliator Raymundi, fuit vnus Auctor ſolus, & non quindecim.

De auctoritatibus dico ſecundùm eandem veritatem. Quòd in Decreto eſt Gloſſa, diſtin. 3. cap. Pronuntiandum, verbo, Natiuitas, quæ ſic ſe habet: *Deſeſto Conceptionis nihil dicitur, quia celebrandum non eſt, ſicut in multis regionibus fit, & maximè in Anglia, & hæc eſt ratio, quia in peccatis concepta fuit, ſicut cæteri Sancti, excepta vnica perſona Chriſti.* Licèt ſit conſcripta nomine Hu. id eſt, Hugonis, eſt huius Ioannis Theutonici, vt ipſimet Aduerſarii dixerunt num. precedenti: Altera vero Gloſſa, quæ eſt diſt. 4. cap. Per Baptiſmum, verbo, Miraculo, quæ ſic ſe habet: *Vt in B. Maria, & Ioãne Apoſtolo, quia neutrum eorum potuit peccare. Item Natiuitas Mariæ in vtero nõ celebratur, ſed Natiuitas ex vtero benè*, quæ extat abſque nota Auctoris, poteſt eſſe, quòd ſit Ioannis Theuthonici; at ego multum dubito, præcipuè ab illo verbo, *Item Natiuitas*, quia abſque vlla cohærentia, vel propoſito eſt illa clauſula ibi inſerta, ſed tranſeat, quia vbi non eſt euidens notitia, ſtandum eſt ſcriptis. Iſtæ ergo duæ Gloſſæ, quę ſunt in corpore Iuris inſertæ ſunt Ioan. Theutonici, Gloſſatoris, ſeu Cõpilatoris Decreti. Tertia verò Gloſſa, quæ eſt ad marginem Decreti, & incipit: *Vt hoc melius, &* nullo modo credo eſſe Ioannis Theutonici, quia nec in originalibus manuſcr. nec aliquibus impreſsis extat, vt latè diximus num. 125. fuit ergo ſuperaddita illa Gloſſa à quodã malignãtis naturæ, quis autem ille fuerit, inueſtigare nõ potui. Ex his igitur tribus auctoritatibus, duæ primæ, quæ ſunt in corpore Iuris; nihil expreſsè dicunt contrà immaculatam Conceptionem, ſed ſolùm illa tertia marginalis, quæ eſt expreſſa pro ipſis: Vndè Ioannes Theutonicus inſpecta veritate, facillimè poteſt redimi à calumniis hominum, vt mox dicam.

Ex Sũma verò Confeſſorũ ſic eum adducunt Aduerſarii, Turrecremata ſic: *Item ad idem eſt Ioannes in Sũma ſua lib. 1. tit. 12. in princ. quaſi eadem verba, quæ Raymundus.* Et nihil ampliùs. Bandellus autẽ: Idem tenet D. Ioan. Theutonicus, Ordinis Prædicatorum, in Sũma Confeſſorum, lib. 1. tit. 12. *Feſtum*, inquit, *Conceptionis B. Virginis non debet celebrari, quia fuit concepta in peccato originali. Hæc ille.* Summa huius extat correcta, & emendata per Henricum Vortaman de Norimberga, & impreſſa Lugduni 1518. per Iacobum Sacco die 9. Septemb. ſub titulo: *Sũma Confeſſorũ R. P. Ioãnis de Friburgo, ſacræ Theologiæ Doctoris, Ordinis Prædic. &c.*

Et etiam extat manuſcripta in Biblioth. S. Eccleſiæ Toletanæ. Et in Biblioth. Regia Scorialis 1.E.12.& incipit: *Quoniam inter Eccleſiaſtica crimina,&c.* Poſt Summam inquit: *Illi ſunt §§. Summæ fratris Raymundi,&c.* Et poſtea: *Incipiunt ſtatuta Summæ Confeſſorum, ex ſexto Decretalium addita, quantum pertinere videtur,&c.* Et tit.12.de Feriis,ac Ieiuniis,quæſt.2.circa finem,fol.§3.ſic inquit: *Et nota ſecundùm Raymundum, quòd in prædicto Canone, Pronuntiandum non fit mentio de Annuntiatione Mariæ; cùm tamen celebre feſtum ſit, nec de Conceptione eiuſdem, quia illud non debet celebrari, eo quod concepta ſit in peccatis, ſicut cæteri Sancti; excepta vnicâ perſona Chriſti, quæ non ex virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine concepta eſt. Dicit Gloſſa hìc, quòd de Annuntiatione non fit mentio, fortè quia tempore illius Concilii nondum fuit inſtituta illa ſolemnitas. De Conceptione etiam B. Virginis quidàm dicunt, quòd feſtum illud eſt potiùs de Sanctificatione eius in vtero, quàm de carnali eius Conceptione.* Hucuſque Ioannes Theutonicus de Friburgo. In Summa verò manuſcripta de ſtatutis Summæ Confeſſorum, verbo, Feriæ, inquit: *Notàti de Conceptione B. Virginis,& de feſto Trinitatis.* Hæc ſunt verba Ioannis Theutonici, ex quibus infertur. Primò, quod ex Aduerſariis ſolus Turrecremata vidit Summam Ioannis Theutonici, Bâdellus autē, & alii minimè; ſed ex fantaſia,& proprio cerebro ſumpta occaſione ex verbis Turrecrematę fabricarunt illam breuem fictionem. Secundo, colligitur, auctoritatem illam Decreti ex capit. Pronuntiandum, eſſe huius Ioannis Theutonici, vel alterius Dominicani, licèt fuerit ſubſcripta nomine Hugonis, quia verba ſunt ipſiſsima hìc,& illic;& ſi illa Gloſſa eſſet Hugonis, & non ſua, allegaret ipſum, ſicut pro Annūtiatione citat Raymundum. Tertio, quòd ex nullo capite poteſt hæc auctoritas dici Ioannis Theutonici, cùm in ſuo Prologo ipſemet dicat: *Sed tamen aliorum famoſorum in Eccleſia Doctorum ſententias referens, & vt plurimum etiam ipſorum verba ponens librorum nihilominùs eorumdem ſententiarum Scriptor, de quibus ſunt aſſumpta nomina, & loca aſſignans, relator ſum, non inuentor.* Si ergo Ioannes ſolùm eſt relator, referens verba Raymundi, & Gloſſatoris illius, vt ipſemet etiam notat ad marginem; abſque eo quòd ex propriis addat ſaltem vnicum verbum ad ſummùm poterant, ac debebant dicere Aduerſarii: Idem dicunt Raymundus,& eius Gloſſator, vt videre eſt in Summa Ioannis Theutonici, lib.1. &c. Patres mei, poſſumus nè de illis, quæ ſunt in Conciliis, aut Bibliotheca VV. PP. citare Margarinum de la Vigne, vel illa quæ ſunt in Theatro vitæ humanæ adſcribere Laur. Berelink, vel illa quæ ſunt in Polyantea ſuo Compilatori? Relator enim, neque eſt teſtis, nec iudex, neque accuſator, neque reus.

In Apparatu autem Raymundi, folio mihi 110. littera N. ſolùm habet Ioannes Theutonicus hæc verba, loquendo de feſto Conceptionis: *Quidam tamen dicunt, quòd feſtum eſt potiùs de Sanctificatione eius in vtero, quàm de carnali conceptione.* Nota, Lector, quod hæc verba ſunt ipſiſsima cū ſupra poſitis in Sūma, & ſic ex Sūma colligēda eſt mēs Ioanis Theutonici, ſeu illius Gloſſatoris Decreti circà celebrationem feſtiuitatis, & Conceptionis myſterium, quia ibi adduxit verba ſuę Gloſſæ, Decreti, & illa de Apparatu Raymundi; & quia hæc Summa fuit vltimum eius opus, vt dicitur ibidem, cuius verba dedimus numer. 109. & in hac Summa nihil dicat contra immaculatam Conceptionem, nec eius feſtiuitatem: ergo ſine fundamēto adducunt pro ſua ſententia Ioannem Theutonicum. Minor probatur euidenter ex verbis ipſius, quia ſemper loquitur de conceptione carnali, facta die 8. Decembris, & quod illa non debet celebrari, quia fuit in peccatis facta, & ſi celebratur, debet eſſe per ordinem ad Sanctificationem, quod quidèm vt certum, & verum libentiſsimè admittimus, ac quod dicit Ioannes Theutonicus, hoc ipſum dicimus nos; & hoc ipſum dicit, & admittit Eccleſia. Sed Aduerſarii, neſcio qua veritate, & conſcientia illud, *in peccatis*, ſemper tranſtulerunt in ſingulari, *in peccato*, & tacentes illud; *de carnali eius conceptione*, & addentes hanc propoſitionem ab ipſis fictam: *Feſtum Conceptionis B. Virginis non debet celebrari, quia fuit concepta in peccato originali.* Quam nec Ioannes Theutonicus Theologus, & Canoniſta, nec Gloſſator Decreti, nec Raymundi dixerunt, nec fortè ſomniarunt dicere, & hucuſque terruerunt Theologos, & Canoniſtas. Patres mei, de Conceptione carnali locuti ſunt veſtri Ioannes Theutonicus, & Guillielmus, non de Conceptione animæ, & ſic deponite veterem hominem Ioannem, & induite nouum, qui ſecundùm veritatem adductus eſt.

Concludimus ergo, quòd fuit in rerum natura Ioannes Moneta de Friburgo, Theutonicus, Generalis, & Epiſcopus Boſinienſis, Gloſſator Decreti, Ordinis Prædicatorū, qui ſcripſit Gloſſas ſuper Decretum, Summam, & Apparatum Raymundi, ſed in iſtis operibus nihil dicit cōtra Immaculatam Virginis Conceptionem, & ſic abſque vllo fundamento fuit adductus, oſtendite mihi, quòd illa Gloſſa marginalis, quæ incipit: *Vt hoc melius intelligas,&c.* eſt Ioannis Theutonici, & ſtatim profitebor veſtram tenuiſſe opinionem, & ſic hic licèt non ſit pro nobis, tamen non eſt contra nos. Quare hic veſter lapis angularis, & fundamentalis in hoc iudicio, vel ædificio manet reprobatus, & cum

illo

illo quindecim petræ fictæ, & multiplicatæ in ipso, scilicèt Bartholomeus Brixiensis, adductus numer. 36. quia illa auctoritas non est illius Bartholomæi. Secundus sit Bernardus Papiensis, adductus num. 47. quia Glossa illius non est, sed cuiusdam incogniti. Tertius sit Guidus Archidiaconus, qui adducit Glossam illam marginalem, sed de hoc nihil affirmo, vide numer. 99. Quartus, Guillielmus Episcopus, quia Apparatus super Raymundum non est illius, sed illius, licet fuerit Glossa; vide numer. 109. Quintus est Hugo Ferrariensis, quia Glossę ibi adductæ sunt Ioannis, vel alterius; vide num. 125. Sextus, est Hugutius, vt videre est num. 129. Septimus est Ioannes Bosinensis, quia fuit idem cum Ioanne, de hoc; vide numer. 157. Octauus, Ioannes Compilator est idem cum hoc Ioanne; vide num. 166. Nonus, est Ioannes Gallicus, qui est idem cum hoc, de quo num. 173. Decimus, est Ioannes Theutonicus Canonista, de quo num. 192. Vndecimus, Ioannes Theutonicus, Ordinis Prædicatorum, in hoc num. 193. Duodecimus, est Magister Moneta, de quo numer. 219. Decimustertius, est Petrus de Bruco, de quo numer. 239. Decimusquartus, Petrus Mediolanēsis, de quo num. 247. Et Decimusquintus Laurentius Calcaneus, de quo num. 205. Quid dicemus ad hæc, de te, ò veritas! nisi illud: Ipse cōsumet has multiplicationes in conspectu tuo, paulatim, atque per partes. Non poteris eas delere pariter, nè fortè multiplicentur contra te bestiæ terræ.

IOANNES De Turrecremata, Canonista, ac Cardinalis, in opere glorioso quem edidit super Decretum, de Consecr. dist. 4. cap. Firmissimè. *Bandel. cap. 19. Deza fol. 30. à tergo. Petrus de Vincentia, Spina, Caietan. & alii.*

VERITAS 194.

PERVENIMVS, Lector, ad desideratum scopū, quia propter huius Doctoris examen opus hoc exordiū sumpsit. Et in primis est multiplicatus, etenim Bandellus, & continuator suus Deza, necnon Petrus de Vincentia, ipsum primo adducunt inter Canonistas, Auctore vltimo; deinde iterūm in classe Ordinis Prædicatorum; hic citant opus suum glorioſum super Decretum, ibi verò librum de Conceptione editum ad faciendam relationem coram Patribus Concilii Basiliēsis; ex duplici enim Tractatu duos finxerunt Turrecrematas, alterum Canonistam Cardinalem, & alterum Theologum Dominicanum: si hæc fecit recta, vel obliqua intentio, ipsi iudicent. Quæ adducunt de suo Turrecremata, prout Cardinali, sunt sequentia (illa verò, quæ ex eodem offerunt, prout Theologo Ordinis Prædicatorum numero sequenti latè examinabimus) vt in omnibus seruetur iustitia, & æquitas.

Hunc ergo sic adducunt. Idem tenet eiusdem Ordinis D. Ioannes de Turrecremata, Hispanus, Cardinalis S. Sixti, qui fuit à Papa Pio institutus Protector totius fidei. Hic in opere glorioſissimo, quod edidit super Decretū, de Consecrat. distinct. 4. cap. Firmissimè, sic dicit: *Beata Virgo Maria fuit concepta in peccato originali; tùm, quia per seminalem propagationem ab Adam descendit; tùm, quia indiguit redemptione facta per Christum; tùm, quia Augustinus, Euselius, Leo, & Gregorius Papa, & Anselmus, & Bernardus hoc expressè dicunt; tùm etiam, quia quam plurimi, & ferè omnes Doctores excellentissimi, tàm in Theologia, quàm in Iure, quos nos collegimus vsque ad numerum centenarium, hoc tenent. Quorum sententias, & loca adnotauimus in libro, quem fecimus de veritate Conceptionis, in minoribus constituti Basileæ, dum ibi sacrum celebraretur Concilium, pro faciendā relatione, pro parte affirmatiua, nobis pro parte Concilii commissa. Quam relationem licèt nos obtulerimus faciendam in publica congregatione, sicut de hoc habitum fuit publicum instrumentum, eam tamen facere non otuimus, quia quibusdā schismaticis discordiæ, patre diabolo promouente intentantibus, in eodem Concilio plurima scandala, dominis Præsidentibus S. memoriæ Papæ Eugenii recedentibus, opportuit, & nos recedere; tùm superiorum meorum mandato, tùm nè præsentia nostra videremur fauere cōciliis impiorum. Hæc ille.* Hucusque Aduersarii ex suo Turrecremata, sed vt videas, qua fidelitate hæc extracta fuerint, en do verba Turrecrematæ in sua 3. par. capit. Firmissimè, de Consecr. dist. 4. num. 11. fol. 330. imp. ef. Ludunēsis ann. 1519. in fol. mag. Et nota, quod hoc opus super Decretum fuit elaboratum à Turrecremata anno 1457. ideſt, post viginti annos à dissolutione Concilii Basilienſis, & reditu Turrecrematæ, inquit ergo: *Ad tertium sic proceditur, & videtur, quòd Beata Virgo non includatur in ista vniuersali propositione de peccato originali, & ita videtur, quòd ipsa non sit concepta in peccato originali, & primo sic, &c.* Et adducit duodecim rationes pro parte negatiua, cum auctoritatibus Sanctorum. Deindè pro parte affirmatiua adducit alias duodecim, etiam cum auctoritatibus Augustini, Guarrici, Leonis, Eusebii Emissēni, Gregorii, Anselmi, & S. Thomæ, &c. tandèm, vt suā proferat sententiā, sic inquit: *Quòd modus dicēdi, quòd B. Virgo fuit concepta in originali peccato, videtur aliquibus, quod ab omnibus sit magis amplectendus, propter tria, quæ D. Bonauentura S. R. E. Card. Doct. singularissimus,*

qui pro ſui excellentia, & deuotione dictus Seraphicus Doctor, de ſacro Ordine Minorum deponit in 3. Sententiarum diſtinct. 3. Videlicèt quòd iſte dicendi modus eſt communior, & rationabilior, & ſecurior, in quam inquit ipſe Dominus Bonauentura eſt, quia ferè omnes tenent id, quòd B. Virgo habuit originale, cùm illud appareat ex multiplici eius pœnalitate, quam non eſt dicere, ipſam per aſſumptionem habuiſſe, ſed per contractionem. Hæc ille. Planè verum dicit hic clariſsimus Doctor, quòd hæc communior ſit inter Doctores, qui clariſsimi in Theologia floruerunt, quod appertiſsimum erit, ſi quis voluerit excellentium Doctorum, tàm ſcribentium ſuper Sententias, quàm exponentium ſacram Scripturam, dicta perquirere, reperiet quaſi omnes hoc tenere. Tenet enim hoc Magiſter Sententiarum in 3. diſtin. 3. in principio: Item, venerabilis Hugo in libro Sententiarum ſuarum, & in libro de Sacramentis. Item Guillielmus Altiſiodorenſis in Summa ſua. Ad idem eſt dominus Guillielmus, Cancellarius Pariſienſ. Ad idem Magiſter Alexander de Hales. Ad idem Magnus Albertus. Ad idem S. Thomas. Ad idem ipſe dominus Bonauentura, Cardinalis. Ad idem dominus Petrus de Tarantaſia Innocentius Quintus. Ad idẽ Henricus de Gandauo. Ad idem dominus Durandus. Ad idem Doctor Petrus de Palude. Ad idem dominus Ægydius de Roma; & plurimi alii, quos nos collegimus vſque ad numerum cẽtenarium, quorum ſententias, & loca adnotauimus in forma, in libro, quem de veritate Conceptionis fecimus in minoribs conſtituti, Baſileæ, dum ibidèm ſacrum celebraretur Concilium pro facienda relatione in materia iſta, nobis per Patres Concilii impoſita, quæ relatio, licèt nos tunc obtulerimus paratos ad illam faciendam in publica congregatione, ſicut de hoc habitum fuit publicum inſtrumentum, impedita tamen fuit, quia quibuſdam in eodem Concilio ſchiſmaticis, & diſcordiæ, patre diabolo promouente, intentantibus, plura ſcandala, dominis Præſidentibus S. memoriæ Domini Eugenii recedentibus, nos etiam opportuit recedere, tum nẽ præſentia noſtra videretur fauere conciliis impiorum, tum ſuperiorum meorum mandato, &c. Hæc ſunt ad litteram verba Turrecrematæ.

Si ergo illa contuleris cum auctoritate ſuprà adducta ab Aduerſariis, planè inuenies in quantis differant, præcipuè in prima parte, & eſſentiali, cuius nullum verbum extat in Turrecremata, nã omni humilitate, ac ſubmiſsione deprecor, vt oſtendatis nobis, vbi eſt illud: *B. Virgo Maria fuit concepta in peccato originali?* vbi eſt altera: *Tùm, quia per ſeminalem propagationem ab Adam deſcendit?* vel ſaltem oſtendite illam: *Tùm, quia indiguit redẽptione facta per Chriſtũ;* vel denique illam: *Tùm, quia Auguſtinus, Euſebius, Leo, & Gregorius Papa, & Anſelmus, & Bernardus, hoc expreſsè dicunt.* Si ergo totũ hoc eſt falſum, & fictum, & ex proprio veſtro cerebro additum in veſtro Turrecremata, quid ſperamus de aliis? Hic ſolùm eſt vna euaſio, ſcilicèt, quòd hæc verba deſumpta fuerunt ex tota illa latiſsima quæſtione Turrecrematæ, ſegregãtes verba, & colligẽtes voces hinc indè, ad formandam breuem concluſionem. Sed nec hanc friuolam, & ineptam excuſationem admittere poſſumus, quia adhuc ſunt in veſtra concluſione aliqua verba, quæ non extant in tota quæſtione Turrecrematæ, vt eſt illud: *Hoc expreſsè dicunt.* Et illud, *B. Virgo Maria fuit concepta in peccato originali.* Quærite ergo aliam excuſationẽ; quia ego quæſiui, & no inueni. Item hic obiter nota, quòd ex iſtis verbis Turrecrematæ finxit Badellus plures auctoritates in hac Ventilatione relatas, quæ in Auctoribus non inueniuntur, & verba illarum coincidunt in omnibus cum iſtis Turrecrematæ.

Deindè ſic proſequuntur Aduerſarii in eodẽ loco: *Et nota, quòd Abbas Siculus, qui tunc erat Epiſcopus Panormitanus, fuit principalis in hoc ſchiſmate, & maximè perſecutor pacis, & vnitatis Eccleſiæ, ſtipendiatus à Rege Aragoniæ, cui Eugenius prohibuerat, ne terras Regni Apuliæ inuaderet. Et quia fratres noſtri illi conciliabulo adhærere noluerunt, hac de cauſa conciliabulum illud cum Felice Antipapa ſuo, determinarunt, B. Virginem non eſſe conceptam in peccato originali. Sed quia prædicta Congregatio, quæ ibi remanſit, poſt quam Preſidentes Domini Papæ Eugenii receſſerunt, tanquam ſchiſmatica, ſacrilega, & hæretica fuit cum Synodo ſuo condemnata, & excommunicata per eundem Dominum Eugeniũ, ideò nihil per eos factum habet aliquid auctoritatis, vtpotè per homines à Deo auerſos, & hoſtes Eccleſiæ Sanctæ Dei, & fabricatores mendaciorum. Sicut dicit idem dominus Ioannes, de Conſecrat. diſtinct. 3. c. e. Et ideo Abbati non eſt credendum in hac parte, quia fuit ſchiſmaticus, & Eccleſiæ Sanctæ Dei inimicus, qui pro mercede ſuæ iniquitatis pileum ab Infelice recepit.* Hucuſque Aduerſarii pro ſuo Turrecremata contra innocentem Abbatem Siculum, communiter dictum Panormitanum. Hic ex proprio nomine vocatus fuit Nicolaus de Tudiſchis, vel de Tudiſco, patria Catanenſis, celeberrimus Iuris Interpres, Archiepiſcopus Panormitanus primo, in ſchiſmate creatus à Felice V. quam Cardinalitiam dignitatem poſteà pro rata, ac legitima confirmata eſt à Nicolao V. vt referunt S. Antonin. Pamvinus apud Pirrum fol. 165. fuit etiam Panormitanus ex profeſsione Benedictinus, qui obiit ann. 1445. Sed Patres mei, ad quẽ propoſitum veniunt iſta? Vel in quo peccauit Abbas Panormitanus? Ex quo delicto tanta, ac talia meruit conuitia? Adduxiſtis verba, quæ ad rem non erant, & ſequẽdo ſtyllum noſtrum neceſſe

ceſſe erit, ad illa aliquid dicere, licèt breuiter. Excitarunt te veritatem dormientem; euigila ergo, & loquere cum eis, quia mandatum lucerna eſt, &c.

Et in primis verba illa: *Nota, quòd Abbas Siculus, qui tũc fuit Epiſcopus Panormitanus, fuit principalis in hoc ſchiſmate, & maximus perſecutor pacis, & vniuerſalis Eccleſiæ, &c.* Hæc Aduerſariorum verba ſunt contra veritatem, & plena iniquitate: nam inter Patres qui poſt ſolutionem Concilii Baſilienſis, & ſchiſmatis introductionem, magis tutati ſunt partes veri Eccleſiæ Paſtoris Eugenii IV. fuit Panormitanus. Huius veritatis primus teſtis ſit Cardinalis Bellarminus, qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis, col. mihi 184. tom. 7. ſic inquit: *Dicitur etiam ſcripſiſſe librum pro Concilio Baſilienſi, ſed hunc librũ, vt in mala cauſa ſcriptum, & proinde erroneum, credibile eſt, ex eius operibus abraſum fuiſſe. Quiuis autem hic Auctor ſederit in Concilio Baſilienſi, etiam quo tempore Concilium acephalum, & ſchiſmaticum erat, tamẽ in eo benè ſe geſſit, quòd introducentibus in Concilium multitudinem Presbyterorum, ob defectum Epiſcoporum liberrimè contradixit, &c.* Secundus teſtis eſt irrefragabilis, quia oculatus, D. D. Æneas Syluius, poſteà Pius Papa II. qui à principio vſque ad finem interfuit Concilio Baſilienſi, & tres ſcripſit libros de Actis, geſtiſque in eodem Concilio, quorum duo, primus, & vltimus fuerunt Baſileæ typis mandati anno 1551. in fol. Et in primo libro folio 22. affirmat, Panormitanum acerrimè obtitiſſe iis, quæ contra Eugenium, verum Eccleſiæ Pontificem parabantur; habuiſſeque ſuper hoc Panormitanum longiſſimam, & accuratam orationem, cuius ſummam recitat ibidem Æneas, atque hinc deinceps in toto ſuo opere, Æneas, vt feruebat ſpiritu ſchiſmatico ſtomaticiſsimè in Panormitanum inuehitur, tanquam in maximum, inuictumque Eugenii protectorem. Si hæc eſt veritas, vt eſt, ergo mendacium mendax fuit.

Etiam eſt contra veritatem illud: *Stipendiatus à Rege Aragoniæ*: nam idem Æneas pag. 33. refert, quod cùm in eodem Concilio, cũ ingenti contentione inimicorum Eugenii Põtificis, legi cæpiſſet damnatio eius, ſurrexit Panormitanus cum collegis ſuis, Aragonenſis Regis partes tuentibus, & altiſsimè clamans Panormitanus (quoniam ibi planè, & moderatè loquens non exaudiebatur) propoſuit hęc verba, & dixit: *Vos Patres, noſtras cõtemnitis preces, Reges, ac Principes contemnitis, & cauete, nè dum omnes deſpicitis, ab omnibus deſpiciamini, vultis concludere: nos Prælatorum maior pars ſumus: nos Cõcilium facimus, ad nos concludere expectat, egoq́; nomine Prælatorum ſuperſedendum eſſe concludo*, id eſt, ab Eugenii dãnatione ſuperſedeo, quæ Panormitani verba, vt deinceps Æneas exequitur, magnam ſecurim ſchiſmaticorum rebus, ac ſpebus inflixit: perſeuerante nihilominùs contatiſsimè in interceſsione cœpta Panormitano: prout diſtinctiùs tùm Æneas ipſe cõmemorat; tùm Spondanus ex aliis quoque Actis Concilii eiuſdem Baſilienſis, refert ad ann. 1439. & Petrus Poſinus, cap. 11. fol. 135. cuius ſunt hæc vltima verba. Et Roch. Pirrius in notitia Eccleſiæ Panormitanæ, fol. 164. inquit ex eodem Æneã Syluio: *Oſtendere ſummo ſtudio nitebatur, Eugenium non eſſe relapſum, magnaque illi cum tribus viris Argenti. Epiſcopo, Ioanne Segouio, & Franciſco Fuxeo, Theologis cõcertatio fuit, &c. Oratio Panormitani magis laudata, quam probata; id tamen habuit efficaciæ, vt verbum relapſum ex concluſionibus tolleretur; eiuſque loco poneretur: Prolapſum: cum enim de confirmãdis propoſitionibus ageretur, Panormitanus Archipræſul, vir ſummo ingenio, & eloquentiæ copia prædictus, primuſque inter ſui Regis Oratores, loculenta oratione rem differri petiit, ſed cùm eſſet in magna diſcordia, per multos dies eſt certatũ: randèm contra Panormitanum pars præualuit; quare ipſe erudito Opuſculo eas quæſtiones diſcuſſit, quæ de Concilio Baſilienſi inſcribuntur.* Nonnè vides, Bandelle, quantum elaborauit Panormitanus in illa congregatione ſchiſmatica, vt tueretur partes veri Pontificis Eugenii IV? Ex his etiam colligitur, quòd opuſculũ editum nõ fuit prõ defenſione Concilii Baſilienſis, ſed circa quæſtiones ibi exagitatas. Ex his ergo manifeſtè coarguitur calumnioſa Aduerſariorum obtrectatio contra Regem Aragoniæ, & Archiepiſcopum Panormitanum. Fugiamus ergo deinceps ſpiritum mendacii.

Etiam ſunt contra veritatẽ illa ſequẽtia verba: *Et quia fratres noſtri illi conciliabulo adhærere noluerunt; hac de cauſa, &c.* Vide, & nota, quis poterat talem calumniã excogitare? Quod Patres illius Concilii determinarunt, B. Virginẽ nõ eſſe conceptã in peccato originali, quia PP. Dominicani noluerũt ipſis adhærere? Quaſi dicerent, quòd in odiũ ipſorum fuerit determinata illa controuerſia de immaculata Conceptione, & non ex cognitione veritatis. O detellanda calũnia! O ſine exemplo temeritas! Sed videamus, an in ipſa ſit aliqua ſpecies veritatis in cauſa (quando in effectu totum eſt mendacium) ab ipſis aſsignata: *Quia fratres noſtri illi conciliabulo adhærere noluerunt.* Noluerunt adhærere? Videte ergo, ſi noluerunt adhærere illi conciliabulo, ſi ipſimet fuerunt cauſa illius conciliabuli? Produco iterum teſtem oculatum Æneam Syluium, ex quo res ita ſe habuit. Ad annum 1431. menſe Iulio, fuit Baſilienſe Concilium legitimè congregatum ab Eugenio IV. qui eodem anno 5. nonas Martii fuerat ritè, & canonicè electus ad Summum Eccleſiæ Pontificatum, & ſic fuit Canonicum, & legitimum

influendo in eum Summus Pontifex per ſex annos continuos; ſed per varios euentus, & diſcrimina rerum inter Pontificem, & Patres illos anno 1437. in acerrimum diſsidium res erupit, & aperto marte, ac rebelli contentione cœpit exagitari, inquiri, ac determinari, quod Concilium erat ſupra Papam: & quòd Concilium legitimè congregatum, non poterat à Papa diſſolui: & alia huiuſmodi, quæ à Spondano, & aliis referuntur, & propter has propoſitiones, ex Concilio factum eſt cõciliabulum, & ſi quæras, qui inter tot doctiſsimos Patres illic exiſtẽtes, fuerint harum propoſitionum promotores, anteſignani, qualificatores, defenſores, & inuentores? neſcio quid dicam. Reſpondeat ad hoc primo ipſemet Æneas Syluius, teſtis, vt ſæpè dixi, oculatus, cuius hæc ſunt verba: *Et per ipſas etiam reliquias, approbarunt ſtudio maximè, ac diligentia fratris Nicolai Gallici, ex Ordine Prædicatorum vi, & ingenio, & ſolicitudine admodùm præſtantis, cui nimirum huiuſcè rei expeditionem attribuo.* Hæc Æneas. Sed nè ſiſtatis hìc, audite veſtrum S. Antoninum in 3. part. Hiſtor. tit. 22. capit. 10. fol. 525. col. 1. loquentem de Concilio Baſilienſi, & Felice Antipapa: *Amedeum Felicem nuncupauerunt. Qui intrhonizatus non in Sede Petri, ſed Luciferi, qui ſedem ſuam poſuit ad Aquilonem, aliquos Cardinales inſtituit, & inter eos Magiſtrum Ioannem, ſacræ Theologiæ profeſſorem, Ordinis Prædicatorum, qui multum laborauerat in Sermonibus, & diſputationibus, in fauendo conciliabulo, ſed citò morte ſubſtractus eſt, &c.* Ergo ſi Nicolai, & Ioannis Ordinis Prædicatorum ſtudio, diligentia, vi, ingenio, ſolicitudine, quid ampliùs? Etiam expeditione, fauore, Sermonibus, ac diſputationibus, illud Concilium legitimè congregatum in Spiritu Sancto, Canonicum, & Sanctum; conuerſum fuit in arcum pranum, conciliabulum, ſchiſmaticum, ſacrilegum, hæreticum, & congregationẽ mendaciorum, quomodo fratres veſtri noluerunt adhærere illi conciliabulo? Si caput, vel capita cõciliabuli fuerunt ex veſtris, & oppoſita vero Eccleſiæ capiti Eugenio, quomodo verificatur illud: *Et quia fratres noſtri illi conciliabulo adhærere noluerunt?* Ergo falſum eſt totum illud: *Patres illi determinarunt Beatã Virginem non eſſe conceptam in peccato originali; quia fratres noſtri illi conciliabulo adhærere noluerũt.* Imò veriùs vobis dicendum erat cum tota humilitate, prę anguſtia ſpiritu gementes, & pœnitentiam agentes: væ nobis, quia cum duo ex noſtris fuiſſent cauſa totalis, & vnica; vt Concilium in Spiritu Sancto congregatum, fieret conciliabulum Sathanæ; Deo ſic permittente, Patres illius conciliabuli determinarunt, B. Virginẽ non eſſe conceptã in peccato originali, væ nobis, quia peccauimus: Tu autem, Domine, &c.

Deindè, etiam ſunt contra veritatem verba illa: *Hæc de cauſa conciliabulum illud cum Felice Antipapa ſuo*, determinarunt, B. Virginem non eſſe conceptam in peccato originali: hæc enim falſiſsima ſunt, & ignorantiſsimè dicta, nam in illo Concilio Baſilienſi, Decretum de Conceptione Virginis editum fuit, antequam Felix Dux Sabaudiæ fuiſſet creatus Papa, ſeu Antipapa, vt conſtat ex Actis ipſiuſmet Concilii, etenim Decretum de Conceptione expeditum fuit ſectione 26. celebrata die 15. Kalẽdis Octobris, hoc eſt die 17. Septembris, in die ſcilicèt ſacrorũ Stigmatũ S. P. N. Franciſci, anni 1439. Electio vero Amedei in Papã, vel Antipapã, facta fuit nonis Nouẽbris, & publicatio ſect. 39. id eſt poſt tres ſectiones à Decreto Conceptionis, die 15. Kalendas Decẽbris, totũ hoc patet ex ipſis Cõcilii ſectionibus, & Actis, quomodo ergo Decretum de Conceptione potuit eſſe factum *cum Felice Antipapa?* Vide ergo, quo fundamẽto, ac veritate dicat Anonymus part. 3. ratione 31. *Cùm ergo B. Virginem non fuiſſe conceptam in peccato originali, contradicat ſacræ Scripturæ, & dictis Sanctorum Patrum, vt oſtenſum eſt; ideò ille Antipapa Felix non potuit hoc determinare, maximè cùm antiqui Romani Pontifices cõtrarium docuerint.* Falſum quod dicit de ſacra Scriptura, falſum quod affirmat de Sanctis Patribus, falſum item, quod proponit de Felice, & falſiſsimum, quod pronuntiat de antiquis Summis Pontificibus, quia nec vnum aſsignabunt antiquum, vel modernum, qui, dum ſederet in Cathedra Petri, di ecte, vel indirectè aliquid dixerit contra immaculatam Conceptionem, nec adhuc extra ſedem, niſi Petrum de Tarantaſia. Pro ipſa autem ſunt omnes aſsignati in noſtra Militia. Omitto alia conuitia contra Felicem adducta à Correctore Bandelli ſic dicente: *Non multò antè Dux Sabaudiæ, potens in dominio, & non minùs in diuitiis magnis congregatis, ſpiritu (vt creditur, & rei exitus demonſtrauit) ambitionis ductus, curam regiminis temporalis filio relinquens, habitum Eremiticum ſimulata religione aſſumpſit, locum quemdam Ripaliam ad habitandum eligens, &c.* De primo Papa Felice, & verè felix, dictum eſt, veniſti antè tempus torquere nos, & de iſto Felicæ, Antipapa infelice, vt dicitis, clamatis vnanimiter: Veniſti poſt tempus torquere nos.

Item immodeſtè excedunt in verbis illis: *Congregatio ſchiſmatica, ſacrilega, & hæretica condemnata, & excommunicata, vtpotè per homines à Deo auerſos, & hoſtes Eccleſiæ Sanctæ Dei, fabricatores mendaciorum.* Fateor, quod hoc Baſiliẽſe Concilium fuit Acephalum, id eſt, abſq; capite, & quòd no fuit Concilii, ſed cõciliabulum, & quòd ſic communiter vocatur ab omnibus benè ſentiẽtibus, & quod Summus Eccleſiæ Pontifex Leo X. in Concilio Lateranen-

nensi anno 1516. celebrato, Sectione 11. contra aliquos, qui ipsum Cōcilium volebant cum aliis œcumenicis introducere, vocauit eum: *Conciliabulum schismaticum, seditiosum, nullius auctoritatis*: hæc diuersa censura est ab illa Aduersariorum. Et quando supremum Ecclesiæ Caput ita modestè loquitur: quo ausu, qua temeritate potuerunt illi qualificare Synoda Ecclesiastica, adeò execrabili, ac improperiosa censura? Et quare hoc? Solùm, quia Patres illi Concilii antè, conciliabuli postea in illo intermedio, in quo ventilabatur, an esset verum Cōcilium, vel falsum conciliabulum, *determinarunt, B. Virginem non esse conceptam in peccato originali*, solùm propter hanc vnicam determinationem, vocarunt illam Congregationem, schismaticam, sacrilegam, hæreticam, cōdemnatam, excommunicatam, & determinatores illius propositionis, homines auersos à Deo, hostes Ecclesiæ, & fabricatores mendaciorum. Sed quid mirum? Qui de hac determinatione, sub lingua eorum erat labor, & dolor. Nam de reliquis certissimum, ac indubitatū est, quòd nouissimè, scilicèt ann. 1653. in libro Epitome Conciliorum Romæ impresso folio 352. dicit Simon Starouolscius, Primicerius Tarnouiensis, scilicèt: *Primum Concilium sub Eugenio IV. Basilienſe vniuersale, siuè œcumenicum, non totum, sed ex parte reprobatum, quoad ea nimirū, quæ ibidèm de auctoritate Concilij, & depositione Eugenij Papæ decreta, & sancita fuerunt.* Ergo hæc sola fuerunt reprobata, & omnia alia admissa.

Deindè etiam sunt plena dolo, & iniquitate verba illa: *Et ideò Abbati non est credendum in hac parte, quia fuit schismaticus, & Ecclesiæ sanctæ Dei inimicus.* Non se explicant Aduersarii, neque exprimunt, quę, vel qualis sit pars illa, in qua non est credendus Abbas, vel ergo nō est credendus Abbas in hac parte, scilicèt, quia edidit librum de quæstionibus, ac controuersiis exagitatis in Concilio Basilienſi, in quibus ipse tutatus est partes veri Pontificis, scilicèt, nō fuisse relapsum, & quòd non erant confirmandæ propositiones contra eum, &c. vt supra diximus. Quare ergo non erat audiendus in hac parte? Imo venerandus, & amplectēdus, atque credendus. Non ergo loquuntur Aduersarii de hac parte Concilii, sed de alia parte, scilicèt, loquebantur de Turrecremata, qui circa Conceptionem Virginis, & peccatum originale, defendit partem, affirmatiuam; Panormitanus verò sustinuit partem negatiuā; ideò dicunt, quòd in hac parte non est audiendus. Et quòd de hac parte, scilicèt, piæ opinionis, non erat credendus. Quia ergo Turrecremata dixit, Virginem Mariam fuisse conceptam in peccato originali, credendus erat in hac parte; quia fuit *Protector totius fidei, &c.* At Panormitanus, quia dixit, sacratissimam Dei Matrem fuisse conceptam absque originali peccato, non erat credendus in hac parte; quia fuit *schismaticus, & Ecclesiæ sanctæ Dei inimicus, &c.* Et velum modestiæ scissum est in duas partes, a summo vique deorsum.

Sed videamus, quæ, vel qualis fuerit hæc Panormitani pars, in qua non est audiendus? Hic ergo in commentariis super Decretales tom. 3. tit. de Feriis, cap. Conquestus fol. mihi 143. loquens de cōtrouersia Conceptionis, inter Fratres Prædicatores, & Minores, colum. 3. num. 3. inquit: *Pro hac allego bonum textum, & notabilem in cap. Firmissimè, de Consecrat. dist. 4. sed credendum est, Deum ab hac obligatione absoluisse à principio B. Virginem, ex qua debebat carnem humanam assumere, & hæc opinio mihi placet, tanquam pia, & satis rationabilis, cùm enim non solùm peccatum originale deleuerit, sed etiam omnem prauitatem, & concupiscentiam, adeò quòd peccare non poterat, vt notatur in cap. 2. de Consecrat. dist. 4. ibi vide, per Glossam, quid operatur peccatum originale, & cùm ipsum tollat Baptismus, fortiùs credendū, quod à principio illam exemit ab illa obligatione originalis peccati. Et audio, quòd hanc opinionem Ecclesia approbauit, vnde hodiè fit festum celebre de Conceptione in qualibet Ecclesia, &c.* Ista fuit pars Abbatis Siculi, & in hac parte dicunt Aduersarii, quod non est audiendus, nec credēdus, quia fuit schismaticus, & Ecclesiæ inimicus: at Turrecremata, qui sustinuit alteram partem, & maculauit Virginem, cumulatus elogiis, & ad astra euehitur, & in summo vertice collocatur, Panormitanus autem quia sustinuit alteram partem piam, deiicitur deorsum, contumeliis afficitur, & saturatur opprobriis. Sed nota, qua iustitia, & veritate: Dicūt enim, quòd in illa parte, & opinione immaculatæ Conceptionis, non est credendus Panormitanus: *Quia*, perpende causalem, *quia fuit schismaticus, & Ecclesiæ sanctæ Dei inimicus*, vt sic terrerent imperitos, & simplices, & omnes intelligerent, quod Abbas suum opus super Decretales, ac per consequens sententiam ibi contentam de immaculata Conceptione scripserat, quando erat schismaticus, & Ecclesiæ inimicus, & sic non erat audiendus, sed hoc est falsum; nam si fuit schismaticus, fuit in dissolutione Concilii Basilienſis, quæ contigit anno 1437. vt omnes fatentur, & constat ex ipso Cōcilio, & Bullis Eugenii IV. At Panormitanus scripserat super Decretales in ciuitate Senensi, circa annum 1425. vt videre est apud Valentinum Forsterum, fol. 675. & alios. Ergo adhuc quòd Panormitanus cooperaretur in schismate Basilienſi, adhuc audiendus est, & credendus in hac parte Conceptionis. Siquidèm ad annum 1425. nec Cōcilium Basilienſe erat conuocatum, nec Panormita-

mitanus poterat esse schismaticus, & Ecclesiæ inimicus, & comprobatur, quod scripserit antè Basilienſe Concilium; tum quia post illud parum vixit; tum & præcipuè, quia non diceret: *Audio, quod hanc opinionem Ecclesia approbauit*, sed scio, præsens fui, & vidi, quòd Ecclesia, seu Concilium Basilienſe hanc sententiam approbauit; imò & de fide determinauit. Si ergo Panormitanus scripsisset in Concilio Basilienſi, vel dixisset hæc vltima verba, non esset audiendus in hac parte, nec credendus; sed nunc audiendus est, & plusquam Turrecremata, quia ipse iam nec credi, nec audiri, imo nec ipse loqui potest, Panormitanus verò potest loqui, & loquitur, & auditur, & creditur, præcipuè in illo quod ad ann. 1425. *erat festum celebre de Conceptione in qualibet Ecclesia*, totius Christianitatis, & sic non per Sixtum Quartum, nec per Concilium Basilienſe instituta fuit illa festiuitas, sed potest dicere: antequā hæc fierent, ego iam concepta eram; quia hæc est dies, quam fecit Dominus.

Vltimò, iniuriosum est illud Aduersariorum: *Qui pro mercede suæ iniquitatis pileum ab Infelice recepit.* Vocant Infelicem, Amedeum, Sabaudiæ Ducem, qui in coronatione sua appellatus fuit Felix V. alludentes ergo ad prædictū Felicis nomen non solùm Bandellus, Turrecremata, & Deza, sed etiam alii ore pleno vocitant ipsum Infelicem, atque multa alia maiora congerunt contra eum opprobria. At breuiter audi, quo fundamento, causa, & veritate. Primo ergo hic Amedeus fuit Felix in naturalibus, ac fortunæ bonis, siquidèm ab inclytis Sabaudiæ Ducibus primogenitus, ac princeps excelsus, natus septimo idibus Martii anno iubilæi 1400. insignum inquit Petrus Frizon in Gallia purpurata lib. 4. fol. 489. *quod celebraturus esset in cœlum iubilæum, &c.* vocatusque Amedeus, sicut omnes sui progenitores, fuit huius nominis septimus. Secundo extitit etiam Felix in vita; nam assumpto principatu, ducta vxore, & ex ea procreatis filiis, cùm adhuc triginta sex non expleuisset annos, spretis mundi vanitatibus in eremo Ripalliæ clausus in orationibus, ac ieiuniis cōtinuis cum aliis nobilibus soli Deo vacans solitariam vitam agebat. Tertio, fuit felix, quia in illa totius Christianitatis deplorāda calamitate communi ex Basilienſis Concilii schismate exorta, solus Amedeus inuentus est quasi dignus, vt in suprema Ecclesiæ dignitate, licèt intrusus, totius conciliabuli calculo, generali acclamatione, atque approbatione vocatus collocaretur, & tunc in sua assumptione vocatus fuit Felix V. anno 1439. sed hic tantummodo Felix nomine se etiam re fœliciſsimum fecit, nam cùm post mortem Eugenii electus fuisset anno 1447. Nicolaus V. indubitatus Pontifex, Amedeus anno 1449. sponte abdicauit dignitatem, & Nicolaus. (vt cōstat ex diplomate ad Amedeum datum 7. die Kalend. Maii) Multas congerens in eum laudes, inter alia præcepit, vt Amedeus esset primus totius Christianitatis Prælatus post Summum Pontificem, concesitque ei, vt vteretur omnibus priuilegiis, ac insigniis Pontificalibus, aliquibus paucis solùm exceptis, quæ felicitas est in Ecclesia Dei sine exemplo. Quarto, omnibus istis extitit felicior ob vitæ, ac mortis sanctitatem, cuius virtutes heroycas, ac miracula recitant latè Iab. Bergomensis in supplement. Histor. ad annum 1438. fol. 284. Philib. Pingonius in libro dicto Augusta Taurinorum, fol. 62. ad ann. 1431. sed latiùs ad annum 1472. vbi refert illud insigne miraculum, quod Amedeus post mortem visus fuit à multis quasi super solem assidens: de eisdem etiam agunt Massonius, & Frizon, atque Henric. Spondanus tom. 2. fol. 9. ad annum 1439. quid plura. Vercelis colitur, vt Beatus, & ipsum adducit Philip. Ferrarius in suo Cathalogo ad diem 30. Martii fol. 129. Denique in Archiu. Vaticano vidi, & legi Bullam Sixti V. vbi Amedeum ter, vel quater appellat Beatū, poteram & alia huiusmodi adducere testimonia. Quinto, fuit Felix, quia ab illo schismate, & spontanea Amedei renuntiatione (vt notat Frizon) vel propter eius merita, vel exemplum in terris, vel verius propter eius intercessionem in cœlis, nullum aliud schisma exortū est in Ecclesia Dei. Hunc ergo vndequaque felicem, ac feliciſsimum virum in vita, atque morte miraculis clarum, Deo, & hominibus Beatum, semper Aduersarii vocant Infelicem Luciferum, & alia quæ modestiæ causa omittuntur non ob alteram rationem, nisi quia somniarunt ipsum cooperatum fuisse cum aliis Concilii Basilienſis Patribus in Decreto de immaculata Virginis Conceptione, quæ tamen præsumptio sine fundamento fuit, & vana est, quia promulgatio talis Decreti per aliquos menses præcessit Amedei electionem, vt suprà demonstratum relinquimus ex ipsius Concilii actis, atque sectionibus. Quia ergo Patres illius Concilii propter Virginis Mariæ gloriam, & honorem ad vocem, maculatā, addiderunt propositionem, *in*, appellātes Deiparam in sua Conceptione immaculatam, ideò Aduersarii, quasi ob huius offensæ satisfactionem ad opprobrium, & ignominiam Amedei ad titulum felicem addiderunt etiam eandem propositionem, *in*, vocantes illum infelicem, & sic semper construxerunt suæ opinionis grāmaticam, maculatam, infelicem declinando (sed à veritate) per casus (sed à puritate) non rectos (sed obliquos) ablatiuos (honoris) & accusatiuos (innocentiæ.)

***

IOAN-

IOANNES De Turrecremata, Cardinalis S. Sixti, Ordinis Prædicatorum, in Summa solemnissima de Conceptione, seu in Tractatu ad Concilium Basilienſe. *Ita Anonymus Auctore 91. Bandell. capit. 23. Dexa fol. 49. à tergo, Vincent. Gryſald. claſſe 5. Spina, Caietanus, & alij.*

VERITAS 195.

HIC Duplicatus est cum antecedenti, ibi eum collocarunt inter Canonistas, & hic inter Prædicatores. Cùm autem Auctor ille sit angularis lapis, atque fundamẽtale, principium totius fabricæ Dominicanæ opinionis, & sanctificationis Virginis à peccato originali, super quem alii omnes ædificarunt; iudicantes librum illius, & in ipso contenta esse firmissimam petram, & fuerit, vt dixi in principio antecedentis numeri, primus motor nostri præsentis laboris, operepretium erit summa diligentia, ac veritate omnia ad ipsum pertinentia indagare, ac ventilare, quia hac Turri subuersa, totum ruet ædificiũ, hucusque ab Assuerſariis erectum; conqualabitur autem à fundamentis, & solo æquabitur, solùm ostendendo, ac demonstrando librum de Veritate Conceptionis, qui sub nomine Ioannis de Turrecremata circumfertur; non esse suum, sed alterius, quod Deo dante, non solùm probare, sed etiam demonstrare conabimur. Ideò, vt breuitati, atque claritati consulamus, more scholastico, inquiro hanc Typographicã quæstionem, scilicèt, vtrùm liber ille typis mãdatus Romæ anno 1547. fuerit Turrecrematæ, nec nè, pro cuius quæstionis resolutione (patientiam habe in me, o Lector! & omnia reddam tibi) sit.

Notandum 1. quòd Ioannes de Turrecremata fuit natione, Hispanus, ex oppido nunc dicto *Torquemada*, in veteri Castella, circa fluuium Daurum (licèt D. Gundisaluus Ponze eũ Vallisoletanum faciat) nobili extitit stemmate natus, quamuis aliqui aliter sentiant, sed immeritò, vt videre est apud Antonium Senẽsem sui Ordinis Scriptorem fol. 147. (distinctus fuit ab alio Thoma de Torquemada, etiam Ordinis Prædicatorum, qui vixit post Ioannem tẽpore Ferdinandi Regis Catholici, de quo Michael Pius part 2. lib. 3. colum. 87) A primis suæ adolescentiæ annis innatum habuit ad litteras amorem, & in ea habitum in sacra S. P. Nostri Dominici Religione assumpsit. Parisiis Theologicam doctrinam breuiter, ac admirabiliter amplexus est; Hispaniam reuersus variis in cœnobiis Vallisoleti S. Pauli, & S. Petri Toleti Prior factus, non sine magna laude perfectus fuit. Deindè Romam profectus, collega, seu socius, vel vt ipsemet se nominat, scholaris sacri Palatii Magistri ad Concilium Basilienſe missus ad annum 1437. postmodum Romam rediens sacri Palatii Magister factus, Ioanne Hispaniarum Rege commendante, à Summo Pontifice Eugenio IV. Episcopus Sabinienſis, & Cardinalis S. Sixti renuntiatus extitit anno 1439. 15. Kalendas Ianuarii. Cumque iam de vniuersa Ecclesia optimè meritus, vixisset octogenarius, anno salutis humanę 1468. Romæ in Cœnobio S. Mariæ supra Mineruam, obdormiuit in Domino die 26. Septembris. Requiẽ æternam, &c.

Notandum 2. quòd Turrecremata multa, ac præclara suæ sapientiæ monumenta posteris reliquit, scripsit enim egregiè sequentia: In Gratiani Decretum Commentaria ad annum 1457. quod opus fuit impress. Ludugni à Ioãne Boerio, secundo Venetiis apud hæredem Hieronymi Scoti anno 1578. & sunt volumina quatuor. Item dum esset Cardinalis S. Sixti scripsit Summam de Ecclesia, quæ incipit: Cũ sicut datum, & fuit edita à Vitellotio S. R. E. Cardinali, anno 1561. in 4. Venetiis apud Michaelem Tramezinum. Item scripsit super Decreto vnionis Græcorum in Concilio Florentino edito Apparatum, impress. cum Decreto Eugenii Venetiis 1561. Item contra principales errores perfidiæ Mahometanæ opus dicatũ Pio IV. impressum Romæ 1616. in 8. in Typographia Guillielmi Faciori. Scripsit etiam Expositionem in Psalmos, quæ characteribus antiquis prodiit Venetiis per Stephanum de Sauio anno 1524. in 8. & alibi. Scripsit Meditationes in Saluatoris Iesu Christi vitam, quæ antiquis characteribus prodierunt in 4. absque anno, & loco impressionis, quos postea Franciscus Syvertius, cum vita ipsius Turrecremate typis mandauit anno 1607. in 16. apud Bernardum Gualterum. Item iussu DD. Iuliani Cardinalis, in Concilio Basilienſi, recollegit in vnũ quæstiones omnes Sancti Thomæ Aquinatis, de Summi Pontificis auctoritate, cũ esset scholaris Palatii sacri anno 1437. vt ipsemet fatetur ad calcem prædictarum quæstionum, quæ sunt num. 72. & est tractatus breuissimus continens 22. chartas in 4. qui cum aliis pluribus tractatibus de hac materia, quorum Auctores fuerunt Patres Dominicani, typis mandauit Venetiis anno 1562. Fr. Remigius Florentinus eiusdem Ordinis Prædicatorum. Item de eodẽ assumpto, scilicèt Pontificis, & Concilii Generalis auctoritate, ad Basilienſem Oratorẽ Responsionem, & fuit edita opera Camilli Cãpegi Theologi Parisiensis, Venetiis 1563. in 4. in officina Ioannis Zileti. Scripsit item Commentaria in Regulam S. Benedicti, quam edere curauit Geruinius Typographus Coloniẽsis ann. 1575.

in

in folio, scripsit sermones de Tempore, & de Sanctis; qui fuerunt Lugduni impressi anno 1509. ex Typographia Stephani Guinardi, & Ioannis de Blinge, & incipiunt: Sacro, & colendissimo, & Parisiis 1510. in 8. scripsit de Aqua benedicta librum Romæ impressum anno 1547. vidimus etiam manuscripta contra Manichæos, contra Mahometum, & Tractatum de Corpore Christi in vno Codice in Bibliotheca Vniuersitatis Complutensis; hæc omnia impressa, & manuscripta nos vidimus. Sed præter hæc dicunt, scripsisse etiam opera sequentia. De salute Animæ, contra Bohemos opus magnum contra statutũ aliquarum Ecclesiarũ, quo arcentur ab eorum collegiis, qui ex stirpe Iudaica descendunt, quòd dicunt seruari in collegio Vallesoletano. Item scripsit super Regulam S. Brigittæ, & extat ibidèm, dicũt denique ipsum Postillasse totam Bibliam. Hęc sunt omnia opera Turrecrematæ, quæ notitia saltem deseruiet, vt intelligas, quod veritas omnia scrutatur, & desiderat omne relegare mendacium.

Notandum 3. quòd præter opera suprà relata ann. à Natiuitate Domini 1547. post nonaginta annos à morte Turrecrematæ, & 110. à Concilio Basilien si, prodiit Romæ, apud Antonium Bladum Assulanum liber quidam impressus in 4. sub hoc titulo: *Tractatus de veritate Conceptionis Beatissimæ Virginis, pro faciendа relatione coram Patribus Concily Basileæ anno Domini M. CCCCXXXVII. mense Iulio, de mandato Sedis Apostolicæ Legatorum, eidem sacro Concilio Præsidentium, compilatus per R. P. F. Ioannem de Turrecremata, sacræ Theologiæ professorem, Ordinis Prædicatorum, tunc sacri Palatij Magistrum, posteà Illustrissimum, ac Reuerendissimum S. R. E. Cardinalem, Episcopum Portuensem, nunc primo impressus.* Hucvsque in prima pagina. In sequenti vero extant hæc: *Frater Albertus Duimius de Catharo, Ordinis Prædicatorum, sacræ Theologiæ professor, & in Sapientia vrbis Romæ diuinæ speculationis interpres; sinceræ veritatis amatoribus.* Deinde apponit Prefationem, seu Epistolam ad Lectorem, quæ incipit: *Admirandam humanæ rationis altitudinem, &c.* Per duas integras paginas cum dimidia, ex minutissimis characteribus, cuius aliqua verba suprà dedimus in Trituratione num. xlii. & alia posteà referemus; & ad finem prædictæ Epistolæ, habet hanc subscriptionem: *Romæ pridie Kalendas Aprilis D. XLVII.* Et quòd hìc sit error, vel Auctoris, vel Typographiæ, constat, quia apponendum erat sic: M.D.XLVII. Deinde folio sequenti, habet Proœmium operis, seu Auctoris, & incipit: *Laus eius in Ecclesia Sanctorum, Psalm. 141. si in cunctis rebus, &c.* Denique folio sequenti, incipit prima pars operis. Et totus liber sic ad finem concludit: *Finis Romæ exusum apud Antonium Bladum Assulanum pridie Kalendas Martij M.D.XLVII.* Diuiditur ergo liber iste in tredecim partes. In prima, sunt capita 17. in secunda, 35. in tertia, 34. in quarta, 18. in quinta, 20. in sexta 36. in septima, 32. in octaua, 30. in nona 43. in decima, 32. in vndecima, 21. in duodecima, 16. in decimatertia, 18. quæ omnia secundùm ipsum conficiunt capita 335. sed in omnibus prædictis partibus peccat in numeratione capitulorum: nam in rei veritate, omnia capita figillatim vita, & enumerata semel, & iterum sunt 352. & causa fuit, quia cùm adhuc opus sudabat sub prelo, addiderunt illa 17. capita. Et hoc etiam constat ex numeratione foliorum, nam in ipso originali sunt folia 776. sed tota hæc foliatio est plena erroribus, quia sunt reduplicata plurima, alia antepcsita, alia verò posti posita. Deinde posti finem libri habet sex folia sub hoc titulo: *Tabula partium principalium, & capitulorum totius operis, in singulis ordinata secundùm diuisionem nouam, commodiorem.* Epilogatisque omnibus partibus, ac capitulis contentis in toto opere, concludit sic: *In quo finis datur operi, &c.* Posteà adducit Indicem materiarũ, ordine Alphabetico, & sunt fol. 7. Denique adducit alia 7. folia sub hoc titulo: *Disputatio generalis, conclusio catholica in libro Relationis, &c.* Et perueniens ad disputationem, vndecimam, inquit: *Errores in fide huius falsæ conclusionis* (scilicèt: Virgo Maria fuit concepta absque peccato originali) *occasione suborti, & per Ecclesiam seminati, &c.* Et sic per ordinem enumerat 58. errores in fide secutos ex pia opinione, de quibus infrà. Et vt plenam notitiam habeas de structura materiali huius libri, scias, quod nullam habet approbationem, nec licentiam alicuius superioris ad sui impressionem, ac tandèm quod scatet erroribus, ita vt dicere ausim, quod ab exordio Typographiæ nullus à prælo exiit liber tam incorrectus, nec hoc potest attribui Typographiæ, quia erat Cameraria, nec Typographo, quia ego vidi, & legi quàm plures libros impressos apud hunc Antonium Bladum optimè emendatos, & correctos. Ergo alia fuit superior causa Spina-Daimia.

Notandum 4. quòd Nomenclatores, siuè Auctores Bibliothecarum, qui de scriptis, ac operibus Ioannis de Turrecremata Cathalogũ faciunt, sicut & de aliis Scriptoribus, sunt in duplici differentia, antiqui, & moderni. Antiqui nullam de hoc libro de veritate Conceptionis mentionem faciunt, vt Trithemius folio 370. Conradus Gesnerus Tygurinus in Biblioth. primo impressa Tygurii 1547. fol. 460. nec in secunda impressione facta cum Epitome, & ad additionibus, fol. 506. neque in libro Pandectarum, seu Partitionum, impresso etiam Tygurii

gurii 1548. titulo 6. & 7. de Theologia, fol. 29. vbi agit de Scriptoribus, qui scripserant de Conceptione. Item Cornelius Schultingius, in Bibliotheca Ecclesiastica impressa anno 1599. tom. 2. fol. 44. licèt faciat latum Elenchum de illis, qui scripserunt de Conceptione, pro vna & altera parte, de Turrecremata nihil dicit. Nec Sixtus Senensis, fol 269. Idem dico de Fabiano Iustiniano, folio 308. nullus istorum verbo: Turrecremata, de tali libro Conceptionis mētionem facit. Auctores verò moderni, vt Valerius Andræas, Taxander fol. 71. & Biblioth. Hispanica, fol. 228. affirmant, quod scripserit de Conceptione Domini libros tres, forte mēdosè, quia liber iste diuisus est in tredecim partes, vt suprà diximus: Anton. Senensis, fol. 146. inquit: Composuit etiā librum de Conceptione Beatæ Virginis, qui fuit Romæ impressus anno 1547. &c. Et ab hoc Antonius Posseuinus, fol. 551. Robertus Bellarminus, fol. 241. & ab his Alphonsus Fernandez Placentinus, fol. 372. Ex quibus euidenter colligitur, quod huius operis certa, & indubitata notitia, exorta fuit à Romana impressione; nam antea penitùs incognitum erat hoc opus inter Nomenclatores.

Notandum 5. quòd Turrecremata super Decretum tom. 4. cap. Pronuntiandum, dist. 3. folio 192. inquirit ex professo, an festiuitas Conceptionis sit celebranda, in qua quæstione inter alia habet sequentia (quia cùm sint necessaria pro infrà dicendis, ad litteram transcribere oportet.) Inquit enim: *Ad quartum sic proceditur, & videtur, quod licet celebrare festum de Conceptione B. Mariæ Virginis, &* 1. *sic: Si enim hoc non liceret, hoc non esset, nisi quòd esset concepta in originali peccato, &c. Responsio* 1. *circa hanc materiam sunt duæ conclusiones antiquorum Doctorum. Prima, quòd Conceptio Beatæ Virginis de se, aut ratione sui non est celebranda, quæ conclusio triplici via ostenditur, &c. Secundo, sic ratione probatur præfata cōclusio. Statuta vniuersalis Ecclesiæ de Sanctorum celebritate, omnia fundata sunt super sanctitate, vt nullo modo, nullo die solemnizet pro aliquo Sancto, in quo, vel pro persona sancta non fuerit, cui honor ille defertur; sed Conceptio B. Virginis Mariæ non fuit sancta, cùm fuerit in originali peccato concepta; vt infrà dist. 4. &c.* Et col. 194. concludit sic: *Ad* 4. *Respondetur, quod falsum est, quòd Basiliensium Congregatio, tempore quo Concilij nomen, & veritatem habuit, aliquid circa hanc materiam definierit, aut instituerit, cum nos illo tempore ibidem fuerimus præsentes, habentes in mandatis ab ipsa Synodo, vt nos colligeremus ea, quæ inducūtur à Doctoribus pro parte affirmatiua, videlicèt, quòd B. Virgo concepta fuerit in origali peccato. Sed post modum postquàm translatum fuit Concilium per sanctæ memoriæ Eugenium in Ferrariam, & tandem in Florentiam, & Præsidentes Papæ iam recesserat à Basilea, & prædicta congregatio tanquam schismatica, sacrilega, & hæretica, fuerat condemnata per eundem Dominum Eugenium, cum Synodo sua aliquid circa hoc tentauerunt, & præsumpserunt diffinire Basilienses, vt intelleximus, sed nihil per eos actum habet aliquid vigoris, seu auctoritatis, sicut per homines à Deo auersos, & hostes Ecclesiæ Sanctæ Dei, & fabricatores mendaciorum, ac peruersorum dogmatum cultores.* Hucusque Turrecremata in illa 3. distinct. His adde illa, quæ suprà numero antecedenti retulimus ex eodem, ne actum iterum agamus.

Notandum 6. quòd anno 1431. fuit Concilium Basilienſe legitimè congregatum, & statim ceperunt in eo Patres Dominicani feruenti spiritu instare, ac petere, quod controuersia de Cōceptione decideretur de fide, vt sic tot scāda la Christianitatis sedarentur, existimabant enim impossibile esse, hoc posse diffiniri cōtra suam opinionē. Tum propter illas vniuersales Scripturæ propositiones. Tum propter Sanctorum Patrum auctoritates, præcipuè Sancti Bernardi in Epistola ad Lugdunenses, Sancti Thomæ, S. Bonauenturæ, Alberti Magni, Alexandri de Ales, & aliquorum aliorum, expressis verbis affirmantium, oppositam partem esse hæreticā, & contra fidem. Tum ob Decretum Mauritii Episcopi, & totius Vniuersitatis Parisiensis, & alia quam plura, quæ pro sua videbantur esse opinione, & sic instabant, & clamabant apud Patres Concilii Basiliensis, quod hæc controuersia decideretur: quia erat de pertinentibus ad fidem, & quòd hoc expedlebat Ecclesiæ, & fidei, ac totius Christianæ Religionis paci, ac concordiæ, &c. Adeò instarunt in hac materia, in quadam allegatione præsentata, per P. Frat. Ioannem de Montenigro, Prouincialē Lombardiæ, vt Patres illi, ac Præses Concilii decreuerunt, quod refert Henricus Spondanus tom. 2. ad annum 1435. fol. 332. num. 12. dicens *Vt ad Concilium Basileā redeamus; in actis Nauarricis extat mandatum Concilij* 10. *Kalendas Iunij præsentis anni, datum Ludouico Cardinali Arelatensi, qui aderat, quo postquam narratas disputationes, quæ factæ fuissent apud Delegatos Concilij, pro rebus fidei tractandis, de Conceptione Beatissimæ Virginis, vtrum eius anima in instanti suæ infusionis in corpore, præseruata fuerit à peccato originali, an non; iniunxit, vt diligenter procuraret per omnes Bibliothecas, ac singula Archiua vniuersarum Ecclesiarum, Monasteriorum, Regumque, ac Principum perquiri quoscumque libros, scripta, acta, deliberationes, decisiones, conclusiones publicas, vel priuatas, quaslibet in generalibus studijs, & alibi de hac materia factas, atque ad eam quomodo-*

modolibet ſpectantes, eaſque extrahi, & ad Synodum deferri, vt ijs adiuta poſſet illa quæſtionẽ hanc decidere, & diffinire. Id verò Ludouicum Cardinalem diligenter præſtitiſſe intelligitur, ex declaratione facta poſt quadriennium in Sectione 36. vbi de illa dicetur. Hæc Spondanus. Cũ ergo conſtet ex Decreto Concilii, facto illo anno 1435. executio illius non ſolùm comprobatur ex declaratione facta, ſed etiam ex dictis, & libris Ioannis de Turrecremata, & Ioannis Contreras de Segouia.

Notandum 7. quòd præſentata, & recepta à Patribus Concilii illa allegatione, ſeu reſcripto R.P.F. Ioannis de Montenigro pro ſua parte affirmatiua, decreuit, ac determinauit, vt Ioannes Contreras de Segouia, Hiſpanus, atque Canonicus Toletanus, miſſus ad illud Cõcilium à Rege Caſtellæ, allegaret pro parte negatiua, & ſic fecit ſuam allegationem, reſpondendo ad illam Ioannis de Montenigro, quam propoſuit Concilio anno 1436. cuius allegationis originale antiquum ſeruatur in Bibliotheca S. Eccleſiæ Hiſpalenſis, à qua de mandato Illuſtriſſimi, ac Reuerendiſſimi D. D. Petri de Quiñones & Caſtro, Archiepiſcopi Hiſpalenſis extractum fuit quoddam tranſumptum, quod hodiè ſeruatur Matriti in Archiuo D. D. Abbatis de S. Anaſtaſia, cum aliis manuſcriptis de rebus pertinentibus ad materiam Conceptionis, cuius ſubſcriptio eſt: *Fideliſſimum manuſcriptum tranſumptum ex alio manuſcripto veteri, quod (vt ex ipſo conſtat) relatum iuridicè, & allegatum fuit in Concilio Generali Baſilienſi, in iudicio fidei, à Ioanne de Segouia, Magiſtro in ſacra Theologia, & Canonico Toletano, Præſidente tunc Iudice fidei Domino Cardinali Arelatenſi anno Domini* 1436. Et infrà: *Hic cõtinentur ſeptem allegationes luculenter ſanè probantes, Beatiſſimam Virginem Mariam in primo inſtanti ſuæ Conceptionis perſonalis non contraxiſſe peccatum originale. Item quòd hoc decet, & debet determinari de fide, &c.* Et in prologo, ſeu Præfatione operis, quæ incipit: *Reuerendiſſimi, Reuerendique Patres diuini, ac ſummi, &c.* Hic mentionem facit de Ioanne de Montenigro, ac eius allegatione, cui ipſe Segouia reſpondere nititur, opus iſtud Ioannis de Segouia doctiſſimum eſt, & meo iudicio nullus hucuſque ſic profundè ſcripſit de Myſterio Conceptionis, vtinam lucem videat. Hæc ergo Ioannis de Segouia allegatio tradita fuit Turrecrematæ, vt ipſemet indicat, & affirmat in principio ſui libri part. 1. cap. 8. ſic dicens: *Harum autem regularum doctrinam complexus talem, in generali ordinem in meæ relationis proceſſu tenere diſpoſui, conformans me ordini obſeruato in relatione ex aduerſo facta, per venerabilem ſacræ Theologiæ profeſſorem, & Magiſtrum, Ioannem de Segouia compatriotam meum &c.* Ex his intelliges, qua æquitate, ac iuſtitia proceſſerunt in hac cauſa Conceptionis Virginis Mariæ Patres illius Concilii, & quantam adhibuerunt diligentiam, ad indagandam veritatem, ſed quid mirum? Si tunc Synodus erat Canonica, ſub obedientia ſui Summi Paſtoris, ac Capitis, atque in Spiritu Sancto legitimè cõgregata?

Notandum 8. quòd ſicut ex prædictis conſtat, Ioannem de Segouia obtuliſſe ſuum reſcriptum, ſeu allegationem ſacro illi Concilio, pro tunc legitimè congregato in Spiritu Sancto; ſic etiam eſt certum, ac indubitatum, Ioannem de Turrecremata nullum reſcriptum, ſeu allegationem formalem obtuliſſe pro ſua opinione in prædicto Concilio: patet euidenter, ex ipſiſmet Turrecrematæ verbis: nam in cap. Firmiſsimè, loco ſuprà notato numero antecedenti in principio, loquens de ſua allegatione, ſeu relatione, inquit: *Quæ relatio licèt nos tunc obtulerimus paratos ad illam faciendam in publica congregatione, ſicut de hoc habitũ fuit publicum inſtrumentum impedita tamen fuit, quia quibuſdam in eodem Concilio ſchiſmaticis, & diſcordiæ patre diabolo promouente intentantibus, plura ſcandala Dominis Præſidentibus S. memoriæ Domini Eugenij recedentibus, nos etiã opportuit recedere, &c.* Ecce quarè Turrecremata non obtulit ſuam relationem Concilio, quia quando ipſe erat paratus ad illam offerendam propter diſcordias, & ſchiſma introductũ recedentibus Prælatis ſuperioribus, & Præſidẽtibus Concilii, opportuit etiam ipſum recedere. Hanc excuſationem dat Turrecremata in illo ſuo indubitato opere ſuper Decretum: audi verò illam quam dat in illo lib. de veritate Cõceptionis ad finem fol. 276. à tergo, vbi ſic inquit: *Completo autem hoc opere, cùm ego præfatus Magiſter Ioannes de Turrecremata, Apoſtolici ſacri Palatij Magiſter, in plena Congratione Concilij Baſilienſis me obtuliſſem paratum ad faciendam relationem mihi iniunctam, ſicut de hoc publicum inſtrumentum eſt, reſponſum eſt mihi per organum Reuerendiſſ. D. Cardinalis S. Angeli Legati Apoſtolici, & Præſidentis S. D. N. quòd cùm Patres ſacri Concilij in præſentiarum, circa aduentum Græcorum plurimum forent occupati, non poſſent pro tunc intereſſe præfatæ materiæ Conceptionis B. Virginis. Vnde bonis reſpectibus videbatur eis, vſque ad aduentum Græcorum, in hac re ſuperſedendũ eſſe. Ego verò, cuius erat maiorum parere præceptis hac reſponſione audita, ſuperſedi ab vlteriori requiſitione audientiæ. Manſi tamen poſt plures menſes Baſileæ, paratus ſemper ad faciendam præfatam relationem, ſi fortè eſſem requiſitus, &c.* Compone iſta, ò Lector! ſuprà dixerat, quòd non dedit, nec fecit relationem ſuam, quia exorto ſchiſmate coactus eſt Romam redire,

nunc

nunc verò dicit, quòd non fecit suam relationem, quia per organum Cardinalis Præsidentis fait illi responsum, quòd per aduẽtum Græcorum impeditus, &c. Et nõ fuerat requisitus, & quòd spectauit per plures menses in Basilea. Hec nullo modo cohærent: illud quòd dixit super Decretum, est veritas, vt infrà dicam, hoc de libro Conceptionis est fictum, & falsum, & impostura, sicut totus liber.

Notandum 9. quòd Aduersarii nullam adducunt auctoritatem Turrecremate ex illo gloriosissimo opere de veritate Conceptionis: nam Bandellus solùm, inquit: *Idem tenet Dominus Ioannes de Turrecremata, Cardinalis S. Sixti, quem suprà inter Canonistas allegaui.* Et nihil ampliùs. Eadem numero verba habet Petrus de Vincentia. Et sic isti non viderunt illum tractatum, quia nullibi eum nominant. Anonymus verò, inquit: *Idem tenet Doctor Ioannes de Turrecremata, Magister Parisiensis famosissimus, & Ecclesiæ sanctæ Cardinalis tituli Sancti Sixti, qui postillauit totam Bibliam, & scripsit super totum Decretum, & composuit Summam solemnissimam de Conceptione, in qua clarissimè demonstrat, quòd oportet secundùm fidem catholicam tenere firmiter, Beatam Virginem fuisse conceptam in originali peccato. Idem declarat de Consecratione distinct. 3. cap. Pronuntiandum, & distinct. 4. capit. Firmissimè. Hic ob excellentiam suæ doctrinæ, & ob zelum fidei feruentissimum fuit à Papa Pio II. factus vniuersalis Protector fidei. Primus fuit in hac dignitate, & fortè vltimus.* Hic etiã non vidit illam Summam solemnissimam de Conceptione, sed assumpsit notitiam ab illis, quæ dixerat Turrecremata super Decretum, quia si vidisset, non vocasset illam Summam; Summa est illa solùm, quam scripsit de Ecclesia, vel si vidisset, aliqua verba, vel auctoritatem adduxisset. Grysaldus citat Tractatum de Conceptione, sed nullam adducit auctoritatem, iste potuit videre librum, quia iam typis mandatus erat, quando Grysaldus scripsit: sed hoc parum refert pro nostro assumpto. Quod dico, & affirmo pro veritate infallibili, est, quòd Anonymus, Bandellus, & Vincentia non viderunt librum illum Turrecrematæ de veritate Conceptionis, typis mandatum, quia ipsi scripserunt ad ann. 1490. liber verò fuit excussus ad ann. 1547. Et sic solũ potuerunt videre aliquod manuscr. in quo Turrecremata adducebat Sanctos, ac Doctores pro sua sententia. His verissimis principiis suppositis, sit

Conclusio vnica. Ioannes de Turrecremata sustinuit opinionem minus piam, scilicèt, Virginem Mariam fuisse conceptam cum peccato originali; & pro hac scripsit non solùm super Decretum locis suprà relatis, sed etiam in Concilio Basilienſi quandam breuem Summam, seu Tractatum, quem intitulauit de veritate Conceptionis, qui nec fuit visus, lectus, nec auditus in Concilio Basilienſi, sed Romæ asportatus à suo Auctore, vbi latuit inter Patres Prædicatores, per centum & decem annos, id est, ab annõ 1437. vsque ad annum 1547. videntesque tempore Concilii Tridentini, quòd iterum feruebat controuersia de peccato originali in communi, & in particulari instabant Reges, Principes, ac Prælati, atque Religiones, &c. pro Virginis præseruatione, timentes vltimum Ecclesiæ iudicium, extraxerunt à tenebris illum libellum Turrecrematæ, cum allegatione Ioannis de Montenigro, responsionem Ioannis de Segouia, & omnia alia, quæ in ipsorum libris, & archiuis erant pro sua opinione, & ex illis omnibus sumẽtes à Turrecremata titulum libri, & omnia illa quæ pro suo proposito, & assumpto erant ad rem; ex omnibus pro suo libito composuerunt suprà relatum librum de veritate Conceptionis, sub nomine, & titulo Ioannis de Turrecremata, Cardinalis Sancti Sixti, &c. Et typis mandatum Romæ, clandestinè, sine vlla approbatione, seu licentia, dirigente opus Reuerendissimo Patre Fratre Bartholomæo de Spina, sacri Palatii tunc Magistro, mysterii Conceptionis acerrimo impugnatore, & exequente Patre Fratre Alberto Duimio de Catharo, Lectore sacræ Theologiæ parum intelligente de re litteraria, & diuulgatum est per totum terrarum orbem. Vndè liber ille, vt iacet impressus, nec secundùm structuram, & dispositionem materialem, nec in illo contenta formaliter, non fuit, nec est Turrecrematæ, neque vt talis habendus, vel reputandus erit. Quod probo sequentibus rationibus, quarũ aliquæ erunt demonstratiuæ.

Prima. Nam in Procemio illius operis de veritate Conceptionis, loquendo cum Patribus Concilii Basilienſis inquit Turrecremata: *Verum Patres Reuerendissimi, quia non Lectoris, sed relatoris ministerium, ad quod & fidelitate maxima, & integritate opus est, peragendũ in præsentiarum iniunxistis, vt fidelius, securius, atque compendiosius Patrum, & Doctorum sententias referam, relationem ipsam per chartulas legendo percurrã.* Ex quibus verbis patet, quòd labor Turrecrematæ non intendebat compaginare tractatum, seu efficere librum, sed tantũ informationem, seu libellum, per breues chartulas digestum pro succincta, & compendiosa informatione Patrum, & Legatorum Concilii, neque in tali relatione volebat se gerere, vt Lector, sed vt merus relator; at liber iste impressus de veritate Conceptionis, nec habet modum informationis, neque est paruus libellus per chartulas digestus, nec in illo se gerit Auctor, vt merus relator, sed vt

exactiſsimus Lector, eſt enim liber non ſolùm magnus, ſed maximus, & licèt characteribus minutiſsimis impreſſus, & plenus vndique abbreuiaturis, habet folia 276. id eſt, paginas 552. & hoc ſolùm ex littera controuerſiæ, abſque indicibus, principio, ac tabulis Diſputationum: neque in illo ſe gerit Auctor, vt relator: ponit enim fundamenta latiſsima, dat regulas generales, atque particulares, ponit omnes obiectiones, illas inculcat ſemel, & iterum, & reſpondit ad ipſas, non ſolùm vna, ſed tribus, & quatuor ſolutionibus. Probat latiſsimè ſuas concluſiones, aliquando ſex rationibus, & totidèm coniecturis; enucleat omnes auctoritates Scripturæ, ac Sanctorum Auguſtini latiſsimè, Bernardi ſimiliter, & ſic de aliis: ac denique in hac materia, & cõtrouerſia, nullam prætermittit quæſtionem notabilem, concluſionem, probationem, obiectionem, & reſponſionem, nec lapidem ſupra lapidem, quem non moueat à fundamentis. Ergo hæc non eſt illa informatio à Turrecremata oblata Concilio Baſilienſi; nam ſi hæc eſſet, & per chartulas facienda coram Patribus, in diebus ad hoc deſtinatis, quando alia tanti momenti inſtabant negotia, per tres integros annos non viderent finem, quia exiſtimo, quòd vna priuata perſona, ſatiſque ſtudioſa, diu, noctuque legendo, ſi attentè de ibi contentis iudicium facere vellet, per ſpatium ſex menſium haberet ſufficientem occupationem.

Secundo probatur, alia ſimili ratione, quia Turrecremata in 1. part. ſui operis capit. 1. vbi ponit regulas quaſdam generales, ſic inquit: *Tum primò, quia claritas, & pondus, & grauitas auctoritatis, in quæſtione diffinitiui iudicij, plurimum dependet ex grauitate debiti proceſſus. Tum ſecundò, quia Doctores ipſi, quorum ſententias referendi in hac cauſa miniſterium ſuſcepi, conformem ordinem complexi ſunt. Tum tertio, quia in relatione ex aduerſo ſuperioribus diebus facta, circa hanc materiam, aliqua dicta ſunt contra quædam benedicta per collegam meum in ſua relatione, ad quæ per me reſpondendum venit, &c.* Propoſuerat ſuam allegationẽ Ioannes de Montenigro collega Turrecrematæ, ad hanc ex aduerſo reſpondit Ioannes de Segouia: videns ergo Turrecremata, quod in illa relatione Segouienſis, cõtradicebantur aliqua à ſuo collega Montenigro propoſita, proponit ſe ad illa velle reſpondere, quia reliqua iam erant benè dicta, propoſita, & relata à ſuo collega, & ex aduerſo non impugnata: ſed in hoc opere de veritate Conceptionis, de quo eſt noſtra quæſtio, nõ ſolùm ſunt reſponſiones ad Segouienſis propoſitiones (vidi enim ipſa, & legi) ſed incipiendo controuerſiam, à capite, & à primo fundamento, ſcilicèt à peccato Adæ, diſcurrit per omnia, & ſingula, ſtabiliẽdo principia, deducendo corolaria, proponendo concluſiones, & illas diffusè, ac latiſsimè probando, & hoc abſque claritate, pondere, & granitate, ſed agglomerando in 13. partes, ac 352. capitibus omnia, quæ ſunt, & plura, quæ non ſunt, nec pertinent ad punctum controuerſiæ, quaſi de illa nullum prolatum fuiſſet verbum in illa Synodo: ergo liber iſte no eſt ille Turrecrematæ pro facienda relatione coram Patribus Baſilienſibus.

Tertio, quia ex ipſius verbis Turrecrematæ clarè cognoſcitur, quid illi mandatum fuerit à Concilio, & quid ipſe executioni mandauerit. Inquit enim in Decreto, cap. Firmiſsimè, vt ſuprà diximus num. antecedenti, poſtquam retuliſſet aliquos Doctores: *Et plurimi alij, quos nos collegimus vſque ad numerum centenariũ quorum ſententias, & loca adnotauimus in forma, in libro, quod de veritate Cõceptionis fecimus in minoribus conſtituti, Baſileæ, dum ibi ſacrũ, celebraretur Concilium, pro facienda relatione in materia iſta, nobis per Patres Concilij impoſita.* Et cap. Pronuntiandum: *Cùm nos illo tempore fuerimus præſentes, habentes in mandatis ab ipſa Synodo, vt nos colligerẽmus ea, quæ inducuntur à Doctoribus, pro parte affimatiua, &c.* Item in principio ſui operis, vt ſuprà dicebamus: *Vt fideliùs, ſecuriùs, atque compendioſiùs Patrũ, & Doctorum ſententias referam.* Item illud: *Tum ſecundo, quia Doctores ipſi, quorum ſentẽtias referendi in hac cauſa miniſterium ſuſcepi.* Ex quibus omnibus, & aliis ſparſis in illo libro, deducitur, ſolùm fuiſſe iniunctum Turrecrematæ, vt ſententias SS. PP. atque aliorum Doctorum inſimul recolligeret pro ſua opinione facientes, & illos cum auctoritatibus ſuis, coram Patribus referret. Et hoc exiſtimo illi mandatũ, quia in hac materia erat punctum principale: Dicebãt enim (vt modo etiam dicunt) omnes Sanctos, Patres, ac Doctores antiquos Eccleſiæ, expreſsè, & clarè ſuam tenuiſſe ſentẽtiam. Hæc ergo recollectio fuit illi impoſita à Patribus, & hanc parauit, atque diſpoſuit ipſe per chartulas, vt in vna haberet auctoritates Sancti Auguſtini; in altera Sancti Bernardi; in vna, omnes Iuriſtas; in altera, Frãtres Prædicatores; in altera, Minores, &c. & hic erat modus facilis, clarus, & grauis, & hoc etiam extat in illo libro veritatis Conceptionis, parte 5. & 6. licèt alteratum, vitiatum, & additum: ergo hoc ſolùm in toto præallegato libro, eſt opus, & fœtus Turrecrematæ, alia vero omnia ſpuria, & notha.

Quarto, quia Albertus Duimius, in ſua Præfatione ad hunc librum, inquit: *Mihi etiam curæ fuit, vt (licèt publica lectura impeditus) tanti Domini deſiderio ſatisfacerem, tantique Magiſtri mei labori ſuccurrerem, nè & ſenectus illius* (loquitur de Bartholomæo de Spi-

na)

na) *& longa infirmitas, tanto labori succumberent. Insolitum autem mihi, valdequè laboriosum opus assumpsi, erat enim liber Scriptoris ignauia ità corruptus, vt alicubi minus intelligibilis videretur, quò factum est, vt in attingendo sensum, potiùs quàm in Orthographicis, grammaticalibusque minutijs occuparemur. Premebamur autem, & temporum angustia, & typorum penuria. Grauabat Reuerendi Magistri longa, & inueterata infirmitas, qua etiam inconsummato opere decessit, &c.* Reliqua in sequenti probatione dabimus. Decessit Spina in consummato opere, labor erat magnus, & magna etiam temporis angustia, sed quis labor erat iste, quæ penuria, & angustia? Si solùm esset transcribendum Turrecrematę opus, qualis angustia, & labor? Qua insuper penuria poterat succumbere Magister sacri Palatii, ac sacræ Theologiæ Lector? Labor, angustia, & penuria erant, quia liber ille, seu Turris illa à fundamentis erigebatur, & quidquid scripserant Bandellus, Vincentia, Caietanus, & Spina ipse, pro hac fabricanda Turri in medium adducebantur: lege, ò Lector! sicut ego legi, hunc librum de veritate Conceptionis, & lege, sicut ego legi, alios quatuor Auctores, & inuenies in hoc, quidquid illi dixerunt, non solùm quoad dispositionem, sed etiam quoad verba: vndè vna ex duobus fatendum erit, vel quòd Turrecrematæ tanta floruit profunditate scientiæ, & sapientiæ, atque spiritu prophetiæ, quòd ipse cognouit, scripsit, ac prospexit totum quod in sua Religione excogitandum erat per illum integrum sæculum, vel quòd illi quatuor Scriptores parum, vel nihil potuerunt addere ad Turrecrematæ librū. Ego verò existimo, quòd nihil horum fuit, sed quod illi labores, angustiæ, & pressuræ procedebant; quia Spina, & Duimius fabricarunt vnum ex quatuor, Vinc-Spin-Baldel-Caitan. sub nomine vnius Turrecrematæ.

Quinto, vrgentiùs probatur ex sequentibus Alberti Duimii verbis: *Vrgebat nimia Aduersariorum solicitudo, & supra modum importunitas, vndè fuit, vt multa negligentiùs solito considerarentur.* En assignat causam, quarè liber ille confusus, indigestus, & erroribus plenus in lucem prodierit: *Quia vrgebat nimia Aduersariorum solicitudo, & supra modum importunitas*, cui, vel quales erant illi Aduersarii, quæ, vel qualis illa solicitudo, & importunitas? Erant Aduersarii: ergo pugnæ: non considerabantur, quæ scribebantur: ergo verba non erant scripta, sed fabricabantur de nouo? Sollicitudo, & importunitas Romæ, contra Magistrum sacri Palatii, & impressionem vnius libri cuiusdam S. R. E. Cardinalis. Quæ mysteria sunt hæc? Ipsi non se explicant, sed ego aperiā hoc libri sigillum. Instabat in ciuitate Tridentina Concilium, erant iam in Sessione de peccato originali, sollicitabant Franciscani importunè, pro decisione Mysterii immaculatæ Conceptionis. Quatuor patres Dominicani assignati in Synodo Tridentina pro defensione suæ opinionis, totam suam spem repositā habebant in hoc libro à suo Spina elaborato, sed Deus, cuius inscrutabilia sunt iudicia, permisit, vel disposuit, quod Spinæ infirmitatibus, & typorum penuria, Typographia in dies dilataretur, ita vt Decretum de Conceptione Virginis prodierit Tridenti, & liber adhuc sudabat sub prælo. Et sic omnes sudabant laboribus, & angustiis, videntes suorum Aduersariorum sollicitudinem, & importunitatem, obtinuisse pro Sacratissima Virgine Maria repositam gratiam.

Sexto probatur, ac confirmatur euidenter antecedens discursus, nam ipse Duimius, sic prosequitur: *Quietior namque erat omnium nostrum mens, & animus, & huiusmodi quæstionum oblitis, necessariora fidei dogmata tueri animo insederat, & temporis opportunitas exigebat, sed immoderatior quorumdam audacia, dum apud doctos, & verè Theologos minoris sę æstimationis aduertunt, vulgarem, debilium-que mentium auram, iam diù sepultis nouitatibus affectantes; in Tridentina Synodo, de huiusmodi humani conceptus immunitate, verbum facere vera non est. Quo factum est, vt R. P. F. Bartholomæus de Spina, Pisanus, Ordinis Prædicatorum, sacræ Theologiæ professor, & sacri Apostolici Palatij Magister, zelo fidei accensus, opus hoc erroribus expurgari, typisque excußum, in publicum prodire, magno labore curaret.* Parcamus Duimio, magno Theologo illud de audacia, & Theologis minoribus; dignus est enim mercenarius mercede sua, saltem quia paucis verbis totam machinam, ac confusionem, de illo libro de veritate Conceptionis declarauit, ac manifestauit. Videbat Reu. Pater Magister sacri Palatii Bartholomæus de Spina, quod in Concilio Tridentino, sicut Basilienſi de humani conceptus, & virginea immunitate erat iterum agitanda controuersia, & timens, ne aliud Decretum Tridentinum, simile Basiliēsi expediretur, Spina illo zelo fidei accensa, vel potius timoris combusta, curauit, licèt longa senectute, ac infirmitate laborans, vt opus de veritate Conceptionis factum, ex parua Spina Turrim magnā in lucem proderet, vt sic Turri illa circumsepta Spinis haberent in Concilio Tridentino suæ opinionis fautores, quò se munirent, ac defenderent: Et hac de causa recapitulauit in illo libro omnia, & singula, quæ ad suum propositum facere videbantur, occultando sub vna purpura Hispanica, Vincentiam, Bandellum, Spinam, & Caietanum.

Septimo, probatur euidentiùs ex aliis Duimii Verbis: Inquit enim: *Et quæ olim maximis mendis ſummoperè fœdata erant, nunc priſtino candori reſtituta ſunt; ſed & faciliora reddita. Diuiſerat autem Auctor librum centum capitibus, quem, vt planior eſſet, placuit ſuprà nominato Magiſtro illum in partes tredecim primo, ſingulas deindè partes in plura capita diuidere, &c.* Meliùs diceret hic magnus Theologus: & quæ priùs fœdata erant, ſecundo ampliùs fœdata ſunt. Relatio Turrecrematæ erat centum capitibus diſtincta, ſiuè chartulis, quia in ipſis referebat auctoritates centum Auctorum, vt ipſe paſsim dicit, & ſic erat materia congruenter diſpoſita, ad faciendam relationem coram Patribus Concilii: ex centum capitibus, ſeu chartulis fecit Spina 352. & ſic addiderunt operi 252. capita quod ſi enumeres illa, quæ addiderunt in illis 100. capitibus, inuenies, quod in illo libro, ex quatuor partibus ipſi introduxerunt ferè tres. Hoc dixi ſecundùm ſpontaneam Duimi confeſsionem, ſed exiſtimo, quòd etiam in hoc deuiauit à veritate, nam, vt colligitur ex eodem libro part. 13. capit. 5. folio 266. pagina 1. linea 13. allegatio Turrecrematæ ſolùm conſtabat ex triginta capitibus, ſicq; Turrecremata in illo libro vix habet duodecimam partem; qui ergo diceret, affirmaret, vel crederet librum habentem 30. capita eſſe eundem cum libro habente 352. dicet ſimiliter, & credet Spinam eſſe Turrim.

Octauo, quia in prædicto libro de veritate Conceptionis multa continentur, quæ nullo modo potuerunt ſcribi à doctiſsimo Turrecremata, niſi ab aliquo alio parum litterato, imò & ignorante: nam dicit, & affirmat, quod ex hac propoſitione: Virgo Maria non contraxit originale peccatum in ſua conceptione, ſequuntur 58. errores in fide, ſi..è blaſphemiæ, ex quibus ſolùm tranſcribo ſequentes, vt videat Lector, qua ſcientia pollebat inclytus Auctor huius libri.

Error ex aduerſo, quòd materia de Conceptione Beatæ Virginis, & materia de Reſurrectione eius iam perfecta, ſit æqualis difficultatis, & ad fidem æquè pertineat, vt ſi piè creditur ſecundum, æqua veritate, & pietate in ſe credit poſsit & primum, ſecus ex permiſsione Eccleſiæ.

Error ex aduerſo, quòd non ſtante præſeruatione à peccato originali Beata Virgo dici poſsit decimata in lumbis Abrahæ.

Error ex aduerſo, Eccleſiam ſemper fuiſſe ſine macula, & ruga.

Error ex aduerſo maximus, quòd nihil cenſendum eſt catholica ſub fide tenendum niſi in ſacris litteris, & determinationibus Sanctorum Conciliorum expreſsè, & ſub proprijs terminis contineatur.

Beatã Virginem fuiſſe cum Chriſto comprincipij noſtræ redemptionis, & vitæ ſpiritualis omnium fidelium, eſt erroneum.

Erroneum eſt dicere, B. Virginem ratione peccati originalis fuiſſe ancillam diaboli.

Error ex aduerſo, quòd ſi Beata Virgo contraxiſſet originale peccatum, fuiſſet aliquando exoſa filio ſuo.

Error ex aduerſo, quòd B. Virgo fuit redempta ab omnibus peccatis, à quibus fuit præſeruata.

Error ex aduerſo, quòd B. Virgo cum Chriſto ſit mater ſpiritualis omnium filiorum Dei vna cum Chriſto.

Erroneum eſt dicere, B. Virginem eſſe primam mediatricem inter Deum, & homines, ſed aliquo modo.

Error ex aduerſo, quòd Beata Virgo ipſi Chriſto ſecundùm humanitatem quodammodo principetur.

Error maximus ex aduerſo, quòd eadem gratiæ plenitudo fuit in Beata Virgine, quæ fuit in Chriſto.

Error innuitur ex aduerſo, quòd omnia ſint refecta per Beatam Virginem in ratione cauſæ efficientis, aut materiæ principalis, vel inſtrumentalis.

Error ex aduerſo, quòd B. Virgo eguerit Chriſto, vt præſeruante ab infirmitate, non autem vt ſanante ab aliqua ægritudine peccati.

Error ex aduerſo, quòd ſi B. Virgo fuiſſet concepta in originali peccato, eius ſanctificatio fuiſſet ſimilis ſanctificationi flagitioſorum hominum.

Error maximus in fide, quòd illeſit ſenſus litteralis ſacræ Scripturæ, quæ multitudo fidelium, licet etiam non omnium præſcribit.

Error ex aduerſo, quòd anima Chriſti ex ſe, & non ex munere gratiæ Dei, ſit immunis à peccato, B. autem Virgo ex munere gratiæ.

Error ex aduerſo, quòd ſolus Chriſtus ſit immunis à peccato principaliter, B. autem Virgo minus principaliter.

Error ex aduerſo, quòd dictio excluſiua de Chriſto dicta ſuper immunitate peccati originalis; nõ excludat cum cæteris etiam B. Virginem.

Error ex aduerſo, quòd Chriſtus pro Angelis mortuus ſit.

Error ex aduerſo, quòd auctoritas Canticorũ 4. Tota pulchra, expoſita de B. Virgine, æquipolleat huic: Et macula non eſt in te.

Iſti, & alii vſque ad numerum 58. ſunt errores in fide ſecuti ex hac negatiua propoſitione: Maria non contraxit originale peccatũ, ſecundùm profundam, atque inſcrutabilem ſcientiam Auctoris illius libri de veritate Conceptionis, ex quibus facilè olfaciet Lector, quod liber, in quo talia abſurda reperiuntur, non potuit eſſe doctiſsimi illius Hiſpani, Ordinis Prædica-

dicatorum, Magiſtri ſacri Palatii, S.R.E. Cardinalis, totius fidei Protectoris, in quo fuit primus, & fortè non habebit ſecundum, qui talia, ac tanta ſcripſit, de dogmatibus fidei, Quæſtionibus Theologicis, & ſuper Decretales. Et ſi his non obſtantibus voluerint Aduerſarii dicere, & affirmare librum illum typis mandatum integrum, & completum, eſſe Turrecrematæ, neceſſario, ac conſequenter debent fateri, ipſum non fuiſſe mediocriter doctum.

Nono, probatur ex ſtyllo, dicitur enim in illo libro de veritate Conceptionis, part. 13. cap. 11. quòd quædam Epiſtola Sancti Alſelmi non eſt ſua, & rationem aſsignans, inquit: *Stylus etiam eius non eſt conformis, ſed multum diſformis ſtyllo, quo vſus eſt Sanctus Anſelmus in libris ſuis.* Hoc ipſum dico ego de libro Turrecrematæ, plura doctè, & eruditè ſcripſit hic Auctor, vt ſuprà notabili 2. quæ omnia vidi, & legi, ſed ſtyllus huius libri de veritate Conceptionis diſtat ab aliis, ſicut cœlum à terra, lux à tenebris: Non ſic ab ſtyllo, diſpoſitione, & verbis Opuſculorum Bartholomæi de Spina; liber enim iſtius de vniuerſali corruptione generis humani, etiam eſt diuiſus per partes, & capita, & ſic ex diſpoſitione coincidunt, modus procedendi, imo & verba ipſa ſunt eadem; quibus adde, quòd Bartholomæus de Spina, in prædicto libro de vniuerſali corruptione teſtatur, & affirmat, ſe compoſuiſſe librum alterum de Conceptione Virginis, vt diximus, numero 39. in principio, qui quidèm liber nunquam fuit viſus, & exiſtimo, totum fuiſſe inſertum in præſenti de veritate Cõceptionis, ideòque ſunt tot falſitates in illo libro Turrecrematæ, & adulterationes, quia nullus poteſt colligere de ſpinis vbas.

Decimo, ex impoſsibilitate; nam in fine libri dicitur: *Explicit tractatus de veritate Conceptionis Beatæ Virginis, compilatus in Baſilienſi Concilio, anno D. 1437. 30. menſis Iulij, per Fratrem Ioannem de Turrecremata, &c.* Tunc ſic: Ioannes de Segouia elaborauit ſuam allegationem anno 1436. vt ſuprà ex ipſomet dixi notab. 6. illo anno fuit completus liber ille, deindè fuit de illo facta relatio coram Patribus Cõcilii, extracta copia, vt traderetur Turrecrematæ: & demus, totum hoc factum fuiſſe in illo anno 1436. licèt valdè difficilè videatur, quia allegatio Segouiẽſis efficit mediocre volumẽ: ann. 1437. cæpit Turrecremata laborare ſuum opus, legendo prius librum ſui Aduerſarii, quomodo ergo in ſeptem menſibus, potuit perficere, & complere librum illum de veritate Cõceptionis, quando ipſemet paſsim dicat, fuiſſe magnis occupationibus præpeditus, & liber ipſe ſit adeò magnus, vt nec ſaltem tranſcribi poſsit in ſeptem menſibus? His adde, quòd iam cæperant ſchiſma, tumultus, ac ſeditiones, &c. & eodem tempore ex Decretõ Concilii ſcripſit idem Turrecremata librum de Poteſtate Papæ, de quo diximus ſuprà: Ergo non fuit liber iſte, ille ſcriptus à Turrecremata, ſed aliqua relatio breuis, & ſuccincta, continens ſolùm Doctores, & ipſorum auctoritates.

Vndecimo, ab exemplo, quia eodem met tempore, ſcilicèt, anno 1437. poſtquàm exorta fuit controuerſia inter Patres Concilii, & Summum Pontificem, circa vniuſcuiuſque auctoritatem, præceptum fuit à Synodi Præſidente, vt ſcriberet librũ de Auctoritate Papæ, & Concilii, quod Turrecremata executioni mandauit, & ſcripſit librum de hac latiſsima, & tunc neceſſariſsima materia, quem ego vidi, & legi, & eſt breuiſsimus cõtinens ſolùm 22. chartas in 4. & in eo ſolùm tranſcribit auctoritates ad litteram, nec addit ex propriis ſolùm vnicum verbum: ergo credendum eſt, eundem ſtyllum, ordinem, ac modum ſeruaſſe in libro de veritate Conceptionis. Sumpto ergo argumento à titulo, & auctoritatibus illorum centum Doctorum, addidit Spina quidquid ſibi placuit, ex ſuo libro, & aliis. Hoc initium, & principium habuit liber ille, editus ſub ſuppoſito nomine Turrecrematæ, quem Aduerſarii celebrant, vt Turrim fortitudinis ſuæ in expugnabilem, cùm ſolùm fuerit Spina; ſed vltrà progrediamur, dum tota conſtringatur Spina.

Duodecimo, non eſt dubitale, quòd Anonymus, Bandellus, & Vincentia ſcribentes poſt Turrecrematam, ipſum viderunt in illo ſuo opere de veritate Conceptionis, quia quam plures Auctores, & auctoritates extraxerunt ab illo, vt in toto hoc libro manet notatum; & etiam eſt euidens, quòd iſti non viderunt librum iſtum typis mandatum à Bartholomæo de Spina, quia omnes illi ſcripſerunt antè annum 1510. & liber fuit impreſſus anno 1547. Cùm ergo omnia hæc ſint certiſsima, quæ, vel qualis potuit eſſe cauſa, quòd præallegati Scriptores, Bandellus, Anonymus, & Vincentia, adducendo paſsim Doctores, & auctoritates adductas à Turrecremata, de aliis contentis in illo libro impreſſo, nec vnum ſaltem adducant verbum? Percepta huius rationis vi, videtur irrefragabile argumentum, quòd tempore illorum Auctorum non erant in originalibus Turrecrematæ illa, quæ nunc extant in originali impreſſo. Et confirmatur hoc exemplo: prædicti Patres Dominicani in ſuis Indicibus Auctorum adducunt pro ſua ſententia Franciſcum de Aſt, Ordinis Minorum, vt vidimus numero 77. Guillielmum OKamum, de quo numero 111. & Landulphum Neapolitanum, vt videre eſt infrà numero 202. At qui in illo libro de veritate Conceptionis, typis mandato parte 13. capit. 3. iſti tres Auctores adducun-

tur pro noſtra ſententia, & ad illos reſpondit Auctor illius libri: ergo euidens ſignum eſt, quòd illa verba, non erant in manuſcripto vero Turrecrematæ; nam vel illos non adduce-rent ſui tranſcriptores, vel ſaltem adderent, illud: Quamuis aliter ſentiat Turrecremata, in tali loco, &c.

Alia quàm plura poſſem in medium adducere exempla, & argumenta deſumpta ex præallegato libro, ſed exiſtimo, iſta duodecim ſufficere pro doctis indifferentibus; pro obſtinatis verò nec centum ſufficient. Sed dato quod illa non concludant, ego ſemper verè, ac realiter iudicarem librum illum typis mãdatum de veritate Conceptionis, in quo tot, ac tanta reperiuntur mendacia, abſurda, ignorantiæ, & vitia materialia, ac formalia, nullo modo eſſe poſſe illius doctiſsimi viri Ioannis de Turrecremata, Hiſpani S. R. E. Cardinalis, totius fidei Protectoris, qui tot, ac tanta ſelecta opera, omnibus numeris abſoluta ſcripſit. Imò neque eſſe Bartholomæi de Spina, ſacri Palatii Magiſtri, aliàs omnium ſcientiarum profeſſoris abſolutiſsimi (niſi in hac parte deprauata procederet intentione) ſed omnia ibi contenta, fuiſſe diſpoſita ab illo nouitio Theologo Alberto Duimio de Catharo, quod alii etiam affirmant, vt Ambroſius Catherinus illius temporis, & ſuæ Religionis Scriptor, in Præfatione diſputat de Conceptione, ad Tridentinam Synodum. Lucas Vvadingus in Legatione pag. 121. Anton. Calderon, cap. 5. §. 31. Nos aliqua deteximus in noſtro Armament. colum. 423. ſed quod ibi ex ſola rationabili præſumptione diximus, hic rationibus demonſtrauimus. Concludo hanc materiam cum verbis P. Hyppolit. Marrac. in ſua Purpura Mariana littera I. §. 18. fol. 255. *Opus enim illud de Conceptionis veritate ſumma cum veneratione exciperemus, ac deoſcularemur, ſi incorruptum, & vt ab Auctore ſcriptum eſt, ad nos peruenisſet; ſed cùm poſt centum, & amplius annos, à Fr. Bartholomæo Spina, in multis auctum, inuerſum, immutatumque, editum fuerit Romæ apud Antonium Bladum anno 1547. nullam iam opus Turrecrematæ, quod modo circumfertur, auctoritatem obtinet; nec Conceptionis veritas, quam titulus pollicetur, nunc ex illo hauriri poteſt, &c.* Vide alia ibi. Sicque veritates iſtæ de Conceptione ceciderunt inter ſpinas, & creuerunt ſpinæ, & ſuffocauerunt eas.

IOANNES De Verdiaco, Ordinis Prædicatorum, in Expoſitione, ſeu Poſtilla ſuper Cantica Cantic. *Turrecremata parte 6. cap. 29. fol. 120. Bandel. cap. 23. Dezafolio 42. Vincent. Gryſald. Anonym. Auctore 75.*

VERITAS 196.

DE Hoc Auctore Alphonſus Fernandez Placentinus, Ordinis Prædicatorum notitia, ac verbis deſumptis ab Antonio Senenſi, eiuſdem Ordinis Nomenclatore fol. 383. mentionem facit: Antonius vero Senen. ſic eum citat, fol. 146. *Scripſit ſuper plures Bibliorum libros, citaturque ille ſuper Cantica, in illo recollecto libro ex Patrum ſententijs ad probandum Conceptionem B. Virginis, qui creditur eſſe à Bandello compoſitus. Claruit anno, &c.* Et non aſsignat annum, ſed nec poterat aſsignare, quia ipſe non vidit Verdiacum, ſed illum adduxit in fide Bãdelli, & Bandellus in fide Turrecrematæ. Comprobatur hoc ex Ioanne Michaele Pio, part. 2. lib. 3. colum. 45. vbi agens de hoc Auctore, inquit: *Viene citato queſto Doctore in quel libro attributo al Bandello, &c.* Et ipſum adducit ad annum 1465. ſed quomodo potuit hoc eſſe, ſi Turrecremata, qui ipſum citat, ſcripſit ad annũ 1435. Vndè etiam ex tempore videtur hic fictus. Leander Alber. lib. 4 fol. 137. ad finem de hoc etiam mentionem facit, & concludit ſic: *Heus Bandelle, nomenclandi tibi officium permitto*, quaſi à Bandello ſolo dimanaſſet talis Auctoris notitia. Vnus ergo & ſolus Turrecremata, hunc Auctorem produxit in lucem: nam nullus alius antiquus vel modernus de tali ſcriptore, vel minimam facit mentionem. Fabianus enim Iuſtinianus fol. 31. cũ ſit moderniſsimus Auctor à ſuprà enumeratis notitiã ſumpſit. Vndè dicendum erit, vel fuiſſe fictum, vel nullius momẽti Scriptorẽ, cuius opera nullus vidit, nec fuerunt typis mandata, nec ſaltem ſciunt ipſimet, quando vixerit, vel fuerit in rerum natura. Cùm autẽ creuiſſet herba, tunc apparuit, & zizania: ſed admiſſo Auctore.

Auctoritatem ſic adducit Turrecremata: Item ad idem eſt eiuſdem Ordinis P. ſolemnis Baccalarius in Theologia Frat. Ioannes de Verdiaco, qui plures libros Bibliæ expoſuit, in expoſitione libri Canticorum tractans illud: Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora cõſurgens? dicit ſic: *Aurora conſurgens. In Natiuitate aurora eſt frigida, & humida, ſic B. Virgo clara generis nobilitate, propter quod cantatur de ea: Clara ex ſtirpe Dauid, frigida per ſomitis repreſsionem, ſiue extirpationem ſecũdùm alios. Luc. 1. virtus altiſsimi obumbrabit tibi. Hactenus.* Hæc auctoritas nec caput habet, nec pedes; & ita eſt extra rem ad probandam illam concluſionem: Virgo Maria contraxit peccatũ originale, quod nec Bandellus, nec aliquis alius ſcribens poſt Turrecrematam auſus fuerit illam in medium adducere. Nam Ioan. de Verdiaco

(ſi

(ſi ille Ioannes fuit, & non Ioannes de Turre cremata) de qua natiuitate loquitur, an de Natiuitate Auroræ Mariæ, in vtero, vel extra vterum? Si de natiuitate extrà vterum, falſum eſt, quia tunc non fuit Maria humida, & frigida, niſi etiam neget fuiſſe in vtero ſanctificatam; & etiam eſt falſum, quòd in illa Natiuitate, fuerit illi repreſſus, vel extirpatus fomes, & ſimiliter eſt falſum, quòd ad hanc Natiuitatem reſpiciat, vel propter ipſam dictum fuerit illud: Virtus Altiſsimi obumbrabit tibi; vel loquitur de Natiuitate in vtero, & ſic potiùs eſt pro nobis, quia ſi naſcẽte Maria in vtero per animationem, fuit fomes repreſſus, & extirpatus, per virtutem Altiſsimi obumbrantem ipſam, cùm fomes fuerit in carne, à qua anima informans illo maculatur: ergo animatio illius fuit abſque vllo fomite, & macula. Et ſic in illa auctoritate nihil inuenimus niſi folia, & illa arida.

Sed admiſſa gratis, ſicut Auctore, etiam auctoritate, & quòd loquatur de extirpatione, vel repreſsione fomitis, vel in Natiuitate, aut in Incarnatione Verbi, Aduerſarii ſic debent argumentari: fuit fomes in Maria: ergo & peccatum originale. Sed hęc illatio adhuc non eſt neceſſaria, & legitima: quia cũ fomes ſit qualitas carnis inordinata, inclinans apetitum ſenſitiuũ ad actũ difformem, & vitioſum in habente iudiciũ rationis, ſicut per veſtram gratiam ſanctificationis fuit repreſſus, & extirpatus fomes in ſecundo, vel tertio inſtanti; potuit per noſtram gratiã præuenientem, & præſeruatiuam reprimi, & extirpari, vt ſic nulla eſſet in carne Mariæ ab illo primo inſtanti aliqua inordinata inclinatio ad actum difformem, & vitioſum. Quarè in hoc Auctore omnia claudicant, ſicut & alii claudicauerunt in ſemitis ſuis.

His ſecundùm veritatem conſtitutis ſuperaddo, quòd inter Scriptores fuit quidam Auctor dictus Guillielmus Paruus, Normanus, ad annũ 1528. & fuit Ordinis Prędicatorum, vt affirmat Aubertus Myræus in ſua Biblioth. cap. 35. folio 20. Deindè Mart. del Rio adducit expoſitionẽ ſuper Cantic. Cant. cuiuſdam Guillielmi Parui, qui expreſsis verbis tenuit, Virginem Mariam fuiſſe conceptam in peccato originali, vt videre eſt cap. 4. fol. 199. & cap. 6. fol. 328. Sed illum facit Delrio antiquiorem, id eſt, ad ann. 1120. vel 1208. cùm ergo hunc non citent Aduerſarii ſub nomine Guillielmi Parui, fortè eſt inſertus ſub alio. Sed nihil affirmo, peto tamen quòd oſtendant ſuum Verdiacum in Cantica.

IOANNES De Villa-Abbatis, in Sermone Aſſumptionis B. Virginis. *Anonym. Auctore* 170. *Bandel. cap.* 21. *Dezafol.* 36. *Petrus de Vincentia.*

VERITAS 197.

AD Tollẽdam omnem ambiguitatem, & æquiuocationem, notare debet, Lector, quo ſupra num. 150. adduxerunt pro ſua ſententia Aduerſarii quemdam Ioannem de Albavilla, Doctorem Pariſienſem in ſermonibus Purificationis, Annuntiationis, & Aſſumptionis. Qui quidem Auctor non fuit in rerum natura, vt ibi dixi, hic verò citant Ioannem de Villa-Abbatis, relinquẽdo alios Sermones, ſolùm in ſermone Aſſumptionis, ille fuit ſimpliciter fictus, hic autem ſecundùmquid, tranſmutarunt enim nomen, & vocarunt de Villa-Abbatis, quem de Abbatiſ-Villa appellare debuerant, ſi iuxta veritatem, & ſcientiam procederent. Et ex hac Aduerſariorum tranſmutatione, etiam decepti fuerũt Geſnerus fol. 508. & Poſſeuinus fol. 953. qui poſito Auctore vero Ioanne de Abbatiſ-Villa, iterum ipſum reduplicarunt ſub nomine de Villa-Abbatis, & factum eſt nomen ſecundum, vt facerent Auctorem ſecundum.

Quod verò hic Auctor ſit multiplicatus cum illo adducto numer. 150. patet euidenter ex auctoritate: nam illa fuit hæc: *B. Virgo fuit ab originali peccato in vtero matris per ſanctificationem mundata.* Huius autem ſic illam adducunt: Idem tenet Magiſter Ioannes de Villa-Abbatis, in ſermone Aſſumptionis B. Virginis, ſic dicens: *Beata Virgo poſt ſui animationem fuit per gratiam ſanctificationis, ab originali peccato mũdata.* Nota amore Dei, in quo differant iſtæ duæ auctoritates? Vel quando Auctores antiqui, qui præceſſerunt D. Thomam, & Scotum, locuti ſunt hoc modo? Et non in quæſtionibus, ſed in Sermonibus? Et non in ſermone Conceptionis, & Natiuitatis, ſed in ſermone Aſſumptionis? Et non Dominicanus, nec Frãciſcanus, ſed ſæcularis? Ad probandum ergo, quod auctoritates iſtæ ſunt fictæ, & falſæ, & ſimul quibus verbis loquebantur antiqui in hac materia, indagabimus ex profeſſo, quis fuerit iſte Ioannes de Abbatis-Villa, vel de Villa-Abbatis.

Et in primis, hic non fuit quidam antiquus Doctor, vocatus Hieronymus de Villa-Abbatis, Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini, qui ſcripſit opus Sermoũ de Sanctis, ſub titulo: *Panis quotidianus*, impreſſum Hagenas anno 1509. in 4. quia licèt adducat Sermonem Purificationis, qui eſt in ordine 32. & incipit: *Maria flos Virginũ*, & Annũtiationis, qui eſt in ordine 84. & incipit: *Aue Maria gratia plena.* Et ſermonem Aſſumptionis, qui eſt in ordine 227. & incipit: *Gaude Mater Saluatoris*, in iis non eſt auctoritas adducta ab Aduerſariis, nec alia ipſi ſimilis. Inſuper ille expreſsè noſtram tue-

tuetur ſententiam: nam in oratione de Natiuit. Virginis, quæ eſt in ordine 251. & incipit: *Natiuitas tua*, ſic inquit: *Saluatorem ſæculorum peperiſti, & tu ipſa alſque omni labe iniquitatis, in hunc mundum nata fuiſti. Meritò tam puram Matrem Chriſtus ſibi elegit, per quam ipſe in hunc mundum illibatus, venire ſolebat. Sicut ipſe incorruptam humanitatis naturam induit, ita & Matrem ab omni contagione peccati alienam eſſe voluit.* Et in orat. 342. quæ eſt de Conceptione, ſic inquit: *Cum iucunditate in huius Conceptionis hora ſalus noſtra initium ſumpſit, quoniam demum Saluator per te homo fieri voluit: cuncti igitur te conceptam Virginem glorificent, & indeſinenti iubilo magnificent. Angeli quoque, Archangeli, & cuncti ciues cœli te nobiſcum honoriſicent, & condignas laudes tibi decantent. Nihil illicitum in Conceptione affuiſſe credimus, ſed decentiſsimo ordine te in mundum exiſſe cernimus. Non omnis genitrix Deum parere digna erat, ſed tu ſola quæ in vtero materno ſanctificari meruerас, &c.* Si verò hic eſt Auctor ab Aduerſariis adductus, vitiarunt in ipſo ſequentia. Primo, nomen Hieronymi, vocando eum Ioannem. Secundo cognomen, Abbatis-Villa, in Villa-Abbatis. Tertio, ſermonem Conceptionis, in Aſſumptionis. Quarto, penitùs finxerunt, & adulterarunt totam auctoritatem: nam ex illis verbis: *Sed tu ſola, quæ in vtero materno ſanctificari meruerас*, fecerunt illam concluſionem: *B. Virgo poſt ſui animationem, fuit per gratiam ſanctificationis ab originali peccato mundata.* Quid tibi videtur de hac veritate? Quinto, fuit mendaciter adductus, quia expreſsè noſtram tenet ſententiam, vt denotant illa verba: *Et tu ipſa abſque omni labe iniquitatis in hunc mundum nata fuiſti*; & ſi hæc non te conuincit, vide alteram: *Sicut Chriſtus illibatus incorruptam humanitatis naturam induit, ita & Matrem ab omni contagione peccati alienam eſſe voluit.* Ac denique illam: *Nihil illicitum in Conceptione affuiſſe credimus.* Igitur hic ex noſtris eſt.

Fuit etiam alius inſignis Scriptor, vocatus Ioannes Algrinus, vel Hailgrinus, Monachus Cluniacenſis, Abbas S. Petri de Abbatis-Villa, Gallus, Doctor Pariſienſis, Archiepiſcopus Biſuntinus, ac tandem S.R.E. Cardinalis, qui cõmuniter vocatur Ioannes de Abbatis-Villa, & ſcripſit ſermones de Tempore, lib. 2. ac de Sanctis alios duos, ac alios dictos Euangelicos, & Apoſtolicos, & inſuper Commentaria ſuper Cantica Canticorum, egregium Tractatum, quem Iodocus Aſcẽſius inſignis Typographus excudit anno 1521. cum expoſitione Thomæ Ciſterciẽſis, de quo egimus ſuprà num. 131. floruit hic Ioan. de Abbatis-Villa ad ann. 1227. in quo à Gregorio IX. creatus fuit Cardinalis, & mortuus ann. 1237. non verò ad annum 1450. vt perperam dixit Sixtus Senenſis in ſua Bibliotheca, folio 253. & 268. De Sermonibus huius Auctoris hæc dicit Ioannes Trithemius, folio 65. *Scripſit autem dictos Sermones per circulum anni, primo quidem breues Lectiones Euangelicas, & Apoſtolicas breuiter exponendo; poſteà verò alios Sermones, tàm de Dominicis, quàm de Feſtiuitatibus adeò prolixos edidit, tot Scripturarum inducens teſtimonia, vt vix poſsint memoriæ commendari, qui tamen iam nobis ſuperuenientibus ex parte viluerunt.* De hoc Auctore, ac Sermonibus loquuntur omnes Nomenclatores. Vide Bibliothecã Cardinalitiam, folio 34. Myræum folio 169. part. 1. & alios. Fateor, quòd iſtos Sermones, nec vidi, nec inuenire potui, ſed ex Commentario in Canticis Canticorum colligitur, qualis fuerit mens Ioannis Algrini de Abbatis-Villa, inquit enim ad illud: Sicut lyliũ inter ſpinas: *Sicut lilium ſpinis eſt incomparabile, ſic inter filias hominum, nulla Matri meæ comparabilis inuenitur: omnes enim aliæ ſpinas habent, iſta nitet vt lilium ſine ſpina.* Et ad illud: *Hortus concluſus*, inquit: *Hunc Paradiſum ſic concluſit Dominus, vt nulli hoſti maligno eius pateret ingreſſus.* Et ſi nulli: ergo nec peccato originali. Item ad illud: Meſſui Myrrham, inquit de myrrha: *Amaram carnis mortificationem deſignat, quam profert anima, nullo peccati vulnere ſauciata. Talem myrrham meſſuit Dominus in Beata Virgine, quæ licèt vulnus peccati non haberet, ſeipſam multiplicitèr mortificare curauit.* Cùm ergo nullus ex his duobus ſit Auctor adductus ab Aduerſariis Ioannes de Villa-Abbatis, ſeu de Abbatis-Villa, quærant alterum: Accendant lucernam, & ſubuertant totam litteraturam, vt inueniãt ſuam dragmam perditam, quia ego exiſtimo, quòd huius Villæ-Abbatis nec dragmam inuenient. Si autem eſt ille Peregrinus, de quonum. 149. totum eſt fictum, Auctor, auctoritas, & ſententia.

IORDANVS Theutonicus, Ordinis S. Auguſtini, Sermone 1. & 2. de Conceptione, & in Sermone 2. Dominicæ Aduentus. *Turrecremata part. 6. capit. 33. folio 144. Anonymus Auctore 133. Bandellus capit. 25. Deza, folio 49. à tergo. Vincentia, & Gryſaldus.*

VERITAS 198.

HIC Auctor, cuius proprium nomen eſt Iordanus de Quedelimburg, Ordinis S. Auguſtini, antiquus, & doctus, fuit Lector Magdeburgenſis, floruitque ad annum 1300. non verò ad annum 1400. vt aliqui perperam dixerunt com-

communiter dicitur de Saxonia, ſed cùm hæc ſit Prouincia Germaniæ, quæ alio nomine vocatur Theutonia, paſsim Aduerſarii mutabant hæc nomina Prouinciarum, & cognomina Auctorum, vt multiplicatio eorum creſceret ex diminutione veritatis. De ipſo agunt omnes Nomenclatores, vtpotè de celebri Scriptore; inter alia edidit tomos duos Sermonum, inſcriptos ex proprio nomine vnum Ior, & alterum Dan, liber dictus Ior, eſt de Tempore, & fuit excuſſus Argentinæ anno 1483. in 4. & incipit Prologus: *Iordanis ripas ſui tempore*, opus verò: *Erunt ſigna in Sole, &c.* In hoc opere habet Iordanus duos Sermones de prima Dominica Aduentus, & primus incipit: *Verba iſta licèt, &c.* Et antè iſtum Sermonem habet Poſtillam, & Sermonem ſuper Euangelium Miſſus eſt, Poſtilla incipit: *Quia nec lex, nec ius, &c.* Et hæc de illo primo tomo Sermonum. Secundus dictus Dan, de Sanctis, fuit impreſſus Pariſiis anno 1521. etiam in 4. recognitus per R. P. Fr. Petrum de Montmartre Cluniacenſem, & habet Sermones duos de Conceptione, primus in ordine 10. incipit: *Præcurre prior in domum.* Secūdus incipit: *Lauda, & lætare Sion.* Habet etiam Sermones quatuor de Annuntiatione Virginis, & primus incipit: *Hæc dies boni nuntij*, à folio 96. & de Natiuitate eiuſdem Virginis 7. à folio 255. quorum primus incipit: *Sapientia ædificauit.* His ergo ſtatutis ſecundùm rei veritatē, Aduerſarii hunc Iordanum multiplicarunt ſic. Primo ſub nomine Ioannis de Gallicis, Ordinis Prædicatorum, in Sermonibus 1. & 2. Aduentus, vt videre eſt num. 171. Secundo, ſub nomine Ioannis Gallici, Eremitę S. Auguſtini, in Sermonibus Natiuitatis, & Annuntiationis, vt vidimus num. 172. Tertio, ſub nomine Ioannis Gallici, Ordinis Minorum, in eiſdem ſermonibus Annuntiationis, & Natiuitatis, de quo numer. 174. Quarto, ſub nomine Ioannis Theutonici, Ordinis S. Auguſtini, in 2. ſermone de Conceptione, vel Natiuitatis, qui incipit: *Lauda, & lætare*, & in Poſtilla ſuper Miſſus eſt, vt viſum eſt ſuprà num. 191. Quinto, & tandem hic, ſub proprio nomine Iordanis Theutonici, in ſermone 1. & 2. de Conceptione, & in ſerm. 2. Dominicæ Aduentus. Vide ergo, ô Lector! quot, & quantos Ioannes baptizarunt in vno Iordane, non contra peccatum originale, ſed pro ipſo. Et ad vmbram iſtius, qui etiam ſcripſit quæſtiones ſuper Sententias, multiplicarunt (vt credo) Ioannem Diuchot de Saxonia, de quo num. 168. Ioan. Gallicum Pariſienſem, numer. 175. Ioan. Pariſienſem, num. 183. Ioan. Sernigatium, num. 189. Ioan. Stringarium, numer. 190. atque Ioan. Cliu Kot, Saxonem, ſæculārē, de quo numer. 165. & ſic eſſent vndecim multiplicationes, ſeu diuiſiones huius Iordanis, quæ in mari rubro repertæ fuerunt.

Primam huius auctoritatem ſic adducit Turrecremata: Item ad idem eſt eiuſdem Ordinis P. M. Iordanus Theutonicus, qui in primo ſermone de Conceptione B. Virginis, vbi diſtincta quadruplici conceptione dicit: *Quòd intentio celebrantium hoc feſtum, non debet referri ad conceptionem ſeminis, quia illa fuit fœda, nec ad conceptionem hominis, quia peccatum cōtraxit, ſecundùm Sanctos Doctores. Hæc ille.* Vt ergo ex hac vna auctoritate colligas, quale fuerit genium Bandēlli, nota, quòd ex his Turrecrematæ verbis, Bandellus finxit ſequentia: Idem tenet eiuſdem Ordinis M. Iordanus Theutonicus in 2. ſermone de Conceptione, ſic dicens: *Beata Virgo per breuiſsimum tempus, ſecundùm cōmunem opinionem Doctorum, fuit ſub peccato originali, ideò intentio celebrantium feſtum Conceptionis, non debet referri ad conceptionem ſeminis, quia illa fuit fœda, nec ad conceptionem hominis, quando anima eius fuit corpori infuſa, quia tunc originale peccatum contraxit, ſecundū Sanctos Doctores; ſed debet referri ad Conceptionem gratiæ, quæ fuit ſibi infuſa poſt animationem.* Hucuſque Bandellus, qui, vt exiſtimo, & ex eius ficta auctoritate colligitur, non vidit Iordanum, ſed ex ſuprà poſitis verbis Turrecrematæ, hanc finxit chimeram: nam illa non extant, in Sermone 2. vt ipſe dicit, ſed in primo, vt Turrecremata, & verba ferè omnia adducit vitiata, & adulterata; nam Iordani ſic ſe habent: *Propter quod ſciendum, quòd eſt quadruplex Conceptio B. Virgini. Prima eſt æterna, de qua dicitur Prouerb. 8. Nec dum erant abyſsi, & ego iam concepta eram. Sed de hac nihil ad præſens. Aliæ tres ſunt temporales, ſcilicèt, ſeminis, hominis, & flaminis. In prima harum, nec contrahitur culpa, nec infunditur gratia, quia illa maſſa erat inanimata, ſola autem anima eſt capax culpæ, & gratiæ: In ſecunda contrahitur originale, ſcilicèt in infuſione animæ, licèt enim in illa maſſa non ſit culpa, vt dictum eſt, nec anima in ſe non ſit maculoſa, quia creatur pura, & immaculata, eſt tamen in illa maſſa quædam morbida infectio, propter quam mox vt infunditur anima, contrahit originale. Sicut ponitur familiare exemplum in lapide calcis, qui cùm ſit formalitèr calidus, ſi tamen perfunditur aqua, quæ ſecundùm ſe etiam frigida eſt, reſultat tunc ibi calor, propter diſpoſitionem præexiſtentem in lapide. Sic hic: In tertia Conceptione infunditur gratia habitualis, quando videlicèt aliquis in vtero ſanctificatur. Ad hanc Conceptionem Virginis referri debet intentio hoc feſtum celebrantis, non ad primam, quæ fœda eſt, neque ad ſecundam, quia in illa contraxit originale, ſecundùm Doctores Sanctos, licèt aliqui ob deuotionem Virginis hoc nitantur negare. Vndè ſi in iſta Conceptione contraxit originale, tamen ſtatim, & ſi fortè non in primo inſtanti, proter naturæ repugnantiam, cùm iſta ſubitò ſit naturaliter*

tè impossibile, fuit purgata, & sanctificata. Hęc Iordanus.

Ex quibus tria præcipuè colligo. Primum, Turrecrematam fideliter retuliſſe Iordanum; Badellum autem peſsimè, fingendo auctoritatem ex proprio cerebro, & illam compaginando ſolùm ex verbis Turrecrematæ, non videndo, neque legendo Iordanum, nam primam clauſulam: *Beata Virgo per breuiſsimum tempus, ſecundùm communem opinionem Doctorũ*, deſumpſit ex alia auctoritate Turrecrematæ, de qua infrà, & hoc non legaliter; in ſecunda verò clauſula addidit, vitiauit, & adulterauit octo principalia verba, vt intuenti patebit. Secundum quod deducitur ex auctoritate Iordani, eſt, quòd ipſe loquitur non abſolutè, ſed opinatiuè, & conditionalitèr, vt patet ex illis verbis: *Vndè ſi in iſta Conceptione, &c.* Et illis: *Et ſi fortè non in primo.* Aduerſarii tamen cum ſufficientiſsimo fundamento ipſum adducunt pro ſua ſententia. Tertium eſt, quòd ex his Iordani verbis colligitur euidenter illa vniuerſalis antiquorum æqui uocatio de qua ſæpè locuti ſumus circa celebrationem feſtiuitatis Conceptionis, ſcilicèt, quòd multi opinabantur tunc celebrari Conceptionem primam ſeminis, quæ fœda fuit; vt patet ex ſuprà relatis verbis Iordani, ſed præcipuè ex ſequentibus, vbi ſic dicit: *Igitur in primo ordine ad iſtam ſpiritualem Conceptionem celebratur hoc feſtum Sanctificationis, vel Conceptionis, & iſta ſanctificatio ſancta non eſt facta iſtâ die, quia ſolùm fuit conceptio ſeminis, ſed hinc vſque ad triginta quinque dies, quia circa tale tẽpus fœtus fœminæ ſecundùm Philoſophos, & Phyſicos in vtero animatur, &c.* Igitur quando antiqui dicebant abſolutè, & ſimplicitèr feſtum Conceptionis non eſt celebrandum, quia illa conceptio fuit fœda, in peccatis, &c. loquebantur de prima conceptione ſeminis, facta die 8. Decembris, & in hac rudi acceptione verè dicebant, licèt non vera.

Secundam auctoritatem ſic adducit Turrecremata: Et in Sermone 2. Dominicæ Aduentus, ſub themate: Erunt ſigna in Sole, &c. dicit ſic: *Et ſi inſletur de Beata Virgine, quòd ipſa etiã nunquam declinauit à rectitudine, quantum ad vtramque rationem. Ad hoc dicendum eſt, quòd iſta non fuit ſine originali, ſaltem per breuiſsimum momentum, ſecundùm communiorem opinionem omnium Doctorum. Hæc ille.* Hæc auctoritas eſt in Iordano, non in Serm. 2. Dominicæ Aduentus, ſed in Poſtilla primæ Dominicæ, fol. 6. col. 2. quæ ſic ſe habet: *Per Epyciclum autem intellige peccatum, quo à cæleſti Patria retrogradationem patimur, ſolus autem Chriſtus fuit ſine peccato; & ſi inſletur de Beata Virgine, dicendum, quòd ipſa non fuit ſine originali, ſaltem per breuiſsimum momentum, ſecundùm communem opinionem.* Hanc auctoritatem non adduxit Bandellus, tùm, quia in auctoritate antecedenti illã inſeruit, tũ quia ſub illa finxit alĩ Auctorem, Ioannem de Gallicis, Ordinis Prædicatorum, de quo egimus num. 171. Et ſic Bandellus diuiſit Iordanem, ſicut ſi eſſet Nilus, in ſeptem diſtinctos Auctores, contra mare, id eſt, Mariam.

ISIDORVS Hiſpalenſis, Beatus, in primo libro Sententiarum ſuarum, capit. 12. & 14. & in quodam Serm. Natiuitat. Domini. *Anonym. Auctore 23. Bandell. cap. 16. Deza, fol. 25. Vincent. Gryſal. Capreol. Caſtellanus. Soncin. & Spina, par. 6. cap. 2.*

VERITAS 199.

AVCTOR, Atque eius opera notiſsima ſunt, excuſſa Coloniæ 1580. in 8. & Pariſiis 1580. in fol. Taurini 1593. in 4. Et Matriti ann. 1599. iuſſu Philippi II. Hiſpaniarum Regis. Auctoritates eius ſic adducunt Aduerſarii. Primam: Idem tenet B. Iſidorus, Epiſcopus Hiſpalenſis, qui floruit in Hiſpania in ſanctitate, & ſcientia antè præfatos Doctores, videlicèt anno Domini 614. in 1. lib. Sentent. ſuarum, cap. 12. & 14. vbi ſic dicit: *Ex primo enim homine eſt in omnes filios eius culpa propagata. Sicut enim ex prima præuaricatione, per illum mors, ita & peccatum in omnes homines originalitèr tranſit.* Sanctus autem Iſidorus in prælegato libro, non cap. 12. ſed 11. part. 2. fol. mihi 12. loquens de homine, atque eius affectionibus, diuiſione, pugna, atque eius inſtabilitate, ſeu mutabilitate, inquit: *Diuiſio, & pugna, vt ſit in hominis animo, pœna peccati eſt, ex primo homine in omnes eius filios propagata; vt qui noluit cũ Deo eſſe vnitus, eſſet in ſemetipſo diuiſus, &c.* Et poſt aliqua de hominis inſtabilitate, & mutabilitate, ſic concludit: *Quã-viſe ad cõ mutabilitas non ſit homini cõ creata, ſed promerito primæ præuaricationis illi acceſſerit, tã tamẽ naturalis facta eſt, quia originalitèr à primo homine, ſicut & mors, in omnes homines tranſiit.* Ex his duabus auctoritatibus ſuprapoſitã finxerunt Aduerſarii, vt legenti patebit, & quòd Iſidorus dixit de diuiſione, pugna, & inſtabilitate hominis, ipſi ablatis omnibus his dictionibus, & loco illarum apponendo voces illas, culpa, & peccatum, adulterarunt totum textum Iſidori, ſolùm vt macularent Dei Matrem. O Sacratiſsima, pura, ac Sancta Maria! ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes.

Secundam auctoritatem ſic adducunt: Et poſt pauca: *Chriſtus*, inquit, *in forma ſerui, Dominus eſt omnium hominum, propter ſuæ Conceptionis excellentiam, quia & ſi ſuſcepit carnẽ, non tamen ex carnis libidinoſa contagione. Dum enim*

enim iaceremus omnes ſub reatu culpæ, venit medicus, & vulnus noſtrum patefecit, atque curauit. Hæc ille. Verba autem S. Iſidori ſic ſe habēt capit. 14. fol. etiā 14. col. 2. *Chriſtus & in forma ſerui, ſeruus, & in forma ſerui non ſeruus. In forma quippe ſerui, Domini ſeruus: in forma ſerui omnium Dominus. Chriſtus in forma ſerui, propter Conceptionis excellentiam, Dominus eſt omnium: quia & ſi ſuſcepit carnem, non tamen ex carnis libidinoſa contagione.* Et poſt triginta nouem lineas, ſic proſequitur: *Prima Dei dona eſſe, quibus nos nobis reos eſſe oſtendit, qui dum iaceremus ſub reatu culpæ, iuſtos nos eſſe credebamus. Venit medicus, patefecit vulnus, compoſuit ſemetipſum, & de ſua morte nobis medicinam aptauit, vt non eſſet oſtenſor tantum vulneris, ſed & ſanator.* Ex his etiam duabus auctoritatibus, adeo inter ſe ſeparatis, ſuam compoſuerūt Aduerſarii, & non quomodocumque, ſed vitiando omnia, & adulterando ſingula, quoad litteram, & quoad ſenſum. Nam in primis verbis probat Iſidorus excellentiam Chriſti ex vi, & modo ſuæ generationis; licèt enim per aſſumptionem carnis videretur ſeruus effectus, ex modo tamen aſſumendi illam, ſe eſſe Dominum oſtendit; quia ſi ſuſcepit carnem, non tamen ex libidinoſa contagione, quia ſine libidine fuit genitus. Et ſic ex præallegatis ſolùm poterant, Aduerſarii, probare, quod Maria ex libidinoſa contagione fuerit genita. Sed quis hoc negat? cùm fuerit concepta per viri, & fœminæ coitum. In ſecunda auctoritate, probat Iſidorus, Chriſtum veniſſe ad detegenda peccata noſtra, & nos eſſe reos, non iuſtos oſtenderet. At ex his quomodo deducitur, Virginem cōtraxiſſe originale peccatum? Et ipſi nihil horum intellexerunt: Erāt enim grauati oculi eorum; quia ſemper ſumunt libidinoſum contagium generationis pro peccato originali, cùm vnum ſit in carne, alterum in anima, primum in carne parentum, & ſecundùm in anima prolis, vnum eſt cauſa, & alterum effectus.

Tertiam ſic adducunt: Item idem vbi ſuprà: *Chriſtus*, inquit, *peccatum, quòd pœna dignū eſt, non aſſumpſit, ſed pœnam peccati noſtri in ſe ſuſcepit: vt per indebitam pœnam ſuam ablueret debitam culpam noſtram. Et per hoc diabolus amitteret, quos reos tenebat, dum vnum occideret, qui nihil in ſe peccati haberet. Nam ſi innoxius Chriſtus non occideretur, homo per præuaricationem diabolo ſubditus, non abſolueretur. Hæc ille.* Verba autem Iſidori ibidèm folio 15. col. 2. talia ſunt: *Chriſtus, ſicut peccatum, quod pœna dignum eſt, non admiſit, ita pœnam peccati noſtri ſuſcepit. Vt per indebitam pœnam ſuam debitam aboleret culpam noſtrā, vt per hoc amitteret diabolus, quos reos tenebat, dum vnum interfecit, qui nihil peccati admiſerat. Ideòque, quos quaſi iuſtè tenuit amiſit, quia iniuſtè Redemptorem noſtrum occidit.* Nota, Lector, adulterationes litteræ: nam primo, comparatiuam fecerunt abſolutam, relinquentes illud, *ſicut*. Secundo, vbi Iſidorus, *admittit*; illi tranſtulerunt, *aſſumpſit*; eſt enim magna differentia, quia admittere, reſpicit peccatum actuale, hoc enim admittimus, aſſumpſit vero reſpicit originale. Tertio, vbi Iſidorus, *ita pœnam peccati noſtri ſuſcepit*, ipſi addiderunt illud, *in ſe*. Quarto, vbi Iſidorus, *peccati admiſerat*; ipſi legunt, peccati *haberet*. Vt ſic continuarent introductam chimeram de peccato originali. Quinto, finxerunt ferè totam vltimā clauſulam, *ſi innoxius Chriſtus, &c.* vt ſic totam corrumperent verbo illo, *innoxius*. Sexto, quoad ſenſum totus Iſidorus eſt adulteratus: nam ſolum loquitur de Chriſti innocentiſſima morte, & diaboli mala itia, qui mendax fuit ab initio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula.

Quartam denique auctoritatem, ſic adducūt: Item idem in quodam ſer. Natiuitatis Domini, qui incipit: Natalis dies: *Quia*, inquit, *primus parens cecidit, & in omnem poſteritatem ſuā pectati radicem transfudit, ideo Dei Filius aſſumpſit humanam naturam ſine peccato, ſuſcipiens quod non erat, vt liberaret quod fecerat. Hæc ille.* Sermo iſte non extat in operibus Iſidori, extat tamen in Homiliario Alcuini antiquo, impreſſo Lugduni 1529. fol. 15. & in nouiſſima Biblioth. Concionator. Pariſien. tom. 1. folio 232. & in nouiſſimo impreſſo Coloniæ 1576. folio 67. Et in 1. tomo Homiliarum, fol. 185. & manuſcriptus in Bibliotheca Regia Scorialis IV. f. 15. Quidam ſermo de Natali Chriſti, ſub nomine S. Iſidori, qui incipit: *Natalis Domini dies ea de cauſa à Patribus votiua ſolemnitate inſtitutū eſt, quia in eo Chriſtus pro redēptione mūdi naſci corporaliter voluit, prodiens ex Virginis vtero, qui erat in Patris imperio, cuius ſuſceptæ carnis cauſa hæc eſt.* (Nota, Lector, quia incipit auctoritas ab Aduerſariis adducta) *Poſtquā enim inuidia diaboli, parens ille primus ſeductus vaniter cecidit, confeſtim exul, & perditus, in omne genere ſuo radicem malitiæ, & peccati traduxit, creſcebatque in malum vehementiùs omne genus humanum; diffuſis vbique ſceleribus, & quod eſt nequius, omnium cultibus idolorum. Volens ergo Deus terminare peccatum, conſuluit verbo, lege, prophetis, ſignis, plagis, prodigijs. Sed cùm nec ſic quidèm errores ſuos admonitus agnoſceret mundus, miſit Deus vnigenitum Filium ſuum, &c.* Pudet in his tempus terere; vide, & nota, o Lector! amore Dei, in qua auctoritate continetur expreſsè, & nominatim hæc propoſitio: Virgo Maria contraxit peccatum originale? vel qua intentione potuerunt adducere S. Iſidorum?

ISIDO-

ISIDORVS Mediolanenſis, Ordinis Prædicatorum, in Additionibus Capreoli, à Paulo Soncinate abbreuiatis. *Ita Paul. Gryſald. Alphab. 5.*

VERITAS 200.

PRO Hoc Auctore notare debes, Lector, quòd Ioannes Capreolus, Ordinis Prædicatorum, edidit Commentaria ſuper quatuor libros Sententiarum, vt dixi in Trituratione num. XI. in quibus, in 3. diſtinct. 3. expreſsè renet, Virginem fuiſſe conceptam in originali peccato. Hoc ergo opus in Copendium reducere, ſeu abbreuiare conatus eſt Paulus Soncinas, eiuſdem Ordinis; ſed antequā peruenirет ad 3. Sentent. diſt. 3. è vita deceſsit: ideò quidam eiuſdem Ordinis Pater, dictus Iſidorus de Iſolanis, Mediolanēſis, doctus, & pius Scriptor, proſecutus eſt illud Capreoli Compēdiū, inceptum à Soncinate ab illa diſt. 3. lib. 3. vt dicitur in ipſiſmet libris impreſsis Papiæ anno 1522. in 8. & Lugduni 1580. & 1584. & Salmanticæ eodem anno. Fuit ergo in rei veritate Iſidorus de Iſolanis, quantum ad quæſtionem de Sanctificatione Virginis in vtero materno, abbreuiator Capreoli, non Soncinas. Et hac de cauſa Gryſaldus adducit Iſidorum pro ſua ſententia nullam adducendo auctoritatem, cum veritate quidèm; nam ibi dicitur pro concluſione, Virginem fuiſſe conceptam cum peccato originali. Quod probatur quatuor auctoritatibus Auguſtini, Ambroſii, Leonis, & Gregorii. Deindè aliorum quadraginta Doctorum, vt diximus in Triturat. num. XI. & XXVI. ſed exiſtimo, quòd Auctor adducatur abſque ſufficienti fundamento, & ratio eſt:

Quia licèt in illo Compendio dicatur clarè, & expreſsè, Virginem Mariam contraxiſſe originale peccatum, cùm officium Abbreuiatoris, ſeu reducentis ad epitomem aliquod opus, ſit fidelitèr epitomare, ſeu abbreuiare concluſiones, ac reſolutiones præcipuas, ac principales nulla mutata ſyllaba, ſi fieri poteſt in littera, nec in minimo mutata intentione, ac fine illius Magiſtri, anteſignani, & primi Scriptoris; nō ex indè ſequitur Abbreuiatorem tenuiſſe eandem ſententiam, & in omnibus, & per omnia iuraſſe in verbo Magiſtri, aliàs ſequerentur infinita abſurda, nam in hoc diſtinguitur Scriptor ab Abbreuiatore, vel traductore: nam ille eſt aſſertor, iſte verò ſolùm relator, primus loquitur à ſe, & ex ſe, ſecundus autem nec ex ſe, neque à ſe, ſed ab alio; prætermiſsis ergo quam plurimis exēplis, pro hac veritate confirmanda, ſolùm in medium profero tria, iuxta ſubiectam materiam, pro hìc, & nunc.

Primum ſit: Quod Ludouicus à Caruo Officiarius, Theologus Peruſinus, in omnibus ſuis libris, eſt accerrimus defenſor myſterii immaculatæ Conceptionis, vt latè demonſtratur in noſtra Militia, & tamen in ſuo Compendio Theologiæ S. Thomæ Aquinatis, impreſſo Venetiis anno 1587. in 4. folio 777. & Coloniæ 1608. etiam in 4. fol. 779. tranſcribit ita litteraliter verba S. Thomæ, circa Virginis ſanctificationem, ac ſi ipſe in hac opinione eſſet exactiſsimus Thomiſta. Secundum exemplum ſit: Nam P. Petrus de Alagona, Societatis Ieſu, edidit aliud Compendium Summæ S. Thomæ, impreſſo Romæ anno 1616. in 12. Regali, & fol. 577. tractat quæſtionem de ſanctificatione Virginis, eiſdem formaliſsimis verbis, & reſolutionibus, ac S. Thomas, tam exactè, ac fideliter, ſicut poterat Turrecremata, Bandellus, aut Vincentia, vel quilibet alius merus Thomiſta, & tamen Alagona in aliis ſuis operibus fatetur millies, Virginem Mariam fuiſſe à peccato originali præſeruatam, ſicut omnes ſuæ Religionis Scriptores. Tertium ſit irrefragabile: quia ex veſtris Sylueſter Pierius, de quo egimus in Trituratione num. XXX. in conflatu Angelici Doctoris, impreſ. Peruſiæ anno 1519. in folio, quæſt. 25. de Potentia Dei, art. 15. fol. 196. à tergo, hæc habet: Sic inquit S. Doctor, ad 3. *Nam ſecundùm Anſelmum, decuit, vt Virgo, quam Deus vnigenito Filio ſuo præparauit in Matrem; ea puritate niteret, qua maior ſub Deo nequit intelligi, ſed nihil poteſt Deus facere, quod ſibi in bonitate, vel puritate æquetur: ergo videtur, quòd nihil melius B. Virgine facere poſsit. Solutio, Puritas intenditur per receſſum à contrario, & ideò poteſt aliquid creatum inueniri, quo nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis, ſi nulla contagione peccati ſit, & talis fuerat puritas B. Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit: fuit tamen in Deo in quantum erat in ea potentia ad peccandum.* Tranſcripſit fideliter, nec ideò iſte mutauit ſententiam ſuam. Ergo nec rectè colligitur; Iſidorus de Iſolanis Mediolanenſis, abbreuiauit Capreolum; ergo fuit eiuſdem ſententiæ: niſi aliàs ex alio opere id colligeretur, vel ex aliqua annotatione ſuperaddita, vt fecerunt Ioannes de Combis, Ordinis Minorum, in Compendio Theologiæ, & Franciſcus Vvilier, in Cōpendio Ioannis Coraldi, vel S. Bonauenturæ, qui addiderunt ſuas notatiunculas ad expreſsionē ſuæ ſententiæ. Propter hāc veritatem detegendam, vidi, & legi quam plura opera huius Iſidori de Iſolanis, vt librum de excellentia S. Ioſephi, vitam B. Veronicæ, & alia ſimilia, in quibus nec contra immaculatā Conceptionem inuenire potui verbum. Hæc eſt veritas; nunc iudicet Lector, quid dicendum ſit de hoc Doctore: nam ego ſemper dicerem, quòd Scriptores Ordinis Prædicatorum, nihil expreſsè dicentes contra, abſolutè eſſe pro nobis; quia tacebant propter metum, &c.

KA-

KATHERINA Senenſis, ſiue Catharina, ex Tertio Ordine S.P.N.Dominici, in quadam Reuelatione. *Anonym. vita 3. rat. 9. Auctore 46. Bandel. cap. 23. Dezafol. 38. in Additione. Vincent. & Gryſal. atque S. Antonin.*

VERITAS 201.

AMANTISSIME Lector, qualiſcumque fueris, hic attentum, & ab omni paſsione nudum te deſidero habere. Quia ſi hucuſque vnam, iam duplicem defendit veritas innocentiam, & pro Virginis virginum Mariæ gloria, atque pro virginis Catharinæ, ſiue Katherinæ, vt ſcribunt Aduerſarii, honore cæpit triturare, ac ventilare paleas, & ab ariſtis granum purum ſeparare. Fuit igitur Beata, ac inclyta Catharina ex ciuitate Senenſi, Tertii Ordinis de Pœnitentia S.P. N.Dominici, nata anno 1347. ex Iacobo Benincaſa, & Lapa matre, & anno 1370. cæpit coruſcare miraculis, vitæ ſanctitate, necnon dono prophetiæ, & obiit Romæ anno 1380. tertio Kalendas Mai, ætatis ſuæ 33. anno verò 1461. à Pio II. Pontifice Maximo, Diu. Virginũ Cathalogo fuit adſcripta. Scripſit 364. Epiſtolas ad diuerſos, quæ vno magno volumine in fol. fuerunt excuſiæ Venetiis per Alanum Manutium, anno 1506. & 1562. Latinè, atque Italicè 1624. necnon etiam Hiſpanicè. Item anno 1496. prodiit Brixiæ libellus ſub hoc titulo: *Dialogus Seraphicæ, ac Diuæ Catharinæ de Senis, cum nonnullis alijs orationibus, &c.* characteribus antiquis, & abſque foliatione in 8. Dialogi ſunt ſex, & habet capita 167. Deindè ſequuntur orationes, quæ ſunt 22. De Dialogorum libro, atque Epiſtolis, loquitur S. Antoninus, in vita S. Catharinæ, part. 3. Hiſtor. titul. 24. §. 17. folio 714. affirmans, quòd illum dictauit, quando erat in mentis exceſſu, & alienata à ſenſibus corporeis, & concludit: *Et in illa extaſi totum librum illum dictauit, qui adhuc reperitur.* Cùm ergo in his Dialogis, neque in Epiſtolis, aliqua ſit reuelatio, multò minus in orationibus, & quod plus eſt, nec vnum verbum habens ſimilitudinem Reuelationis, verbi gratia Dixit Chriſtus, audiui ab Angelo, fui in ſpiritu, audiui vocem, ſenſi in interiori, cognoui in Deo, vel aliud iis ſimile, vt ſunt in S. Brigitta, S. Eliſabetha virgine, S. Methildi. S. Hildegardi, Catharina Riccio, B. Angela de Fulgino, B. Monica, S. Getrudi, atque venerabili Maria de la Antigua, Maria Magdalena de la Paz, Anna à Ieſu, Eliſabeth de Caruajal, Magdalena Brudeſich, B. Oſana, Ioanna Guillien, Roſa Viterbieſi, atque B. Ioanna de Cruce, quarum vitas, reuelationes, & opera vidimus, ac legimus. Sed omnes iſtæ S. Catharinæ orationes ſunt exhortationes ad virtutem, & ſolùm in principio illius libelli de orationibus dicitur, doctrinam contentam in ipſis, cum eſſet Catharina in extaſi, propoſuiſſe ſuis auditoribus, quod dixit S. Antoninus de Dialogis. Scias denique, vitam illius Sanctæ fuiſſe ſcriptam ab eius Confeſſario Raymundo Capuano, eiuſdem Ordinis, viro doctrina, ac ſanctitate conſpicuo, qui fuit Generalis 23. ſuæ Religionis ad annum 1380. & mortuus eſt Nurembergæ in Germania, anno 1399. & iterum anno 1430. à Fr. Thoma Anton. de Senis, à quibus Laurentius Surius, & alii, Et hæc ſufficiant de Sancta, ac eius operibus. Nam alia infrà dicentur.

Notandum etiam, quòd Sanctus Antoninus Florentinus, in Summa ſua, part. 1. titulo 8. agens de cauſa peccati originalis, & eius pœna, capite 2. tractans quæſtionem: Vtrùm Virgo Maria fuerit concepta in peccato originali, ad finem quæſtionis inquit: *Ad illud de Reuelatione, & de viſione Bernardi, &c. Dicit Ioannes de Neapoli, quòd ſunt viſiones fantaſticæ, quod non eſt credendum. Et ſi dicitur alias Sanctas habuiſſe Reuelationem de huiuſmodi, vt Sancta Brigitta. Sciendum, quòd aliæ Sanctæ, quæ claruerunt miraculis, vt Beata Catharina de Senis, habuit Reuelationem de contrario, & cùm etiam veri Prophetæ aliquando putent ſe ex reuelatione Spiritus Sancti aliqua habere, quæ ex ſe dicunt, non eſt inconueniens dicere, quòd tales reuelationes non fuerunt à Deo, ſed ſomnia humana, &c* In quibus verbis videtur, Sanctum Antoninum ſumpſiſſe notitiam Reuelationis Sãctæ Catharinæ à Ioanne de Neapoli. Nota hoc, Lector, nam ab iſtis verbis Sancti Antonini manifeſtabitur huius Reuelationis veritas, & principium. Item nota illud: *Sciendum, quòd aliæ Sanctæ, quæ claruerunt miraculis, vt Beata Catharina de Senis habuit Reuelationem de contrario, &c.* Si *aliæ Sanctæ*, in plurali, quomodo non numerat niſi vnam in ſingulari? Vellem ſcire, quæ, vel quales fuerunt illæ Sanctæ, quæ claruerunt miraculis, & habuerunt illas reuelationes de Conceptione Beatæ Virginis in peccato originali? Quia hucuſque ſolùm de Sancta Catharina dicitur, & de nulla alia, nec dicitur, nec legitur; nec ipſi Patres Dominicani aliquando de tali Reuelatione aliarum Sanctarum mulierum mentionem vllam faciunt; & ſi Sãcta Catharina habuit illam tenebatur oſtendere quando, vbi, & quo tempore? Nihil horum exprimit, ſed ſolùm allegat Ioannem de Neapoli, qui ſcripſit per 30. annos ante natiuitatem eiuſdem Sanctæ Catharinæ, de quo infrà. In 3. verò par. ſuæ Hiſtoriæ, iterũ redit S. Antoninus ad eandem reuelationẽ, tit. 24. cap. 11. §. 3. folio 797. dicens, de S. Brigitta: *Hæc compoſuit libros Reuelationum multos de*

diuersis mysterijs sibi reuelatis, ipsa reuelationem (vt asserit) habuit, Virginem Mariam fuisse conceptam sine originali peccato, & B. Catharina de Senis, non, vt creditur, minoris sanctitatis, licèt non canonizata, habuit reuelationem in contrarium. Et cùm spiritus Prophetarum non sit contrarius, quia vnus, & idem est, nec sibi contrarius, dicere oportet, quòd vna earum, habuit Reuelationem à Deo propheticam, altera verò somnium in fantasia secundùm affectum suum, &c. Hæc sunt S. Antonini verba, sed antequam vltra progrediamur, examinemus ipsa.

Ex his duabus oppositis Reuelationibus S. Brigittæ, ac S. Catharinæ, secundùm S. Antoninum, & secundùm sanctam veritatem, vna est, vel fuit reuelatio vera à Deo, atque Prophetica; altera verò somnium humanum, atque fantasticum, secundùm affectum, non secundùm veritatem: tunc sic deduco has consequentias. S. Brigitę non fuit secundùm affectum suum; non enim fuit ex Ordine Minorum, S. Catharina fuit ex Ordine Prædicatorum: ergo hæc fuit secundùm affectum suum? Item ex S. Brigittæ reuelationibus nulla fuit somnium, quia omnes, post exactissimam inquisitionem, & examen à multis Cardinalibus, & doctissimis viris fuerunt approbatæ à Sede Apostolica: ergo illa de Conceptione immaculata non fuit somnium; quia Ecclesia nec dormitat, nec somniat. S. Catharina in omnibus illis libris, nullam habet reuelationem magnam, vel paruam: ergo hæc de maculata Conceptione Virginis est somnium? Item S. Brigitta habet librum integrum Reuelationū, & in illo Reuelationum libro, non semel, sed quinquies dicit expressis, ac clarissimis verbis sibi fuisse reuelatum, assignans, quomodo, & quando, à quo, & quibus verbis: ergo hæc fuit vera reuelatio. S. Catharina nullam habet Reuelationē, visam, vel nō visam à Cardinalibus, vel non Cardinalibus, approbatā, vel non approbatā ab Ecclesia, vel non Ecclesia, sed solùm illam suarum orationum, & in illo libro orationum, nec hanc de Conceptione maculata habet sub titulo Reuelationis, sicut nec vllam aliam: ergo hæc non est reuelatio, sed ad summum fortè fuit oratio pro habenda aliqua Reuelatione? Sanctæ Brigitæ verba fuerunt ab Ecclesia recepta, & sunt ab omnibus fidelibus deuotè, & fidelitèr, audita, & venerata, atque amplexata: ergo sunt ex Deo: quia qui est ex Deo, verba Dei audit, & è contra, qui audit verba Dei, ex Deo est. At Sanctæ Catharinæ verba nec audiuntur, nec recipiuntur, & ferè omnes hucusque ignorarunt, vbi illa sint: ergo sunt fantastica? Quòd autem Sanctæ Brigittæ fuerit Reuelatio diuina ex omnibus illis, quæ in eius vita, & opere Reuelationum passim dicuntur, penè euidenter comprobatur, sicut etiam videtur constare illam Sanctæ Catharinæ non fuisse Reuelationem, nec saltem verba Sanctæ Catharinæ, sed quædam fictio, humana inuentione excogitata, & addita in orationibus eius, quod sic ex ipsis generaliter, antequam ad particularia descendamus, demonstrare intendimus.

Primò ex Nicolao Lancitio tomo 2. suorum Opusculorum, opusculo 11. de praxi Diuinæ præsentiæ, &c. capit. 13. de multiplici adoratione, & cultu B. Virginis Mariæ, folio 49. vbi sic inquit: *Quoniam verò citatur pro contraria sententia quædam reuelatio Sanctæ Catharinæ Senensis, sciendum est (quòd etiam alij Theologi ante me dixerunt) nullam tamen eius Reuelationem reperiri. Addo ego, me Romæ inuenisse ante annos circiter quindecim impressas Reuelationes Sanctæ Catharinæ anno 1504. Venetijs per Lazarum de Soardi, hoc est, ante annos 139. quia hæc ad annum 1645. & quidem impressas antiqua illa lingua Italica, in multis discrepante (quoad dialectos, vt ita dicam) non in sensu ipso à moderna: & his me legisse continuatè illas Reuelationes cum accurata attentione, & excerpisse ex illis multa pro confirmandis, & illustrandis meis monitis spiritualibus, quæ tradidi, & trado in meis Opusculis, nullam tamen prorsus inuenisse talem Reuelationem, quæ etiam in speciem, & indirectè indicet Santißimam Dei Matrem esse in originali peccato conceptam, aut vlla macula in sui Conceptione coinquinatam. Additamentum ergo est aliquorum, qui vt fidem conciliarent suæ sententiæ, hoc Sanctæ Catharinæ Senensi adscripserunt, &c.* Et deindè loquitur de oratione, de quibus nos infrà, constat ergo ex hac partè, quòd talis reuelatio non extat.

Secundo probatur, ex dictis vestri doctissimi Ambrosii Catharini in 2. tractatu de Conception. ad Fratr. sui Ordinis, in expugnatione vltimæ Aciei, folio 34. à tergo, vbi posito, quòd nullus antiquus de tali Reuelatione mentionē facit, sic prosequitur: *At verò miraculum esset si nostri hanc rē prætermisissent ad fulciēdam opinionem suā, qui, & quæ sunt, & quæ non sunt, vndique excauarunt, & collegerunt ad hoc ipsum. Sed scio, vndè hic rumor obortus est. Inuenitur in calce cuiusdam orationis, quæ hic Sanctæ tribuitur, hæc opinio non quasi reuelata, sed tāquam in oratione simpliciter dicta, vbi etiā adiecta est ratio, quædam, perindè ac si cum Aduersario quopiam disputaret, aut quasi persuadere Domino Deo vellet, ad eam probandam opinionem. Vidi etiam (nisi me fallit memoria) diuersos codices super hoc variè habentes. Quare merito mihi incessit suspicio, quòd zelator quidam paternarum traditionum caudam illam orationis malè superioribus coherentē, & varie etiā in varijs libris se habentē, si rectè memini, cōtuliſſe de suo, quòd & indicat friuolæ illius, & satis iam confuta-*

futatæ rationis adiectio. Credo enim, vt haberent nostri, quòd contra B. Brigittæ reuelationes afferrent, vt eas saltem hac via obscurarent, interim eiusmodi confictæ opposuerunt, & vt proprium est famæ, quæ semper vires acquirit eundo addiderunt, quod tamen nusquam legitur ex eius ore testatum, quod ipsa similiter habuit ex reuelatione: quibus parcat Deus. Hæc dixit ille ex eadem Religione Dominicana ex eadem Ciuitate Senensi, & ob deuotionem S. Catharinæ, vocatus Catharinus, sed vt omnia comprobemus attende.

Sancta Catharina è vita decessit anno 1380. statim post eius mortem Raymundus de Capua scripsit eius vitam, quæ incipit: *Vox spiritualis est, &c.* & nullam fecit de hac Reuelatione mentionem. Posteà, id est, ante annum 1400. scripsit Guillielmus de Gaanco Indicem Auctorum pro sua opinione, & de S. Catharina nullam facit mentionem. Deindè, anno 1410. scripsit Ioannes Capreolus, & nullam facit de ipsa memoriam. Ad annum 1437. scripsit Turrecremata suum librum, ad faciendam relationem coram Patribus Concilii Basilienſis, & licèt ibi ex aduerso fuerint propositæ Reuelationes S. Brigittæ, ipse non adduxit Reuelationem S. Catharinæ, nec citauit S. Antoninum, signum euidens, quòd eius Historia, & Summa non erat datæ in lucem. Deindè scripsit S. Antoninus, & dixit illa, quæ manent suprà ad litteram relata. Posteà scripsit Anonymus ad annum 1475. & dixit hæc verba: *Idem Beata Katharina de Senis dixit sibi reuelatum fuisse, quòd B. Virgo in originali peccato concepta, sicut refert B. Antoninus Archiepiscopus Florentinus in Chronica sua.* En iam cæpit rumor inter Fratres de illa Reuelatione, ferè post integrum sæculum; quod autem dixit Anonymus, quod S. Catharina de Senis dixit sibi reuelatum fuisse, quòd Beata Virgo fuerat in originali peccato concepta, falsum est; tum, quia S. Catharina non dicit hoc sibi reuelatum fuisse, vt statim videbimus; tùm, quia nec S. Antoninus hoc dicit, vt constat ex eius verbis suprà relatis, creuit ergo simul cum hordeo illius Reuelationis zizania mēdacii. Post istū scripsit Pet. de Vincētia Opusculum de Conceptione ad annum 1480. & dixit hæc verba: *Idem tenet Sancta Catharina de Senis, quæ, vt narrat Beatus Antoninus, Archiepiscopus, in 1. part. suæ Summæ, titulo de peccato originali, dixit in quodam suo libello, sibi fuisse reuelatum, Beatā Virginem in originali peccato fuisse conceptam, sed posteà ab eodem fuisse mundatam.* Nota, amore Dei, quantum iam transplantata in tertio loco creuerit huius reuelationis superseminata zizania, Sanctus Antoninus ex Ioanne de Neapoli (hunc enim solum adducit in testem) tantummodò dixerat: *Beata Catharina de Senis habuit reuelationem de contrario.* Sicque ex vnico verbo illo *de contrario* finxerunt istas tres clausulas, *dixit in quodam suo libello.* Nota libellum? *sibi fuisse reuelatum, B. Virginem in originali peccato fuisse conceptam*; nescio quid hìc notare debeas, tanquam principale; an illud, *sibi fuisse reuelatum*, vel alterum, *B. Virginem in originali peccato fuisse conceptam*: quia æqualiter distant à veritate. Tandèm addiderunt illud, *sed posteà ab eodem fuisse mundatam*: videtur, Patres mei, quòd ex illo *habuit reuelationem de contrario* in omnibus, & per omnia, feciſtis relationem de contrario. Neque in hoc solus peccauit Petrus de Vincentia incognitus Auctor, sed alii etiam ex prima classi. Attendite:

Bandellus quondam Generalis Magister totius Ordinis Prædicatorum, in primo suo libro de Conceptione, exeunte ann. 1481. adducit ipsissimam Vincentiæ auctoritatem, addens ad finem suum commune sigillum: *Hæc ille*, qua subscriptione testificauit verba illa ad litteram esse Sancti Antonini, quam testificationem non fuerat ausus Vincentia apponere, vidēs esse falsam, & cap. 40. fol. 74. iterum reddit ad eādem reuelationem dicens: *Quarto, quia B. Antoninus, Archiepiscopus Florentinus, dicit, quòd S. Catharinæ de Senis fuit á Deo reuelatum, quòd B. Virgo fuerat in originali peccato concepta.* En confirmatur in suo themate Bandellus. Posteà ad annum 1502. venit Deza, seu Corrector ille insignis Bandelli, & adducta auctoritate, vt extabat in primo opere, apposuit ad Bandelli verba sequentem additionem, dicens. Additio: Hæc sunt autem dictæ S. Catharinæ formalia verba. Quæ antè quàm ponantur notandum est, quòd totus ille liber sunt orationes, quas ipsa fecit in raptu à corporeis sensibus alienata: & cum ipsa ad suum sponsum loqueretur, sic in extasi à multis Notariis sunt dictæ orationes conscriptæ. Dicit ergo in oratione 16. quæ incipit: *Deitas æterna dissolue vinculum corporis mei.* Post medium: *Datum est igitur nobis Verbū æternum per manū Mariæ, & de substantia materiæ induit naturam absque peccati originalis macula: & hoc, quia non hominis, sed Spiritus Sancti operatione facta est illa Conceptio. Quod quidèm non fuit sic in Maria, quia non processit ex massa Adæ operatione Spiritus Sancti, sed hominis. Et quia tota illa massa erat putrida, nō poterat nisi in putridam naturam anima illa infundi; nec purgari poterat, nisi per gratiam Spiritus Sancti, cuius quidèm gratiæ non est subiectū susceptibile corpus, sed spiritus rationalis, aut intellectualis: & ideo non potuit Maria à macula illa purgari, nisi postquam anima infusa est corpori. Quod quidèm sic factum est propter reuerentiam thesauri Diuini, qui in illo vase debebat reponi; nā sicut fornax cōsumit guttā aquæ in modico tempore, sic fecit Spiritus Sanctus*

de macula peccati originalis. Nam post Conceptionem eius statim fuit ab illo peccato mundata, & gratia magna dotata. Et subiunxit. Tu scis, Domine, quia ista est veritas. Hæc ad litteram. Et hucusque Corrector Bandelli in illa sua Additione. Ecce ergo, ò Lector! Libellus, & Reuelatio S. Catharinæ, quæ tempore Bandelli, Vincentiæ, Anonymi, S. Antonini, atque Ioann. à Neapoli, fuerat tantùm in voce, secundùm solam relationem, & aërum rumorem iam prodiit in re, & extra causas anno 1502. à Correctore, ac continuatore Bandelli. Cardinalis verò Caietanus, qui scripsit suum Opusculum de Conceptione ann. 1515. id est, 13. annis post Correctorem non vidit ipsum, sed dixit de Reuelatione S. Brigittæ: *E regione opponitur S. Catharina, quæ dixit sibi reuelatum esse oppositum, vt refert Archiepiscopus Florentinus, 1. part. Summæ suæ, titulo 7. cap. 2. circa finem.* Temperatè loquutus est Caietanus, sed adhuc finxit illud: *S. Catharina, quæ dixit*, quia Antoninus nō dicit, quòd S. Catharina dixit sibi reuelatum fuisse. His ergo secundùm veritatem constitutis, sequitur euidenter, quòd notitiam huius Reuelationis sumpserunt, Caietanus, Bandellus, Vincentia, & Anonymus, ab vno solo S. Antonino, & hic à Ioann. de Neapoli, vt ipse videtur expressè affirmare in auctoritate suprà posita ex 1. part. Summæ.

Sed hinc iam oritur prima, atque insuperabilis difficultas, & contradictio palpabilis: nam in Ordine Prædicatorum tantùm fuerunt duo Ioannes à Neapoli Scriptores. Vnus celebris, & antiquus, qui scripsit inter alia, quodlibetalem quæstionem de hac controuersia; in qua expressè sustinuit opinionem minus piam, vt vidimus suprà num. 182. Et ex hoc Doctore, quæstione, ac doctrina non bis, nec ter, sed quinquies sumit S. Antoninus verba, vt satisfaciat nostris argumentis. Ac vltimo loco adducit eiusdem Doctoris solutionem, vt respondeat argumento de Reuelatione S. Brigittæ. Sed hoc, Patres mei, quomodo potest stare cum veritate? Ioann. de Neapoli, secundùm omnes vestros Nomenclatores, & etiam extraneos, floruit, & scripsit sua Quodlibeta ad annum 1317. & constat clariùs; quia Guilliel. de Gannaco scribens suum Cathalogum ad ann. 1332. adducit inter alios Ioann. de Neapoli: ergo vixerat, & scripserat ante annum illum 1332. atqui S. Catharina nata est anno 1347. quomodo ergo antè quam nasceretur S. Catharina 30. annos, iam Ioann. de Neapoli poterat loqui de Conceptionis reuelatione? Nisi etiam dicatis, quòd Ioann. de Neapoli habuit reuelationem de reuelationibus faciēdis S. Brigittæ, ac S. Catharinæ, quando ipsę adhuc non erant natæ? Propono clarissimè difficultatem. S. Brigitta mortua est ann. Christi 1373. cū esset annorum 70. S. Catharina decessit à vita ann. 1380. cùm 33. haberet annos ergo quando Ioann. de Neapoli scripsit ad ann. 1317. contra immaculatam Conceptionem, S. Brigitta habebat annos 14. & S. Catharina nondū erat nata, nec fortè Parentes eius? Patres mei, canite tubam, & congregate cętum Religiosorum, vt videant, si possint componere ista.

Fuit etiam alter Ioan. de Neapoli, eiusdē Ordin. Præd. de quo Leand. Alber. præcipuus Nomēclator, lib. 4. fol. 145. à tergo, affirmat scripsisse laudes fulsimas de S. Catherina Senēsi, sed nec hic potest esse Ioan. de Neap. citatus à S. Antonino; tū, quia aliæ citationes S. Antonini, nō sunt huius, sed antecedēris; tū, quia iste secundū omnes Nomēclatores scripsit ad an. 1460. quā do iā S. Antoninus è vita decesserat; tū, quia iste nōscripsit scholasticè respodēdo ad argumenta Conceptionis. Sed laudes: ergo à priori, atque à posteriori manet clausum ostium, & demōstratū, quòd verba illa de Reuelationibus S. Brigittę, & Catharinæ, circa Conceptionem Virginis, non fuerunt S. Antonini, sed suppositа, & intrusa. Vel si fuerunt S. Antonini, quærēdus est alius Ioan. de Neapoli, tertius Scriptor scholasticus In Religione Prædicatorum, qui scripserit quæstionem contra immaculatam Conceptionem ab ann. 1380. quando mortua est S. Catharina, vsque ad ann. 1440. quando S. Antoninus scripsit Summam. Vel dicere debent, quòd in textu S. Antonini verba illa: *Dicit Ioannes de Neapoli, quòd sunt visiones fantasticæ, quod non est credendum*, tantum sunt Ioan. de Neapoli, respondentis ad argumentum de Reuelatione illa maculæ S. Bernardi, de qua egimus in Tritur. num. LX. sequentes vero: *Et iudicatur, alias Sanctas habuisse reuelationem de huiusmodi, vt est S. Brigitta; sciendum, quòd aliæ Sanctæ, quæ claruerunt miraculis, vt B. Catharina de Senis habuit reuelationem de contrario.* Sunt ipsius S. Antonini loquentis ex propriis. Dura equidèm solutio, quia verba sunt continua, & si admittimus illā, tunc manet reuelatio S. Catharinæ ex posita sine patre, & matre, & sine origine, & principio, & refundēda erit veritas, vel falsitas illius in vnico, & solo S. Antonino, tāquam in primo Auctore, quod ego ob honorem tanti viri nec credo, nec admitto: sed dico, quòd fortè secundus Ioannes de Neapoli in illo libro de Laudibus S. Catharinæ dixit, ipsam habuisse reuelationem de maculata Conceptione, quia iam in Lōbardia cæperat acris controuersia de hac materia; & in prima impressione summæ S. Antonini reuelatio illa fuit intrusa, ab aliquo malignante, sub nomine Ioan. de Neapoli, & sic qui scripserunt ante Typographiam, vt Ioannes de Montesono, Ioannes Thomæ, & Ioannes de Turrecremata, atque Ioannes de Mōtenigro nullam habuerunt de tali reuelatione notitiam. At qui scripserunt post editionem summæ Antoninæ,

vt

Anonymus, Vincentia, & Bandellus citarunt Antoninum, & hinc cæpit rumor inter fratres. Et si hæc ratio non placet, ecce do aliam cum altero Ioanne de Neapoli, antiquiore S. Antonino, à quo fortè illam accepit.

Et nota, ò Lector! sequentia, vt ex illis intelligas, quanta confusio, vt non dicam aliquid aliud, fuit, & est circa hanc materiã inter Scriptores Ordinis Prædicatorum, & relictis aliis adducam tantummodo vnicum exemplũ. Anno 1607. R. P. F. Ioannes Michael Pius, Bononiensis, scripsit librum magnum de Viris illustribus Ordinis Prædicatorum, lingua Italica, & part. 2. lib. 2. col. 226. loquens de Scriptoribus suæ Religionis, qui floruerũt anno 1406. sic inquit: *Fr. Rainiero Paglarieſi da Siena, ſcriſſe vn bre opuſculo in lode di S. Catherina da Siena, &c. che loſtima Beato Gregor. Lombardello.* Et statim adducit alterum Scriptorem sic: *Fr. Pietro da Breſcia, Lombardo, huomõ ſanctõ Beato chiamato dal Lombardelli, ſcriſſe in verſi Latini vn operetta in lode di S. Catherina da Siena.* Et statim infrà: *F. Paulo de Roma, huomo di vita integerrima, poſto dal Lombardelli, tra li Beati, ſcriſſe alcune Prediche in lode di S. Catherina da Siena, & forſe altre coſe. Fù ſecondo il preditto Lombardello, Confeſſore de Bonifacio VIII. maciò non può dirſi ſenza expreſſo errore, perche quando queſto Pontifice viueua, non era ancor nata S. Catherina Saneſe. Onde ſerà forſi errore diſtampa, & douera facilmente leggeri Bonifacio IX. che fu creato Pontifice del 1389.* Et statim infrà: *F. Giouanni da Napoli, Dottore, & Predicatore famoſiſsimo, riposto dal Lomdardelli tra li Beati dell' Ordine, ſcriſſe alcune Prediche in lodi di S. Catherina da Siena, & forſe altre coſe.* Et infrà statim: *Fr. Maßimo da Salerno, Regnicolo, amiciſsimo di S. Catherina de Siena, ſcriſſe en Venetia compendioſamente la vitta de lei, diuidendola in tre parti. Fù huomo di ſancta vitta, & chiamato dal Lombardelli con nomen de Beato, &c.* Et statim: *F. Bartholomeo Montucci da Siena, che il predeto Lombardelli chama Beato, ſcriſſe vn libro intitolato: Viaggi da Siena: oue dice multe coſe in lode di S. Catherina Saneſe.* Et statim infrà: *F. Tancredo Tancredi, Saneſe, compoſe vn oratione in lode di S. Catherina Seneſe, è forſe altre coſe. Beato lo chiama il Lombardelli, &c.* Ecce, o Lector! in sola vna pagina, nec integra; & in eodem anno dat nobis Auctor ille septem Scriptores Beatos, scribentes laudes S. Catharinæ Senensis ex suo Lombardello: si tu vis hoc credere, crede; nam ego existimo, quod P. ille Lombardellus, vt beatificaret suum libellum de Stigmatibus Sancte Chatharinæ Senensis, finxit totam suprapositam multitudinem Beatorum scribentium eodem tempore laudes, prædictæ S. Catharinę, quorum nec vnus saltem est typis mandatus. Sed iam pro nostro instituto (in hoc enim opere, nec vulnerare, aut stigmatizare volumus) potuit esse, quòd supra positus Ioannes a Neapoli, relatus in quarto loco, qui præcesserit S. Antoninũ per quadraginta annos, dixerit aliquid de Reuelatione S. Catharinę circa Conceptionem Virginis Marię, & hic sit ille adductus a S. Antonino, quo saluamus eiusdem auctoritatem, & verba, si hic Ioannes a Neapoli finxit reuelationem, sed tunc rumor exortus est ex ficto principipio, & à causa mendaci emanauit, quod si nec hęc ratio placet, querite alteram amore Dei, inter Beatos Lombardelli, *è forſe altre coſe*; sed quidquid sit de primo inuentore rumoris,

Pergamus ad inquisitionem de principali assumpto nostro, scilicet, de veritate ipsius reuelationis in re (adducta primo, vt supra vidimus à Correctore Bandelli) a quo, scilicet, ac quomodo, & quando prodierit in lucem, & extra caulas. Et attendat, Lector, quia iam radiat veritatis Sol, vt libellum illum clausum, atque reuelationem in illo contentam, & penitùs absconditam ab oculis Capreoli, Montesoni, Turrecremate, Antonini, Anonymi, Vincentię, atque Bandelli, & omnium aliorum scribentium post mortem S. Catharinę, vsque ad annum 1500. & patefactam ad ann. 1502. vndè prodierit, demonstrare incipit. Anno ergo à Natiuitate Domini millesimo quadringẽtesimo nonagesimosexto, die quintadecima mensis Aprilis, tota Lombardia in discordia posita propter controuersiam de Conceptione Virginis Marię; prodiit Brixię (cùm ibi esset Vincentius, Bandellus totius scandali caput, & antesignanus) quidam libellus paruus, cuius principium est: *Dialogus Seraphicæ, ac Diuæ Catharinæ de Senis, cum nonnullis alijs orationibus.* Prologus autem sic: *Marcus Ciuilis, Brixianus, Fratri Paulo Sancheo, Aragonenſi, ſacri obſeruantis Prædicatorum Ordinis Sancti Patris Dominici.* Et continet duo folia. Deindè extat quedam epistola Diui Stephani Carthusiensis, directa Fratri Thomæ Antonio de Senis, Ordinis Prædicatorum, & continet sex folia. Post ista incipit liber Dialogorum, sic: *Incipit liber diuinæ doctrinæ, datæ per perſonam Æterni Patris intellectum loquentis admirabilis, & almæ Virginis Catharinæ de Senis, &c.* Et sunt libri sex. Denique adducit quasdam orationes, tanquam aliud opusculum diuersum, cuius titulus est: *Hic incipiunt quædam orationes de multis per Beatam Catharinam de Senis, Sororem de Pœnitentia Beati Dominici, Fundatoris Ordinis Prædicatorum, ſolemniter canonizatam per Summum Pontificem Pium Secundum, dum ipſa eſſet in abſtractione à ſenſibus factæ, & à quibuſdam de verbo ad verbum, prout in ſuo vulgari, ab ipſa Virgine Sancta proferebant,*

bantur, in Latinum collectæ, quarum orationum ipsa plures fecit, cùm esset Auinione, de quibus hic in principio duæ habentur: plures fecit in Ianua, de quibus consequenter habetur hic vna, quam plures etiam fecit in Roma ab anno Domini 1377. *vsque ad annum Domini* 1380. *in quo anno ibi migrauit ad cœlum, die penultima mensis Aprilis. De quibus orationibus Romæ factis, consequenter hìc habentur aliquæ, videlicet numero* 18. *De orationibus autem suis quasi innumeris, quas fecit in Senis, in Florentia, Pisis, & in multis alijs Italiæ locis, modo consimili nulla hic habetur.* Et consequenter ponuntur ad litteram 22. orationes diuersæ, pro distinctis materiis, modo orationum deprecantium pro statu Ecclesiæ, pro ministris Ecclesiæ, post Communionem, de Annuntiatione, &c. ac taliter sunt formalissimæ orationes, quòd nec solũ vnũ verbũ sit in omnibus ipsis, dicens respectum, vel ordinem ad Reuelationem, sed vt dixi, omnia sunt verba deprecatoria, & supplicantis Deo humiliter: hoc euidentiùs constaret, si liceret illas hìc de verbo ad verbum conscribere; sed crede mihi, Lector, quia nec pro toto mundo verbum mendacii exiret ab ore meo. Et concludit totus iste liber sic: *Explicit Dialogus Diuæ, ac Seraphicæ Catherinæ de Senis, cum certis orationibus per eam factis, accuratißimè impressus, ac emendatus, in alma ciuitate Brixiæ, per Bernardinum de Misintis de Papia, die* 15. *mensis Aprilis M. CCCC. LXXXXVI.* Hæc est dispositio, & structura primi originalis Brixiensis, de Colonienſi autem dicemus infrà.

Ex his colligũtur sequentia. Primò, quòd liber iste, seu orationes istę S. Catharinæ, fuerunt datæ in lucem, post centum viginti annos ab eius transitu. Secundò, quòd orationes istæ fuerunt factæ, seu dictæ à S. Catharina patrio Sermonæ, id est, Italico, & in Latinum conuersæ, correctæ, & emendatæ, à quodam, vel quibusdam litteratis Ordinis Prædicatorum. Tertiò, quòd illa subscriptio, seu summarium præfixum orationibus, suprà positum non fuit S. Catharinæ, sed illius Fratris Dominicani, vel illorum, vndè illud de orationibus factis, quando erat in abstractione à sensibus, & à quibusdam Notariis de verbo ad verbum collectis, esse paruæ, aut nullius fidei assertum, tùm, quia ex verbis orationum hoc non constat, nec verba ipsa in se tale indicant, nec hoc dicitur in originali Colonienſi, sed quod fuerunt scriptæ à familiaribus sibi assistentibus, vt videbitur infrà: tùm, quia si fuerunt in extasi dicta, Auinione, Ianuæ, atque Romæ, & alibi, partibus inter se tã distantibus, per spatium trium annorum, quomodo poterant de verbo ad verbum colligi à quibusdam Notariis audientibus? Hæc mihi difficilia nimis videntur. Sed hoc gratis admisso, saltem negare non possunt, quòd verba illa non sunt S. Catharinæ, quod sat est pro nostra Ventilatione. Quarto etiam colligitur, Opusculum illud orationum esse superadditum: nam Marcus Ciuilis Ciuis Brixiensis, in Epistola præliminari, directa P. F. Paulo Sancheo, Aragonensi, Ordinis Prædicatorum, solùm loquitur de Dialogo S. Catharinæ, nullam faciens mentionem, nec verbum de orationibus, quæ ad finem libri extant, tanquam quoddam superadditum fragmentum. Quintum notatione dignum est, illud verbum: *Solemniter canonizatam per Summum Pontificem Pium II.* Quæ verba artificiosè sunt appositа per ordinem, & respectum ad canonizationem S. Brigittæ, de qua dicunt Aduersarii passim in libris de Cõceptione, quòd no fuit solemniter canonizata, solùm vt sic infringãt auctoritatem Reuelationum de immaculata Cõceptione Virginis: ergo videtur, quòd aliquis ex Aduersariis hanc apposuerit annotationem, & hic potuit esse Bandellus, tunc Brixiæ existens. His ergo notatis, ad textum S. Catharinæ accedendo, & ad eius verba dicò.

Quòd in præallegato Opusculo orationum, addito ad finẽ illius libri dicti, Dialogus, est quędã oratio in ordine 16. cuius titulus est: *Oratio eiusdẽ, facta Romæ die* 17. *M. CCC. LXXVII.* & incipit sic, atque prosequitur: *Deitas æterna, dissolue vinculum corporis mei, vt possim videre veritatem, quia nunc memoria non potest te capere, nec intellectus intelligere, nec affectus diligere, quomodo decet. O natura diuina! quæ resuscitas mortuos, & sola das vitam, quomodo voluisti tibi vnire naturam mortuam, vt eam viuificares? O Verbum æternum! taliter tibi vnisti naturam mortalem; quòd non fuit possibile, quòd quocumque modo separaretur, vndè in Cruce in Christo natura mortalis patiebatur, sed natura diuina viuificabat: & ideò erat simul Beatus, & doloroſus; nec etiam in sepulchro potuit vna natura ab alia separari. O Pater æterne! tu dicis, quòd vestisti Verbum tuum naturã nostram, vt in ea satisfaceret tibi pro nobis. O inefabilis misericordia! voluisti punire filium naturalem, & propriũ, pro culpa filij adoptiui, & sustinuit non tantùm pœnam Crucis, & corporis, sed cruciatum desiderium in mente. O Pater æterne! quã profunda, & ineffabilia sunt iudicia tua, stultus homo nõ intelligit hoc, imò stulti homines iudicãt secundùm corticẽ facta tua, & facta seruorum tuorum, & non secũdùm profundam abyssum charitatis infusæ seruis tuis. O ignoras & bestialis homo! cùm Deus te fecerit hominẽ, cur facis teipsum bestiã, & nũ solùm bestiã, sed nihil, & bestialiter iudicas. An ignoras, quia bestiales deputantur ad pœnas aternales infernales, in quibus pœnis efficitur homo, vel nõ, & non quidẽ quãtũ ad naturã quæ sustineat, sed quãtũ ad gratiã, qua natura perficiatur, & res quæ est priuata*

sua

ſua perfectione poteſt dici nihil. Et ſubiūxit. Datū eſtergo nobis Verbū æternū per manus Mariæ, & de ſubſtantia Mariæ induit naturam abſque peccati originalis macula, & hoc quia non hominis, ſed Spiritus Sancti operatione facta eſt illa Conceptio: quod quidèm non fuit ſic in Maria, quia non proceſſit de maſſa Adæ operatione Spiritus Sancti, ſed hominis. Et quia tota illa maſſa erat putrida, non poterat niſi in putridam naturam anima illa infundi, nec purgari poterat niſi per gratiam Spiritus Sancti, cuius quidèm gratiæ non eſt ſubiectum ſuſceptibile corpus, ſed ſpiritus rationalis, aut intellectualis, & ideò non potuit Maria à macula illa purgari, niſi poſt quam anima infuſa eſt corpori, quod quidèm ſic factum eſt propter reuerentiam theſauri diuini, qui in illo vaſe debebat reponi: nam ſicut fornax conſumit guttā aquæ in modico tempore, ſic fecit Spiritus Sanctus de macula peccati originalis. Nam poſt Conceptionem eius ſtatim fuit per gratiam Spiritus Sancti ab illo peccato mundata, & gratia magna dotata. Subiunxit: Tu ſcis Domine, quia iſta eſt veritas. Hæc eſt tota oratio 16. tranſcripta ad litteram à primo vſque ad vltimum verbum. Et typis mādata, vt ſuprà diximus anno 1496. & anno 1502. Continuator Bandelli poſita auctoritate Bandelli ad litteram in quadam additione, ſic inquit: *Additio. Hæc ſunt autem dictæ S. Catherinæ formalia verba: Quæ antequam ponātur, notandum eſt, quòd totus ille liber, ſunt orationes, quas ipſa fecit in raptu à corporeis ſenſibus alienata, & cum ipſa ad ſuum ſponſum loqueretur ſic in extaſi, à multis Notarijs ſunt dictæ orationes conſcriptæ. Dicit ergo in oratione 16. quæ incipit: Deitas æterna, &c. poſt medium: Datum eſt igitur nobis Verbum æternum, &c.* Et ſic adducit ſuprà poſitam auctoritatem vſque ad finē, paucis verbis mutatis, de quibus pro nunc non curamus; quia parui momenti ſunt. Ecce peruenimus, ò Lector! ad deſideratum ſcopum, & manifeſtationem claram, & euidentem ex ipſorum Aduerſariorum irrefragabili teſtimonio in præallegatis continuatoris Bandelli verbis, S. Catharinæ, vel ſuæ decantatæ reuelationis; & conſtat quod nunquam fuit in operibus Sanctæ Catharinæ alia reuelatio, niſi hæc relata ex libro Orationum, quā ipſi eiſdemmet verbis adducunt, vt extat in relata orat. 16. Iſta ſunt veritatis inconcuſſa fundamenta. Nunc verò, ò Domine! iudicium tuum regendo da, & iuſtitiam tuam ne auferas ad diſcernendum verum à falſo, à deuotiſsimo filio Catharinæ Senenſis, quia in eius diem ſacram Religionem Minorum eſt ingreſſus.

Dico ergo primo, S. Catharinam plures habuiſſe reuelationes, & extaticos raptus, ſiuè mētis exceſſus (vt latè dicitur in eius vita ſcripta à Raymundo Capuano, Cōfeſſario ſuo ſeorſim impreſſa, vt infrà videbimus, & poſtea abbreuiata per Surium tom. 2. a fol. 1028.) præcipuè quando ſcripſit librum Dialogorum, vt ibidèm dicitur, de quo modo non loquimur, ſed tantùm de libello orationū, de quibus nullum verbum habent Raymundus, nec Marcus Ciuilis, nec Sthephanus Carthuſianus, nec S. Antoninus. Vndè non habent authēticum teſtimoniū, quod fuerint Sanctæ Catharinæ, eo maximè cum in ipſis ſint nonnullæ propoſitiones a doctrina catholica prorſus alienæ, quarū aliquas notat Nicolaus Lancicius vbi ſupra. Et Orationes iſtæ ex abrupto prodierunt à prelo Brixiano, nulla præexiſtente notitia, vel ſigno illarum in antiquis ſcriptoribus. Sed his admiſſis, Orationes illæ nec ſunt, nec debent dici reuelationes, nec in ipſis eſt aliquod verbū, quòd denotet extaſim, raptum, alienationem à ſenſibus, vel mentis exceſſum, ſed ſunt quædā orationes ſimplices, ac ſinceræ, deuotæ ac deprecatoriæ, quas quilibet paruulus Chriſtianus ſimplex, & idiota, imò ſimpliciſsima fœmina recitare poteſt quotidiè. Et ſic quòd dicunt Aduerſarii de reuelatione, extaſi, & raptu, nec nō multis illis Notariis, videtur apocryphum, & ſine vllo fundamento dictum. Nam ſi in illis orationibus nullum eſt verbum notatione dignum, nec myſterium, nec arcanum, nec reuelatio aliqua vniuerſalis, vel particularis, ad quid neceſſarii erant tot Notarii? Inſuper iſtæ fuerūt factæ in diuerſis Regnis, Prouinciis, Ciuitatibus, Eccleſiis, annis, diebus, ac horis, & ſunt orationes breues, quomodo ergo conuocabantur illi Notarii, ob deuotionem? Si erant Notarii publici, non ſunt magis deuoti reipublicæ: ſi alii, quomodo erant parati, & expediti, cum calamo, & attramento, vt de verbo ad verbum tranſcriberent illas breues orationes? An hoc fiebat ad ſonum campanæ, ſignificans Catharinam poſitam eſſe in oratione, & alienatam à ſenſibus in raptu extatico, & voluiſſe aliqua reuelare, ſic que omnes confluerent? Vel aliquis preco, aut curſor clamabat per vicos, & plateas, dicēs: currite, currite, &c. Erat ne hoc dicens, Virginini pulcherrimæ, ac ſanctæ? Notarii ſcripſerunt illas orationes non S. Catharina, nō B. eius confeſſor; quis ergo declarauit, approbauit, atque qualificauit fuiſſe reuelationes, an ipſimet Notarii? Et vbi eſt hæc declaratio, approbatio, vel qualificatio? Hæc non extat, & certè quòd neceſſe erat, vt extarent ad minus quadringenta diuerſa, & authentica teſtimonia Notariorum dicentium iuridicè: Atteſtamur, & fidem facimus, loco ſigilli, &c. vt crederemus fuiſſe reuelationes, quia in ſe, nec vmbrā, nec ſpeciem habent. Et quando talia extarent teſtimonia, in quo Canone, vel ſanctione Eccleſiaſtica datur Notariis facultas qualificandi reuelationes? Nolite effici pueri ſenſibus.

Dico

Dico ſecundo, quòd inter omnes alias orationes ſolùm hæc 16. habuit ſpeciem reuelationis ſecundùm Aduerſarios, ideò in illa collocarunt ſuam auctoritatem contra immaculatam Virginis Conceptionem, ſed cum prædicta oratio iam ſuprà ſit poſita integra de verbo ad verbum, videat Lector, & iudicet, vndè colligatur, illam fuiſſe reuelatam? Nam ego in rei veritate non capio hanc reuelationem; ſed attende amore Dei, fortè inueſtigabimus initium talis reuelationis. Oratio 14. & 15. & hęc 16. factę fuerunt Romę: vna die 1. Ianuarii, altera die 15. & altera die 17. Decimaquarta talem habet inſcriptionem: *Oratio eiuſdem facta Romæ in die Circumciſionis Domini ad inſtantiam Domini N. Cardinalis Ordinis Prædicatorum, ad circumcidendam duritiem induratorum contra Eccleſiam.* Et incipit: *Summe Deus, amor inæſtimabilis.* Alia 15. incipit ſic: *Veritas, & quæ ego ſum, vt tu des mihi veritatem, ego ſum, quæ non ſum. Et poſt paululum: Ergo veritas tua, eſt illa, quæ facit, & loquitur, &c.* Nota ergo Lector, ſi oratio 14. facta eſt ad inſtantiam Cardinalis N. Ordinis Prædicatorum: ergo non fuit reuelata, ſed facta ab ipſa Sancta, vt obediret Cardinali: fiunt ne reuelationes in Romana Curia ad inſtantiam N. & N. Cardinalium Ordinis Prædicatorum? In ſequenti oratione dicitur illud: *Et poſt paululum*, ſignans aliqua fuiſſe relicta ab eadem oratione; in ſequenti verò 16. de qua nunc eſt quæſtio, dicitur: *Et res quæ eſt, priuata ſua perfectione, poteſt dici nihil. Et ſubiunxit. Datum eſt ergo nobis, &c.* Et ad finem: *Et gratia magna dotata. Subiunxit: Tu ſcis Domine, quia iſta eſt veritas.* Verbum illud bis repetitum: *Et ſubiunxit*, de quo facit relationem? Quis fuit hic, qui *ſubiunxit*? An ipſa Catharina *ſubiunxit* in ſua oratione, an alius *ſubiunxit*? Sancta Catharina non potuit hoc dicere, quia ipſa loquebatur, & cùm ipſa currēti ſtyllo diceret orationem, non poterat eadem dicere: *& ſubiunxit.* Et hoc non ſemel, ſed bis repetitum, eo maximè cùm in nulla alia oratione ex contentis in tali libello ſit verbum illud, *& ſubiunxit*: ergo aliquis alius appoſuit illud, *& ſubiunxit.* Et cum ſubiunctione illa, & additione, adiunxit, & addidit totam clauſulam ibi contentam vſque ad finem orationis: hæc meo iudicio eſt euidens, & palpabilis demonſtratio. Ideòque ſatis malitiosè Continuator Bandelli tacuit illud verbum, *& ſubiunxit*, & incępit à ſequenti, *datum eſt igitur*, vt non videretur, atque notaretur, quod clauſula illa tota vſque ad finem orationis, erat quædam ſubiunctio, & additio ad totam orationem Catharinæ.

Dico tertio, quòd illa Sanctę Catharinę oratio ſolùm fuit, & eſt vſque ad illa verba, *poteſt dici nihil*, ibi enim finem facit completè, & perfectè; ſequentia verò verba, *& ſubiunxit. Datum eſt ergo nobis, &c.* vſque ad finem cùm reuelatione Conceptionis, nec ſunt, nec fuerunt S. Catharinæ ſed addita, ſubiuncta, & ſuppoſita à quodam alio, nec Sancto, nec Catharino, nec Senenſi. Quod patet pro nunc (quia infra pandetur omne malum) quia illa clauſula, vt iacet addita, nullo modo poteſt eſſe Sanctę Catharinæ; nam illa non poterat dicere: *& poſt paululum*, nec illud: *& ſubiunxit*: qui ergo addidit hæc verba, addidit etiam ſequentia, in quibus agitur de Conceptione. Tum, quia verba illa ſunt ibi collocata extra omne propoſitum, & ſubiectam materiam: etenim totum aſſumptū illius orationis eſt de vltima hominis perfectione, ſcilicèt, Dei cognitione, & quod creatura priuata hac perfectione beſtialiter viuens, non poteſt iudicare de iudiciis Dei, & iuſtorum factis, & deputatur ad pœnas æternales, infernales, vt ipſa dicit. Quam ergo connexionem habent hæc cum Conceptione Virginis Mariæ? Hoc benè prænidit aſtutus ille, atque calidus N. ideò addidit illud: *& ſubiunxit*, videns illa nullam connexionem habere cum antecedētibus in illa oratione. Tum denique, quia in libro Epiſtolarum Sanctæ Catharinæ italico ſermone conſcripto abſque loco, & anno impreſsionis, fol. 402. à tergo extat hæc oratio, & deſunt illa verba: *& ſubiunxit*, & illud vltimum: *Tu ſcis Domine, quia iſta eſt veritas*, ex quo amplius declaratur, & oſtenditur, illa verba eſſe ſuppoſita, & ficta. Item in Dialogis lingua materna impreſsis Venetiis, anno 1547. in 8. qui incipiunt: *La diuina bondate*, abſolutè deſunt omnes illę orationes, & ſic ex omni parte videtur reuelationem hanc fuiſſe fictam.

Dico quarto, quod tàm Dialogi, quàm orationes fuerunt à Sancta Catharina ſcriptæ lingua materna italica, quæ poſteà fuerunt collectæ, & in latinum translatæ, ſed quando, vel à quo, hoc opus, hic labor, quia in libro Brixienſi non exprimitur, certum autem eſt, quòd orationes habent aliquas ſubſcriptiones, ſeu additiones, quæ non fuerunt factæ à Sancta Catharina, ſed ab alia perſona hucuſque incognita, quod ſic demonſtratur. Titulus præfixus in principio orationum: *Hic incipiunt, quædā orationes de multis, &c.* non eſt Sanctæ Catharinæ, ſicut nec ſubſcriptio primę orationis, quæ ſic ſe habet: *Oratio ipſius Beatiſsimæ Virginis facta Auinioni proſtatu Eccleſiæ tēpore rebellionis terrarū dictæ Eccleſiæ.* Item nec tertiæ orationis titulus, qui talis eſt: *Oratio eiuſdē facta Ianuæ ad remouendū Papam Gregorium de propoſito retrocedendi, terminato in Conſiſtorio propter contrarietates acceſſus ad Vrbem, in quā reſpondetur obiectionibus contrarijs & quæſito quomodo officiales curiæ poſsint officia gerere, ſine offenſa Dei, & proximi.* Oratio 14. habet titulum iſtum: *Oratio eiuſdem facta Romæ in die*

die Circumciſionis Domini ad inſtantiam Domini N. Cardinalis, Ordinis Prædicatorum ad circuncidendam duritiem induratorum contra Eccleſiam. Hæc ſunt orationum ſubſcriptiones, quæ nec potuerunt dici à Sancta Catharina in ſuo raptu, nec ſcribi à Notariis. Inſuper in corpore ipſarum orationum extant aliquæ additiones, quæ neceſſariò fuerunt appoſitæ ab aliqua tertia perſona, v. g. in orat. 9. ſic dicitur: *Deindè more ſolito orauit mater pro Eccleſia Dei, pro Vicario Chriſti, & filijs, ac etiam pro omni rationali creatura.* Et orat. 15. incepta poſt tres lineas dicitur: *& poſt pæulum*, inſinuans quod aliquid fuit derelictũ ex illa oratione. Ac tandèm orat. 17. ſic dicitur: *Tanta eſt conformitas inter hominem, & hominẽ, quòd quando non ſe diligunt, recedunt à propria natura. Poſtmodum orauit proſingularibus ſuis, vt participarent naturam diuinam, & iſta eſt vera conformitas: Reſpondit Deo, & dixit: Quomodo maiorem gratiam poſſum habere, quàm vt vitam ducam ſemper in pœnis, & ipſam terminem cum martyrio propter te?* Et in iſtis verbis concluditur illa oratio: in quibus duo debes notare, o Lector! Primum, quod hæc verba: *Poſtmodum orauit, &c.* Et illa: *Reſpondit Deo, & dixit:* nec ſunt, nec poſſunt eſſe Sanctæ Catharinæ, ſed fuerunt ſubiuncta, ac ſuperaddita orationi, vt ex ipſis patet. Secundum, quòd in illis 22. orationibus nõ eſt aliud verbum magnum, vel paruum habens reuelationis ſpeciem, vel vmbrã, niſi hoc? *Reſpondit Deo, & dixit.* Cùm ergo reliqua orationis verba neque in hac, neque in aliis habeat hunc ſaltim loquendi modum cum Deo, niſi hoc vnum additum, & ſubiunctum, qui addidit hęc omnia, addidit etiam, ac ſubiunxit clauſulam illam orat. 16. de maculata Coceptione Virginis Mariæ, ſed ne immoremur coniecturis, quando habemus præmanibus euidentem demonſtrationem.

Dico quinto aſſerciuè, quod clauſula illa, & ſubiunxit cum relatione in ipſa contenta, fuit addita, ſuppoſita, ficta, & ſuperſeminata tanquam zizania in illa orat. 16. originalis Brixienſis à quodam inimico homine, quod ſic euidenter demonſtratur. Coloniæ apud Theodorum Baumium, ſub ſole aureo anno 1569. fuit impreſſ. liber, in folio ſub hoc titulo: *Theologiæ myſticæ mirabilium, ſcilicèt, & inſcrutabilium operum Dei, lucida demonſtratio, in libros duos diſtributa ante annos 183. per D. Raymundum à Vineis, Capuanum Theologum conſcripta partim, partimque è idiomate italico in latinum translata, &c.* Deindè ſequitur dedicatoria D. Petro à Soto, Confeſſario Caroli V. Imperatoris, facta à D. Theodorico Loer à Straris, Carthuſiano ad annum 1548. vbi inter alia dicit: *Iure igitur, meritòque tibi opera hæc ſanctiſſimæ virginis Catharinæ Senenſis omnia, quæ quidèm extare nouerim; à me tempore exſulij in bello Schmal Kaldico in Auſtria, Cœnobij noſtri inſtituti Maubarcen reperta, pulcherrimo charactere in membranis deſcripta nuncupare placuit.* Deindè ſequitur. Præfatio ad Lectorẽ, & Bulla canonizationis S. Catharinæ, & officium integrum cum Miſſa, & carmina aliqua in laudem ipſius Virginis. Item infrà adducitur: *Raymundi de Vineis Capuani S. T. D in vitam B. Catharinæ Senenſis à ſe deſcriptam Prologus:* & continuò: *Secundus Prologus adaptabilis vltimo capitulo totius legendæ, quo quaſi tota legenda epilogatur.* Deindè incipit. *Prima pars legendæ, &c.* & illa finita: *Pars ſecunda, &c.* Tandèm proſequitur ſic: *Incipit liber diuinæ doctrinæ, datæ per perſonam æterni Patris, &c.* & ſunt ſex tractatus, ſeu Dialogi Sanctæ Catharinæ, vt diximus ſupra. Et tandèm concluditur opus illud adducendo: *Sanctæ Catharinæ Senenſis ex multis, orationes viginti duo, inſigniter aptatæ, ab ipſa quidẽ in raptu, & extaſi ad Deũ magno ſpiritus feruore prolatæ; verum à ſibi aſſiſtentibus familiaribus exceptæ, latinitatique donatæ.* En habemus librum, S. Catharinæ, & in ipſo orationes illas 22. ab ipſa in raptu prolatas, & ſcriptas non à Notariis, ſed ab aſſiſtentibus familiaribus, id eſt, tribus Patribus Dominicanis, quibus ſemper aſſociata incedebat, & inter iſtas fol. 148. col. 2. extat orat. 16. quæ incipit: *Deitas æterna, &c.* Hucuſque in omnibus coincidunt originale Brixienſe, & Colonienſe, ſed differunt ſolùm in hoc, quòd hoc originale Colonienſe (repertum in Auſtria in Monaſterio Maubarcen inter Patres Carthuſienſes, manuſcriptum pulcherrimis characteribus, in membranis, ab ipſomet Fratre Raymundo de Vineis, Capuano, Confeſſario beatæ Catharinæ Senenſis; ante impreſſum ſcriptũ annis 183. & cùm impreſſus fuerit anno 1569. neceſſario manuſcriptum fuit ad annum 1386. ſex annis poſt S. Catharinæ mortem, & antequàm ipſemet Confeſſarius, ac ſcriptor Raymundus Capuanus tranſiret ex hac vita annis 13.) non habet illam clauſulam: *Et ſubiunxit, &c.* in qua extat illa reuelatio ficta, ſine vllo Dei timore, & addita contra Sacratiſsimæ Dei Matris honorem, puritatem, & immunitatem ſuæ immaculatæ Conceptionis, &c. in originali Brixienſi, atque ſanctiſsimæ virginis Catharinæ innocentiam, reputationem, deuotionem, &c. nec non contra veritatis fidei Catholicæ integritatẽ, & Religionis confuſionẽ, & dedecorem, & ſic poteram addere alia, & alia, &c. Dico ergo, quod in originali Colonienſi, vero, ac legitimo, & ab omni falſitatis ſuſpicione alieno, vt patet ex circunſtãtiis relatis, concluditur orat. illa 16. ſic: *& res quæ eſt priuata ſua perfectione poteſt dici nihil*, & nihil ampliùs, quia incipit immediatè orat. 17. & per conſequens

quens absolutè deest talis reuelatio, seu verba illa de maculata Conceptione Virginis Mariæ. Nec hic valet recursus, quòd originale Brixiense fuit priùs excussum, scilicèt, ad annum 1496. & Colonienſe ad annum 1569. & quòd fortè Colonienſes ob deuotionem abstulerunt illam clausulam, quia hoc haberet aliquam apparentiam, si Colonienſe fuisset transcriptum ex Brixiano, sed non fuit nisi ex illo originali M.S. Maubercen ab ipso confessario dispositio ante annos 183. & ante illam machinam Brixiensem ann. 110. Item structura, & dispositio est primo diuersa, & Colonienſe non habet Epistolam Marci Ciuilis, neque alterā Stephani Carthusiani. Quid vltra? Colonienſe non fuit coagulatum inter Patres Dominicanos Paulum Sancheum, & Thomam Antoniū de Senis, & alium Fratrem N. de quo

Dico sexto, additionem, seu subiunctionem hanc contra immaculatam Virginis Conceptionem, non fuisse appositam à suo Confessario Raymundo de Capua, tum, quia in sua vita nihil de hoc scribit, tum, quia liber ille Orationum fuit typis mandatus, post 116. ann. à morte S. Catharinæ, & transitum ipsius Raymundi 97. quia decessit Norimbergæ, anno 1399. Tum propter superiùs dicta ex originali Colonienſe. Nec fuit F. Thomas Antonius de Senis, cui R. P. Stephanus Carthusianus scripsit Epistolam, de qua suprà, & ratio est; quia licèt hic ad annum 1430. vt dicit Anton. Lusitan. in Biblioth. fol. 248. vel ad ann. 1420. vt vult Mich. Pius, in Append. fol. 412. scripserit secundam vitam S. Catharinæ Senensis magis compendiosam, quam fuerat illa Raymundi de Capua, & eius cura etiā factus fuerit liber de attestatione sanctitatis, ac miraculis pro canonizatione Virginis, ac tādem recollegerit omnes epistolas eiusdem Sanctæ. Tunc orationes non habebant illam superadditam clausulam contra immaculatam Conceptionē; quia Turrecremata, vel Ioan. de Montenigro haberent de illa notitiam, vel saltim B. Antoninus, aut Anonymus, aut Bandellus, omnes Itali eiusdem Religionis, & ferè etiam territorii. Cùm ergo vsque ad annum 1481. nulla fuerit notitia positiua, sed solùm in voce, & posteà prodierit in lucem ad annum 1502. sequitur, quòd in illo spatio vigínti annorum ficta, & intrusa fuerit talis reuelatio in orationibus S. Catharinæ.

Vndè existimo verè, ac realiter, secundùm probabilissimas coniecturas, Auctorem talis additionis, seu potiùs fictorem illius clausulæ, fuisse R. P. F. Vincentium de Castronouo Tordon, qui posteà fuit Generalis Minister, vel Magister totius Ordinis Prædicatorum, Lombardus. Et hoc dico absque vlla temeritate, vel hęsitatione. Tum, quia eodem tempore, quo liber ille excudebatur Brixiæ, erat ipse in eadem ciuitate. Tum, quia stylus illius auctoritatis totus est Bandellianus; & non solùm stylus, sed ipsa verba: nam in auctoritatibus à se fictis, de quibus suprà vidimus plures, & alias dabimus infrà, semper vtitur eisdem, ac ipsissimis verbis, repertis in hac auctoritate Sanctæ Catharinæ, vt sunt illa: *Quod quidèm non fuit sic in Maria*, & illa: *Ex massa Ada*, & illud: *Quia tota illa massa erat putrida*, & illud: *Nec purgari*, & illud: *Cuius gratiæ non est subiectum susceptibile corpus, sed spiritus rationalis, aut intellectualis*, & illud: *Postquam anima infusa est corpori*, & illud: *Statim fuit ab illo peccato mundata.* Quomodo enim poterat S. Catharina in quadam simplici oratione recolligere in vnū omnes terminos expressantes, & claudentes vndique totam, & omnimodam difficultatis materiā per reduplicationes, ac formalitates scholasticas, & terminos specificos, ac indiuiduos, quod nec S. Thomas, nec S. Bonauentura, nec Albertus Magnus, nec vllus alius scholasticus, antiquus fecerat in latissimis suis quæstionibus? Cùm ergo omnia ista non solùm sint expressæ conclusiones Bandelli, sparsę in toto suo libro, sed etiam formalissima verba, ipse fuit qui *subiunxit*, & subiungendo fecit. Denique, quia, Bandellus in primo suo opere de Conceptione impresso, cùm esset Lector, anno 1481. antè impressionem relati Opusculi orationum Sanctæ Catharinæ, ipsam adduxit, atque citauit ex Sancto Antonino, in quadam reuelatione, nullam adducēdo auctoritatem, vt suprà vidimus, in secundo verò opere excusso à Correctore Bandelli, anno 1502. id est, post sex annos ab impressione libri Orationum, adduxit Sanctā Catharinam, nullam faciens mentionem Sancti Antonini, sed transcribendo auctoritatem ad vnguem, & ita ad litteram, atque fideliter, vt nec in verbo videatur discrepare. O res mira! nam cum ille Semi-Bandellus non solùm vitiauerit omnes Sāctos, & Auctores extraneos, sed etiā proprios, vt vidimus in Alberto Magno, & videbimus in S. Thoma, & omnes alios, addendo plura, vel prætermittendo aliqua, solùm hanc S. Catharinæ auctoritatem refert fideliter, & exactissimè: & ratio fuit, quia alii non fuerant locuti secundùm suum genium, atque desiderium; at in S. Catharinæ verbis, cùm essent sua, & proprio marte, & manu depicta, nō fuit necesse vnum vitiare, vel adulterare verbū: adorauit enim, ac veneratus est opus manuum sui Magistri Bandelli.

Dico septimò, quòd non est difficilè indagare finem, atque intentionem Bandelli, in hac sua pessima, omninòque execrabili additione; fuit enim illa sua communis, & innata, indoles inuētis addere, vt in hac Ventilatione sæpè demonstrauimus, viderat enim, & expertus fuerat in suis disputationibus, quòd S. Antoninus, &

Ano-

Anonymus dicebant nudè, Beatam Cath. rinā habuiſſe reuelationem de Conceptione Virginis Mariæ in peccato originali, ſed illam reuelationē nec comparuiſſe in eius vita, nec ſcriptis, nec comparere originaliter in aliquo ſaltem Doctore, vel Scriptore, & ſic curauit, vt ſuo tempore opus illud Dialogorum, ac orationum cuderetur Brixiæ, & in prædicta oratione 16. addidit, & ſubiunxit clauſulam illam, vt reuelatio S. Catharinæ maneret ſtabilita in perpetuas æternitates. Eodem enim tempore, atque in eadem ciuitate, ipſimet Patres Dominicani abſtulerunt ex operibus Petri Hieremię, etiam Ordinis Prædicatorum, ſermones duos de Conceptione, vt demonſtrabimus infrà num. 245. Inſuper (& hæc eſt ratio potiſsima) Bandellus præcipiti feruore, exagitabatur ſpiritu, vt ſua opinio de maculata Conceptione in omnibus, & per omnia palmam anteferret, & pro viribus conabatur, vt in nullo apice cederet opinioni magis piæ, & hoc exiſtimabat ſe adeptum, quantum ad auctoritates Sanctorū, & rationes Theologicas, ſed videbat pariter, & ſentiebat ex aduerſo citari pro immaculata Conceptione illa tria inconcuſſa fundamenta, officium, miracula, & reuelationes, excogitauit ergo per fas, vel nefas hæc omnia etiā ęmulari, ſed auſculta modum, quo hoc aggreſſus eſt, quia excedit omnem modum.

Videns primo Leonardum à Nogarolis, Prothonotarium Apoſtolicum edidiſſe Officium pro immaculata Virginis Conceptione, & illud fuiſſe approbatum à Sixto IV. Pontific. Maxim. illud impugnauit acerrimè, vt videre eſt ad finem ſui libri: ſentiens hoc nihil proficere, cùm eſſet Magiſter Generalis ſui Ordinis compoſuit alterum Officium pro ſua opinione de maculata Conceptione, & ſanctificatione Virginis, ſequendo in omnibus veſtigia, & diſpoſitionem illius de Conceptione ab Eccleſia iam approbati, ac ipſum publicauit, atque iuſsit recitari in ordine ſuo, vt conſtat ex ipſorum Breuiariis apud nos exiſtentibus. Sed mahina hæc cito euanuit, quia poſt aliquot annos officium illud fuit reformatum, & penitùs expunctum, ita vt nunc nec vlla reſtet ipſius memoria. Secundo videns, & ſentiens, quòd etiā pro opinione pia adducebantur aliqua miracula in diuerſis mundi partibus patrata, decretū, ac diſpoſitum fuit in quodam capitulo, vt pro ipſorum opinione comprobanda efficerentur etiam miracula; ad hoc ſelecti ſunt quatuor fratres, & ciuitas Bernenſis. Quòd quidèm ad annum 1506. executioni cæpit mandari, ſed cùm iam eſſent diſpoſita, & aliqua iam patrata, & publicata pſeudomiracula, Deo ita diſponente per quemdam laicum eiuſdem Ordinis, vocatum Ioannem Ietzer, detectum fuit totum mēdacium, & facta iuridica inquiſitione per tres Nuntios Apoſtolicos, miſſos à Iulio II. Pont. Max. D.D. Achillem Graſſum, Epiſcopum Caſtellæ, Aymonem de Montefalcone, Lauſanen. & Matthæum Schinder, Valeſii Epiſcopos, toto negotio detecto, in platea Bernenſi publicè ann. 1509. menſe Maio, quatuor illi miraculorū patratores igne cremati fuerunt, quorū acta iuridica apud nos extant impreſſa eodem anno Bernæ. Tertio, videns ipſemet Bandellus, quod pro noſtra ſententia adducebantur aliquę reuelationes S. Brigittæ, expreſſæ, atque clariſsimæ, decreuit, ac opere compleuit, fingere etiam reuelationem pro ſua opinione, ita claram, & expreſſam, ſicut fuerant S. Brigittæ, & illam adſcripſit S. Catharinæ, & collocauit inter eius orationes; alia enim opera præcipua S. Catharinæ, cùm iam eſſent publicata, & ab omnibus nota, non potuerunt ſuæ fictioni deſeruire, ſicut orationes, quæ tunc nouiter in lucem prodibant, in Italia, ſed prouidit Deus de originali Auſtriaco, vt ſuprà viſum eſt, quo etiam Domino ſic ordinante, ob honorem ſuæ ſanctiſsimæ Matris, & ſuæ dilectiſsimæ ſponſæ S. Catharinæ, tanquam mendacium fictum, detectum cerneretur.

His omnibus de Bandelliana fictione finem impono, quadam non leui, nec contemnenda coniectura. Sixtus IV. Pontifex Maximus, Ordinis Minorum, ſingularis, & vnicus omnium Religioſorum protector, & præcipuè Ordinis Prædicatorum, vt videre eſt in Mich. Pio part. 6. lib. 3. colum. 52. duo noſtræ religionis Chriſtianæ affectu ſpeciali proſecutus eſt myſteria; ſcilicèt, vulnerum S.P.N. Franciſci, atque immaculatam Virginis Mariæ Conceptionem: ſicque anno 2. ſui Pontificatus Chriſti 1472. expediuit Bullam pro ſtigmatibus, quæ incipit: *Spectat ad Romanani, &c.* 8. idus Septembris, anno verò 4. & Chriſti 1474. per aliam Bullā, quæ incipit: *Licèt dum militans, &c.* 8. Kal. Auguſti prohibuit, ne diceretur Sāctam Catharinam Senenſem habuiſſe vulnera, Chriſti, &c. anno 7. & Chriſti 1477. per aliam Bullam incipientem: *Supplicationibus dilectiſilij, &c.* die 10. Aprilis ſurrexit contra aſſerentes, Beatum Franciſcum non habuiſſe ſtigmata, vel Sanctā Catharinam Senenſem habuiſſe vulnera. Item ann. 8. pro eiſdem ſtigmatibus edidit aliud Breue, incipiens: *Olim tuæ deuotioni*, die 3. Octobris, & anno 10. aliud incipiens: *Alias per Breue*, die 10. Decembris, & hæc de ſtigmatibus. Circa myſterium immaculatæ Conceptionis Mariæ maiorem oſtendit paternalem deuotionis ſuæ affectum, nam anno 6. ſui Pontificatus, Chriſti 1476. per Bullam: *Cùm præexcelſa*, 7. idus Decembris, confirmauit officium Nogarolis, *Sicut lilium, &c.* anno 10. illud Bernardini de Buſtis per Breue incipiens: *Libenter ad ea*, die 4. Octobris, anno verò 11. Chriſti 1481.

edidit

edidit constitutionem illam celebrem: *Graue nimis* contra prædicatores in partibus Lombardiæ, vbi prædictus Vincentius de Castronouo Bandellus, cũ aliquibus suis sequacibus prædicabat, & scribebat libros contra immaculatã Conceptionem. Tandèm videns Summ. Pontifex, illum tumultum non fuisse sedatum, sed potiùs creuisse, edidit aliam constitutionem contra eosdem Lombardos, asserentes in suis prædicationibus, hæreticum esse, dicere Beatam Virginem conceptam fuisse sine originali peccato, expeditã anno 13. sui Pontificatus Christi 1483. incipientem etiam: *Graue nimis*, pridiè nonas Septembris. Summus verò Pontifex Sixtus IV. diem clausit extremum anno sequenti, scilicèt 1484. & cum eius morte surrexerunt illi, qui etiam graue nimis senserant, quæ Summus Pontifex decreuerat circa vulnera S. Francisci, & Conceptionem Virginis Mariæ, & sic Patres illi Lombardi, in Brixia, vna ex præcipuis ciuitatibus Lombardiæ statim post mortem Sixti curarunt edere librum, in quo demõstrarent suam sententiam contra Summi Pontificis iteratas determinationes, & in lucẽ emiserunt ann. sequenti 1496. suprà dictum opusculum Dialogorum, & Orationum S. Catharinæ Senensis in cuius principio, & fine totum est dicere, ac proclamare, Sanctam Catharinam habuisse vulnera Christi, & verbis candẽtibus oppugnare contrarium affirmantes, vel sentientes: Et orat. 16. introduxerunt suam pseudo-reuelationem contra immaculatam Virginis Conceptionem, & sic quantum in ipsis erat, vtrumque voluerunt euellere, affirmando, ipsam S. Catharinam habuisse vulnera Christi, & reuelationem de Conceptione Virginis in peccato originali. Vndè hæc non potest dici reuelatio S. Catharinæ, quia non fuit reuelatio Senensis, sed Lombarda, grauis nimis, & extrauagans reuelatio contra Extrauagantes graue nimis: Si verò in suprà dictis ex fragilitate humana in aliquo à veritatis via deuiaui, vel est aliqua alia reuelatio S. Catharinæ, illã ostendant, parati enim sumus ad dirigendum gressus nostros in viam pacis.

LANDVLPHVS, Ordinis Minorũ, in Postilla sua super Euangelia totius anni, Lucæ 1. & Matth. 1. *Ita Bandel. cap. 24. Dezafol. 48. Petr. de Vincent.*

VERITAS 202.

AVTOR Iste notus est inter Minoritas, cuius proprium nomen fuit Landulphus Carazolius, Neapolitanus, & Archiepiscopus Amalphitanus, qui floruit ad annum 1340. scripsit inter alia super quatuor Euangelia, quæ asseruantur in cõuentu Assisien. & super quatuor libros Sententiarum, & Sermones, qui extant in Bibliotheca S. Ioannis Regum manuscripti in charta pergaminea capsa AA. num. 55. & incipiunt: *Erunt signa in Sole, &c.* De ipso honorificam mentionem faciunt Vvilotus in Athenis, folio 252. Vvading. fol. 235. Gesnerus, folio 233. & alii. Hunc sic adducunt Aduersarii: *Idem tenet Magister Landulphus, Ordinis Minorum, in Postilla super Euangelia totius anni, super illud Lucæ 1. Exurgens Maria; & super illud Matthæi 1. Inuenta est in vtero habens.* Et nihil amplius. Videns autem, quòd nullam adducebant auctoritatem, illico iudicaui, vel Auctorem nõ esse pro ipsis, vel absolutè esse contra ipsos, vtrumque abominabile est, sed ipsi fecerunt vtrumque, vt ex Landulpho constabit.

Nam in Sermonibus suis, qui extant sub hoc Prologo: *Sinceræ charitatis, &c. Fratri Monaldo de Perusiis, Ordinis Fratrum Minorum professori in Romana Curia, Fr. Landulphus de Neapoli, Religionis eiusdem, sacræ Theologiæ Doctor exiguus, æternæ iucunditatis dulcedine, &c.* Sermone citato ab Aduersariis: *Exurgens Maria*, qui est in ordine 5. solùm habet hæc verba, quæ Conceptionis materiam videntur concernere, nam explicans illud: *Benedicta tu in mulieribus*, inquit: *Circa primum sciendum, quòd verè Virgo Maria fuit benedicta, cuius sunt peculiatiùs sanctificata primordia, Lucæ 1. Per Angelum dicitur, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, cuius sunt accumulatiùs locupletata præcordia. Prouer. 6. Sit vena tua benedicta, &c.* Hinc Aduersarii ex illis verbis: *Cuius sunt peculiatiùs sanctificata primordia*, deduxerunt, Virginẽ Mariam contraxisse peccatum originale, cùm tamen deducenda esset contraria, seu opposita consequentia, quia primordia includit primũ instans. Sed iam pergamus ad alterum Sermonem citatum ab Aduersariis, qui incipit: *Inuenta est in vtero*, & est in ordine 7. vbi sic inquit: *Circa quartum sciendum, quod ter in talibus virtutibus Spiritum Sanctum Mariam legimus inflammasse, & illustrasse. Quia vterò sanctificata eius mentem emundauit. Lucæ 1. Spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ; quia sæculo castificatam, cuius carnem præseruauit. Thimot. 7. Bonum depositum custodi, &c.* Hæc, & nihil aliud habet Landulphus in Sermonibus præallegatis ab Aduersariis; ex illo ergo antecedenti: Maria fuit in vtero sanctificata, volunt semper, & vbique, inducere illam suam conclusionem: ergo contraxit peccatum originale. Quasi ad hoc quod non contraheret, non esset necessarium, præcisum, & essentiale, quòd sanctificaretur? Si castificando carnem Mariæ, vt inquit Landulphus, ipsam carnem præseruauit, id est,

id eſt, ab omni immunditia, & contagione carnis: ergo etiam ſanctificata anima in vtero matris ſuę, ipſam emũdauit, id eſt, preſeruauit. Nã apud antiquos illa quatuor verba hic à Landulpho adducta: ſanctificare, emundare, caſtificare, & præſeruare, idem exprimebant. Videntes ergo Aduerſarii, quòd illæ auctoritates Landulphi non erant pro ipſis, ſed potiùs contra ipſos noluerunt eius verba dare in lucem. Iuxta illud: omnis qui malè agit, &c.

Sed ampliùs ventilando Landulphum, & triturando Aduerſarios, hic mendaciter fuit adductus: nam Landulphus in 3. Sentent. diſt. 3. expreſsè ſecutus eſt noſtram ſententiam. Sit primus teſtis Ioannes Vitalis in ſuo Defenſorio libro 4. Ancilla 7. vbi referens Auctores, qui tenuerunt, Virginem Mariam fuiſſe præſeruatam à peccato origali, dicit: *Item Landulphus, Archiepiſcopus Neapolitanus, qui in 3. diſtinct. 3. de ſanctificatione Virginis hoc ipſum fatetur, &c.* Secundus ſit Ioannes Alanus, Doctor Pariſienſis, id ipſum affirmans. Tertius ſit Antonius Chucarus, Epiſcopus Azernenſis, in ſuo Elucidario Conceptionis par. 2. fol. 63. columna 2. dicens: *Landulphus Neapolitanus hanc concluſionem tenet, & acerrimè defendit; & tractatum de huiuſmodi materia compoſuit, & in 3. ſuo eandem concluſionem tenet, & defenſat diſt. 3.* Item fol. 58. col. 1. enucleando auctoritatem Sancti Auguſtini ex lib. de natura, & gratia inquit: *Idem dicit Landulphus, quod non poteſt retorqueri auctoritas Auguſtini ad actualia peccata, quia in illa dicitur: Si omnes Sancti, & ſanctæ cõgregentur, excepta Virgine, & quæreretur, vtrum peccatum haberent. Reſponderent: Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Et cùm inter Sanctos ſint innocẽtes paruuli pro Chriſto paſsi, & paruuli mortui baptizati, qui non habuerunt actuale peccatum, ſed ſolũ originale peccatũ: ergo non ſolùm de actuali, ſed etiã de originali locutus fuit Auguſtinus. Hæc Landulphus.* Et hæc Azernẽſis, ac non quomodocumque ſuſtinuit noſtram opinionẽ, ſed eam ſubtiliter, & latiſsimè ipsã defendẽdo, nam idẽ Azernenſ. fol. 177. §. *Vel dicitur ex intentione Anſelmi, vt deducit Landulphus, quod duplex eſt conceptio, &c.* adducit latiſsimam auctoritatem Landulphi, epilogando ipſam pro Virginis præſeruatione, & concludit illam ſic: *Supràtamen hæc auctoritas eſt extenſa, quæras ſi vis, &c.* & alibi ſæpè reſpondit ad argumenta Aduerſariorum ex doctrina Landulphi. Auctoritatem vero latam adducit folio 134. & concludit ſic: *Iſta eſt optima diſtinctio, & reſponſio ſecundũ mentem Anſelmi, & Landulphi, qui &c.* & fol. 207. ſemper reſpondit ex doctrina Landulphi ad argumenta Aduerſariorum dicens: *Recitat etiam Landulphus in Tractatu de Conceptione Virginis, &c. Item dicit etiam Lãdalphus, &c. Has omnes Landulphus adducit in tractatu de Conceptione Virginis, &c.* & fol. 219. col. 1. citat etiam Landulphum in ſermone de Conceptione, ſicque Landulphus non ſolùm elaborauit Tractatum ſed etiam egregium Sermonẽ pro immaculata Conceptione, atque quæſtionem: qua igitur veritate iſtum adduxiſtis? Etiam Ludouicus à Turri ipſum pro nobis adducit, qui fuit illius temporis Scriptor folio 57. col. 3. Nolo alios enumerare quamplures, ſed ſit quartus, & vltimus veſter Ioannes de Turrecremata, qui par. 13. cap. 3. fol. 164. à tergo, referens Auctores, qui expreſsè fuerunt pro noſtra ſententia, & indubitati, inquit. Allegabuntur conſequenter plures Religioſi, & primò, *de ordine Sacro Minorũ octo, ſcilicèt Petrus Aureoli in Tractatu de Conceptione, qui incipit: Nondum erant abyſſi. Item Petrus Thomæ in Epiſtola ad Infantem Regis Aragonum. Item Franciſcus de Mayronis. Item Petrus de Candia in ſua obedientia, dictus Alexander V. Item Franciſcus Aſtenſis. Item Landulphus Neapolitanus. Item OKam in quodlibeto ſuo, &c.* Ergo Landulphus ſine vllo fundamento, ac veritate fuit adductus. Imò contra mentem ipſius, quia eſt pro nobis tam in ſpeciali tractatu, quàm in 3. Sentent. & etiam in quodam ſpeciali ſermone de Conceptione.

LANDVLPHVS De Saxonia, vel Radulphus, Ordinis Carthuſian. vel Ciſtercienſ. in 1. par. vitę Chriſti cap. 2. *Turrecrem. par. 6. cap. 35. fol. 124. Anonym. Auct. 147. Bandel. cap. 22. Deza fol. 37. à tergo. Gryſald.*

VERITAS. 203.

INTER Auctores toto mundo celebres, & inter fideles notiſsimus eſt Landulphus de Saxonia per anthonomaſiã dictus Carthuſianus (licèt Sixtus Senenſis, & ab illo Mich. Pius p. 2. lib. 2. col. 161. iſtum dicant fuiſſe Dominicanum, ſed qua veritate, ipſi videant) propter illum nunquam ſatis laudatum librum, cõmuniter etiã à paruulis, & fœminis vita Chriſti Carthuſiani nuncupatũ, qui in omnibus Religioſorũ, & Religioſarũ Refectoriis continuò, & ſemper legitur. Et hoc non obſtante, R. Pat. Vincent. Bãdellus de Caſtronouo paruam, vel potiùs nullam certam notitiã habuit de tali Auctore, nam ipſum adducit inter Doctores clariſſimos Ord. Ciſterc. nomẽ Landulphi tranſmutãdo in nomine Radulphi, vndè, & vehemẽter exiſtimo, credo, & affirmo, Bandellum non vidiſſe Carthuſianũ, ſed ipſum reperiiſſe citatũ in Turrecremata. Hic autem Turrec. ſub vno, eodẽque cap. adducit illas duas Religiones, dicẽs: *Ordo Carthuſienſium, Ciſtercienſium, cum multi-*

titudine aliorum Doctorum concurrit in principali ſententia. Et immediatè Auctore primo Carthuſianorum adducit Landulphum ſic: Primo, ſcilicèt, venerabilis Pater Landulphus, qui in libro de vita Chriſti, in 1. part. cap. 2. ita dicit: *Monitu Angelico ambo, ſcilicèt Ioachim, & Anna aſcenderunt in Hieruſalem, & deuotas gratias Deo perſoluentes in templo, reuerſi ſunt ad propria; concepitque Anna, & peperit filiam, quam vocauit Mariam, ab originali autem, quodam priuilegio ſingulari, in matris vtero purgata fuit. Vndè Bernardus: eſt itaque Virgo Regia veris honorum titulis cumulata, quæ procul dubio ſancta fuit antequàm nata. Et infrà dicit Auguſtinus, quòd Beata Virgo antè Conceptionem filij ſanctificata fuit, & quòd peccare venialiter potuit, ſed poſt Conceptionem Filij Dei, nec mortaliter, nec venialiter potuit. Hæc ille.* Quæ verba ad litteram extant in Carthuſiano cap. 2. quod eſt de inuentione remedii, pro ſalute generis humani, in omnibus originalibus, typis mãdatis Venetiis 1498. & 1516. & 1568. & 1604. & Lugduni 1519. & 1530. & Pariſiis 1529. & 1584. & Norimbergiæ 1495. Antuerpiæ 1618. & alibi.

Sed vide, quomodo tranſcripſerunt alii ſcribentes poſt Turrecrematam: Anonymus ſic: Idem tenet eiuſdē Ordinis Dominus Raudulphus, qui in lib. de vita Chriſti, ſic dicit: *B. Virgo fuit in originali peccato concepta, à quo quodam ſingulari priuilegio, in matris vtero fuit purgata, ſicut dicit Bernardus.* Nota hanc execrabilem adulterationem. Bandellus verò ſic: Idem tenet Dominus Radulphus, eiuſdem Ordinis in libro de vita Chriſti, ſic dicens: *Beata Virgo fuit in originali peccato concepta, à quo ſingulari quodam priuilegio fuit in vtero matris purgata. Vndè dicit Auguſtinus, quòd antè Conceptionem filij ſanctificata fuit, & à peccato mundata.* Ex quibus videtur ſolùm vnicum Turrecrematam fideliter tranſcripſiſſe Landulphum: nam alii cõmiſerunt adulterationes, & vitia ſequentia. Primo, mutarunt Religionem. Secundo, nomẽ. Tertio, exiſtimo, quòd nec Anonymus, nec Bandellus viderunt Carthuſianum, ſed ex ſola auctoritate Turrecrematæ ſuas finxerunt. Quarto, abſque vllo timore appoſuerũt ex proprio cerebro illam clauſulam, vbique, ac ſemper ab ipſis additam in omnibus auctoritatibus: *B. Virgo fuit in originali peccato concepta,* quæ in Landulpho non extat: nam ipſe ſolùm dicit propoſitionem infrà explicandam. Quinto, vbi Landulphus, *vndè Bernardus*; ipſi, *vt dicit* Bernardus, denotantes ſic, illam propoſitionem · *B. Virgo fuit in originali peccato concepta,* extraxiſſe Landulphum ex Bernardo, in quo duplicem commiſerunt defectum graniſſimum; vnum fuit fingere verba; alterũ in confirmationem fictionis adducere Bernardum. Sexto, penitùs finxerunt, & adulterarũt totam illam clauſulam: *Vndè dicit Auguſtinus, quod antè Conceptionẽ filij, ſanctificata fuit, & à peccato mundata,* cuius vltima verba, *& à peccato mundata,* nõ extant in Landulpho: Patres mei, à quo peccato ſanctificata fuit Maria ante Cõceptionem Verbi? Si dicitis, quòd à peccato originali, ab hoc ſanctificata fuit in vtero matris, antequam ipſa naſceretur, non verò ante Incarnationem Verbi; vel ſanctificata fuit ab alio peccato, quàm ab originali, ita vt ab originali purgata fuerit in vtero matris, & antè Cõceptionẽ filii fuerit ſanctificata, & ab alio peccato mundata, hoc ſonat, & exprimit veſtra auctoritas, ſed ſic eſt iniqua, blaſphemia, atque ſacrilega; videns has, & alias ſimiles propoſitiones in hac Ventilatione contentas, inuentas, & fictas ex proprio veſtro cerebro, neſcio quid dicam? licèt ſcio quid taceo. Vultisne aſtruere peccatum actuale in puriſsima Deipara Maria, vt ſaltem concedamus vobis originale? Eſt nè hoc date mihi vitulum aut interficiam matrẽ? Vide Ioan. Brizium num. 158.

Verba Landulphi ſanum habent ſenſum, & potiùs ſunt pro nobis quàm contra nos: nam in antecedentibus loquitur de ſterilitate Annæ, & in ordine ad hoc inquit, quòd rediens ad propriam domum, *concepit Anna*, & hæc eſt prima æquiuocatio Aduerſariorum: nam ipſi vellent, imò volunt ſuis additionibus, quod illud, *concepit* intelligatur de conceptione ſecunda prolis, ſeu animatione fœtus, cùm hoc ſit expreſsè cõtra textũ, & Carthuſiani mentem: nã ibi loquitur de conceptione oppoſita ſterilitati, ſeu de Conceptione, qua Anna miraculosè facta fuit fœcunda, & hæc eſt Conceptio ſeminis, illius retentio, & coaptatio in vtero illo arido, ſterili, ac inepto ad generationẽ; hoc enim fuit miraculum ſterilitatis Annę, & eius fœcunditatis prodigium, non autem animatio prolis. Concepit ergo Anna illa ſterilis, & cùm concepiſſet, peperit, & cùm peperiſſet, vocauit filiam ſuam, Mariam: illa autem materia concepta, illa filia genita, illa nata, quæ vocata fuit Maria, *Ab originali autem quodam priuilegio ſingulari in matris vtero purgata fuit*, id eſt, ab omni illo, quod in ſua originali Conceptione, generatione, & natiuitate, habere potuit immunditiæ, libidinis, fomitis, & reatus, &c. itaque illud, quod concepit Anna, habuit triplicẽ ſtatum; nam primo fuit ſolùm materia concepta per duos, vel tres menſes; ſecundo, fuit filia poſt animationem; tertio fuit nata in lucẽ, & poſteà vocata fuit Maria; hoc ergo quod concepit Anna, & peperit, in vtero fuit purgatum ab originali. Hic eſt genuinus ſenſus verborũ Carthuſiani. Cùm ergo ipſe nõ exprimat, an purgata fuerit ab originali peccato, vt falsò addiderunt Aduerſarii, vel ab originali ſpurcitia

citia Conceptionis, vel an purgata fuerit antè animationem, vel post animationem, in rei veritate nihil expressum potest deduci ex his verbis, pro vna, nec pro altera sententia. Etenim si pro illo *originali* intellexit Carthusianus peccatum originale proprium, & formale, erit pro Aduersariis, si verò per illud, *originali*, intellexit illa vitia, quæ in Conceptione, & prolis origine interueniunt, nullo modo est pro Aduersariis, sed potiùs pro nobis. Si ab illo *originali* fuit purgata post animationem, auctoritas extat pro Aduersariis, si ab *originali* fuit purgata ante animationem, extat expressè pro nobis. Quid ergo dicemus ad hæc? Vel quis iudex noster erit?

Dico tamen, quòd si standum est verbis, vt sonant, hæc Carthusiani auctoritas, nullo modo est pro Aduersariis, sed pro nobis. Primò, quia si Aduersarii indicarent esse pro ipsis, non illam tam enormiter adulterassent, nam pro illis duobus Carthusiani verbis, *ab originali autem*; addiderunt hæc omnia: *Beata Virgo fuit in originali peccato concepta à quo*: nota differentiam. Secundo, quia Carthusianus loquitur de originali, absolutè, & indifinitè, si enim ageret de peccato originali, determinatè, & formaliter, facilè erat ei addere, de peccato, vt addiderunt Aduersarii. Tertio, quia ibi dicitur, quòd fuerit *quodam priuilegio singulari in matris vtero purgata*, quod non potest intelligi de purgatione post contractionem peccati originalis; nam hoc non est quoddam priuilegium singulare, esset quidèm priuilegium, sed non singulare: siquidèm Ioannes Baptista, & Hieremias illud habuerunt, & sic vt esset singulare, purgatio debuit esse in materia seminis, antequam anima introduceretur, scilicèt, de fomite ibi existente. Quarto, quia ad marginem prædictorum verborum extat in Carthusiano hæc nota: *Maria purgata, sed magis præseruata asseritur ab originali culpa.* Si hæc marginalis notula esset Carthusiani, tota concluſa esset materia pro nostra sententia, sed dato, quòd sit alterius iam in Chartbusiano habemus alium Auctorem expressum pro nobis. Quinto, colligitur mens Carthusiani ex quibusdam verbis ab Aduersariis prætermissis, & parū infrà existentibus, quæ sic se habent: *Ipsa etiam præfigurata fuit per fontē signatum, in horto cōcluso positum, quia eam concluſam in vtero matris Spiritus Sanctus sanctificauit, & sigillo S. Trinitatis, sic concluſit, & signauit, quòd in ea nunquam aliquid coinquinatum intrauit.* Nota, ò Lector! hæc vltima verba: si in Maria in vtero matris signata ab Spiritu Sancto, *nunquā aliquid coinquinatum intrauit*: ergo nec peccatum originale. Perpende illud, *nunquam*, & illud, *aliquid*, quia excluſiuæ sunt vniuersales. Sexto, idem Carthusianus in eodem lib. vitæ Christi, cap. 42. fol. 140. explicans illud dictum Centurioni: *Non inueni tantam fidem in Israel*, sic inquit: *Inuenit enim in antiquis maiorem, vt Abraham, Isaac, & Iacob, & alijs pluribus Patriarchis, & Prophetis, qui fuerunt fidei nostræ principium, excipitur autem semper B. Virgo, cùm de meritis, vel peccatis fit mentio, &c.* Igitur secundùm Landulphū excipienda erit Virgo Maria ab illa propositione: omnes in Adam peccauerunt; quia ibi de peccatis fit mentio, & per consequens de huiusmodi aliis locutionibus vniuersalibus. Item secūdum ipsum in Maria nihil vnquam coinquinatum intrauit; hæc absque vlla controuersia sunt pro nostra opinione; pro vestra verò videtur esse illud, *in matris vtero purgata*, & ex hac si purgata fuit in semine, & ante primum animationis instans, adhuc est pro nobis: si purgata fuit in ipso primo instanti, etiam est pro nobis: si denique purgata fuit post instans animationis, adhuc potest esse pro nobis, quia scriptum est: Timebunt Angeli, & territi purgabuntur; & illud: Impleti sunt dies purgationis Mariæ secundùm legem. Et tamen Angeli, & multò minus Maria habuit aliquid purgatione dignum: ergo purgatione facta Landulphi, solùm pars illa, siue posterior acceptio, *purgata*, potest esse pars vestra & sine vlla parte.

LAVRENTIVS Calcaneus, Brixiensis, Doctor Canonista, in quodam libello, quē de laudibus Beatę Virginis composuit. *Anonym. Auctore 200. Bandel. cap. 19. Deza fol. 31. & Petr. de Vincet.*

VERITAS 204.

PRO Exacta cognitione huius Auctoris duplicati, vt videbimus num. sequenti, supponenda est eius auctoritas, quam sic adducit Anonymus: Idem tenet D. Laurentius Calcanus, ciuis Brixiensis, vtriusque Iuris Doctor famosus, & acutissimus, & miles auratus, in quodam libello mirabili, quem de honore, & veneratione, ac laudibus Beatissimæ Virginis elegantissimè composuit, quem in quatuor partes diuisit. In prima adducens rationes pro parte negatiua: in secūda verò rationes pro parte affirmatiua: in tertia soluēs rationes, pro parte negatiua: in quarta agens de reuerentia exhibēda imaginibus Mariæ, & mysteriis quorūdam velaminum, quibus hæc imago tegitur in quadā capella. In secundo ergo capite huius quartę partis, sic dicit: *Et licèt dixerim, quòd B. Virgo fuerit semper à peccato præseruata, ita vt nunquā mortaliter, nec venialiter peccauerit, non tamen intelligas, quòd non fuerit in originali peccato concepta, imò originale peccatū*

de facto, & ex debito contraxit, nec fuit ab eo præseruata, quia si ab illo fuisset præseruata, non fuisset per Christum redempta, quia præseruatio tollit redemptionem, & hanc opinionem tenent sancti Doctores, quorum quidam ad Vicariatus Christi dignitatem ascenderunt, vt Beatus Gregorius Papa super Ezechielem, & in libro Moralium, Beatus Leo Papa in sermonibus de Natiuitate, Clemens Papa in Sermone, & Innocentius V. & Beatus Augustinus in multis locis, Beatus Anselmus, Beatus Bernardus, B. Thomas, Albertus Magnus, & D. Bonauentura, & multi alij Doctores. Et post multas allegationes sacræ Scripturæ, & Canonis, & Sanctorum Doctorum, quibus probat, Beatam Virginem in originali peccato conceptam fuisse: tandem sic concludit: *Cum*, inquit, *sententia Doctorum fundantium se in auctoritatibus noui, & veteris Testamenti, sit vera, & præferenda quibuscumque opinionibus, & determinationibus, & aliorum Doctorum, etiam Papæ, & Concilij; sicut patet per Glossam in cap. de Libell. distinct. 2. quæ allegat textum 26. quæst. vltima, & cap. vltimo, vbi dicitur: quoad auctoritas Beati Hieronymi, quæ fundata erat in sacra Scriptura perlata fuit auctoritate totius Concilij. Cùm igitur opinio, quæ dicit Beatam Virginem in originali peccato fuisse conceptam, sit fundata in auctoritatibus noui, & veteris Testamenti, & in auctoritatibus Canonis, & Sanctorum Doctorum, ac Summorum Pontificum, ideò hæc opinio tanquam verior, & à Summis Pontificibus, & à Sanctis Doctoribus, quàm plurimis approbata, & ex auctoritatibus noui, & veteris Testamenti, communiter confirmata, est ab omnibus eligenda. Licèt quidam pauci Doctores, non tamen sancti, nec Summi Pontifices, videantur disputando oppositum tenuisse. Semper enim prima opinio est eligenda, quam tenent Doctores Sancti, & maioris auctoritatis, etiam si essent numero pauciores: multo magis quando sunt numero plures, & sanctitate, & scientia, & dignitate, & auctoritate, vt est pro veritate huius opinionis, determinationis, & sententiæ, quòd Beata Virgo fuit in originali peccato concepta, pro qua etiam sunt fortissimæ rationes. Ideò ista est potius eligenda quam alia: si enim in istis opinionibus esset paritas, respectu numeri sanctitatis, auctoritatis, & dignitatis, tunc excussarentur tenentes quamcumque illarum opinionum, sed sic non est in proposito, ideò illa opinio, vel melius sententia, quæ dicit, Beatam Virginem in originali peccato fuisse conceptam, tanquam tutior est tenenda. Hæc ille.* Hucusque Anonymus ex Laurētio Calcaneo. Bandellus verò illum adducit sic: Idem tenet D. Laurentius Calcaneus Brixiensis, vtriusque Iuris Doctor clarissimus, in quodam libello, quem de laudibus Beatæ Virginis composuit, sic dicens: *Beata Maria contraxit originale peccatum de facto, nec ab eo fuit præseruata, & hanc sententiam tenent Doctores Sancti, & omnes Theologi, & Iuristæ clarissimi. Hæc ille.* Hæc sunt omnia, quæ in hac parte extant apud Aduersarios de Laurentio Calcaneo, ex his ergo dico sequentia.

Primo, de Auctore. Secundo, de libro. Tertio, ac tandē de auctoritate. De Auctore, certissimum esse Laurentium Calcaneum, Ciuem Brixiensem, Canonistam, fuisse in rerum natura. & secundùm Nomenclatores omnes viuebat, vel naturæ debitum soluit anno 1478. & sic fuit contemporaneus Anonymi, qui scripsit ad annum 1475. atque Bandelli scribentis anno 1481. in eadem ciuitate Brixiensi. Auctor est multiplicatus, vt videbimus numero sequenti. De opere, seu libro citato de excellentia, seu laudibus Beatæ Virginis, nunquam vidisse lucem, neque fuisse typis mandatum, & si fuit, vel est in aliqua Bibliotheca, manet manuscriptus, sepultus, & oblitus. Cùm essem Romæ, illum summa diligentia quæsiui, sed de ipso nec saltem vestigium inuenire potui. Imò cum ad Congregationem generalem celebratam anno 1654. cum aliis capitularibus conuenissent Reu. Pater Minister, & Custos illius Prouinciæ Brixiensis innixè ipsos obsecraui, vt prædictum librum quærerent, sed neque paruam illius notitiam inuenerunt. De ipso tamen mentionem faciunt Antonius Possevinus in Apparatu tomo 2. folio 10. dicens: Laurentius Calcaneus Brixiensis scripsit librum de Conceptione Beatissimæ Virginis, &c. At verba hæc transcripsit à Trithemio, folio 123. & Gesnero, folio 535. Iacobus Bergomensis in Supplement. Chronic. ad annum 1483. folio 259. à tergo sic inquit: *Laurentium etiam Calcaneum, nobilem virum, & egregium legum Doctorem, & equitem auratum superiori anno, qui fuit annus à Natali Christiano 1478. &c. Ac libellum de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis, auctoritatibus, ac sententijs plenos, &c.* Isti verò notitiam illius habuerunt ab Anonymo, Bandello, & sic redimus ad turbidum principium, & testem sine fide, & auctoritate. Cùm ergo Bandellus fuerit primus, & vltimus, qui hunc diuulgauit, & vidit librum, absolutè credo, & affirmo totum esse fictum, & saltem auctoritatem adductam falsò fuisse adscriptam Laurentio Calcaneo. Primo, quia libri titulus non cohæret, dicunt enim: (Nota Lector) *Quem in quatuor partes diuisit, in prima adducens rationes pro parte negatiua; in secunda verò rationes pro parte affirmatiua, tertia soluens rationes pro parte negatiua.* De qua materia, vel assumpto erant illa negatiua, & affirmatiua pars, vel quas rationes adducebat, & soluebat? Si de materia Conceptionis,

vt

vt dicunt Nomenclatores, quia liber erat de Conceptione, Anonymus Bandellianus, non adscribit libro talem titulum, dicit enim sic: *In quodam libello mirabili, quem de honore, ac veneratione, ac laudibus Beatissimæ Virginis elegantissimè composuit.* Ergo liber non erat de Conceptione, sed de honore, veneratione, & laudibus. Et si de his, quæ erat illa pars affirmatiua, & negatiua? sed transeat hoc, & admittamus, quod honor, veneratio, & laus illius libri erat dicere, ac probare, ipsam Virginem Mariam fuisse conceptam in originali peccato, & sic simul erat de laude, &c. & de Conceptione, in qua erat pars affirmatiua, & negatiua, & quòd Calcaneus diluit rationes partis negatiuæ; sed quæ erat hæc pars negatiua? Nam si libri titulus, seu proposita quæstio erat, vtrum Virgo Maria contraxerit in sua Conceptione peccatum originale, pars illa negatiua erat nostra; si autem libri titulus, aut proposita quæstio erat, vtrum Virgo Maria fuerit præseruata à peccato originali; pars negatiua erat Aduersariorum, & affirmatiua nostra, nonnè hæc est alia confusio? Sed iam ventilemus sequentia, inquit insuper: *In quarta, agens de reuerentia exhibenda imaginibus Mariæ; & mysteriis quorundam velaminum, quibus hæc imago tegitur in quadam capella: in secundo capite huius quartæ partis sic dicit:* In tribus primis partibus egit Calcaneus de Conceptione Virgininis, adducens rationes pro vna, & altera parte, & soluens illas partis negatiuæ, & in tribus illis partibus nihil dixit Calcaneus, nec inuenerunt Aduersarii vnicam auctoritatem, quam possent pro sua opinione adducere, & in secundo capite quartæ partis, vbi Calcaneus agebat de imaginibus Mariæ, & mysteriis quorumdam velaminum, quibus hæc imago regitur in quadam capella, inuenerunt conclusionem Calcanei contra immaculatam Virginis Conceptionē? O mendacium cum capella, & tot velaminibus introductum! inter imagines, velamina, & quandam capellam apposuit Calcaneus resolutionem adeò acrem, & stupendam contra Virginis puritatem? Patres! quam conuentionem inuenire poterat Auctor vester inter imaginem, velum, & capellam cum Cōceptionis opinione, Decretis Summorum Pōtificum, Conciliis, ac Sanctis Patribus, &c. Hoc enim dicere poterat in parte affirmatiua, vel negatiua, aut saltim in 3. inter solutionē argumentorū. Quare firmiter existimo, & teneo, quòd totum hoc est, & fuit fictum. Secundo, quia hæc materia de Conceptione, non est Canonistarum, sed Theologorum, nec verba in superioribus contenta sunt hominis docti, & Catholici. Quo modo enim Laurētius Calcaneus, alias magni iudicii vir, vt patebit num. sequēti ausus esset dicere quod: *Sententia Doctorum fundantium se in auctoritate noui, & veteris Testamenti sit vera, & præferenda quibuscumque opinionibus, & determinationibus, & aliorum Doctorum, etiam Papæ, & Concilij, &c.* Hæc non est hæreticalis propositio? Dicuntne aliquid amplius Lutherani, & Caluinistę? Tertio, nota hāc Aduersariorum euidentem contradictionē: sic enim incipiunt auctoritatem Calcanei: *Et licèt dixerim, quòd B. Virgo fuerit semper à peccato præseruata, ita vt nunquam mortaliter, nec venialiter peccauerit, non tamen intelligas, quòd non fuerit in originali peccato concepta, imò originale peccatum de facto, & ex debito cōtraxit, nec fuit ab eo præseruata.* Ergo in illis primis tribus partibus non expresserat Calcaneus suam mentem, & sententiam? Imò in illis semper dixerat, Virginem fuisse præseruatam à peccato. Quomodo igitur in tribus partibus libri, si impugnabat præseruationē, vocabat semper Virginem præseruatam à peccato? Ita absolutè, & simpliciter, vt in vltimo libro, seu libri parte loquendo de capella, ac velaminibus opus fuerit facere hanc insignem protestationem? Si in tribus libris impugnauerat præseruationē à peccato originali, quomodo nunc diceret: *Et licèt dixerim, quòd B. Virgo semper fuerit à peccato præseruata, non tamen intelligas, quòd non fuerit in originali peccato concepta.* Ergo in antecedentibus partibus Laurentius locutus fuerat pro præseruatione, non contra illam. Istæ, Fratres mei, non sunt coniecturæ, sed demonstrare euidētia. Supersedeo ab aliis, quia si omnia essent ventilanda, opus hoc creseeret sine termino, & fine; quia est mare magnum, & illic reptilia, quorum non est numerus.

Iudicium simplex, ac sincerum, & absque vlla temeritate propositum est, Laurentium Calcaneum, Lombardum Brixiensem, Doctissimū atque pium virum, elaborasse librū de honore, veneratione, ac laudibus Beatissimæ Virginis Mariæ, in quo semper appellauit Virginē præseruatam ab omni peccato, & in hoc lib. par. 4. vbi Calcaneus agebat de reuerentia exhibenda imagini Virginis Mariæ, & mysteriis quorumdam velaminum, quibus aliqua imago tegebatur in quadam capella, cap. 2. fortè erant aliqua folia vacua, & incompleta, & incidens in hunc librum Bandellus, qui tunc erat Brixiæ, profugus à Sixto IV. Pont. Max. qui iam verbis, & operibus patefecerat suam propensionē in magis piam opinionē, nam parum post expediuit illud celebre diploma: *Graue nimis, &c. Cum in partibus Lombardiæ, &c.* ipsemet Bandellus insertuit in illa 4. par. & cap. 2. (licèt extra rem, & propositum: quia nō erat alius locus in diuersorio illius libri) sub nomine Laur. fingens caput in Calcaneo, omnia illa quæ sub propro nomine nō esset ausus proferre, cōtra auctoritatē Cōcilii, atque Sum. Pont. Nec hoc habet aliquid

temeritatis: nam stylus, & verba ipsa formalia sunt Bandelliana, vt suo loco videbimus, & hoc ipsum fecit cum Ioanne de Poliaco, vt diximus num. 184. hoc etiam ipsum Brixiæ cū auctoritate S. Catharinæ Senensis, de qua num. 201. & hoc ipsum factum est cum Petro Calo Clugiensi, vt videbimus infrà, & si hæc non sufficiunt, adiiciam vobis maiora, in Ventilabro, quæ licèt non fuerint commissa à Bandello, sed ab aliis, sunt tamē eiusdem tenoris, si non maioris. Quid amplius dici potest? Bandellus finxit auctoritatē, vel auctoritates Laurentii Calcanei Canonistæ in Decreto, & sic finxit etiam auctoritatem, vel auctoritates Laurentii eiusdem, Theologi, in hoc libro de laudibus Virginis; quia vt suprà diximus, facta omni diligētia Brixiæ semel, & iterum per R. P. F. Euangelistam de Gauiano, & alios, talis liber, aut illius notitia non inuenitur. De auctoritatibus decreti, vide num. sequentē, vbi inuenies similem fictionem, & si aliquis dixerit non ita egisse in hoc libro, sicut in Decreto, quærat librum Calcanei, & illum in medium adducat, sed existimo, quòd erit quærere in aqua Calcanei vestigium.

LAVRENTIVS Canonista, Antiquus, Glossator, Decreti in cap. per Baptismum dist. 4. & super cap. Pronuntiandum, dist. 3. *Bandell. cap. 19. Deza fol. 29. Vincent. Gryfald.*

VERITAS. 205.

VINCENTIVS Bandellus, qui capite 19. de Doctoribus Canonistis, in principio dixerat. Idem tenet Dominus Laurentius antiquus Glossator, super cap. per Baptismum, de Consecrat. dist. 4. *Natiuitas*, inquit, *Beatæ Virginis in vtero, non celebratur, quia in peccato originali concepta fuit, sed benè Natiuitas eius ex vtero colitur. Hæc ille.* Deindè eodem capitulo 19. Auctore vltimo, iterum dicit: Idem tenet Dominus Laurentius Calcaneus, Brixiensis, vtriusque Iuris Doctor clarissimus, in quodam libello, quem de laudibus Beatæ Virginis composuit, &c. vt in num. præcedenti. Existimauit enim, quòd ponendo vnum in principio, & alterum in fine, vocando hunc solùm Laurentium antiquum, Glossatorem, Decreti, alterum verò Laurentium Calcaneum Brixiensem, vtriusque Iuris Doctorem, & adscribēdo præsenti auctoritatem ex Decreto, illi autem ex libello de laudibus Virginis, poterat securè ex vno facere duos testes contra immaculatam Deiparæ Cōceptionem, sed si aliquo ipsorum diceret veritatem, nō esset hæc apertra multiplicatio error, adeò detestabilis. At suprà adduxit auctoritatē penitùs fictam, & nunc Auctorem mendaciter, ex auctoritate alterius, & ipsam adulteratam, & sic quid dicemus ad hæc? De multiplicatione patet, quia vnus solus fuit Laurentius Calcaneus, Brixiensis Canonista, siuè vtriusque Iuris Doctor, miles auratus, vt videre est apud Forsterium, fol. 682. & omnes Nomenclatores, numero antecedenti relatos Imò ipsimet Aduersarii hanc cognouerunt multiplicationem, nam Anonymus, Vincentia, & Gryfaldus solùm semel adducunt Laurentium, & sic in hac parte Bandellus, & eius Continuator tantùm peccarunt. Extant huius Laurentii Concilia, sub hoc titulo: *Clarissimi Iuris vtriusque Doctoris, veridicique Iurisconsulti D. Laurentij Calcanei, Brixiani, equitis meritissimi consilia Consultoribus vtilissima, &c.* Lugduni in folio magno. Sed hic nihil habet circa propositam materiam de Conceptione.

Primam ergo auctoritatem iam dedimus ex Bandello, de secunda solùm dicit: *Idem dicit super cap. Pronuntiandum, de Consecratione distinct. 3.* & nihil amplius. Sed pro maiori claritate, & radicitùs inuestiganda veritate, aliqua sunt necessario repetenda, quæ posita fuerunt suprà num. 125. & num. 192. scilicèt, has duas Decreti auctoritates, quarū prima, ex cap. per Baptismū, explicando illud Gratiani, quod per Baptismum non datur impeccabilitas, *nisi fortè miraculo*, sic dicit Glossa: *Vt in B. Maria, & in Ioanne Apostolo, quia neuter eorum potuit peccare. Item Natiuitas Mariæ in vtero non celebratur, sed Natiuitas ex vtero benè.* Hæc est auctoritas Decreti, quā citat Bandellus, seu litteraliter adducit, in qua, vt ex se patet, addidit totum illud: *Quia in originali peccato concepta fuit.* Hæc enim verba formalia sunt ipsius themata in omnibus Auctoribus, & auctoritatibus à se fictis, pro secunda citatione ex cap. Pronuntiandum; non adduxit auctoritatem, fortè vt ex illa non deprehenderetur eius repetita falacia in Decreto loquendo de festiuitatibus celebrandis extant hæc verba: *De festo Conceptionis nihil dicitur, quia celebrandum non est, sicut in multis regionibus fit, maximè in Anglia, & hæc est ratio, quia in peccatis concepta fuit, sicut & cæteri Sancti, excepta vnica persona Christi.* Hoc suppositō, solùm restat verificare, an istæ duæ Glossæ sint Laurentii Glossatoris Decreti, vt Aduersarii hic dicunt, vel alterius? Pro quo scias, Lector, quòd in Decreto præter textum Gratiani, extant Glossæ, & Additiones tàm in corpore iuris, quàm ad marginem, quarū maior pars est absque vlla nota, seu signo ad dignoscendum eius Auctorē; aliæ habent notulas, v.g. *Hu.* quia illa est Hugonis, vel Hugutii, aliæ, *Io.* & ille sunt Ioannis Theutonici, Ordinis Prædicatorum, vel alterius, aliæ; *Bar.* quia sunt Bartho-

tholomei Brixienſis; alię, *Arc.* id eſt, Archidiaconi; alię denique habent, *Lau.* & iſtę ſunt præſentis Laurentii Brixienſis, Canoniſtę. Deſcendendo ergo ad noſtrum propoſitum: Gloſſa illa ex cap. Per Baptiſmum, nullam habet notam in originalibus impreſsis, illa ex cap. Pronuntiandum habet hanc, *Hu*, id eſt, Hugonis, quare nec vna, nec altera Gloſſa eſt huius Laurentii adducti ab Aduerſariis; & ſic adductio huius Auctoris eſt fictio, & chimera excogitata ſolùm ad multiplicandum alium teſtem contra immaculatam Virginis puritatem. Hoc dico, ſi ſtandum eſt Decretis typis mandatis: nam manuſcripta exiſtentia in Scoriali nullam habent notam; alia verò exiſtentia in S. Eccleſia Toletana, in illa Gloſſa cap. Per Baptiſmum vnum originale habet has notas, *La. B.* aliud originale habet etiam *La*, aliud habet iſtas duas notulas, *Bn. D.* Gloſſa verò altera ex cap. Pronuntiandum habet in vno originali has notulas, *H, La.* in alio eſt, *Io*, in alio, *Hu. P.* igitur neque ex originalibus manuſcriptis poteſt certò, ac infallibiliter colligi, cuius Gloſſatoris ſint iſtę Gloſſę, quia, vt vides, ſunt ſubſcriptę diuerſis notulis, vna alteram deſtruente, nam ſi fuerunt *La*, id eſt, Laurentii, quomodo eadem̃et habet, *Bn*, & quando iſtę ſignificent Bartholomęum Brixienſem, vel Bernardum Papienſem, quid ſignificauit illud, *D.* de alia autem, ſi eſt *Io.* id eſt, Ioānis, quo modo, *Hu*, id eſt, Hugonis. Et ſi huius, quomodo, *La*, id eſt, Laurentii. Vel denique, quid ſignificare poſſunt illę, *H. P.* ſicque quantum ad Auctorem illarum Gloſſarum tota eſt confuſio confuſionum.

Inſuper notare debes, Lector, quòd cum his Decreti Gloſsis adducunt alios vndecim Auctores, ſcilicet. Primò, Bartholomæum Brixienſem, de quo num. 36. Secundo, Bernardum Papienſem, vt n. 47. Tertio, Archidiaconum, vt n. 99. Quarto, Hugonem Ferrarienſem, vide n. 125. Quinto, Hugutium, vt videre eſt num. 129. Sexto, Ioannem Cōpilatorem Decreti, de quo num. 166. Septimo, Ioannem Gallicum, num. 173. Octauo, Ioannem Theutonicum, de quo egimus num. 192. Nono, Petrum de Braco, de quo n. 239. Decimo, Petrum Mediolanenſem, vt infrà num. 247. Vndecimo, Laurentiū Calcaneum, de quo hìc. En, ò Lector! quomodo ex eiſdem auctoritatibus Decreti dolauerunt Aduerſarii vndecim Auctores diſtinctos, & inſuper iſti Auctores iterum ſunt multiplicati, vt hìc Laurentius bis, & Ioannes Theutonicus quater. O Area fantaſtica! nec ros, nec pluuia deſcendat ſuper te.

LEONARDVS Manſuetus, Peruſinus, Generalis Ordinis Prædicatorum, in Sermone Natiuit. Virginis Mariæ. *Ita Paul. Gryſald. Alphabet. 5.*

VERITAS 206.

PRIMA, Ac præcipua comprobatio ad dignoſcendum Auctorem iſtum eſſe fictum, eſt, videre, quod à ſolo Gryſaldo adducatur: in hac enim materia fabricandi, fuit Scriptor ab humero, & ſurſum omnes alios ſuperans. Tres Leonardos Ordinis Prædicatorum adducunt Aduerſarii pro ſua opinione, Manſuetum, Statium, & de Vtino, & verè, ac realiter exiſtimo, ac credo, quod hi tres vnum ſunt, non in perſonis: nam in illis fuerunt diſtincti, ſed in opere, & libro Sermonum. Fateor, quòd ſecundùm Annales Ordinis Prædicatorum, ad annum 1410. vel 1415. fuit quidā Leonardus Datus, ſiuè Statius de Florentia, Magiſter ſacri Palatii, ac tandem Generalis Magiſter ſui Ordinis, de quo in Auctore ſequenti. Ad annum verò 1464. & ſecundùm alios 1474 vel 1480. (ſcatent enim erroribus omnes Aduerſariorum libri) fuit alius Leonardus Manſuetus, Peruſinus, qui ex Magiſtro Sacri Palatii, fuit etiam Generalis electus tr geſimus primus, ex his duobus Leonardis Magiſtris Sacri Palatii, ac Generalibus: Statius ſcripſit ſermones, vt dicūt Nomenclatores ſui Ordinis: Manſuetus autem nihil ſcripſit, imò neque illius memoriam vllā faciunt Antonius Senenſis, nec Sixtus Senenſis, Placentinus, nec vllus alius antiquus, vel modernus Scriptor Eccleſiaſticus. Michael Pius par. 2. lib. 3. col. 52. refert de hoc Generali multa, ſed nec verbum habet de operibus, vel ſcriptis ipſius.

Bonus autem vir Paulus Gryſaldus cùm fortè legiſſet in ſuis, & extraneis Nomenclatoribus, Leonardum Statium de Florentia, Generalem ſui Ordinis ſcripſiſſe Sermones, in eiſque dixiſſe, Virginem Mariam conceptam fuiſſe in originali peccato, hanc gloriam, & honorē voluit conferre compatriotæ ſuo Leonardo Manſueto Peruſino, & ſic tacuit, & prætermiſit Leonardum Statium, Florentinum, & loco illius in ſuo Cathalogo ſcripſit præſentem, ac ſic finxit Auctorem: equidèm errauit, ſed amore patriæ, & ex hac parte erat dignus venia, niſi eſſet in detrimentum Sacratiſsimæ Virginis Mariæ. Ego abſolutè dicerem, non fuiſſe malitiam, ſed meram equiuocationem, ſi quomodo mutauit nomen Auctoris, non mutaſſet etiam Sermonem, dicit enim ſic: *Leonardus Manſuetus, Peruſinus, Generalis, in Sermone Natiuitatis.* Statius autem adducitur in ſermone Annuntiationis, & ſic coincidit cum Leonardo de Vtino. Quare ex omni parte trituratur fictio Gryſaldi, quoad Auctorem, & multo magis quoad auctoritatem, quia nullam adducit. Ex his iudicatu, Lector, quomodo, & quare hic Leonardus

dus Manſuetus reiiciendus ſit ab hac Area, an quia fictus, vel quia multiplicatus, vel chimericus, vel quia vacuus, aut quia ex Ordine Prædicatorum, vel denique quia totus, tota, totum eſt adiectiuum, & ſubſtantiuum.

LEONARDVS Statius de Florentia, Generalis Ordinis Prædicatorum, in Sermone Annuntiationis. *Bandel. cap. 23. De xa folio 41. Petr. de Vincent.*

VERITAS 207.

CITRA Vllam controuerſiam eſt, Auctorem fuiſſe in rerum natura, quia de illo egregiè loquuntur Antonius Senenſis fol. 165. Placentinus, fol. 397. Poſſeuinus, tom. 2. folio 21. Michael Poccantius in Bibliotheca Florentina, fol. 113. Leander Albert. lib. 1. fuit enim Generalis 25. ad ann. 1415. & vitæ debitum ſoluit ann. 1425. Sed dubitatio magna eſt de auctoritate, quam ſic adducit Bandellus, & ex ipſo Vincentia, vèl è contra: Idem tenet Magiſter Leonardus Statii de Florentia, Generalis totius Ordinis, in ſerm. Annuntiationis, ſic dicens: *Beata Virgo Maria poſt inſtans ſuæ Conceptionis, quàm citò fieri potuit, fuit à macula peccati originalis mundata, & poſteà à fomite peccati totaliter liberata. Hæc ille.* Auctoritas hæc ex multis capitibus videtur ficta. Primò, quia aliqui Nomenclatores affirmant, quòd hic ſolùm ſcripſit quaſdam petitiones, quæ incipiunt: *Faciem tuã lauda, &c.* quæ, vt dicunt: manuſcriptę ſeruantur in Conuentu S. Mariæ Nouellæ Florentin. Si ergo non ſcripſit Sermones de Feſtiuitatibus, fictus erit hic de Annuntiatione. Secũdò, quia cum anno 1651. fuiſſem Florentiæ, & in prædicta Bibliotheca S. Mariæ Nouellę, nec vidi, nec inueni tale opus Sermonum, quia huius Auctoris ſolùm extat ibi manuſcriptum opus Sermonum Quadrageſimalium, cuius titulus eſt: *Flagellum peccatorum.* Et ad noſttam inſtantiam R. P. F. Riagius de Florentia, iterum quæſiuit citatum Sanctorale, vel Sermonẽ, in Conuentu S. Mariæ Nouellæ, & S. Marci etiam Florentin. ſed hucuſque non comparuit. Tertio, quia diſpoſitio, & verba propoſitæ auctoritatis non ſunt Sermonis, ſed quædam reſolutio, & cõcluſio Scholaſtica. Quarto, quia ſtyllus eſt Bandelli, his enim formaliſſimis verbis fingit omnes ſuas auctoritates, de quibus latè in hac Ventilatione. Quinto, quia Leonardus iſte, ſecundùm aliquos fuit Generalis ſui Ordinis, ad annũ 1410. vel 1415. & ſcripſit illas ſuas Petitiones ad ann. 1425. Cùm ergo Turrecremata ſcriberet ad annum 1437. poſt duodecim ſcilicèt annos, non prætermitteret Generalem ſui Ordinis, nec illum excluderet à ſuo Cathalogo, quando tot, tantoſque admiſit nullius auctoritatis, & quando ab illo aufugeret talis Auctoris Sermo, & auctoritas, ſaltem non poterat latere S. Antonino etiam Florentino. Ex his, & aliis exiſtimo, hoc eſſe figmẽtum Bandelli, nam ad multiplicandum hunc Auctorem, opus Sermonum Leonardi de Vtino, Ordinis Prædicatorum, de quo num. ſequẽti, attribuit etiam huic Leonardo Statio, illum adduxit in ſermone Natiuitatis, vt mox videbimus, & hunc in ſermone Annuntiationis, vt ſic ex vno Leonardo faceret duos, quia Vtinus habet vtrumque Sermonem.

Hanc coniecturam comprobo ex ipſiſmet Sermonibus Leonardi de Vtino, habet enim tres de Annuntiatione. Primus eſt in Sanctorali, qui eſt in ordine 23. & incipit: *Quomodo fiet iſtud*, ſed in hoc nihil eſt de hac materia. Secundus extat inter ſermones de Tempore, qui eſt in ordine 36. & incipit: *Nomen Virginis Maria*; ſed hic totus eſt de nomine Mariæ, & nihil habet de Conceptione, ſeu Sanctificatione. Tertius eſt ibidem n. 37. & incipit: *Aue gratia plena*, vbi hæc dicit Leonardus: *Præ omnibus alijs maiora gratiæ priuilegia accepit; vndè legitur Lucæ 1. quòd Angelus dixit ei: Aue gratia plena: Inuenimus autem quibuſdam alijs hoc priuilegialiter eſſe conceſſum, vt in vtero ſanctificarentur, ſicut Hieremias, cui dictum eſt Hier. 1. Antequam exires de ventre, ſanctificaui te. Et ſic Ioãnes Baptiſta, de quo dictũ eſt Lucæ 2. Spiritu Sãcto replebitur adhuc ex vtero Matris ſuæ. Vndè rationabiliter creditur, quòd B. Virgo ſanctificata fuerit, antequam ex vtero naſceretur. Hæc Thomas, & Bernardus in epiſt. ad Lugdunenſes, &c.* Et infrà: *Tertiò fuit plena gratia gratum faciente, nam in vtero matris fuit ſanctificata, & in Natiuitate eius fuit hæc gratia augmentata, &c.* Et concludit: *Hanc gratiã apud Deum omnes, tàm mares, quã fœminæ, vnius Dei notitiã habentes, ab exordio humani generis quæſierunt, & petierunt, & non inuenerunt, neque acceperũt, ſed ſola Virgo Maria cunctos excedens, & Angelos vniuerſos tranſcendens, inuenit apud Deũ, &c.* Sumpta ergo occaſione ex illis ſæpè repetitis verbis Leonardi: Maria fuit in vtero ſanctificata, exiſtimo, fabricaſſe Bandellum ſuprà poſitã auctoritatẽ; nam vbicumq; ipſe inuenit vocẽ iſtam: ſanctificata in vtero, ſemper putauit, Auctorẽ eſſe pro ſua ſentẽtia, quaſi nos negaremus fuiſſe ſanctificatam? omnes enim tenentes eius præſeruationem, neceſſariò etiam, & ſecundùm fidem dicunt, & dicere debent, fuiſſe ſanctificatam, quia eius immunitas nõ fuit per naturam, ſed per gratiã ſanctificantẽ, à qua in vtero matris Maria fuit ſanctificata, id eſt, Sancta facta: nolo de hoc adducere innumerabilia exempla, vel recenſere ſuprà poſita, quia totũ hoc Ventilabrum eſt ad hominem. Irrefragabilis teſtis

erit

erit hic veſter Leonardus de Vtino, qui ſemel, & iterum vocat Virginem ſanctificatam in vtero, & num. ſequenti expreſsè fatetur fuiſſe præſeruatam.

Concluſio igitur huius Auctoris eſt, Leonardum Manſuetum, Peruſinum, Generalē Ordinis Prædicatorum, adductum perperā à Gryſaldo eſſe hunc Leonardum Statium, Florentinum, Ordinis Prædicatorum Generalem, adductum à Bandello, & Vincentia; Leonardosque iſtos nullum ſcripſiſſe opus Sermonum de Sanctis, ſed ſolus alius Leonārdus de Vtino, in quo inueniuntur illi duo ſermones de Aenuntiatione, & Natiuitate, adducti in Manſueto, & Statio, & ſic quantum ad auctoritates iſti fuerunt ſuppoſiti, ſolùm vt multiplicarent teſtes contra immaculatam Virginis Coceptionem. Si ergo Leonardus de Vtino pro ſua fuerit ſententia, ex tribus vnum habebunt, ſi autem fuerit pro noſtra, nullum. Et ſic vide ſequentem, vt adducas eum tecum in iudicium.

LEONARDVS De Vtino, Ordinis Prædicatorum, in Serm. Natiuitatis Virginis, & in aliis Sermonibus. *Anonym. Auct. 96. Bandell. cap. 23. Dezafol. 42. à tergo. Vincent. & Paul. Gryſald.*

VERITAS 208.

HIC Celebris, atque doctus Auctor fuit, floruitque ad ann. 1445. & ſecundùm alios 1458. vt dicut omnes Nomenclatores, & communiter vocatur Leonardus Bellunenſis, Vtinenſis. Ex tribus ſuprà poſitis Leonardis ex Ordine Prædicatorum, hunc ſolùm adducit Anonymus, quia in rei veritate hic ſolus fuit Scriptor Sermonum, ad cuius vmbram alii duo antecedentes ingreſsi ſunt in Aream iſtam, introducti à Bandello, & Gryſaldo. Et confirmatur, quia Aduerſarii nullam de hoc vero, & exiſtente Auctore, cuius opera fuerunt ſemel, & iterum impreſſa Lugduni 1495. in 4. & alibi, nullam aui ſunt adducere auctoritatem, ſolùm enim dicunt: *Idem tenet Magiſter Leonardus de Vtino, in Sermone Natiuitatis Virginis, & in alijs Sermonibus.* Et nihil ampliùs: & ex ſermone Leonardi Statii, non exiſtente in rerum natura adduxerunt integram, & formalem auctoritatem, quia cùm Auctor eſſet fictus, & auctoritas ſuppoſita nullus poterat de illo veritatem indagare, de hoc autem, cùm eius opera eſient prę manibus, & nulla in ſermone Natiuitatis eſſet auctoritas, ad probandum ſuum intentum, adduxerunt nudā citationem; & quid diceres, ò Lector! ſi Leonardus de Vtino eſſet expreſsè contra ipſos? Diceres, quòd ego, ſcilicèt, quòd ex tribus Leonardis duo ficti, & fantaſtici ſint pro ipſis, dum tamen exiſtens, & verus, rectus, & innocens ſit pro nobis.

In prælegato ergo ſermone Nrtiuitatis gloriosæ Virginis Mariæ, qui eſt in ordine 51. & incipit: *In me gratia omnis vitæ, &c.* in principio proponit Vtinus hanc quæſtionem: Vtrùm B. Virgo ab æterno Mater Dei dedicata, fuerit antè Natiuitatem ex vtero ſanctificata? Quam ſic reſoluit: *Ad iſtam quæſtionem reſpondet Sanctus Thomas 3. part. quæſt. 27. art. 1. dicens ſic: De ſanctificatione B. Mariæ, quòd ſcilicèt fuerit ſanctificata in vtero, nihil in Scriptura Canonica traditur, &c.* Et adducta auctoritate S. Thomæ ſic proſequitur Vtinus: *Sciendum quòd B. Virgo fuit quadrupliciter ſanctificata. Primo in ſui Cōceptione, ſcilicèt, dum eſſet in vtero Matris poſita, quod probatur auctoritate, ratione, & exemplo. Auctoritate quidem, quia Pſalm. dicit: Sanctificauit Tabernaculum ſuum Altiſſimus. Et Cant. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Bernard. ait. Neque enim feſtis laudibus, naſcens honoraretur, niſi Sancta naſceretur, eſt itaque Virgo Regia veris honorum titulis cumulata, quæ proculdubio Sancta fuit antequā nata. Ildephonſus Toletanus Archiepiſcopus dicit: Si non in matris vtero ſanctificata fuiſſet, eius Natiuitas celebranda nō eſſet. Ratione quidèm: quia tam pretioſum theſaurum, ſcilicèt Dei Filium, Deus Pater in eius vtero non poſuiſſet, niſi Sanctus, & mundus fuiſſet. Pſalm. Domum tuā decet ſanctitudo, Domine. Et Damaſcenus dicit: Sanctus Deus non niſi in Sanctis habitat. Et Anſelmus dicit: Decuit, vt illius hominis, id eſt, Ieſu Chriſti Conceptio, ex ea Matre fieret, quæ ea puritate niteret, qua maior ſub Deo nequit intelligi. Exemplo, namque patet; quia Hieremias fuit in vtero ſanctificatus, vt eſſet dignior Propheta; multò magis B. Virgo ſanctificari debuit, vt eſſet digniſſima Mater Dei, etiam Ioannes Baptiſta fuit ſanctificatus, vt eſſet dignus Chriſtū baptizare, & ipſum digito demonſtrare; multò magis debuit B. Virgo ſanctificari, vt eſſet digna Chriſtum de ſuis viſceribus generare. Secundo in Spiritus Sanctus præuentione, &c.* Et ſic proſequitur declarando, quomodo ſecundo fuerit ſanctificata in ſuperuentione Spiritus Sancti. Tertio in Filii Dei Conceptione. Quarto in glorioſa ſui Aſſumptione. Iſtæ ſunt quatuor ſanctificationes, quæ habuit Maria ſecundùm Vtinum. In corpore vero Sermonis inquit: *Quando in vtero matris fuit ſanctificata, & tūc omnem nubem peccati originalis Spiritus Sanctus ab ea fugauit, qui omnibus ſua beneficia contulit.* Hæc ſunt omnia quæ habet Vtinus in illo ſermone Natiuitatis, & nihil ampliùs, illa quæ ſunt in ſermone Annuntiationis num. antecedenti patefecimus: in aliis verò Sermonibus nullum magnum, vel paruum verbum habet de

Con-

Conceptione, aut Sanctificatione. Vndè illud dictum Aduersariorum: Idem tenet in sermone Natiuitatis, *& in alijs Sermonibus*, gratis, & absque veritate dictum fuit: quia hic, & in sermone Annuntiationis solùm probat fuisse sanctificatam in vtero, abstrahēdo à præcipua quæstione, quæ hodiè ventilatur, scilicèt, an fuerit sanctificata, & Spiritus Sanctus ab ea fugauerit peccatum originale, antè contractionem, vel post, de quo nihil dicit, nec determinat Vtinus. Imò potiùs in nostram se inclinat opinionem. Tum, quia non dicit, Virginem Mariam contraxisse originale peccatum, hæc enim est conclusio, quam Aduersarii intendunt probare, & ab ipsis proposita. Tum, quia si tres sanctificationes vltimæ positæ ab Vtino non fuerunt à culpa, macula, & peccato, sed præseruatio ab illis, quarè prima non erit etiam sic intelligenda? Tum deniq; quia aliud est fugare peccatum originale, aliud fugare nubem illius peccati, poterat enim facillimè, vbi dixerat nubem, dicere næuum, vel maculam. Sed his omissis in serm. Assumptionis, qui est in ordine 46. sic inquit: *Hic candor puritatis refulsit in B. Virgine, Cātic. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te; cuius puritas non est passa vllam impuritatem sibi permisceri. Sapient. 6. Nihil inquinatum in illa introibit. Non enim sibi se immiscuit peccatum originale, quia fuit in vtero à Spiritu Sancto sanctificata, nec aliquid mortale, quia fuit Patris potentia roborata, neque aliquod veniale, quia fuit ab splendore Filij illustrata. Neque aliquod actuale, quia fuit ab igne Spiritus Sancti inflammata, & c.* Hæc, Patres mei, fuit sententia Vtinensis, & sic intellexit sanctificationem Mariæ in vtero. Aliam expressiorem auctoritatem adducit Bustis, ex Vtino Sermone 4. part. 1. folio 44. sic dicens: Vndè Magister Leonardus de Vtino, Ordinis Prædicatorum in suo Sermonario festiuo, serm. 12. cap. 2. ait: *Maioris gratiæ est præseruari à lapsu, quàm post lapsum reparari, vt patet in B. Virgine. Hæc ille.* Item Ser. 1. de festo Natiuit. Dominicæ, qui est in ordine 11. antè medium loquens de vellere Gedeonis, inquit: *Quid per lanam aridam tota terra remanente completa significatur, nisi B. Maria ab omni contagio peccatorum, & aquarum sola inter mulieres munda, & elongata, existentibus omnibus alijs pollutis aquarum, & peccatorum maculis, ac etiam fædatis.*

Item, dum pro veritate indagāda huius Leonardi, & aliorū reuoluerē Bibliothecas, existimo quod Deo sic disponente, incidit in manus meas liber in folio antiquissimis characteribus typis mandatus, cuius titulus est: *Sertum fidei*, eo quod in ipso omnes articulos fidei luculentissimè sparsim per Sermones declarantur, cuius initium sic se habet: *Incipit notabilissimū Quadragesimale, & in toto suo processu trimembre editum à quodam sacræ paginæ professore, Ordinis Prædicatorum, Leonardo Italico, quod à suo Autore Sertum fidei intitulatur, & c.* Opus verò incipit: *Parce Domine, parce populo tuo*, & extat absque foliatione, anno, & loco impressionis, & vt ex characterum forma colligitur, fuit ex primis, qui Typographiam viderunt, in hoc ergo libri Sermone, Fer. 4. Dominicæ 4. Quadragesimæ, qui est de Baptismo, littera D. & incipit: *Peccatum autem originale contrahere secundùm S. Thomam, in 3. dist. 3. art 2. est, originaliter fuisse in Adam secundùm rationem seminalem. Vndè ad Romanos dicit Apostolus: Omnes peccauerunt in Adam, id est, omnes fuerunt in Adam secundùm seminalem rationem, & apparet, B. Virginem contraxisse peccatum originale, quia & ipsa fuit originaliter in semine Adæ, cum per coitum concepta sit ex Anna, & Ioachimo, quia de Spiritu Sancto non est concepta, sicut Christus. Huius opinionis contrarium est verum, quia determinatum est in Concilio Basilienſi per solemnes Doctores, purissimam Virginem Mariam, sine labe originalis criminis esse conceptam. Et quòd per Baptismum purgetur peccatum originale, patet vbi suprà, & c.* Hic Leonardus expressè, & clarè nostram amplectitur sententiam, & hanc esse veram affirmat. Solùm potest esse scrupulus, an hic Leonardus Italus, fuerit Leonardus de Vtino, vel alius? Ad quod dico, nullum Nomenclatorem de hoc Leonardo Italico facere mentionem, nec ipsosmet Scriptores Dominicanos, sed cùm Vtinus fuerit Italus, ex Ordine Prædicatorum, & dictus Leonardus, ac tandèm scripserit post Concilium Basilienſe, scilicèt ann. 1445. videlicèt post septē annos ab emanatione Decreti; & Leonardus Statius fuit ante Concilium Basilienſe: nam natura debitum soluit, vt dicit Poccantius anno 1425. die 17. Aprilis, id est, vndecim annos ante Decretum. Alter verò Leonardus Manfuetus, fuit post libri impressionem, nec ille aliquid scripsit, vt suprà diximus num. 206. ergo à sufficienti partium enumeratione hic non potuit esse nisi Leonardus de Vtino; cùm ergo iste sit expressè pro nobis, & duo antecedentes sint ficti. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illis?

LEO Papa Primus, Beatus, in Epistola de Fide ad Flauianum, & in Sermonibus de Natiuitate Domini, &c. *Turrecrem. part. 6. cap. 1. fol. 96. à tergo. Anonym. Auctore 3. & auctoritate 16. Bandel. cap. 15. & in Officio lectione 8. Dezà folio 23. à tergo. Spina part. 6. capit. 2. Gryfald. Castellan. Capreol. Soncin. S. Anton. & Barelete.*

VERI-

VERITAS 209.

NOTISSIMVS Auctor eſt ſanctiſſimus Leo Papa I. cuius opera fuerũt typis mandata Venetiis anno 1485. in fol. Louanii 1575. in 8. Col. 1546. Lugduni 1633. Coloniæ 1539. & alibi. Primam eius auctoritatem ſic adducit Turrecremata: Ad idem cõcurrit Beatus Leo Primus in epiſtola ſua illa, quam de fide ad Flauianum conſcripſit, de cuius auctoritate, in cap. Sancta Romana Eccleſia, diſt. 15. vbi de Opuſculis Sanctorũ Patrum, quæ in Eccleſia tanquam Catholica recipiuntur, ſit ſermo, ſic habetur: Item epiſtola B. Leonis ad Flauianum Epiſcopum deſtinata in Concilio Calcedonenſi, cuius textum ſi quis ad vnum iota diſputauerit, & non eum venerabiliter acceperit, Anathema ſit. In epiſtola autem præfata, quæ incipit: Leo Papa, primæ Sedis Epiſcopus, ad Eccleſiæ filios inſtituendos, addẽdum eſt etiam noſtri ſermonis obſequium; dicit ſic: *Si enim homo ad imaginem, & ſimilitudinem Dei factus in ſuæ naturæ honore permanſiſſet, nec diabolica fraude deceptus, à lege ſibi impoſita per concupiſcentiam deuiaſſet, creator mũdi creatura non fieret, nec aut ſempiternus temporalitatem ſubiret, aut æqualis Deo Patri Filius Dei, formam ſerui, & ſimilitudinem carnis peccati aſſumeret. Sed quia inuidia diaboli mors intrauit in orbem terræ. Sed aliter ſolui captiuitas humana non potuit, niſi cauſam noſtram ille ſuſciperet, ſine maieſtatis ſuæ damno, vt verus homo fieret, & ſolus peccati contagium non haberet.* Et poſt aliquantulum ſermonem infrà concludendo dicit: *Ingreditur ergo huius mundi infirma Filius Dei, cœleſti pede deſcendens in nouo ordine, quia inuiſibilis in ſuis, viſibilis eſt factus in noſtris, incomprehenſibilis voluit comprehendi: Ante tempora manens, cœpit eſſe ex tempore vniuerſitatis Dominus ſeruilem formam vmbrata maieſtatis ſuæ immenſitate ſuſcepit. Impaſſibilis Deus, non dedignatus eſt homo eſſe paſſibilis, & immortalis, mortis legibus ſubiacere. Noua autem natiuitate generatus, quia inuiolata virginitas concupiſcentiam neſciuit, & carnis materiam miniſtrauit. Aſſumpta eſt de Matre Domini natura, nõ culpa.* Prẽterea idẽ Leo Papa infrà in eadem epiſtola ita proſequitur: *Natiuitas enim Domini ſecundùm carnem, quamvis habeat quædam propria, quibus humanæ conditionis vitia tranſcendat, ſiuè quòd ſolus ab inuiolata Virgine ſine concupiſcentia eſt conceptus, & natus: ſiue quòd ita in viſceribus matris eſt editus, vt fœcunditas pareret, & virginitas permaneret, non alterius tamen naturæ eius caro, quàm noſtra, nec alio quàm cœteris hominibus anima eſt inſpirata principio, quæ excelleret non diuerſitate generis ſub ſublimitate virtutis.* Item infrà quaſi in fine epiſtolæ ſic ait: *Fides autem Catholica ſingularis, atque vera iuſtificans impium, & creans iuſtum ad humilitatis ſuæ tacta participem, in illo acquirit ſalutem, in quo ſolo homo ſe inuenerit innocẽtem. Eam fidem ſecundùm Euãgelicam, Apoſtolicam, & ſalutaris Symboli doctrinam Nyſſena Synodus inſtituit. Examẽ Calcedonenſe confirmauit, orbis terrarum celebrat, atque veneratur.* Hæc in epiſtola præfata fidei Catholicæ. Et hucuſque ad litteram Turrecremata.

Iſtæ quatuor auctoritates, quas proponit deſumptas ex illa celebri epiſtola ad Flauianum, viſæ, & recognitæ, ſemel, & iterum, atque ter, & quater cùm ſuprà relatis originalibus, in diuerſis mundi partibus excuſsis, quæ in omnibus illis eſt epiſtola 10. necnon cum libro Epiſtolarum Decretalium Summorum Pontificum, vbi hæc extat fol. 167. atque tandèm viſa in ipſomet Concilio Calcedonenſi, ſectione 2. quod eſt in 1. par. Conciliorum tom. 2. fol. 161. ita vt omni diligentia adhibita pro examinanda veritate, viderim vndecim originalia diuerſa, impreſ. & duo manuſ. in Bibliot. Scorialis. Dico & affirmo, quòd epiſtola illa Synodica ad Flauianum non incipit, vt dicit Turrecremata, ſed ſic: *Leo Epiſcopus, dilectiſſimo fratri Flauiano, Conſtantinopolitano Epiſcopo. Lectis dilectionis tuæ litteris, &c.* Deindè dico, & affirmo etiam, quòd ex quatuor clauſulis, ſiuè auctoritatibus, ex illa epiſtola adductis à Turrecremata, & ſuprà poſitis. Prima eſt penitùs ficta, quia illius nec ſaltem minimum verbum extat in tota illa epiſtola S. Leonis. Niſi fortè velint dicere, quòd illa verba deſumpſit ex his Leonis: *Nam illa quæ deceptor intulit, & homo deceptus admiſit, nullum habuere in Saluatore veſtigium. Nec quia communionem humanarum ſubiit infirmitatum, ideò noſtrorum fuit particeps delictorum. Aſſumpſit formam ſerui, ſine ſorde peccati, humana augens, diuina non minuens, &c.* Sed ſi ex iis, totum adulterauit textum, vt de ſe patet. Secũda clauſula, vel auctoritas eſt in aliquibus verbis vitiata, nam in epiſtola ſic dicitur: *Ingreditur ergo hæc mundi infima Filius Dei de cœleſti ſede deſcendens, & à Paterna gloria non recedens, nouo ordine, noua natiuitate generatus. Nouo ordine, quia inuiſibilis in ſuis, viſibilis factus eſt in noſtris, incomprehenſibilis voluit comprehendi. Ante tempora manens, cœpit eſſe ex tempore. Vniuerſitatis Dominus ſeruilem formam obumbrata maieſtatis ſuæ immenſitate ſuſcepit. Impaßibilis Deus non dedignatus eſt eſſe homo paßibilis, & immortalis mortis legibus ſubiacere. Noua autem natiuitate generatus, quia inuiolata virginitas concupiſcentiam neſciuit, carnis materiam miniſtrauit: Aſſumpta eſt igitur de Matre Domini natura, nõ culpa.* Mutauit ergo illud, *Infirma*,

& illud, *pede*, & prætermisit illud; *Noua natiuitate generatus*. Pars huius auctoritatis extat etiã Sermone 2. Natiuitatis, vbi sic inquit Leo: *Noua autem natiuitate genitus est, conceptus à Virgine, natus ex Virgine sine paterna carnis concupiscentia, sine maternæ integritatis iniuria, &c.* Tertia clausula auctoritatis adductæ à Turrecremata, etiam est ficta, & suppositа; quia illa verba, nec alia ipsis similia extant in S. Leone, nisi solùm hæc: *Ideòque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei; vt quia conceptus Virginis diuini fuit operis, non de natura cõcipientis fuerit caro concepti. Sed non ita nobis intelligenda est illa generatio singulariter mirabilis, & mirabiliter singularis, vt per nouitatem creationis proprietas remota sit generis.* Cùm ergo in illis solùm reperiamus aliqualem similitudinem, non verò identitatem, nec saltẽ vniuocationem analogam, vel sunt ex alio loco sumpta, vel, vt dixi, penitùs ficta à Turrecremata. Quarta clausula ita est aliena ab epistola S. Leonis, vt nec verbum vnum illius, magnum, vel paruum reperiatur. Qui hæc auditis, attendite in me, & obstupescite, & superponite digitum ori vestro.

Anonymus via 3. ratione 9. Auct. 16. sic hanc S. Leonis auctoritatem adducit: Item B. Leo Papa in epistola ad Flauianum, de cuius auctoritate dicitur dist. 15. Sancta Romana Ecclesia. Recipimus opuscula B. Leonis Papæ ad Flauianum Episcopum destinata, in Concilio Calcedonensi, cuius textum, si quis ad vnum iota disputauerit, & non eum veneranter acceptauerit, Anathema sit. Hæc ibi. In epistola autem præfata sic dicit: *Quia captiuitas humana solui non poterat, nisi causam nostram ille susciperet, hic sine maiestatis suæ damno verus homo fieret, & solus peccati contagium non haberet. Ingreditur huius mundi infima Dei Filius, cœlesti sede descendens, noua autem natiuitate generatus est, quia immaculata virginitas concupiscentiam nescivit, carnis materiam ministrauit. Assumpta est ex matre natura, non culpa. Fides autem Catholica singularis, atque vera in illo solo requirit salutem, in quo solo homine inuenit se innocentẽ. Hæc ille.* Ex quibus constat Anonymum vidisse Turrecrematam, quia ipsius verba formalia adducit in principio citationis, licèt mutauerit aliqua in auctoritate, exprimens ab illa, quasi quintan essentiã, at ipsius vitia prætermittimus. Constat etiam, Anonymum vidisse epistolam S. Leonis, nam emendauit errores Turrecrematæ, scilicèt illud, *infima*, & illud, *sede*. Vndè ergo isti duo Auctores inuenerunt in epistola S. Leonis tot, tantaque mendacia? Aut ergo ipsi extraxerunt suprà positas auctoritates ab alio tertio originali vitiato, vel ipsi illas finxerunt ex proprio cerebro? Si primum, transeat; quia ex ignorantia peccarunt, licèt crassa, quia tenebantur consulere originalia S. Leonis. Si secundum, retorqueo in ipsos Decreti censuram, & ipsorum verba: *Cuius textum si quis ad vnum iota disputauerit, & non eum venerabiliter acceperit, Anathema sit.* An venerabiliter accepit textum S. Leonis in epistola ad Flauianum, qui penitùs deprauauit à primo vsque ad vltimum verbum, supponendo in ipsa integras clausulas? & hoc non alio fine, nisi vt macularet Dei Matrem Mariam?

Turrecremata in suis quatuor auctoritatibus quatuor interposuit præcipuas propositiones contra Virginis Conceptionem, quas sub breui compendio in vnum collegit Anonymus, quarum illa est prima: *Et solus peccati contagiũ non haberet.* Secunda, illa: *Assumpta est de matre Domini natura, non culpa.* Tertia, est illa: *Quibus humanæ conditionis vitia transcendat, siuè quòd solus ab inuiolata Virgine sine concupiscentia est conceptus, & natus.* Quarta denique illa: *In illo acquirit salutem, in quo solo homo se inuenit innocentem.* Ex his, tres sunt fictæ, falsæ, & suppositæ, ac sola secunda reperitur in S. Leone, sed ex illa nihil colligitur contra immaculatã Virginis Conceptionem. Primo, quia ibi non loquitur Leo de peccato originali Mariæ, sed de peccato, vel peccatis naturæ absolutè, & simpliciter, prout natura illa erat in aliis hominibus, in quibus quando assumunt naturam, est cũ paternæ carnis concupiscentia, & cum maternæ integritatis iniuria, sed Christus assumpsit naturam *noua natiuitate generatus, sine paternæ carnis concupiscentia, & sine maternæ integritatis iniuria.* Et deducit Leo consequentiam: *Igitur assumpta est de matre Domini natura, nõ culpa*, id est, non concupiscentia in generatione, sed solùm caro. Hæc est litteralis, seu grammaticalis constructio. Et obiter nota, Lector, quòd hic bis vocat Leo generationem, natiuitatem. Dicens primo: *Noua natiuitate generatus.* Et secundò: *Noua autem natiuitate generatus, quia inuiolata virginitas, concupiscentiam nescivit, carnis materiam ministrauit.* Si igitur Leo, administrationem materiæ à matre factam, vocat natiuitatem, & generationem prolis absolutè, ac simpliciter, vt hìc vidimus: ergo iuxta hunc dicendi modum, licèt ipse diceret hanc expressam, ac formalem propositionem (quæ nunc formalissimè esset expressiua, ac protestatiua opinionis contrariæ) Maria non est noua natiuitate generata, sed communi, sicut omnes alii, quia assumpsit à matre naturam cum culpa; in rei veritate nihil diceret Leo contra immaculatam Virginis Conceptionem, quia loqueretur de paternæ carnis concupiscentia, & maternæ integritatis corruptione, vt sic cognoscas quid prodest, videre in radice, & ventilare Sanctorum Patrum verba, triturando antecedentia, consequentia, finem, propositum, ac materiam, &c.

Sed

Sed iam alitèr ventilemus eandem Leonis propoſitionem; quando audis à Matre Domini aſſumpta fuit natura, non culpa, intelligis nè hoc copulatiuè, id eſt, quòd in ipſo aſſumptionis puncto erant in Matre Domini ſimul, & ſemel natura, & culpa, & quod Filius Dei aſſumēs à Matre naturam, non aſſumpſit culpam? Nam ſi verba Leonis ſic intelligis, blaſphemas contra Virginem ſanctiſsimam Mariam, & contra ſanam doctrinam ſanctiſsimi Doctoris, Eccleſiam, & Fidem, quia in inſtanti aſſumptionis erat in Maria natura, ſed nulla culpa. Quarè ſecundū catholicū ſenſum ſumenda ſunt illa verba diſtinctiuè, id eſt, aſſumpſit Verbū Diuinū de Matre ſua naturam, quæ in ea erat, ſed non aſſumpſit culpā, quę non erat, aſſumpſit, quod inerat, & non aſſumpſit, quod deerat, erat natura in Matre, & non culpa, & ſic, *Aſſumpta fuit de Matre Domini natura, non culpa.* Et nota, Lector hìc, aliud principium pro vera intelligentia antiquorum Patrum, ſcilicèt, quòd concupiſcentiam patris, & corruptionem matris, vocabant culpam prolis, & ſi communiter intelligebant illud: Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea, vndè in hoc loquendi antiquorum modo: Maria aſſumpſit naturam, & culpam à matre, Maria fuit in iniquitatibus generata, Maria fuit concepta in peccatis, vel in peccato, multum ſonant in hoc ſeculo, ſed nihil dicebant in illo tempore contra noſtram concluſionem, ſeu magis piam opinionem. Diſtingue tempora, & concordabis iura.

Poteſt etiam dici (licèt non ita propriè, ac rigoroſè, ſicut in duabus propoſitis explicationibus) quòd hìc per culpam non intelligitur aliqua culpa perſonalis, nec originalis, actu exiſtens in Matre Domini, ſed ſolùm loqui de culpa naturæ, quæ nomen vitii, ſordis, vel infectionis potiùs quàm nomen culpæ, ſeu peccati meretur. Nam antiqui Patres, ſæpè defectus naturæ humanæ prouenientes ab Adæ peccato vocabant peccata, & derivatos à prima culpa, culpas, & conſtat veritas huius expoſitionis, ſeu declarationis ad hominem: nam quod in ipſa aſſumptione Verbi non fuerit in Matre Domini aliqua culpa perſonalis actualis, ipſi Aduerſarii cum vniuerſa Eccleſia fatentur, ſicut nec originalis, quia hæc ſecundùm ipſos Aduerſarios, citiſsimè poſt Conceptionem ſuam fuit mundata, & purgata: igitur tempore aſſumptionis nulla erat culpa in Maria, nec poterat eſſe ob ſanctificationē: ergo S. Leonis verba debēt ſumi in alia ſignificatione. Illud verò quod dicūt aliqui de reatu, obligatione, ſeu debito contrahendi, quod etiam in renatis, & ſanctificatis manet, & dicitur culpa quoad obligationem contrahendi illam, exiſtimo hìc locum non habere. Concludimus ergo de hac prima auctoritate, quòd in libro Turrecrematæ manet quoad maiorem partem ficta, niſi ferè dicamus, fuiſſe totam; & hoc credo non fuiſſe factum, nec fictum à tam docto, timoratoque viro Sacr. Rom. Eccleſiæ Cardinali, & vniuerſalis Fidei Protectore, ſed à Bartholomæo de Spina, ſeu potiùs Alberto Duìmio. Primus enim, qui hanc adduxit auctoritatem S. Leonis ex epiſtola ad Flauianum, fuit Anonymus, quem ſecutus eſt Bandellus ad litteram, vt videbimus infrà, auctoritate 5. Ex ſuccinctis ergo verbis Anonymi, & Bādelli fabricarunt Spina, & Duìmius illam ſupraposìtam auctoritatis, ſeu auctoritatum machinam.

Secundam auctoritatem ſic adducit Bandellus ex 2. ſermone Natiuitatis Domini, qui incipit: Exultemus in Domino, ſic dicens: *Sine virili ſemine editus eſt Chriſtus ex Virgine, quam non humanus coitus, ſed Spiritus Sanctus fœcundauit. Et cùm in omnibus matribus non fiat ſine peccati ſorde conceptio, hæc ſola indè purgationem traxit, vndè concepit. Quo enim paterni ſeminis transfuſio non peruenit, peccati ſe illic origo non immiſcuit. Hæc ille.* In hac auctoritate malitiosè ſatis addidit Bandellus illud, *ſola*, quæ vox in S. Leone non extat, vt hac vniuerſali excluſiua, *ſola*, addita in Conceptione Chriſti comprehenderet ſub ſorde peccati Conceptionem Mariæ. Deindè eadem intentione prætermiſit immediata verba: *Non immiſcuit; inuiolata virginitas concupiſcentiam neſciuit, ſubſtantiam miniſtrauit, aſſumpta eſt de matre hominis natura, non culpa, creata eſt forma ſeruiſine conditione virili; quia nouus homo ſic contemperatus eſt veteri, vt & veritatem ſuſciperet generis, & vitium excluderet vetuſtatis, &c.* Coincidit ergo hæc auctoritas cū ſuprà poſita in prima auctoritate ex epiſtola ad Flauianum, & ſic videtur multiplicata. Sed vide quomodò Anonymus adducat hanc eandē auctoritatem: Idem in ſer. 2. eius Natiuitat. *Dominus noua eſt natiuitate generatus.* In textu ſic extant: *Nouo ordine, noua natiuitate generatus.* Proſequitur Anonymus: *Quia conceptus eſt à Virgine, ſine paternæ carnis concupiſcentia.* Pro hac clauſula tranſiuit octo lineas, & dereliquit illud: *Sine maternæ integritatis iniuria*, quia erat in laudem Virginis. Proſequitur Anonymus: *Quia futurū hominem Saluatorem talis ortus decebat, & qui in ſe haberet humanæ ſubſtātiæ naturā, & humanæ carnis inquinamenta neſciret.* Et pertranſiens tredecim lineas proſequitur: *Venit enim D. Ieſus contagia noſtra auferre, non perpeti, nec ſuccumbere vitijs, ſed mederi; venit vt omnem languorem corruptionis, & vniuerſa vitia ſordentiū curaret animarū, propter quod opportuit, vt nouo naſceretur ordine, quod nouā impollutā ſinceritatis gratiā, humanis corporibus inferebat.*

Deindè prætermisit nouem lineas (& est mirabile, quod omnia verba prætermissa ab isto Anonymo continent aliquam specialem laudem Virginis) prosequitur sic: *Christus enim nasci voluit ex Virgine, vt videlicèt humano generi natam salutem diabolus ignoraret, & spirituale latente conceptu, qui non alium videret, quàm alios, non aliter crederet natum, quàm cæteros, cuius enim similem cum vniuersis aduertit numerum, parem habere arbitratus est cum omnibus causam. Nec intellexit à transgressionis vinculis liberum, quem ab infirmitate mortalitatis non inuenit alienum.* Hic non pauca sunt vitia in grammatica, & vbi Leo, *naturam* ipse apposuit, *numerum.* Post quinque lineas relictas prosequitur: *Nam superbia hostis antiqui non immeritò sibi in omnes homines ius tyrannicum vendicabat, & ideò non iniustè amitteret originalem deditiy seruitutem, nisi de eo, quod subegerat, vinceretur. Quod, vt fieret sine virili semine, &c.* Nonne miraris de hac auctoritatis babylonica confusione? Sed quidquid sit de his vitiis. S. Leo loquitur hìc de Conceptione prima, id est, generatione Matris in ipsa susceptione, vt constat ex illis verbis: *In omnibus matribus non fiat sine peccati sorde conceptio*, nam dum mater generat, seu concipit materiam, ex qua coagulandus est filius, cùm ibi sit libido, concupiscentia, pollutio, voluptas, carnis appetitus, delectatio, sensualitas, ferè impossibile est (adhuc in sanctissimis viris) quòd hæc fiant non solùm absque sorde peccati, sed etiam absque sordibus peccatorum in plurali; ab omnibus his immunis, ac libera fuit Conceptio Christi, quia *noua natiuitate genitus est*, vt suprà dicebat, *conceptus à Virgine, natus ex Virgine, sine paternæ carnis concupiscentia, sine maternæ integritatis iniuria*; administrauit enim materiam, generauit, concepit Maria Christum, sine virili semine, sine humano coitu, fœcundata ab Spiritu Sancto, & sic transcurrendo, & perpendendo omnia verba illius Sermonis, inuenies, nullomodo esse ibi aliquid de peccato originali, sed de peccatis, ac sordibus matris, dum cõcipit, & generat, quæ in inuiolata virginitate Mariæ, locum non habuerunt. Aduersarii autem vbicumque audiunt conceptionem, illam retorquent ad conceptionem secundam, ad animationem, adhuc quando ipsa verba expressè, & clarè loquuntur de conceptione, seu generatione. Patres mei, hic non quærimus, an Sancta Anna genuerit, aut conceperit Maria in, cum libidine, concupiscentia, & non solùm sorde peccati, sed etiam sordibus peccatorum, &c. Sed his non obstantibus, inquirimus, an in infusione animæ, quã modò vocamus conceptionem, potuerit Maria præseruari ab illo contagio, & infectione existente in illa materia paterni, & materni seminis, in quibus ex vi suæ generationis tenebatur rea, & obnoxia peccato. Ad distinctionem Christi Domini, qui ex vi, & modo suæ generationis fuit immunis in matre, & consequenter in se. Hoc probat Leo in propositis verbis, de animatione autem hic Leo nil agit. Si ergo salua est ex ore Leonis, quarè etiam non à, &c.

Tertiam auctoritatem adducunt sic: Item idem in sermone 3. eiusdem Natiuitatis: *Dei*, inquit, *Filius pro salute mundi Diuinitatis integra manente natura, verus, perfectusq; homo natus ex Virgine, totus in suis, totus in nostris, nostra autem dicimus, quæ in nobis ab initio Creator condidit, & quæ reparata suscepit; nam illa quæ deceptor intulit, & homo deceptus admisit, nullum habuerunt in Saluatore vestigium, nec quia communicationem humanarum subijt infirmitatum, ideò particeps fuit delictorum. Assumpsit formam serui sine sorde peccati, & vt ad æternam beatitudinem ab originalibus vinculis, & à mundanis reuocaremur erroribus, ipse ad nos descendit, ad quem non poteramus ascendere. Ad auferrendum enim hoc ludibrium, quo captiuæ mentes superueniente diabolo seruiebant, non sufficiebat doctrina legalis, nec per solas cohortationes propheticas poterat natura nostra reparari, sed adycienda erat veritas Redemptoris, mortalibus institutis, & corruptam ab initio originem, nouis renasci opportebat exordijs; offerenda erat reconciliandis hostia, quæ esset nostri generis socia, & nostræ contaminationis aliena, vt hoc propositum Dei; quo peccatum mundi in Iesu Christi placuit Passione delere, ad omnium generationum sæcula pertineret. Hæc ille.* In hac auctoritate aliqua fuerunt prætermissa, alia malè transcripta, vt est illud, *cohortationes*, & illud, *redemptionis*, &c. Alia verò, sed parui momenti, vitiata. Sed cum vitiis, vel absq; illis, nescio quomodo ex illa potest deduci proposita conclusio: Ergo Maria contraxit originale? Recurre, Lector, iterum, & millies auctoritatem, & nota, vbi in veneris voces illas. Maria, & si dixeris, quod in illis: *Homo natus est ex Virgine*, transeat, & indica alias, contraxit, habuit, conceptionem, vel originale.

Quartam auctoritatem adducunt ex sermone 4. qui incipit: Semper quidèm dilectissimi, &c. sic: *In hac natiuitate Christi, secundùm Dauid Prophetam: Veritas de terra orta est, & iustitia de cœlo prospexit. In hac natiuitate Christi, etiam Isaiæ sermo completus est dicentis: Producat terra, & germinet Saluatorem, & iustitia oriatur simul. Terra enim carnis humanæ, quæ in prima fuit præuaricatione maledicta, in hoc solo Beatæ Virginis partu germen edidit benedictum, & à vitio suæ stirpis alienum, cuius spiritualem originem regeneratione consequimur, & omnium hominum renascentium aqua Baptismatis, instar est vteri virginalis, eodem*

Spiritu Sancto replente fontem, qui repleuit & Virginem, & peccatum, quod ibi euacuauit ſacra Conceptio, hic myſtica tollat ablutio. Hæc Leo Papa. Fatemur hęc eſſe verba S. Leonis. Sed clauſula illa: *Terra enim carnis humanæ, quæ in prima fuit prævaricatione maledicta, in hoc ſolo Beatæ Virginis partu germen edidit benedictum, & à vitio ſuæ ſtirpis alienum*, nihil habet contra immaculatam Virginis Conceptionem, quia loquitur de benedictione per naturam ex vi generationis ſuæ; nam hoc modo ſolus Virginis partus fuit à vitio ſuæ ſtirpis alienus; licèt enim Annæ partus ediderit germen benedictum, & à vitio ſuæ ſtirpis alienum, hoc fuit ex gratia, & priuilegio, & quòd hoc modo ſint intelligenda iſta verba, patet euidenter: nam Sanctus Leo loquitur de partu Matris, & natiuitate Filii, Conceptio enim nec eſſe, nec dici poteſt partus. Peperit Maria Chriſtum, à vitio ſuæ ſtirpis alienū. Peperit Anna Mariam à vitio ſuæ ſtirpis alienam, imò Eliſabeth peperit Ioannem à vitio ſuæ ſtirpis alienum. Sed nota, Lector, quòd licèt hæc ſufficientiſsimè explicent verba Leonis, vt ſonant in propoſita auctoritate Aduerſariorum, in rei veritate non eſt hæc mēs Leonis, ſed alia longè diuerſa; nam immediatè antè verba propoſita ab Aduerſariis inquit Sanctus Leo: *Ad hoc itaque peccati, & mortis vinculum reſoluendum, omnipotens Filius Dei omnia implens, omnia continens, æqualis per omnia Patri, & in vna ex ipſo conſempiternus eſſentia, naturam in ſe ſuſcepit humanam, ac creator, ac Dominus omnium rerum dignatus eſt eſſe vnus mortalium, electa ſibi Matre, quam fecerat, quæ ſalua integritate virginea, corporeæ eſſet tantum miniſtra ſubſtantiæ, vt humani ſeminis ceſſante contagio, nouo homini & puritas ineſſet, & veritas, &c.* Et ſtatim ſequuntur verba propoſita ab Aduerſariis. Sicque S. Leo vocat ſemen paternum, humanæ naturæ contagium, ab hoc ſemine plantato in maternis viſceribus egrediuntur omnia virgulta infecta, & maledicta: *At in hoc ſolo Virginis partu germen edidit benedictum, & à vitio ſuæ ſtirpis alienum.* Quia in Virginis vtero non fuit plantatum tale ſeminis contagium, ſalua enim virginitate cōcepit, & peperit. Hæc eſt mens, & hoc dicunt verba S. Leonis, & in hac ſententia, & modo loquendi veriſsimum dicit, quod ſolus Virginis partus edidit germen à vitio ſuæ ſtirpis alienum, & in hac acceptione hæc propoſitio: Anna non edidit germen Marianum à vitio ſuę ſtirpis alienum, veriſsima eſt; quia non genuit Mariam humani ſeminis ceſſante contagio; quia vir plantauit, & in plantatione fuit maledictum contagium, ſed Spiritus Sanctus rigauit, & abluit aqua Baptiſmatis inſtar, & in animatione Deus incrementum gratiæ dedit.

Quintam auctoritatem ſic adducit cōtinuator Bandelli in Additionibus, ex ſermone 8. de Natiuitate, vbi ſic dicit: *In totius igitur humani generis ſtrage communi, vnum ſolùm fuit remedium, quod poſſet ſubuenire proſtratis, ſi aliquis filiorum Adam originalis prævaricationis alienus, atque innocens naſceretur, qui cæteris exemplo prodeſſet, & merito, ſed quia hoc naturalis generatio non ſinebat, nec poterat vitiatæ radicis ſine ſemine propago eſſe, Dominus factus eſt Filius Dauid, & de promiſſi genēris fructu proles eſt orta ſine vitio. Hæc ille.* In hac auctoritate aliqua fuerunt prætermiſſa parui tamen momenti pro præſenti aſſumpto, & fateor, ſecūdū veritatē, quòd ex omnibus Sanctis Patribus in hoc Ventilabro adductis ab Aduerſariis, & ipſorum auctoritatibus, hanc ſolam, & vnicam potuerunt adducere cum ſufficienti fundamento, quia ſecundùm litteram ſonat, quòd nulla generatio naturalis, ex illa Adami vitiata radice, poterat eſſe aliena ab originali prævaricatione, & innocens naſci ex humano ſemine propagata. Ex his benè inferunt Aduerſarii hanc conſequentiam: Generatio Mariæ fuit ex paterno ſemine propagata: ergo non potuit eſſe innocens ab originali prævaricatione. Si hoc modo adducti fuiſſent Sancti Patres, & ipſorum auctoritates, nec hoc Ventilabrū prodiret in lucem, nec nos diceremus; hoc eſt falſum, mendacium, adulteratio, &c. Sed more Scholaſtico: Generatio Mariæ fuit ex paterno ſemine propagata; concedo antecedens: ergo non potuit eſſe innocens ab originali prævaricatione; naturaliter concedo, ſupernaturaliter nego: nam S. Leo ſolùm loquitur de naturali generatione, vt conſtat ex illis verbis: *Sed quia hoc naturalis generatio non ſinebat, nec poterat*: Et quòd non potuit naturalis generatio, potuit omnipotentia, gratia, & bonitas Diuina, quæ cum ſit vna, omnia poteſt, & in ſe permanens omnia innouat, & per nationes in animas ſanctas ſe transfert.

Sextam auctoritatem ſic adducit Bandellus: Item in quatuordecim locis ſuę doctrinæ, dicit, ſolùm Chriſtum fuiſſe ſine peccato, ſicut adducam inferiùs, in quinta ratione. Infrà verò cap. 31. fol. 66. in prælegata 5. ratione ſic inquit; Item Leo Papa ad Flauianum: *Captiuitas noſtra aliter ſolui nō poterat, niſi cauſam noſtrā ille ſuſciperet, qui verus homo eſſet, & ſolus peccati contagium non haberet, ideò Dei Filius ſumpſit ex matre naturam non culpam.* Et infrà: *Fides Catholica in eo ſolo acquirit ſalutem, in quo ſolo ſe homo inuenit innocentem.* Et in ſer. 5. Natiuitatis: *Solus Chriſtus inter homines innocens eſt natus, qui ſolus ſine concupiſcentia eſt conceptus.* Et in 8. de Paſſione: *In ſolo*, inquit, *Chriſto natura hominis fuit ſine culpa.* Et in ſerm. 12. *Solus*, inquit, *B. Virginis filius natus eſt abſque delicto, nō*

extraneus ab hominum genere, licèt alienus ab omni crimine. Et idem tenet in duodecim aliis locis, ſicut notaui in alio libro. Huculque ſunt ad litteram Bandelli verba. In ſecundo, & tertio opere, alius vero liber à ſe hic citatus, eſt ille Anonymus, qui etiam fuit Bandelli, vt infrà ſuo loco dicam. Nota amore Dei, hanc Bandelli arithmeticam: proponit, quod in quatuordecim locis ſuæ doctrinæ dicit Sanctus Leo, ſolùm Chriſtum fuiſſe ſine peccato, & hic enumerat quinque, & deindè addit, quod idem dicit in duodecim aliis locis: Ergo non ſunt 14. Bandelle, ſed 17. malè ergo culculaſti? Sed videamus, an ſit verum, quod in ſeptemdecim, vel quatuordecim locis ſuæ doctrinæ, dixerit S. Leo, Chriſtum ſolùm fuiſſe ſine peccato? Et incipiendo ab his quinque, illa prima ex epiſtola ad Flauianum: *Et ſolus peccati contagium non haberet*, eſt ficta, & falſa. Secunda eiuſdem epiſtolæ: *In quo ſe homo inuenit innocentem*, eſt etiam ficta, & falſa. Tertia ex Sermone 5. extat, ſed ſic ſe habet: *Solus itaque inter filios hominum Dominus Ieſus innocens natus eſt, quia ſolus ſine carnalis concupiſcentiæ pollutione conceptus.* Iam ſe explicat Leo, ſed tranſeat; in hac dixit Bandellus veritatem. Quarta ex ſermone 8. ſic ſe habet: *Et ſæuienti diabolo per miniſteria Iudæorum, formam ſerui nihil peccati habentis obiecit, vt per eum ageretur omnium cauſa, in quo ſolo erat omnium natura ſine culpa.* Hic agit Leo de peccatis actualibus, ſed iam veritatem dixit. Quinta, ex ſermone 12. Paſſionis, ſic ſe habet: *Solus enim B. Virginis natus, eſt filius abſque delicto, non extraneus ab hominum genere, ſed alienus à crimine.* Ex iis ergo quinque auctoritatibus tres ſunt veræ, & duæ falſæ. Aliæ autem duodecim ab ipſo citatæ in ſuo primo libro, abſolutè ſunt fantaſticæ, quia in tali libro non extant niſi vna ſermone 14. Paſſionis, in quo dicit: *In quo ſolo innocens erat natura omnium*, ſed hìc loquitur de peccatis actualibus. Et vt hæc veritas conſtaret, tranſcriberem hic omnia Leonis verba; ſed crede mihi, Lector, quòd Bandellus omnes auctoritates Leonis, quas reperire potuit hìc agglomerauit, de illis verò duodecim locis locutus eſt, neſciens, quid diceret; quia nec in S. Leone extant.

Septimam auctoritatem ſic adducunt ex ſermone 1. Natiuitat. qui incipit: Saluator noſter, ſic dicens: *Nemo ab huiuſmodi alacritatis participatione ſecernitur, vna cunctis lætitiæ communis eſt ratio, quia* Dominus *noſter peccati, mortiſque deſtructor, ſicut nullum à reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit. Hæc ille.* Anonymus addidit: *Dei namque Filius ad deſtruendum opus diaboli, & ad reconciliandum nos Auctori noſtro, naturam generis aſſumpſit humani, mortalitatis quidèm noſtræ participem, ſed peccati totius expertem, alienum quippè ab hac natiuitate eſt, quod de omnibus legitur: Nemo mundus à ſorde, neque infans vnius diei, cuius vita eſt ſuper terram Nihil ergo in iſtam ſingularem Natiuitatem de carnis concupiſcentia tranſiuit, nihil de peccati lege manauit. Filius enim Dei, per quem facta ſunt omnia, propter liberandum hominem ab æterna morte, factus eſt homo. Hæc ille.* Hæc auctoritas non ex vno loco, ſed ex toto vno Sermone deſumpta eſt, prima clauſula fideliter eſt tranſcripta, in ſecunda prætermiſerunt tres lineas pro primis verbis, pro reliquis decem. Pro tertia, prætermiſerunt quindecim lineas: Et hæc de littera. Quoad ſenſum Aduerſarii ex illa vniuerſali Sancti Leonis, *Nullum à reatu liberum reperit*, conantur deducere, Virginem Mariam contraxiſſe originale. Sed notare debuerant, hic Sanctum Doctorem non loqui de originali peccato formaliter, ſed de reatu, obligatione, ac debito, vt in ipſis verbis exprimitur, & hoc ipſum conſtat ex ſequentibus. Dicit enim Leo: *Nemo mundus à ſorde, nec infans, cuius eſt vnius diei vita ſuper terram. Nil ergo in iſtam ſingularem natiuitatem de carnis concupiſcentia tranſiuit, nihil de peccati lege manauit.* Cùm ergo loquatur de natiuitate infantis, non de conceptione, de ſorde in puerperio, non de peccato maculante, ac denique de concupiſcentia carnis, non de macula animæ, tandèm *de peccati lege* in natiuitate ex vtero, de hac enim loquitur, vt ex verbis, titulo Sermonis, & illius aſſumpto cõſtat, non vero de Conceptione: cũ ergo Maria fuerit ab hac lege peccati exempta in natiuitate, etiam ſecundùm Aduerſarios, conſtat hanc auctoritatem gratis fuiſſe adductam, ſed dato quod loqueretur de peccat originali, illa propoſitio eſt vniuerſalis: *Nullum à reatu liberum reperit*, vbi nec nominatur, neque exprimitur Virgo Maria

Octauam ſic adducunt: Idem Beatus Leo in Sermone Paraſceue 1. ſic dicit: *Poſt illam namque humanæ prævaricationis primam, & vniuerſalem ruinam, & qua per vnum hominem intrauit peccatum in hunc mundum, & ita per peccatum mors, & in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccauerunt. Nemo damnationem diaboli, nemo vincula diræ captiuitatis euaderet, nec cuiquam, aut reconciliatio ad veniam, aut reditus pateret ad vitam, niſi Dei Filius noſtram carnem aſſumere dignaretur, veniens quærere, & ſaluum facere quod perierat. Neque enim Patriarchis, neque Prophetis neque cuiquam omninò Sanctorum, niſi in redemptione Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſalus, & iuſtificatio fuit, quæ ſicut expectabatur Prophetarum oraculis, ſigniſque promiſſa, ita eſt etiam ipſo munere, atque opere proſecuta. Talibus*

enim

enim vinculis tenebrarum omnes eramus astricti, vt nisi per hanc opem, non possemus absolui. Nos igitur tanto redimimur pretio, nos tanto curamur impendio. Videsne, Lector, hâc vnam continuam auctoritatem ex tribus diuersis locis, seu clausulis illius Sermonis desumptam fuisse? At relicta prima, vbi aliqua prætermiserunt. Secunda sic extat: *Omnis prorsus antiquitas colentium Deum verum, omnis numerus apud sæcula priora Sanctorum, sacra fide vixit, & placuit, & neque Patriarchis, neque Prophetis, neque cuiquam omninò Sanctorum, nisi in redemptione Domini nostri Iesu Christi salus, & iustificatio fuit, &c.* Tertia verò clausula desumpta fuit post tredecim lineas, & extat sic: *Talibus enim vinculis tenebamur constricti: vt nisi per hanc opem non possemus absolui. Humilitas igitur Diuinitatis, nostra protectio est. Nos tanto redimimur pretio, nos tanto curamur impendio. Quis enim ab impietate ad iustitiam, à miseria ad beatitudinem esset recursus, nisi & iustus ad impios, & beatus inclinaretur ad miseros?* Cùm ergo hæc auctoritas sit ab ipsis dispositа, & in multis sit vitiata, ac tandèm nihil probet, illam reiicimus, vt inanem, & vacuam pro materia præsenti.

Nonam auctoritatem adducunt sic: Item in sermone 4. eiusdem Passionis: *Passio*, inquit, *Christi salutis nostræ continet sacramentum, quam Dominus Iesus ita ad omnium hominum suscepit salutem, vt inter clauos, quibus ligno tenebatur affixus, Patrem suum pro interfectoribus exoraret.* Hæc sic extat in S. Leone: *Passio igitur Christi salutis nostri continet sacramentum, & de instrumento quod iniquitas Iudæorum parauit ad pœnam, potentia Redemptoris gradum nobis fecit ad gloriam; quam Dominus Iesus ita ad omnem hominum suscepit salutem, vt inter clauos quibus ligno tenebatur affixus, pro interfectoribus suis paternæ clementiæ supplicaret, & diceret: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* In his verbis dixit expressè, ac nominatim S. Leo, Virginem Mariam contraxisse originale peccatum secundùm Aduersarios. Si ita sit, nec nè, tu vides, illam exactè perpende, quia fortè etiam dices: Pater, ignosce illis, &c.

Decimam auctoritatem sic adducunt: Idem in Ser. 5. eiusdem; hoc inquit: *Licet credi, quòd nemo hominum potest nisi in Christi Passione saluari. Iustus est, & misericors Deus, non sic munere suæ voluntatis est vsus, vt ad reparationem nostram solùm potentiam benignitatis exerceret, sed quia consequens fuerat, vt homo faciens peccatum, seruus esset peccati, sic medicinam ægris, sic reconciliatio reis, sic redemptio est impensa captiuis, vt condemnationis nostræ sententia, iusto liberatoris opere solueretur. Hæc ille.* S. autē Leo sic inquit: *Vtrumque autem recipi, vtrūque cōuenit credi, quia nemo hominū potest nisi in vtroq; saluari. Iustus enim & misericors Deus, &c.* Reliqua non transcribo, quia ex hoc principio sic vitiato, colligi potest, quale erit medium, & finis, & quòd in S. Leone à principio vsque ad finem solùm sit agglomerare auctoritates sine vllo principio, medio, nec fine.

Vndecimam auctoritatem adducunt sic: Itē in Ser. 17. *Christus*, inquit, *Dei Filius per sui sanguinis effusionem mundi totius captiuitatem soluit, & ita humano generi suo morte consuluit, vt Sacramentum salutis etiam ipsis peccatoribus non negauerit. Qui enim venerat vniuersis credentibus peccata dimittere, à generali indulgentia, nec Iudaicum voluit crimen excludere. Hæc ille.* Hæc auctoritas non extat Ser. 17. vt ipsi dicunt, sed 19. circa princip. in qua addiderunt totam illam primam clausulam: *Christus Dei Filius per sui sanguinis effusionem mūdi totius captiuitatem soluit*, quæ non extat in S. Leone: si autem ex aliis verbis scilicèt; quod Christus à generali indulgentia suæ Passionis noluit crimē Iudæorum excludere, potest deduci hæc consequentia: Ergo B. Maria contraxit in sua Conceptione peccatum originale? Tu, Lector, vide, & iudica.

Duodecimam auctoritatem sic adducunt: Item in Ser. 19. *Suscepit*, inquit, *Christus illam naturam, quæ & propagationem nostri generis à communi tramite non abrumperet, & contagium peccati in omnes homines transeuntis excluderet infirmitas sanè, atque mortalitas, quæ nō peccatum erant, sed pœna peccati, à Redemptore mundi recepta sunt ad supplicium, vt impenderentur ad pretium. Quod ergo in omnibus hominibus transfusio fuit damnationis, hoc in Christo sacramentum est pietatis.* Hæc non est Ser. 19. de Passione, qui incipit: Sacram dilectissimi, &c. sed ser. 2. de Resurrectione, cuius initium est: Notum quidèm, &c. & auctoritas incipit sic *Suscepit nos illa natura, quæ & propaginem nostri generis, &c.* Vndè constat illam clausulam fuisse penitùs vitiatam; qui autem exsequentibus verbis scriptis pro Resurrectione Domini, velit saltem apparenter Matrem Domini mortuā fuisse per peccatū originale, existimo quòd hucusq; non surrexit inter natos mulierum.

Decimamtertiam auctoritatem sic adducunt: Item in eodem: *Collapsa*, inquit, *in Parentibus primis humani generis plenitudine, ita Dominus creaturæ, ad imaginem suam factæ, per vnigenitum suum Iesum Christum voluit subuenire: vt nec extra naturam esset naturæ reparatio, & vltra propriæ originis dignitatem proficeret secunda conditio. Erutis enim à iugo captiuitatis antiquæ omnibus hominibus hoc etiam illis præstat redemptio, vt eam sequi posset imitatio. Hæc ille.* Et hæc extat in eodem sermone Resurrectionis, & in aliquibus vitiata

præcipuè, quia vltima clauſula non eſt conſequens auctoritati, ſed aſſumpta aliundè, ſcilicet à ſuperiori parte Sermonis, diſtante ab his verbis per decem lineas. De connexione horum verborum cum peccato originali Mariæ nihil dico, quia tu vides quàm aptè, & ad rem adducta fuerint. Sicque ex duodecim auctoritatibus ſola vna fuit cum aliquali fundamento adducta; vndecim autem abierunt retrorſum.

LINCONIENSIS Epiſcopus ſuper Pſal. & ſupra Boetium, de duabus naturis. *Bandel. cap. 20. Dezà fol. 34. Petr. de Vincentia, & Gryſald.*

VERITAS 210.

NVLLVS Aduerſariorum huius Auctoris adducit nomen proprium, ſed cum à Bandello fuerit dictus Liconienſis, & Linconienſis, & Vincētia appellet, Licontenſis, confuſio eſt in nomine. Proprium vt dicunt fuit Robertus Capitonus, antonomaſticè verò Grotthede, vel Groſateſta, notatione Anglus, & Epiſcopus Linconienſis, & floruit ad annum 1253. Plura laborauit, quorum latiſsimum Cathalogū refert Pitſeus, folio 326. Inter alia ſcripſit in Pſalmos duas Quadragenas, opus manuſcriptum ſeruatum Bononiæ, in Bibliotheca Patrum Prædicatorum, vt dicunt Nomenclatores Sixtus Senenſis, folio 296. Ioannes Balleus, folio 106. Poſſeuinus, folio 343. verbo Robertus. Et hæc de Auctore.

Primam auctoritatem ſic adducit Bandellus: Idem tenet Dominus Liconienſis, Epiſcopus, ſuper Pſalmos circa principium, ſic dicens: *Plus*, inquit, *cæteris Beata Virgo reſplenduit in hac vitæ rectitudine, à qua poſt Conceptionem Ieſu Chriſti, nec per veniale peccatum declinauit. Poſtquam enim tenebras peccati originalis abiecit, ſic arma lucis induta eſt, vt nulla parte peccati venialis nube ſit obſcurata. Chriſtus enim nunquam retroceſſit, quia peccatum nullum habuit: Beata quoque Virgo poſt Conceptionem Chriſti, nec ipſa veniali peccato aliquando retroceſſit; cum cæteri Sancti (tum feruorem charitatis remittendo, tum venialiter peccando) quandoque retrocedant. Hæc ille.* Hanc auctoritatem eſſe falſam, fictam, & ſuppoſitam, ſaltem quoad illam clauſulam: *Poſtquam enim tenebras peccati originalis abiecit*, non ſolùm exiſtimo, ſed firmiter credo, & affirmo, & probo primo, quia Linconienſis alias doctiſsimus, non poterat dicere, nec nec adhuc excogitare rem adeò abſurdam, ſicut eſt illa, quæ in hac auctoritate ſemel, & iterum inſinuare videtur, ſcilicèt, Virginem Mariam ante Verbi Diuini Conceptionem habuiſſe peccatum veniale, non vero poſt Conceptionem. Secundò, quia ſtyllus, & architectura verborum videtur in omnibus eſſe Bandelli, & malitia in eo, quòd non citat Pſalmum, ſeu locum: ſic enim ſemper facit, quando vult fingere. Tertiò, quia, vt ſuprà dixi, opus hoc Linconiēſis ſuper Pſalmos ſeruabatur in Bibliotheca Bononienſi, Ordinis Prædicatorum; cùm ergo tempore Concilii Baſilienſis fuerint omnes Bibliothecæ diligenti cura examinatæ, vt Ioannes de Turrecremata conficeret ſuam Relationem, & hic de Linconienſi nullam faciat mentionem, niſi ſolus Bandellus ergo etiam ex hac parte auctoritas videtur ſuſpecta. Quartò, & potiſsimè, quia ſecunda auctoritas, quam de hoc Linconienſi adducit Bandellus clarè, & apertè eſt falſa, & ficta, vt ſtatim videbimus: ergo & de hac idem eſt iudicandum. Quintò, quia Linconenſis fuit pro noſtra ſententia, vt dicunt, & affirmant Epiſcopus Azernienſis, & Petrus de Candia, poſtea Alexander V. renūntiatus, & alii infrà adducendi. Sextò, gratis dato, & admiſſo, quòd illa verba *Poſtquam enim tenebras peccati originalis abiecit, &c.* ſint Linconienſis, adhuc eius mens manet æquiuoca, quia tenebræ potuerunt abiici, antequam fuiſſent introductæ, vt eſſet illud: Et tenebræ eam non comprehenderunt.

Secundam auctoritatem ſic adducit Bandellus: Idem ſuper Boetium de duabus naturis in vna perſona Chriſti: *Chriſtus ex Maria carnem aſſumpſit, quæ ex prima primi Parentis præuaricatione peccatrix fuit.* Si ergo Bandellus finxit hanc auctoritatem, quid mirum, quòd finxerit etiam ſuprapoſitam? Quòd autem hæc ſit ficta, patet euidenter; nam Linconienſis non ſcripſit ſuprà Boetium, quod conſtat ex Nomenclatoribus, præcipuè ex Pitſeo, qui minutiſsimè refert omnia opera iſtius Doctoris. Item, quia hanc eandem auctoritatem numero, adducit Bandellus in Gilberto Porrectano, Pictauorum Epiſcopo, vero Commentatore Boetii, vt vidimus ſuprà num. 89. ſed accipe illam vterum: Super Boetio de duabus naturis, & vna perſona Chriſti, dicens: *Corpus Chriſti ex Maria ſumptum eſt, quæ ſicut cæteri omnes ex primorum Parentum præuaricatione peccato, & morte ſubiacebat.* Quòd iſtæ duæ auctoritates ſint ex eodemmet fonte extractæ, nullam admittit controuerſiam, nec minimam dubitationem: mutauit autem Bandellus aliqua verba more ſuo, vt fallacia occultaretur, & quod execrabiliùs eſt, quòd in nullo iſtorum adduxit veram, & propriam auctoritatem Commentatoris, ſed ſi tranſcribit vnam malè, alteram peſsimè. Gilbertum proprium Auctorem,

rem, & Commentatorem Boetii, vitiauit in omnibus, quid ſperandum erat in ſuppoſito, & ficto? Vide, quæ diximus ſuprà præallegato num. 89. quia hìc ſolùm intendimus demonſtrare, Linconienſem non ſcripſiſſe ſuper Boetium, & auctoritatem adductam eſſe ſuppoſitam, extractam à Turrecremata, qui illam adducit ſub nomine Guilberti Porrectani, & in hoc ſolùm eſt de duabus naturis, quia illam faciunt Porrectanam-Linconienſem, cum tamē in rei veritate nullius ſit, ſed ficta, & falſa, & idē dicendum eſt de prima ſuper Pſalmos.

Pro vltima concluſione notet Lector, quòd Illuſtriſsimus, ac doctiſsimus Epiſcopus, Antonius Chucarus, in illo ſuo celebri Tractatu de Conceptione Virginis Mariæ, fol. 62. colum. 3. habet hæc verba: *Freculphus Linconienſis Epiſcopus, cuius auctoritas tanta eſt, vt quieſcant Theologi Linconienſi allegato, teſtimonio D. Petri de Candia, tenet etiam hanc concluſionem, ſcilicèt, Virginem ſine originali conceptā.* Hoc elogium communiter dicitur de hoc Linconienſi: fuit enim profundiſsimus Theologus, & in omni ſcientiarum genere doctiſsimus (ad diſtinctionem alterius Freculphi Lexouienſis, Monachi Ordinis Sancti Benedicti, qui floruit ſecundùm Geſnerum, folio 248. ad ann. 840. & ſcripſit ſolùm Chronicon mundi) licèt nullum eius opus fuerit typis mandatum. Petri de Candia auctoritatem circa ſecundam viam, concluſione vltima, dedimus ſuprà num. 14. Ambr. Catharinus Archiepiſcopus, in 3. tract. part. 1. colum. 72. loquens de Linconienſi, inquit: *Et hic citra controuerſiam noſtræ ſententiæ adſtipulatur, & fauet.* Igitur ſi Linconienſis ſuſtinuit, Virginē Mariam fuiſſe conceptam ſine originali peccato, Bandellus, & ipſius ſequaces in hoc, ſicut in aliis multis abſolutè claudicauerunt à via veritatis. Inſuper Ioānes de Turrecremata part. 13. cap. 2. fol. 264. dicit, Robertum Linconienſem fuiſſe pro noſtra ſententia in Tract. de Laudibus B. Virginis, ſic dicens: *Decimotertio allegatus fuit Robertus Linconienſis in Tract. de Laudibus Beatæ Virginis, ſed hæc allegatio, vt legi in quodam tractatulo, ſuſpecta eſt de veritate.* Igitur Turrecremata nihil vidit authenticum, nec pro, nec contra. Sed locutus eſt in fide cuiuſdam tractatuli, & ſi tractatulus fuit ex ſuis, vbi erit fides? Ludouicus à Turri de Verona in ſuo Compendio Virginei honoris, fol. 57. col. 3. adducit hunc Robertum Linconiēſem etiam pro noſtra ſententia. Item Ioann. Vitalis in ſuo Defenſorio libro 4. Ancilla 7. in principio ſic dicit: *In ſecunda decade alios decem habuit Doctores ſolemnes, quorum primus erat Dominus Robertus Linconienſis, qui in tractatu, quem fecit de Laudibus Virginis Matris Dei, affirmat, fuiſſe ſine originali concepta.* Eadem verba habet Alanus Pariſienſis. Ex his vide, cui credendum ſit, an vnico Bādello, in omnibus falſario; vel ſuprà relatis?

LOTHARIVS Dominus, in primo libro de Miſeria conditionis humanæ. *Ita Bandellus capit. 21. Dezaeius Continuator folio 37.*

VERITAS 211.

AVCTOR Hic non ex ſimplici ignorantia, ſed ex præmeditata aduertentia multiplicatus fuit à Bandello, nam cum inter Summos Pontifices, cap. 18. adduxiſſet Innocentium III. Summū Pontificem, ſic dicens: *Innocentius III. Beatus, qui compoſuit multas Decretales, & librum de Miſeria conditionis humanæ, &c.* iterum infrà cap. 21. inter Theologos antiquos clariſsimos, adducit Lotharium, ſic dicens: *Idem tenet Dominus Lotharius, in libro de Miſeria conditionis humanæ.* Et nihil ampliùs. Quod autē iſte fuerit Innocentius III. non ignorauit Bandellus, vt conſtat ex ipſius verbis, nec ignorare potuit: nam liber ipſe ſic eſt inſcriptus: *Incipit liber Lotharij Leuitici, & Cardinalis, de vitæ vilitate, conditionis humanæ, qui Lotharius, poſteà Innocentius Papa Tertius dictus*: nec hoc dicitur ſolùm in vna, vel in altera impreſsione, ſed in omnibus, ſub titulo de Contemptu mundi, ſiuè de Miſeria conditionis humanæ, vt conſtat ex Antuerpienſi, anno 1540. in 12. Venetiana 1538. in 16. Pariſienſi 1482. in 12. & ibidèm iterum 1594. Salmantina 1626. Lugdunenſi 1546. & nouiſsimè Colonien. cum aliis operibus 1575. in folio. Quomodo ergo poterat Bandellus, aut eius Continuator ignorare hæc omnia? Inſuper, quia omnes Nomenclatores, & Hiſtoriographi Eccleſiaſtici dicunt ſic: Innocentius III. antè aſſumptionem ſuam ad Petri Sedem, vocatus Lotharius, Comes Signianus, Campanus, ſiuè Lotharius Diaconus, &c. Et hæc de Auctoris nomine, dignitate, ac multiplicatione.

Peccauit ergo Bandellus. Primo, quia hìc ſolùm citauit Lotharium, abſque alio titulo, & cognomine, vt ſic non deuenirent ſimplices in cognitionē Auctoris. Secundo, ſuprà allegauit Innocentium III. in ſermone Purificationis: hic verò alium adducit librum, ſeu Tractatum, vt ex hoc etiam hallucinarentur Lectores. Tertio, quia non ſolùm eſt duplicatus cum Innocentio III. ſed etiam triplicatus cum Innocentio II. nam auctoritates huius Lotharii, ſiuè ſermones Purificationis, & Aſſumptionis adſcribit prædictis Summis Pontificibus. Quarto, quòd hìc nō adduxit auctoritatem, vt ſic ex ſo-

la

la fantastica citatione de Miseria conditionis humanæ, etiam comprehenderet Sacratissimã Virginem Mariam sub miseria peccati originalis. Sed vt videat Lector etiam comprobatum illiud hic, quod sæpè alibi diximus, & demonstrauimus, quòd vbicumque Aduersarii, adducto Auctore tacent auctoritatem, aliquod latet mendacium, decreui adducere quidquid est in illo libro Lotharii de Miseria conditionis humanę, quæ respicere possunt Cõceptionis materiam.

In illo ergo lib. 1. citato ab Aduersariis cap. 3. agit de vitio conceptionis hominis in cõmuni, dicens: *An illud forsan respondebis, quòd Adã ipse fuit de limo terræ formatus, tu autẽ ex humano semine procreatus? At ille fuit formatus de terra, sed virgine; tu verò procreatus de semine, sed immundo. Quis enim potest facere mundũ de immundo conceptũ semine? Quis est homo vt immaculatus sit, & iustus appareat natus de muliere? Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Nõ in vna tantũ iniquitate, sed in multis iniquitatibus; & in multis delictis. In delictis videlicèt, & iniquitatibus proprijs, in delictis, & iniquitatibus alienis.* Die nobis, Bãdelle, vbi loquitur hic Lotharius de Cõceptione Virginis Mariæ, vel vbi affirmat, ipsam contraxisse maculam peccati originalis? sed vltra progrediamur: nam cap. 4. subtit. de Concept. infantis, inquit: *Est enim duplex conceptio; vna seminum, & altera naturarum; prima fit in commissis; secunda fit in contractis. Parentes enim cõmittunt in prima; proles cõtrahunt in secunda. Quis nesciat concubitum etiam coniugale, nunquã omninò cõmitti sine pruritu carnis, sine feruore luxuriæ, sine fœtore libidinis. Vndè semina concepta fœdantur, maculantur, & vitiantur, ex quibus anima tandẽm infusa contrahit labẽ peccati, maculam culpæ, sordem iniquitatis; sicut ex vase corrupto liquor infusus corrumpitur, & pollutũ contingens ex ipso contactu polluitur, &c. O grauis necessitas, & infelix conditio! antequam peccemus peccato constringimur, & antequã delinquamus, delicto tenemur, &c.* Ex his excellentissimi, ac sui tẽporis primi Theologi, ob summã scientiã suam, cùm adhuc esset trigintatrium annorũ, ad summum Apostolicę Sedis apicem euecti colligere debemus omnium antiquorũ Theologorum mentem in hac Conceptionis materia; scilicèt, esse duplicẽ conceptionem, vnam seminum, alteram naturarũ, quarum prima est cõceptio parentum, quæ fit in peccatis, carnis pruritu, luxuria, & libidine, de qua cõmuniter dicitur: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea, quia fit in cõmissis patris, ac matris: *Vndè* (nota, ò Lector! vt singularissima hæc verba) *semina concepta fœdãtur, maculantur, & vitiantur.* Ecce in conceptione prima carnali, & concubitũ coniugali, ex parte parentũ est primò, pruritus carnis, feruor luxurię, & fœtor libidinis, ex hoc, vel his peccatis originis, siuè originalibus parentũ. Secundo, in semine redundat fœditas, macula, & vitium, *ex quibus* secundùm Lotharũ, & optimè, *anima tandẽ infusa contrahit labem peccati, maculã culpæ, & sordẽ iniquitatis sicut ex vase, &c.* Secunda conceptio naturarũ, in qua animatur proles, & anima infusa cõtrahit in singulari, nõ plures, sed labem peccati, maculã culpæ, & sordem iniquitatis, peccatũ scilicèt originale. Cũ ergo harum prima Cõceptio Virginis Mariæ, id est, illius parentum, & seminis facta fuerit die 8. Decemb. dicebant aliqui antiqui verè, & veri simè, quòd nullo modo illa erat celebranda, quia fuerat in peccatis parẽtum, carnis pruritu, feruore luxuriæ, & fœtore libidinis, ac per consequens in semine cõcepto fœditas, macula, & vitiũ: ergo hæc conceptio nullam habet sanctitatis causam, aut rationem vndè celebretur: & secundùm hanc acceptionẽ optimè dicebant, & consequenter verũ stabilire conabantur, scilicèt, quòd illa celebranda erat per ordinem ad sanctificationem, seu animationẽ, quæ secunda est conceptio, & propria, iuxta modum loquẽdi neothericorũ Theologorũ. Aduersarii verò has duas conceptiones confundunt, & quæ antiqui dixerunt de prima, transferunt ad secundam. Demus, Patres mei, quòd hìc diceret Lotharius: B. Virgo Maria in sua Conceptione fuit concepta cum pruritu carnis, fœtore luxurię, & feruore libidinis, & sic illa conceptio fuit fœda, maculata, & vitiata: quid ampliùs potest dici, vel astringi in hac materia? Tamen secundùm stabilita principia Lotharii, nihil dicit cõtra immaculatam Virginis Conceptionẽ; quia loquitur de prima cõceptione parentum seminis, in commissionis, non de conceptione naturarũ, contractionis, & prolis, & huc respiciunt verba Lotharii à vobis adducta sub nomine Innocẽtii II. suprà nu. 148. in auctoritate, quæ est huius Lotharii, postea Innocentii III.

Constat ergo ex dictis ab hoc grauissimo, ac primo antiquitatis Theologo, quòd hominis conceptio habet principium, medium, & finẽ: principiũ est in parentibus, in quibus inuenitur pruritus carnis, feruor luxuriæ, & fœtor libidinis: mediũ consistit in semine deciso, in quo remanet, ex illo primo origine fœditas, macula, & vitiũ. Finis est animæ infusio, quæ à prædictis principio, & medio, contrahit labem peccati, maculã culpæ, & sordem iniquitatis. De hoc fine, ò Lector! est nostra cõtrouersia, & quæstio, sed aduersarii, quidquid antiqui dixerũt de principio, & medio, sine delectu, aut vlla diuisione volunt, & defacto reducũt ad finẽ, & quidquid inuenerunt dictum de parẽtibus, & semine, reducunt ad animam, & sic confusa sunt omnia.

LVCAS

LVCAS Beatus, Ordinis Minorum, in ſer. de Natiuitate Virginis, & ſerm. de Baptiſmo Chriſti. *Turrecrem. part. 6. cap. 32. fol. 123. Anonymus Auctore 115. Bandellus cap. 24. Dexa folio 46. Vincent. Gryſald. Arpalleg. folio 32.*

VERITAS 212.

HIC Fuit ſocius, ac diſcipulus S. Antonii Paduani, ex nobili Bellunorum familia, qui vitæ ſanctitate claruit ad annum 1231. ſcripſit diuerſa Opuſcula, præcipuè ſermones de Tempore, ac de Sanctis, qui, vt affirmat Vvillotus & Gonzaga, ex Rodulpho Toſigniano, aſſeruantur in conuentu Sancti Antonii Paduæ manuſcripti, de quo vide plura alia apud Arturum à Monaſterio, in Martyrologio Franciſcano fol. 64. & tom. 2. Annal. ad ann. 1249. & 1269. num. 9. & in quo deceſsit è vita, licèt in libro de Scriptoribus fol. 238. dicat idem Vvadingus obiiſſe anno 1245. Huius primam auctoritatem ſic adducit Turrecremata: Item ad idem eſt eiuſdem Ordinis P. Fr. Lucas in opere ſuo notabili, ac famoſo Sermonum, qui in ſermone de Baptiſmo Chriſti, ſub themate: *Hic eſt dilectus filius meus, in quo mihi, &c.* dicit quod commendat Pater Chriſtum à quatuor, primo à ſingularitate, cum dicit: Hic, quaſi ab aliis diſcretus, & cui nemo ſimilis. Et ſpecialiter in tribus. Primo, in donorum plenitudine. Secundo, in peccati immunitate, quia peccatum non fecit; nec contraxit. Et adducens illud ad Hebræos 7. ſegregatus à peccatoribus, dicit ſic: *Segregatus, quia caro eius de maſſa peccatrice aſſumpta eſt, & mundata.* Hucuſque Turrecremata, ſed hæc auctoritas nihil habet contra Virginis Conceptionem, quis enim negat, vel negare poteſt, quod Chriſtus Dominus fuit ſingularis, imo ſingulariſsimus, vnicus, & ſolus in peccati immunitate, quia peccatum non fecit, nec contraxit, nec facere, nec contrahere poterat; ſiquidem erat immunis à ſe, per eſſentiam, in radice, in actu primo, & ſecundo, in cauſa, & in effectu, &c. Et ſic fuit ab aliis diſcretus, cui nemo ſimilis, ſegregatus à peccatoribus, & in hoc etiam à iuſtis; quare illa prima verba nihil habent pro præſenti materia, quia communiſsima ſunt, nō ſolùm in B. Luca, ſed in omnibus Sanctis Patribus. Illud autem: *Segregatus, quia caro eius de maſſa peccatrice aſſumpta eſt, & mundata*, duplicem poſſunt habere ſenſum, ſcilicèt, quod illud: *peccatrice* faciat relationem de natura humana, & hoc modo extra omne propoſitum adducitur hæc auctoritas: nam caro Chriſti de maſſa peccatrice fuit aſſumpta, & qui aliter diceret, reputandus eſſet peſsimus hæreticus. Vel illud, peccatrice facit relationem de Virgine, ſic: caro Chriſti de maſſa peccatrice virginea aſſumpta eſt, & mundata, ſed hic ſenſus nimis durus eſt, no ſolùm quia ſupponit poſt aſſumptionem fuiſſe mundatam, ſed etiam, quia immediate antè aſſumptionem nihil habuit caro Virginis mundatione dignum, & in vtraque acceptione propoſitio non ſolùm eſt falſa, ſed blaſphema. Reſtat ergo, quod ad illam verificandam, recurrendum ſit ad eius Conceptionem, & ſanctificationem in vtero matris ſuæ. Tunc ſic, hæc propoſitio: caro, quam Chriſtus aſſumpſit de maſſa peccatrice, in vtero S. Annæ fuit ſanctificata, nullo modo lædit eius immaculatam Conceptionem, ſed potiùs illam tuetur, ac defendit, quia ſi caro fuit mundata: ergo anima in ſui vnione, non contraxit culpā ab infectione carnis. Fortè dices, quod caro illa fuit mundata non antè, ſed poſt contractionē culpæ in anima. Sed aſsigna vbi dicit hoc B. Lucas? Loquitur enim, vt ſuper dicebamus in Lothario, de maſſa carnis ſegregata in prima generatione à cocubitu, pruritu, feruore, & fœtore libidinis in genitrice, & à fœditate, macula, & vitio, in ſemine, à quibus omnibus ſegregata fuit caro Chriſti, & fortè non fuit ſegregata caro Mariæ, in ſententia B. Lucæ, ſed ex hoc nihil concluditur pro anima, & ſecunda conceptione naturarum.

Secundam auctoritatem ſic adducit Turrecreta: Et in ſermone Natiuitatis Beatæ Virginis, ſub themate: orietur ſtella, poſt diuiſionem triplicis pulchritudinis, dicit ſic: *Prima pulchritudo eius fuit munditia culpæ originalis, ſecunda, cōtinentia virginalis. Tertia cōuerſatio cæleſtis. Hæc ille.* Exiſtimo, hanc auctoritatem eſſe expreſsè, & clarè pro nobis, quia habere munditiam culpæ originalis, eſt non habere, nec habuiſſe illam culpam. Hoc infinitis poteram demonſtrare exemplis, ſed abſit; quia hic ſolùm ventilamus ipſaſmet auctoritates adductas ab Aduerſariis, ad hominem, non aliundè; Ego millies dico, & tota Seraphica Religio cū ſuo Luca profitetur, quod prima pulchritudo Virginis, fuit eius munditia culpæ originalis, vel ſic munditia culpæ originalis fuit prima pulchritudo Virginis: conſtrue verba hæc, vt volueris, ſemper illa inuenies pro nobis. Hoc benè præuidit Anonymus, ideo aliter illa diſpoſuit, atque finxit execrabiliter, dicens: Idem tenet B. Lucas, qui Paduæ ſepultus, in principio claruit multis miraculis, in tantùm, quòd extingui videbatur nomen B. Antonii de Padua, in cuius capella erat ſepultus; propter quod Generalis Fratrum Minorum ſtans ad ſepulchrum eius, mandauit ei, vt de cætero miracula non faceret, factumque eſt, vt mortuus obediret viuo, & à faciendis miraculis ceſſauit. Hic in ſerm. Natiui-

tiuitatis Beatæ Virginis dicit: *Natiuitas Beatæ Virginis tota fuit generosa, quia veluti sanctuarium quoddam, adhuc in ventre matris existens, mundata fuit ab originali peccato. Hæc ille.* Idē etiam dicit in sermone de Baptismo Christi, qui incipit: Hic est filius meus, &c. Hucusque Anonymus, & eadem verba ad litteram habet Petrus de Vincentia. Vide, ò Lector! & perpēde, quantum distet hæc auctoritas ab illa Turrecrematæ? Sed adhuc suspende iudicium, & audi Bandellum, sic eandem auctoritatem proponentem: Idem tenet B. Lucas, Ordinis Minorum, qui Paduæ sepultus claruit multis miraculis, in sermone de Baptismo Christi, & in sermone de Natiuitate Virginis, sic dicens: *Quia Beata Virgo fuit in vtero matris per sanctificationem ab originali peccato mundata: ideò Natiuitas ipsius fuit tota gratiosa, & per consequēs solemniter est celebranda. Hæc ille.* Ecce, ò Lector! tres testes, qui de vna, eademque indiuisibili auctoritate testimonium perhibent, sed hi tres non sunt vnum in auctoritate, imò neque in fictionibus, quia vnusquisque abiit per viam suam;

Turrecremata transtulit auctoritatem Beati Lucæ, sed cùm vidisset Anonymus, illam expressè esse pro nobis, finxit aliam, quæ cum illa Turrecremate haberet aliquam similitudinem, sed inseruit illam pessimam clausulam: *Adhuc in ventre matris existens mundata fuit ab originali peccato.* Bādellus verò, qui videbat Fratres Minores celebrare iam festiuitatem Conceptionis ex concessione Sixti IV. tertiam aliā excogitauit auctoritatem, ita à veritate alienā, & suo genio, & stylo conformem, quòd quando tam euidenter non constaret esse fictam, ipsum verborum artificium manifestat Auctorē. Nec hoc existimo esse huius temeritatis apicē; sed aliud, scilicèt, quòd Anonymus dicat: Idē etiam dicit in sermone de Baptismo Christi. Et Bandellus etiam dicat de sua auctoritate, quòd etiam extat in sermone de Baptismo Christi. O Patres! tres auctoritates adeò diuersæ, ac distinctæ inter se, extant in vno sermone de Baptismo? Vel hæc propositio: *Beata Virgo fuit in vtero matris per sanctificationem mundata ab originali peccato*, est in duobus illis sermonibus de Natiuitate Virginis, & Baptismo Christi? Vndè ergo extraxit Turrecremata, suas auctoritates absque prædictis verbis?

MARINVS Cistercienſis, Magiſter in ſermone Natiuitatis Beatę Virginis. *Bandel. cap. 22. Deza fol. 37. à tergo. Vincent. & Gryſald.*

VERITAS 213.

AVCTOR Iſte quoad nomen eſt fictus, quoad rem verò multiplicatus, vtrumque ſic probo, ac declaro. Inter Scriptores Eccleſiaſticos, qui floruerunt ad annum 1320. fuit quidam dictus Martinus Polonus, Archiepiſcopus Coſentinus, qui ſcripſit Chronicon breue, à mundo condito, vſque ad ſua tempora, & ſecundùm aliquos, etiam ſermones de Tempore, ac de Sanctis, licèt hucuſque nullus ſcriptor illos viderit. Hunc ergo Patres Dominicani vno ore dicunt, & affirmant fuiſſe ſui Ordinis Religioſum, Patres verò Ciſtercienſes è contra defendunt, & tenent fuiſſe ſui inſtituti Monachum, & vt talem enumerant illum, & adducunt inter Scriptores ſuæ Religionis, vt videre eſt in ſua Bibliotheca, fol. 80. Accipe Arnoldum de Vvion loquentem de Archiepiſcopis Ordinis Ciſtercienſis, cap. 45. primi libri, ſic dicentem: *Frater Martinus Polonus, Monachus Ordinis Ciſtercienſis, quem nonnulli Dominicani faciunt: alij etiam Scotum fuiſſe affirmant, Pœnitentiarius Papæ, & Archiepiſcopus Conſentinus, floruit anno D. 1320. Hic inter alia ſcripſit Hiſtoria, ſiuè Chronicon, &c.* Idem dicunt Bergomenſis numero ſequenti adducendus. Poſſeuinus fol. 82. de quo etiam Carol. de Viſch. in Biblioth. Ciſtercien. fol. 192. & alii. Ex hac autem opinionum diuerſitate ſumens occaſionem Bandellus, & ſui ſequaces, decreuerunt mutato habitu illum multiplicare contra immaculatā Virginis Cōceptionem, ſicut ſuprà fecerunt Annibaldum Dominicanum, & Annibaldum Ciſterciēſem: ſic ergo in claſſi Ordinis Prædicatorum adduxerunt Martinum Polonū Epiſcopum, & Pœnitentiarium, cum omnibus ſuis titulis, atque epithetis, in ſermone Natiuitatis Virginis; vt videbimus ſtatim; & inter Ciſtercienſes mutando nomen Martini in Marini, & prætermittēdo omnia alia ſigna, quibus poſſet ſua caliditas patefieri, ipſum iterum adduxerunt in eodem Natiuitatis ſermone. Hæc fuit, & eſt nominis fictio, & Auctoris multiplicatio.

Auctoritatem ſic adducunt: Idem tenet Magiſter Marinus in ſermone Natiuitatis B. Virginis: *Omnes*, inquit, *mulieres dum concipiunt, non ſine peccato concipiunt: ſola autem B. Virgo filium ſine peccato concepit. Hæc ille.* Si auctoritas hæc eſſet vera, & non etiam ficta, ego dicerem, ex illa nihil deduci contra immaculatam Virginis Conceptionem: nam fatemur, quòd omnes mulieres cum peccato concipiūt, ſcilicèt libidine, concupiſcentia, carnis delectatione, vel ſaltem aliquo deordinato appetitu, à qua vniuerſali regula ſola Virgo Maria exemp-

exempta fuit, quia virtute, gratia, & auxilio ſubnenientis Spiritus concepit Chriſtum puriſsimè cum omni ſanctitate, & abſque vlla minima carnis ſenſuali delectatione. Et hoc ſolùm dicit auctoritas: loquitur enim de Conceptione prima ſeminis, & de peccato in commiſsis, vt ſuprà nu. 211. dicebat Lotharius: ſed ex hoc non infertur, quòd in ſecunda conceptione naturarum genitus, fœtus, ſeu proles, non potuerit præſeruari in ſui animatione à peccato originali: nam libido, concupiſcentia, & appetitus inordinatus parentum, non eſt principium formale maculādi filium, ſed ſolùm cauſa, & radix: tranſacto enim illo actu, poſt quadraginta dies introducitur anima, &c. Hæc, & alia poſſent dici, ad auctoritatem Marini, ſi illa eſſet vera, & non ficta, vt mox dicam.

MARTINVS Polonus, Epiſcopus, Ordinis Prædicatorum, in ſerm. Natiuitat. B. Virginis. *Turrecrem. cap. 29. fol. 120. Anonym. Auctore 56. Bandell. capit. 23. Deza fol. 40. Vincent. Brixian. Barelet.*

VERITAS. 214.

CONRADVS Geſnerus adducit inter Scriptores Martinum Polonum, ſed non dicit, ex qua Religione fuerit. Aubertus Myreus, nec aliquis Nomenclator antiquus de ipſo vllam mentionem faciunt. Ex modernis aliqui dicunt, fuiſſe ex Ordine Prædicatorum, alii Monachum Ciſtercienſem. Vide Carol. de Viſch. in Bibliothec. fol. 192. & Iacob. Bergom. in Suppl. Chron. lib. 13. ad ann. 1252. fol. 222. dicentem. *Martinus Scotus Ciſtercienſis, Ordinis, &c. Hiſtoriam breuem compoſuit, quam Martinianam appellauit: hanc tamen laudem Prædicatores cuidam Ordinis ſui Martino Epiſcopo tradunt.* Ex his aliqui affirmant, ſcripſiſſe Sermones, aliqui, quod ſolùm Chronicon mundi, quod impreſſum fuit Baſileæ anno 1559. & Antuerpiæ 1574. neque etiam conſtat, quo tempore floruerit. nam aliqui dicunt floruiſſe ad ann. 1250. alii verò ad annum 1320. & ſic de hoc Auctore omnia ſunt dubia, & incerta. De hoc Martino Polono extat in Biblioth. Scorialis manuſcrip. de quatuor virtutibus, ſiuè de vita honeſta VII. F. 21. & Hiſtoria III. H. 2. & V. D. 12. & IV. F. 34. & etiam Chronic. manuſc. ſed ibi non exprimitur, an fuerit Dominicanus, vel Ciſterciēſis. Si denique credendum eſt Bellarmino, & Poſſeuino, homo fuit in ſuis ſcriptis ſimpliciſsimus. Ego autem ſolùm dico, & affirmo, opus Sermonum ſub nomine Martini Poloni nunquam vidiſſe lucem, & quòd eſt multiplicatus cum antecedēti Marino Ciſtercienſi, addita enim vna ſola littera, vel ablata, duos fecerunt Auctores, vel ergo vnus aſſumetur, & alter relinquetur, niſi fortè quoad auctoritatē vterque ſit fictus.

Huius auctoritatem ſic adducit Turrecremata: Item ad idem eſt eiuſdem Ordinis Magiſter Martinus Polonus, Pœnitentiarius Papæ, & Epiſcopus, qui fecit Chronicas de Summis Pontificibus, & Imperatoribus, in opere magno Sermonum ſuorum, qui in ſermone Natiuitatis Virginis eiuſdem, ſub themate: Auferrubiginem de argento, & egredietur vas puriſsimum, ita dicit: *Hoc argentum erat aliquando reſperſum rubigine originalis culpæ, ſcilicèt, in Conceptione, quia in peccato originali (quod propter vetuſtam aſſumptionem humanæ naturæ rubigo dicitur) concepta fuit. Vndè Conceptio eius, ſicut nec aliorum Sanctorum, qui omnes in peccato concepti ſunt, minimè celebratur, præter Ieſu Chriſti Conceptionem, quæ ſine peccato fuit. Oſtendens ergo culpæ originalis Conceptionem, & præſens pro futuro ponens, more Prophetarum, dicit: Auferrubiginem de argento.* Hæc auctoritas, ſi benè perpendatur, ad ſanum ſenſum reduci poteſt: nam loquitur more antiquorum de prima conceptione, ac de rubigine exiſtente in ſemine, ac de illo fomite ibi derelicto, quem omnes vocabant originale peccatum, cauſa ſcilicèt pro effectu, vt ſæpè in hoc Ventilabro demonſtratum eſt. Dicit ergo Polonus: argentum ſeminis, ex quo formandū erat vas, id eſt, Virgo, erat aliquando reſperſum rubigine originalis culpæ, vndè talis conceptio; ſeu prima generatio, ſeminiſque effuſio, nullo modo eſt celebranda, inquit Polonus, ſed ſola Ieſu Chriſti, quia in eius Cōceptione, ſeu generatione, non fuit illud ſemen effuſum cū libidine, & cōcupiſcentia. Nota illud, *reſperſum rubigine*, quia hoc non poteſt reſpicere peccatum originale formaliter, ſed cauſalem reſperſionem parentum. In hoc enim differunt argentum, ſeu ſemē effuſum à Ioachimo, & Anna, vt egrederetur vas Mariæ, ab argento deciſo à ſola Maria, vt egrederetur vas humanitatis Chriſti, quod primum, vtpotè à viro, & fœmina, fuit ab ipſis reſperſum rubigine concupiſcentiæ, & libidinis, ſeu pruritu proueniente ab originali culpa, vt ſuperiùs vidimus in Lothario, ſecus verò ſecundum, quia omni puritate nituit, ſiquidèm ab Spiritu Sancto præueniente nullo modo fuit, nec potuit eſſe reſperſum rubigine carnalis delectationis. Hunc eſſe genuinum ſenſum verborum Poloni, benè præuidit Bādellus, quarè aliter finxit ſuam auctoritatē, ſic dicens: Idem tenet Dominus Martinus Polonus Epiſcopus, & D. Ioannis XXII. Pœnitentiarius, qui compoſuit Chronicas, in ſermone Natiuitatis Beatæ Virginis, ſic dicens: *Beata Virgo fuit ab originali peccato antequam naſceretur,*

in vtero matris per sanctificationem mundata. Hæc ille. Confer, ò Lector! hæc verba cum suprà pontis adductis à Turrecremata, & videbis, quanta, ac qualis fuerit Bandelli malitia, ac deprauatum genium contra Virginis puritatem, & idem dic de Petro de Vincentia, qui relicta auctoritate Turrecrematæ, transcripsit de verbo ad verbum hanc Bandellianam.

Restat nunc inquirere de veritate prædictarũ auctoritatum. Et in primis, Auctor antiquus, qui edidit opus Sermonum dictum: *Dormi securè, &c.* in sermone Conceptionis Virginis, attribuit hunc Sermonem S. Bernardo, cuius verba sunt: *Tertiò probatum est per exemplum, quod factum est in Sancto Bernardo, qui tenuit Beatam Virginem esse conceptam in peccato originali, vndè dicit in quodam Sermone, exponens de Beata Virgine illud verbum: Auser rubiginẽ de argento, & sic egredietur vas pulcherrimum, hoc est, de Virgine Maria, dicit: Auser rubiginẽ, id est, originale peccatum, & sic egredietur vas pulcherrimum; id est, Virgo gloriosa.* Si iste est Sermo adductus ab Aduersariis: ergo non est sui Martini Poloni, sed S. Bernardi, & si non Bernardi, quia non extat in eius operibus, erit illius Cistercienſis, de quo numero antecedenti, quo etiam confirmantur ibi dicta. Sed cuiuscumque sit, verba non cohærent inter se, & sic videntur in auctoritate multa fuisse addita. Sed fortè dices, Sermonem illum Martini Poloni esse alterum sub eodem themate, hoc non nego, quia possibilitas res amplissima est. Sed adducamus alium in medium, repertũ in Bibliotheca Sanctæ Ecclesiæ Toletanæ, vbi est quoddam opus antiquum Sermonũ absque Auctoris nomine, quod incipit: *Veniet desideratus,* & habet sermonem de Natiuitate Virginis, sub proposito themate: *Auser rubiginẽ de argento,* vt dicunt Aduersarii, vbi extant hæc verba: *In hoc prouerbio Salomonis potest Natiuitas Beatissimæ Virginis contemplari, quoad priuilegiũ amotionis culpæ, per sanctificationem, & appositionem gratiæ per electionẽ, &c. Tollenda igitur est per pœnitentiæ limam, & compunctionis flammam. In Beatissima verò Virgine non fuit per gratiam sanctificationis, quia ab omni peccato immunis, vt dicit Augustinus. Fuit igitur argentum igne Spiritus Sancti examinatum in sanctificatione, probatum terræ, quia nullum habuit à terreno corpore infectiuum, siuè inclinatiuum; purgatum septuplum, hoc est, ab omni septemplici labe peccati, quia nullum habuit nec veniale, nec mortale, propter hoc dicitur: Auser rubiginem, &c.* Hoc modo extat auctoritas in prælegato originali, antiquissimo manuscripto. Si ergo hoc est opus citatum ab Aduersariis, cùm habeat ab ipsis assignatum principium (Auctor illius non fuit Martinus Polonus, sed quidam Magister Gilbertus, si Antonio Brixiensi præstanda est fides, de quo vide suprà num. 88.) & auctoritas ab ipsis adducta, etiam est ficta, & vitiata in multis, ac tandem Auctor huius Sermonis pro nobis esse videtur, vt constat ex illis vniuersalibus: *Ab omni peccato immunis.* Et illa: *Nullum habuit à terreno corpore infectiuum,* nec dissentit illa: *Amotionis culpæ per sanctificationem,* quia hoc nos fatemur, scilicèt, quòd in vtero matris per sanctificationem amota, vel remota fuit culpa originalis. Si verò adhuc dixerint, Sermonem Martini Poloni, & Magistri Gilberti esse alios, illos ostendant. Sed quis eos adducet in iudicium? an rubigo, & brucus?

MAVRITIVS Parisiensis, Episcopus Beatus, in prohibitione facta Parisiis. *Ita Bandel. cap. 20. Deza fol. 34. Gryfald. Capreol. Soncin. & Spina.*

VERITAS 215.

HIC Mauritius, cognominatus de Soliaco, in Episcopatu Parisiensi, fuit successor Petri Lombardi Magistri Sententiarum, ad annum 1163. qui interfuit Concilio Turonensi, & scripsit Sermones per totum annum, tàm de Dominicis, quàm de festiuitatibus, & obiit anno 1196. vt affirmat Miræus, fol. 164. de quo etiam Sixtus Senensis, fol. 264. Trithemius, & Possevinus, folio 95. atque Gesnerus, folio 547. & alii. Et Henricus de Gandauo eum nimis laudat. Sed nullus ipsorum vocat Mauritium, Beatum: titulum enim istum excogitauerunt Aduersarii sine vllo fundamento, neque veritate, solùm vt hunc suæ sententiæ sectatorem, inter diuos reponerent, quod etiam fecerunt de aliis quam plurimis in hac Ventilatione relatis. Et hoc de Auctore.

Auctoritatem sic adducunt: Idem teret B. Mauritius, Parisiensis Episcopus, sanctitate, & litterarum eruditione clarissimus, qui floruit anno D. 1175. *Hic prohibuit cum tota Vniuersitate sua, nè festum Conceptionis Beatæ Virginis fieret Parisiis; & hoc ideò, quia fuit concepta in peccato originali, sicut dicit Guillielmus Altisiodorensis 2. libro suæ Summæ, vel aliàs in 3.* Hucusque Bandellus. Barthol. de Spina part 4. cap. 18. cuius titulus est: *Quomodo particulares Synodi possint de hæresibus iudicare?* Sic inquit: *Ad vltimum verò dicendum, quòd si argumentum procederet, necessariò conuinceretur, quòd non solùm Vniuersitas Parisina, verum etiam vniuersaliter omnes, qui tenent, Beatam Virginem non esse conceptam in originali peccato, essent hæretici, & excommunicati; quia, vt testatur D. Albertus Magnus in 3. distinct. 3. & D.*

Guil-

Guillelmus Altiſiodorenſis in 3. par. Sum. cap. 9. Eccleſia Pariſien. Epiſcopus, inquã, Mauritius nomine, cum tota Vniuerſitate determinauit eſſe verũ, quòd B. Virgo ſit in originali peccato concepta, & oppoſitũ eſſe hæreſim. Quod autẽ ſemel determinatũ eſt per Eccleſiã eſſe hæreſim, non poteſt nõ eſſe hæreſis: ergo & nunc omnes ligat determinatio illa, nec poteſt reuocari, ſed omnes id atteſtantes ſunt excõmunicati, ſi argumentũ procedit, nec poſſet Sum. Pont. oppoſitum decernere quoad hæreſim. Nõ enim poteſt Papa facere, quod hæreſis non ſit hæreſis, &c. In hac auctoritate deniat Spina à veritate in ſequentibus. Primo, Altiſiodorenſis non agit de hoc cap. 9. ſed 3. Secũdo, quia Vniuerſitas Pariſina non determinauit Virginem eſſe cõceptam in originali peccato, ſed non eſſe ſanctificatam antè animationẽ, vt expreſsè dicit Albertus Magnus, vide num. 8. Tertio, eſt falſum illud: *Et oppoſitum eſſe hæreſim*, quia talia non extant verba in Altiſiodorenſi. Quarto, etiam eſt falſum illud: *Cum tota Vniuerſitate*, quia ibi nihil dicitur de Vniuerſitate. Quinto, ſi fuit Epiſcopus ſolus, quomodo inquit: *Eccleſia Pariſien.* verba autem Guillielmi pertinentia ad hanc materiam de verbo ad verbum tranſcripſimus ſuprà num. 104. Nunc pro Mauritio breuiter dico, Altiſiodorenſem in 3. lib. ſuæ Summæ, capit. 3. fol. 115. inquirens, an Chriſtus fuerit decimatus in lumbis Abrahæ? Poſita ſua concluſione, adduxiſſe contra ipſam aliquas obiectiones, quarum vna talis eſt: *Sed contra probatur, quòd Chriſtus duobus modis fuit in lumbis Abrahæ, quia B. Virgo quæ fuit eius caro, fuit duobus modis in lumbis Abrahæ, per actum enim concupiſcentiæ, non de Spiritu S. concepta fuit, & ideò cõtraxit peccatũ originale. Et ideò Mauritius Epiſcopus Pariſienſis prohibuit, nè feſtũ Cõceptionis eius celebraretur in Eccleſia Pariſienſi. Si ergo tota caro B. Virginis duobus modis fuit in lumbis Abrahæ, ergo & caro Chriſti duobus modis fuit in lumbis Abrahæ, &c.* Ad hoc argumentum cõtra ſuam concluſionẽ reſpondit Altiſiodorenſis, vt præallegato nu 104. vidimus, ſed prout ad præſens pertinet, ventilando auctoritatẽ, vt hic adducitur, dico primo, quòd Aduerſarii nec vllus alius hucuſque vidit in ſcriptis prohibitionem illam Mauritii Epiſcopi, quia de illa non conſtat, quando, qualiter, vel quibus verbis facta fuerit, ſolùm enim reperiuntur hæc Altiſiodorenſis verba, abſque alio minimo inſtrumento, vel notitia. Secundo dico, quòd Aduerſarii non viderunt Altiſiodorenſem: nam ſi ſaltem hunc vidiſſent in ſuo originali, non dicerent: *Altiſiodorenſis 2. libro ſuæ Summæ, aliàs in 3.* Nam Altiſiodorenſis verba non ſunt in 2. ſed ſolùm in 3. libro variarunt ſic in citatione, quia non viderunt in proprio fonte Altiſiodorenſem, ſed ſolum modò in Turrecremata, qui ſolùm citat Antiſiodorenſem in Summa; dedimus vnam auctoritatem ſuprà numero 104. accipite alteram ex 13. part. cap. 7. ad finem folio 268. *Vt Doctor eximius Dominus Guillermus Antiſiod. teſtatur, in Summa ſua, Mauritius Epiſcopus Pariſien. prohibuit, ne feſtum de Cõceptione Beatæ Virginis celebraretur in Eccleſia Pariſienſi.* Tertio dico, quod ex proprio cerebro addiderunt illud, *cum tota Vniuerſitate ſua*, quia Altiſiodorenſis nihil dicit de Vniuerſitate. Quarto, malitiosè abſtulerunt illam clauſulam: *Per actum enim concupiſcentiæ, non de Spiritu Sancto concepta fuit*: quia ex his verbis conſtabat, quare Mauritius prohibuit, ne feſtum Conceptionis celebraretur in Eccleſia Pariſienſi; nam res ità ſe habuit.

Cùm Canonici, & Eccleſia Lugdunenſis celebraſſent Conceptionis feſtiuitatem die 8. Decembris, id eſt, ante nouem integros menſes ipſius Natiuitatis; ad modum, quo Eccleſia celebrabat Conceptionem Chriſti Domini, die 25. Martii, ante alios integros nouem menſes ſuæ ineffabilis Natiuitatis: exorta fuit inter Gallos magna æquiuocatio, imò controuerſia maxima, non ſolùm inter ſimplices, & indoctos, ſed etiam inter peritos, & doctiſsimos, exiſtimantes, quòd Lugdunenſes celebrabant die 8. Decembris de Maria, id ipſum quod vniuerſalis Eccleſia celebrabat die 25. Martii de Chriſto Domino, ſcilicèt primam, & ſecundam Conceptionem, generationem, & animationem; nam de Chriſto celebratur illo die 25. Martii illa inſtantanea Conceptio, tota ſimul, ſiuè actus ille, in quo ſacratiſsima Virgo Maria ſuperueniente Spiritu S. adminiſtrauit materiam ad illam generationẽ ſine virili conſortio, concupiſcentia, libidine, vel aliqua carnali delectatione: hoc (dicebant Docti, & præcipuè S. Bernardus in illa ſua celebri Epiſtola ad Canonicos Lugdunenſes) non poteſt vllo modo celebrari die 8. Decembris, in Conceptione Mariæ, quia ſua generatio non fuit ex Spiritu S. ſed ex viro, & fœmina, concepta inter amplexus maritales, cum libidine, ac carnali delectatione. Siquidèm *per actũ concupiſcentiæ, non de Spiritu S. concepta fuit*, vt hìc dicit Altiſiodorenſis, & hanc parentum concupiſcentiã vocabant communiter omnes antiqui peccatũ originale, vt ſæpè demonſtrauimus in hoc Ventilabro. Hic erat controuerſiæ nodus contra Canonicos Lugdunenſes celebrantes Conceptionis feſtũ. Vt ergo Mauritius, qui ferè eodem tẽpore Præſul erat Pariſiis, timens, nè ſimilis controuerſia in ſua introduceretur Eccleſia, decreuit, quòd in ſua Cathedrali nõ celebraretur Cõceptionis feſtum. En vera illius temporis hiſtoria, principium, atque finis illius Mauritii præcepti, ex quibus deducitur.

Quòd Aduersarii cauillosè, postposuerunt illam causalem particulam: *Et hoc ideò, quia fuit concepta in peccato originali*, cùm Altisiodorensis signet aliam diuersam causam, veram, certam, & infallibilem, scilicèt, *quia per actum concupiscentiæ, & non de Spiritu Sancto concepta fuit.* Vnde existimo, quòd ex prælegatis verbis Altisiodorensis, dum aliud non adducant testimonium, non rectè citant Aduersarii Mauritium Episcopum pro sua opinione. Deindè, quia hæc verba nec sunt Mauritii, nec Altisiodorensis, sed sunt adducta, & supposita, ad construendam quandam obiectionem, quasi essent ab alio Doctore, vel scholastico in medium adducta, quibus occurrit Altisiodorensis dicens: *Solutio: Dicimus, quòd hæc propositio, &c.* Vide reliqua suprà num. 104. cùm ergo hæc constent clarè, & expressè ex Altisiodorensis textu, sequitur etiam clarè, & expressè, quòd Bandellus noluit intelligere, vt benè ageret. Confirmatur totum supradictum ex testimonio ipsius Turrecrematæ, part. 10. cap. 3. fol. 207. à tergo, sic dicentis: *Quare mos sacrorum Conciliorum antiquorum fuit semper diligenter inuestigare, quid Sancti Patres, non quid multitudo de Scriptura sacra sentirent. Et iuxta doctrinam, & sententias probabilium Patrũ diffinire de fide; & non ad multitudinem votorum populi. Quod maximè in hac materia vitandum est, multiplici de causa, & potissimè propter profunditatem, & singularitatem materiæ ratione, cuius populus rudis non intelligens, quid est contrahere originale peccatum, pro magna parte, hoc per id intelligere videntur, quod est non per concubitum maris, & fœminæ esse conceptum, in cuius signum in multis locis depingitur, Virginem benedictam ex solo osculo conceptam esse. Imò quod grauius est, & citissimè per Ecclesiam radendum, in nonnullis Clericorum Breuiarijs scribitur historia Beatæ Annæ habens verba, quæ secuntur, ipsi Ioachim per Angelum dicta, videlicèt: Propter quod reuertere ad coniugem tuam: & inuenies eam, habentem in vtero de Spiritu Sancto, pro quo gratias offeres Deo, & semen eius erit benedictum, & ipsa erit benedicta, & mater benedictionis æternæ constituetur, &c.* Hanc ignorantiam, & errorem populorum, & Clericorum voluerũt excludere antiqui Patres. Sed hæc auctoritas Turrecrematæ alibi iterum examinabitur.

MAXIMVS Episcopus, & Sanctus, in Serm. 1. Dominicæ Quadragesi. & in serm. Assumptionis Beatæ Virginis. *Turrecrem. part. 6. cap. 6. fol. 99. Anonym. Auctore 31. Bandel. cap. 15. Deza fol. 23. Caietan. cap. 3. fol. 72. Vincent. Gryfald. Soncin. Castellanus, & Canus.*

VERITAS 216.

QVOD Hic sit S. Maximus Taurinensis Episcopus, cuius opera communiter circumferuntur in Bibliotheca Veterum Patrum, Coloniæ 1535. in 8. & nouissimè impressa Lugduni cum aliis anno 1633. & alibi, non indiget probatione. Primam eius auctoritatem sic adducit Turrecremata: Ad idem est Beatus Maximus, qui in Sermone 1. Dominicæ Quadragesimæ, qui incipit: Audistis dilectissimi, sicut Euangelica tuba cecinit, sic inquit: *Quamuis enim Christum Maria Euæ vtique filia pe erisset, non tamen eum conceperat de Adam: Cùm enim videret inimicus, Dei filium per miracula procreatum, voluebat secum (vt arbitror) atque admirans dicebat: Quis est iste, qui nescientе me, hunc ingressus est mundum? Noui, quia de fœmina natus est, sed nescio, vnde conceptus? Astat ergo Mater, sed patrem inuestigare non possum.* Et infrà: *A sæculis nunquam hoc mihi contigit, vt quisquam nasceretur homo, & humani vitij nihil haberet. Quæ hæc tam noua, potensque generatio est? Inter peccatores, & impios natus, mortalique Matre progressus, purgatio cunctis nascentibus, & ipse mihi cœlo lucidior apparet. Hæc ille.* In his duabus auctoritatibus, per modum vnius parum, vel nihil mutauit Turrecrecremata, sed multa prætermisit essentialia, pro assequenda mente, ac fine verborum Sancti Maximi, agit enim ibi Sanctus de diabolica tẽtatione in deserto, & ad singulare certamen volentem prodire, introduxit dœmonem sic: *Humani igitur corporis forma hostem calidissimum prodire suasit ad prælium, quem verus Dei filius, veri hominis responsione confudit. Propter quod errabundus, & anceps tentator, mollia suspensaque tentamenta rimatur, quia licèt carnalis viri speciem contemplaretur in Christo, præsentia tamen diuinitatis eius concitatus, suspicabatur eum plus esse, quàm hominem. Animabat itaque illum præsumere congressum partus fœmineus, sed terrebat Virginitas parturientis. Quamuis enim, &c.* Hæc sunt antecedentia ad auctoritatem adductam à Turrecremata, sequentia verò sunt: *Partum video, sed non agnosco nascentem, & quod stupori meo accrescit, inconsueta lege pariendi, etiam edito filio mater exultat vt Virgo. En iacet in cunabulis paruulus, suffundit lachrymis vultum, similemque esse mortalium vagitibus prodijt, & cùm nihil ei de infantia desit, nulla tamen illi est velut in infante corruptio. Pannis obsitus sordet, sed cœlum illi radio stellæ lætioris arridet, atque in honorem ipsius ministrantes ei Angeli, inter sydera, terrasque con-*

concurrunt, & exultantes annuntiant, quam non intelligo nouitatem. Quid hoc miraculi est? Video, quod aduertere nequeo, audio, quod sustinere non possum: vt homo natus, honoratur vt Deus, à sæculis nunquam hoc mihi contigit, &c. Hæc verò, quæ immediatè sequuntur, astutè prætermisit Turrecremata: *Auaritiæ radix in eo nulla consurgit, nulla cor eius pulsat inuidia, nescit lingua eius mendacium, oculi eius concupiscentiam non admittunt, nulla auium voluptate molitur luxuries certe, per quam mihi humanum subieci genus pectus eius non potest penetrare, nulla illi iactantia inest, nulla malitia. Et quid plura? Nihil in eo reperio, quod me delectet, omnes meos conatus euacuat, quid agam? Quo me conuertam? &c.* Hæc sunt omnia Maximi verba.

Ex quibus patet euidenter, quomodo in præsenti discursu agat de peccatis actualibus, de originali verò nec minimum quidem habet verbum: illud enim: *Quamuis enim Christum Maria Euæ vtique filia peperisset, non tamen eum cõceperat de Adam.* Duplicem sensum potest habere, primum; *non conceperat de Adam*, id est, ex semine virili, sicut concipiuntur omnes filii Adam, & iste est genuinus sensus intentus, & contentus in illis verbis, vt patet ex aliis: *Sed terrebat Virginitas parientis*, & illud: *De fœmina natus est, sed nescio vndè conceptus?* Quia non de Adam, id est, de viro: vndè adducere hanc auctoritatem, fuit extra omne propositum. Sed adhuc explicemus verbum hoc secundùm tuum desiderium: *Non tamen eum conceperat de Adam*, id est, non concepit Christum cum peccato originali: desideras amplius. Stante ergo hac extorta, & violenta interpretatione, interrogo: Ex eo quod diabolus ipse diceret: Maria concepit Christum sine peccato originali, deduceret nè ipsemet hanc consequentiam: igitur Maria fuit concepta cum peccato originali? Existimo, quòd non educeret; quia esset plusquam diabolica illatio: Deindè illa clausula secundæ partis: *A sæculis nunquam hoc mihi contigit, vt quisquam nasceretur homo, & hominis vitii nihil haberet*: non loquitur de peccato originali: nam hoc propriè non vocatur vitium, sed de actualibus vitiis, auaritia, inuidia, &c. vt immediatè discurrendo per singula, explicat Sanctus Maximus, & si hoc intellexit diabolus de peccato originali, vt vos desideratis, fuit diabolicum mendacium, nam eodem sæculo, Virgo Maria, & Ioannes nati fuerant sine illo vitio, & si dixeritis, quòd ibi loquutus est diabolus de Natiuitate in vtero, non ex vtero, ego etiam possem dicere, & verè, quòd hæc esset diabolica interpretatio, &c. Concluditur ergo, quòd in tota hac bimembri auctoritate nullum est verbum, quod directè, vel indirectè pertineat ad hanc Conceptionis materiam; quod optimè cognouerunt ipsimet Aduersarii scribentes post Turrecrematam: videntes enim ex illa nihil deduci, ipsam absolutè omnes prætermiserunt, excogitantes aliam tenoris, ac artificii sequentis.

Secundam auctoritatem sic adducit Bandellus: Idem tenet Beatus Maximus Episcopus, qui floruit anno Domini 415. vir sanctitate, ac doctrina clarissimus, in quodam sermone Assumptionis Beatæ Virginis, sic dicens: *Beata Virgo gloriosa fuit in vtero matris sanctificata, & ab omni contagione originalis culpæ, antequam nasceretur per Spiritum Sanctum mundata. Hæc ille.* Et idem tenet in quodam sermone Quadragesimæ. Hucusque Aduersarii. Sed Sermo est fictus, & suppositus; quia talis Sermo Sancti Maximi de Assumptione non extat in rerum natura; item auctoritas est quoddam fictum mendacium, ac compositum contra honorem Sancti Maximi, & Virginis Mariæ puritatem. Vltrà progreditur malitia: nam apex pessimæ intentionis extat in illis verbis: *Et idem tenet in quodam sermone Quadragesimæ*, finxerunt absque Dei timore supra positam auctoritatem, quæ nec extat in Sancto Maximo, nec in quodam alio antiquo Ecclesiæ Patre, & ad confirmationem mendacii, & falsi testimonii comprobationem addiderunt: *Et idem tenet in quodam sermone Quadragesimæ.* O Patres! legite amore Dei supra positam auctoritatem S. Maximi Serm. 1. Dominicæ Quadragesimæ, & videte, ac ostendite, vbi in illo dicat S. Maximus: *Beata Virgo fuit in vtero matris sanctificata, & ab omni cõtagione originalis culpæ, antequam nasceretur, per Spiritum Sanctũ mundata*: Si enim nullum ex his verbis est in illo serm. Quadragesimæ, qua veritate dicitis: *Et idem tenet in quodam sermone Quadragesimæ*? Fingere, & post fictionem addere mendacium, ac supperaddere falsum testimonium contra S. Maximum: ac contra maximorum Maximam incomparabiliter Virginem Mariam: vbi est vester zelus, & deuotio circa Deiparã? Laudo vos in aliis, sed in hoc non laudo, nec possum.

Sed vt sciat Lector, ex quo fundamento ortum habuit hæc Bandelliana chimera de sermone Assumptionis Sancti Maximi ad memoriam reuocet, quòd in Sermone illo antiquo de Conceptione, seu sanctificatione compilato ex dictis Sanctorum Doctorum, de quo diximus in Trituratione num. xxxiv. adducitur ter S. Maximus Episcopus, in sermone de B. Virgine Maria incipiente sic: *Licèt omnium Sanctorum, charissimi, veneranda sint nostris studijs, &c.* Et consequenter adducit tres auctoritates, ad præsentem controuersiam nullo modo spectantes, vt videre poterit curiosus

in noſtra Bibliotheca Virginali tom. 1. folio 753. Cernens ergo Bandellus, in illis Maximi verbis nihil eſſe pro ipſis, finxit ſermonem illum de Beata Virgine eſſe Aſſumptionis, & fabricauit abſque vllo timore ſuprà poſitam auctoritatem. Eſt ergo hæc Aduerſariorum triplicata fictio. Primò, quia auctoritas Bandelli non eſt in Sancto Maximo. Secundo, quia auctoritates adductæ in illo Libello, ſeu Sermone Caſtellani, etiam non ſunt. Tertio, quia neque Sermo ipſe extat in S. Maximo, neque in aliquo alio Auctore ipſum inuenire potui, facto omnium antiquorum Patrum particulari ſcrutinio.

MELCHIOR Canus, Ordinis Prædicatorum Epiſcopus, lib. 7. de Locis Theologicis, cap. 2. *Ita Paulus Gryſaldus, Alphab. 5.*

VERITAS 217.

DOCTVS Hic Scriptor Hiſpanus, Epiſcopus Canarienſis, & primariæ Salmanticenſis cathedræ per plures annos moderator, notiſsimus eſt inter ſcholaſticos, cuius opera fuerunt excuſſa Salmanticæ 1563. Colon. Ingolſtadii, atque Louanii 1564. in 8. Hunc ſolus adducit Gryſaldus, nullam tamen afert auctoritatem, quia tantum dicit: *Melchior Canus Epiſcopus lib. 7. de locis Theologicis cap. 2.* Et nihil amplius. Ego tranſcribam hic verba Cani, vt videat mundus, quo fundamento locuti ſunt tàm ipſe Canus, quàm Gryſaldus. In præallegato ergo loco nu. 3. fol. 243. inquit Canus: *De communi igitur Sanctorum conſenſione nihil certi in Theologia conficitur, id quod hoc etiam argumento confirmari poteſt. Sancti namque omnes, qui in eius rei mentionem incidere, vno ore aſſeuerarunt Beatam Virginem in originali peccato conceptam. Hoc videlicèt Ambroſius adſtruit ſuper Pſalm. 318. concione 6. Hoc Auguſtinus ſuper Pſal. 34. in illum verſiculum: Ego autem cum mihi moleſti eſſent, &c. & lib. 2. de Baptiſmo paruulorum cap. 24. & 10. ſuper Geneſim ad litteram cap. 18. & lib. 53. contra Iulianum. Hoc Chryſoſtomus ſuper Matthæum. Hoc Euſebius Emiſſenus in 2. concione Natiuitatis Domini. Hoc Remigius ſuper Pſalm. 21. & Maximus de Aſſumptione Virginis adſtruxere. Idem quoque affirmat Beda in Homilia ſuper Miſſus eſt. Anſelmus in lib. cur Deus homo cap. 16. Bernardus in Epiſtola ad Lugdunenſes 174. Erardus Epiſcopus, & Martyr in concione quadam de Natiuitate Beatæ Virginis. Sanctus Antonius Paduanus in concione etiam de Natiuitate eiuſdem B. Virginis. Sanctus Bernardinus in Sermonum ſuorum, opere 3. in Tractatu de B. Virgine concione 4. Diuus Bonauentura in 3. diſt. 3. quæſt. 1. artic. 2. D. Thomas 3. part. quæſt. 27. artic. 2. Diuus Vincentius in ſermone de Conceptione Beatæ Virginis. D. Antoninus 1. part. tit. 8. Damaſus lib. 3. ſententiarum ſuarum. Hugo de S. Victore de Sacramentis part. 2. capit. 4. Et cum nullus Sanctorum contrauenerit, infirmum tamen ex omnium auctoritate argumentum ducitur, quin potiùs contraria ſententia, & probabiliter, & piè in Eccleſia defenditur.* Hæc ſunt omnia verba Cani in illo lib. 7. cap. 2. in quibus noto ſequentia.

Primo, quod Canus nihil vidit pro hac materia, ſed ſolùm eſt ſecutus veſtigia Patrum ſuorum, & tantùm locutus eſt in fide illorum prædeceſſorum Turrecrematæ, & Bandelli, &c. & ſic errauit vt omnes: nam ſi interrogamus, vbi vidit S. Maximi ſermonem de Aſſumptione: quid dicet? Vbi reperit S. Erardi Martyris ſermonem de Natiuitate, vel ſermonem de eadē Natiuitate S. Antonii Paduani? Fortè obmuteſceret; Qua enim veritate potuit Canus dicere illud *Sancti namque omnes, &c. vno ore aſſeuerarunt*: nam vtrūque eſt falſum; quia non *omnes ſancti*, nec *vno ore aſſeuerarunt*, Virginem Mariam eſſe conceptam in peccato originali; quia ipſe ſolùm adducit 17. Sanctos, ex quibus Ambroſius, & Auguſtinus nullo modo habent illam propoſitionem, S. Chryſoſtomus eſt fictus, quia ſuper Matthæum nec verbum habet, Euſebius Emeſſenus, nec eſt Sanctus, nec tale dicit. Remigius, qui ſcripſit ſuper Pſal. non fuit Sanctus, nec illam habet propoſitionem: illud de S. Maximo, Erardo, & S. Antonio, eſt quædam ficta chimera. S. Bernardinus expreſsis verbis noſtram tenet ſententiam, vt ſuo loco vidimus. Hugo de S. Victore nec fuit Sanctus, nec tale dicit: Illud de Venerabili Beda etiam eſt falſum. Reſtant ergo ad ſummum S. Anſelmus, Sanctus Bernardus, S. Bonauētura, S. Thomas, & S. Vincentius: ex his quinque, ſi demas iſtos duos vltimos ex Ordine Prædicatorum, quia ſunt ex veſtris, remanent ſolùm tres: vbi ergo ſunt omnes Sancti? An tres, vel quinque ſunt omnes Eccleſiæ Sancti? Deindè quomodo verificabitur illud: *vno ore*? Scis nè, quid exprimatur per hunc loquendi modum, *vno ore*? Vno ore dicunt Sancti, Virginem Mariam fuiſſe in vtero ſanctificatam, vno ore dicunt, ipſam nūquam peccaſſe actualiter, vno ore affirmant, ipſam primam emiſiſſe Virginitatis votum, & alia his ſimilia dicunt, & proteſtantur vno ore; quia eſt vniuerſalis conſenſus; ſed dicere, quod ſancti vno ore aſſeuerant, Beatam Virginem fuiſſe in originali peccato conceptam, adeo falſum eſt, & extra omnem veritatē, quod adhuc ex illis quinque admiſsis Sanctus Anſelmus, nec Sanctus Bernardus nihil tale dicunt, & mul-

tò

tò minùs S. Vincentius Ferrer. vt infrà videbimus. Videte ergo, quo fundamento dixerit veſter Melchior Canus: *Omnes ſancti vno ore aſſeuerant Beatam Virginem conceptam in peccato originali*, quando ſecundùm rei veritatem ſolùm remanent duo, & illi ad examen reuocati fortè non erunt.

Secundo ventilando paleas, falſum eſt etiam quod dicit Canus de S. Ambroſio ſuper Pſalm. 118. *Oratione* 6. quia ibi nihil dicit, ſed in octonario 22. Vide quæ diximus ſuprà num. 16. auctorit. 11. Item eſt falſum illud quod dicit de S. Auguſtino *in libro* 53. *contra Iulianum cap.* 9. non enim ſcripſit Auguſtinus 53. libros contra Iulianum, ſed ſolùm ſex. Item eſt falſum illud quod dicit: *S. Damaſus lib.* 3. *Sentent. ſuarum*, quia S. Damaſus non ſcripſit ſententias: ſi autem dixerint fuiſſe typographiæ errorem, & quod loco Damaſus, dicendum erat Damaſcenus, adhuc non excuſatur error; quia Damaſcenus non habet auctoritatem adductam ab Aduerſariis in 3. libro Sententiarum, ſed in 3. libro Orthodoxæ fidei, vide num. 167. Ex his, & aliis contentis in ſuprà poſita Cani auctoritate euidenter colligitur, ipſum nullum vidiſſe, nec legiſſe Sanctum, ſed loquutum fuiſſe in hac materia, & re tam graui ſine numero, pondere, & menſura.

Tertio, colligitur denique, Gryſaldum abſque fundamento adduxiſſe Melchiorem Canũ, & aſtute tacuiſſe eius auctoritatem: nam illa vltima verba: *Quin potiùs contraria ſententia, & probabiliter, & piè in Eccleſia defenditur*, pro nobis videtur militare. Deindè cap. 3. num. 9. fol. 249. latè inculcat vtramque opinionem, ſed in nullam ſe inclinat, ſicut nec cap. 11. fol. 443. ac demum lib. 4. fol. 135. iterum tangit hanc quæſtionem, ſed in rei veritate nullum extat in omnibus illis locis verbum ex quo eius mens poſsit percipi, cuius verba non adduco, quia eſſet laborare abſq; fructu. Reſolutio enim certa, ac vera eſt, quòd Canus eſt dubius, & anceps, & ſcripſit inter metum, & amorem, in medio poſitus, neſciens quo ſe verteret.

MICHAEL De Furno, Doctor Pariſienſis, in ſerm. Annuntiationis, & Aſſumptionis. *Anonym. Auctore* 172. *Bandel. cap.* 21. *Deza fol.* 36. *à tergo, & Gryſald.*

VERITAS. 218.

AVCTOR Iſte, vel eſt abſolutè fictus, vel mendaciter adductus, vtrumque ſic breuiter probo. Quia de tali Michaele de Furno nullus Nomenclator antiquus, vel modernus vllam magnã, vel paruam mentionem facit: ſolus enim Alphõſus Fernandez Placẽtinus, inter Scriptores Prædicatoriæ Familiæ ex Plodio (dicendum erat ex Mich. Pio) lib. 4. fol. 402. habet hæc verba: *Fr. Michael de Furno ſcripſit librum de Rosario B. Virginis Mariæ; viuit adhuc.* Hic ergo nõ poteſt eſſe ille, de quo hic Anonymus, & Bandellus, qui ſcripſerunt ad ann. 1475. Deindè hic allegatus, fuit Doctor Pariſienſis ſæcularis, non ex Ordine Prædicatorum, nec ſcripſit Rotariũ, ſed Sermones: ergo neque ex tempore, ſtatu, vel opere poſſunt iſti duo Furni concordari, cũ ergo nullus alius Michael de Furno compareat in tota Nomenclatura Eccleſiaſtica, videtur fictus. Fuit etiam alius Furnus, Doctor Pariſiẽſis, cuius extat ſerm. de Aſſumptione Virginis, qui incipit: *Hieronymus in Sermone, &c.* licèt nullũ adducat de Annuntiatione, ſed hic non fuit ſæcularis, ſed Ordinis Minorum, ac S. R. E. Cardinalis, ſcilicèt Ioann. Vitalis de Furno. Hic ergo in illo ſuo celebri libro, nuncupato, Speculum morale, impreſ. ann. 1513. in 4. fol. 232. & alibi in ſermon. Aſſumptionis: In principio vocat Mariam Lunã ſine defectu, & infrà inquit: *Allegoricè loquendo claritas refertur ad mundiciam ſanctificationis, quã habuit Virgo in interſtitio ex vtero matris. Pſalm.* 135. *Fecit Lunam in tempore, &c.* Et infrà: *Et nota, quòd B. Virgo fuit mulier noua multiplici nouitate, quia inter mulieres nouiter, quia ſupernaturaliter cõcepta. Iudæis noua lux oriri viſa eſt, gaudium, honor, & c. Quia inter mulieres nouiter, & ſingulariter ſanctificata. 4. Reg. 2. Afferte mihi vas nouum.* Iſta ſunt omnia verba, quæ in illo ſerm. Aſſumptionis adducit Ioan. Vitalis de Furno, quę Conceptionem, atque ſanctificationem Mariæ in vtero concernunt, vel cõcernere poſſunt. Si ergo hic eſt ille Mich. de Furno, citatus ab Aduerſariis (nã cùm ipſi nullam adducant auctoritatẽ pro ſuo Furno, ſolùm enim dicunt: *Idem tenet Magiſter Mich. de Furno, Doctor Pariſienſis, in ſerm. Annuntiationis, & Aſſumptionis B. Virginis*, difficile eſt aliquid aſſertiuè dicere; mutando enim nomen Ioan. in Michaelem, & ſtatum, confuſionem confuſioni addiderunt) eſt mendaciter adductus; quia non ſolùm in aſsignatis verbis eſt pro nobis, ſed etiam in Rubrica de B. Virgine Maria Matre Chriſti, à fol. 13. de quo latè in noſtra Militia. Si ergo eſt iſte Furnus, in Furno lapſi ſunt; ſi verò eſt alius, ipſum oſtendant, quia ego exiſtimo, quòd Bandellus bandellizauit in hoc, ſicut in multis aliis adductis in eodem capitulo 21. quia ferè omnes ſunt ficti.

MONETA Magiſter, Ordinis Prædicatorum, in 3. libro ſuæ Summæ. *Ita Bandellus capit.* 23. *Deza folio* 40. *& Paulus Gryſaldus.*

VERITAS 219.

NESCIO Quomodo me expediam ab hoc Auctore Moneta, cum breuitate, & claritate. Propono ergo in primis auctoritatem adductam ab Aduersariis, quã sic referunt: Idem tenet Magister Moneta in 3. lib. Summæ suæ, sic dicens: *Solus enim Christus in quantùm homo, semper fuit ab omni peccato immunis, & ideò per gratiam vnionis fuit semper filius etiam adoptiuus Dei. Alij verò sancti ideò dicuntur filij Dei gratia adoptionis, quia cùm priùs essent non filij Dei, sed omnes filij iræ, facti sunt per gratiam filij Dei. Hæc ille.* Hanc auctoritatem, ex verbis, & citatione *in 3. lib. Summæ*: nullo modo dubito fuisse fictam, & factam à Bandello, quia eius imago est. Sed prius more nostro indagandum erit de Auctore, quia Magister Moneta sic obscurè, & sine alia subscriptione adductus, magnam etiam gignit suspicionem, & Nomẽcla. ores Dominicani circa suas Summas Monetas non concordant.

Primus sic appellatus fuit quidã Moneta Cremonensis, qui in exordio Dominicanæ Familiæ, scilicèt ad ann. 1220. quando nondũ erant Magisteria, fuit primus suæ Religionis Scriptor, & elaborauit Summam fidei cõtra Catharos, & Vvaldenses, & incipiebat: *Tempus faciẽdi Domine*, & M. S. seruabatur in Conuentibus Bononien. & Neapolit. ità Anton. Senen. fol. 177. Placent. fol. 402. Mich. Pius lib. 1. col. 15. Seraph. Razzi fol. 99. Leand. Albert. lib. 5. fol. 184. latè, Malnẽd. in Annal. ad ann. 1220. cap. 5. fol. 291. & alii. Secundus fuit Ioan. Moneta Theuthonicus, Lector Friburgẽsis, Canonista, atque Theologus, qui glossauit Decretum, & scripsit non tantùm vnam, sed duas Sũmas, quę impressæ, ac M. S. extant, vt infrà videbimus, & floruit ad ann. 1250. vel 1252. de quo Gesnerus ex Dexero fol. 612. Posseuin. fol. 120. & nos latè suprà num. 109. & 192, & 193. Tertius fuit ille, de quo Mich. Pius part. 2. lib. 1. col. 137. ad ann. 1312. sic inquit italicè: *F. Giouani Tedesco, non da Friburgo (come dice il Gozzeo) ma lettore di Friburgo erudito Filosofo è Theologo, scrisse, &c. vna Summa di casi di conscienza, chiamata Goauanina, impressa più volte, vn libro di questioni casuali, &c.* Quartus est ille de quo Anton. Senen. fol. 132. inquit: *Frater Ioannes à Moneta Theuto Iurisprudẽtia clarissimus, scripsit Commentaria super Decretum Gratiani, super Decretales Gregorij IX. super Sextum, & Codicem, atque Extrauagantes, insuper & Summam Moralem circa ann.* 1450. Eadem verba habẽt Alph. Placent. fol 321. & Mich. Pius par. 2. lib. 3. col. 31. qui etiam citat Ambr. Gozzeũ, Lean. Alber. lib. 1. fol. 36. de Ioan. Theutonico, quarto Magistro Generali, sic inquit: *Ioannes Theutonicus circa ann. D. 1220. Bononiæ sacris initiatus est in Ordine Prædicatorum. Fuit vir litteratissimus, & moribus ornatus. Erat enim Iurisperitus, &c.* Ecce, Lector, quatuor Monetę distincti, quorum primus floruit ann. 1220. secundus ann. 1250. tertius anno 1312. & quartus anno 1450. sed duo posteriores sunt multiplicati, nã ad summùm tantùm fuerunt duo priores, Moneta Cremonensis, & Ioannes Moneta Theutonicus, sed si adhuc contenderint esse quatuor, ostendant quatuor illas summas distinctas, & hæc de Auctore.

De opere verò, & auctoritate dico, quòd illa Summa Monetæ Cremonẽsis potuit esse in rerum natura, sed modo non inuenitur, neque in illa poterant extare verba allata à Bandello, nã ad ann. 1220. ante Alber. Magnum, & Alexandrum de Ales, & antequam nati essent, S. Thomas, & S. Bonauentura, qui fuerunt Theologię Scholasticę Patres. & adde, antequam somniaretur controuersia de Conceptione Virginis: quomodo poterat dicere Moneta cõtra Catharos, & Vvaldenses illam vniuersalem exclusiuam: *Solus*, illam reduplicationem formalem, *in quantum homo*, illas dictiones artificiosè positas *semper*, &, *ab omni peccato immunis*, illam causalem, *ideò*, illud *per gratiam vnionis*, illud iterum, *semper*, illud etiam, *filius adoptiuus Dei*: denique illud auctoritatis vltimum complementum, *quia cùm priùs essent, sed omnes filij iræ*, isti enim termini præterquam quòd in nullo antiquo Doctore inueniantur, sunt formulæ Bandellianæ, quibus respersit omnes auctoritates à se factas, & fictas: Et hæc sufficiant de Summa Monetæ Cremonensis. De Summa verò Monetæ Theutonici dico, quòd extat impressa Lugduni anno 1518. & etiam inuenitur manuscript. in Biblioth. Sanctæ Ecclesiæ Toletanæ, & in Regia Scorialis Arca 1. litt. E. num. 12. & est diuisa in libros, sed libro 3. citato, nec vnum solùm verbum extat auctoritatis adductæ à Bandello.

Ex suprà positis Veritatibus deducitur quasi pro cõclusione: quòd videns Bandellus Turrecremată adduxisse Ioan. Theutonicũ in Summa sua lib. 1. de quo suprà num. 193. & quod ille etiam vocabatur Magister Moneta, decreuit cum hoc nomine, & eadem Summa, mutando librum, & fabricando aliam nouam auctoritatem, iterum illum ad suam areã adducere: & sic cum hac Monetã compleuit quintam decimã multiplicationem. Nam Primo, hic est Ioannes Bosinensis, de quo nu. 157. Secundo, est etiam Ioannes Compilator Decreti, de quo nu. 166. Tertio, est similiter Ioannes de Gallicis, de quo num. 173. Quarto, est Ioannes Theutonicus Canonista, de quo num. 192. Quinto, Ioannes Theutonicus Ord. Pręd. n. 193. Sexto, Magister Mo-

Moneta hic. Iſtæ ſunt multiplicationes perſonæ, ſeu Auctoris, nam auctoritatum ſunt aliæ quia ex Gloſsis iſtius poſitis in Decreto induerunt Bartholomæum Brixienſem, de quo num. 36. Bernardum Papienſem, nu. 47. Guidonem Archidiaconum, num. 99. Guillielmum Epiſcopum, quia Gloſſa ad Apparatum ad Summã Raymundi eſt iſtius, vt diximus num. 109. Hugonem Ferrarienſem, num. 125. Hugutium, numer. 129. Laurentium Calcaneum, de quo numer. 204. & 205. Petrum de Braco, num. 239, & Petrum Mediolanenſem, num. 247. Rectè ergo, ac fideliter numerati ſunt quindecim multiplicationes, ex ſolo vno Auctore Dominicano, ex quibus quatuordecim ſunt indubitatæ, & ſola vna remanet ſub lite, & ptobabilitate.

NICOLAVS Achiora, Ordinis Ciſtercienſis, in Serm. Natiuitatis B. Virginis. *Ita Bandell. cap. 22. Deza fol. 37. Petr. de Vincentia, & Gryſal.*

VERITAS 220.

SVB Cognomento Achiora nullum inuenio Scriptorem in tota Ciſterciẽſium familia. Fuit quidam Nicolaus Stanfordus, Anglus, qui ſcripſit Moralitates in Geneſim, & librum Concionum, & vixit ad annum 1310. Sed hunc nullus vocat de Achiora. Fuit etiam Nicolaus Haſtifragus, qui ex Monacho Ciſtercienſi, fuit creatus Summus Pontifex, & dictus Adrianus IV. ſed hic non poteſt eſſe præſens Achiora, quia nec nomen conueniunt in nomine, nec ſcripſit Sermones, ſed potiſsimè, quia hic edidit inſignem librum pro immaculata Virginis Conceptione, vt referunt Poſſeuinus in Apparat. par. 2. fol. 143. Marrac. in Põtifices Marian. fol. 82. & in Biblioth. Mariana, 12. Tamaius ad annum 1155. Euſeb. de perpetuo obiect. Concept. cap. 10. fol. 84. & in libr. Exception. fol. 464. & alii. Fuit alius Nicolaus VvalKingtonus, & alius Nicolaus Riuallenſis, ſed iſti nõ ſcripſerunt Sermones, de quibus vide Pitteum, & Chryſoſtomũ Henriquez, à fol. 85. vſque ad 97. Fuit alius Nicolaus Monachus S. Crucis, in Auſtria, Ordinis Ciſtercienſis, qui ſcripſit inſigne opus de laudibus B. Virg. tribus libris diſtinctũ, de quo Trithemius, fol. 100. & Poſſeuinus, fol. 152. & Arnoldus de Vvion, cap. 48. fol. 81. de quo etiam affirmat ſcripſiſſe Sermones varios, hic potuit eſſe propter nomen Nicolai, ſed non propter cognomen Achiora. Deindè cùm liber ille eſſet in Auſtria, vndè Bãdellus potuit illum habere in Lombardia? Item quia hunc eſſe illum Nicolaum Monachũ Ciſtercienſem, quem Ioannes Vitalis S. R. E. Cardinalis in ſuo celebri Defenſorio, lib. 4. Ancil. 7. citat pro ſua, & noſtra ſententia, de quo nos infrà num. 224. in Nicolao Gallico, ſed quidquid ſit de omnibus ſuprà poſitis, cùm nullus ex illis fuerit typis mandatus, parum, vel nihil eſt curandum.

Deueniendo ad alios magis notos, & communes, fuit quidam Nicolaus S. Albani, ex Cluniacenſi Congregatione, factus Monachus Ciſtercienſis, ſed hic nec vocatus fuit de Achiora, nec Aduerſariorum opinionem ſuſtinuit, ſed noſtram: fuit enim non quomodocumque, ſed acerrimus defenſor myſterii immaculatæ Conceptionis, vt conſtat ex eius epiſtola ſcripta ad Petrum Abbatem S. Remigii, quæ inter epiſtolas Petri Celenſis eſt epiſtola 166. Vt videre eſt in Biblioth. VV. PP. tom. 12. & etiam in libro ſeorſim impreſſi. Lutetiæ anno 1613. in 8. fol. 378. & apud Fran. Viuarium in Patribus vindicatis. Imo Geſnerus fol. 616. huic Nicolao de S. Albano attribuit duos libros de Conceptione Virginis Mariæ, & ſic iſte nõ potuit eſſe. Alium etiam inuenio Nicolaum cognominatũ Keſſer, qui ſcripſit Homilias, ſeu Sermones ex Sanctis Patribus, & incipit: Dominica prima Aduentus, cum Homilia S. Ioann. Chryſoſtomi, opus magnum, impreſſum Baſileæ anno 1493. in fol. & habet Sermones duos de Natiuitate B. Mariæ, primus incipit: *Creatoris Matrem, &c.* alter verò eſt Venerabilis Bedæ. Sed in his, Sermonibus nullum extat verbum, quod directè, vel indirectè reſpiciat Virginis Conceptionem, aut eius Sanctificationem. Denique Carolus de Viſch. in ſua Biblioth. fol. 202. ſic inquit: *Nicolaus de Anchona, Monachus Ciſtercienſis, Italus, ſcripſit volumen Concionum de B. Virgine.* Ex Syluestro Maurolyco maris Oceani, libr. 2. & Barnab. de Montaluo, part. 1. libr. 2. cap. 33. ſed Maurolycus tranſcripſit omnes Auctores Bandelli; at cùm omnes Aduerſarii appellent iſtum de Achiora, iſti verò illum cognominent de Anchona, noua exoritur confuſio. Ex quibus omnibus conſtare videtur, Auctorem iſtum fuiſſe fictum. Sed quid immoramur coniecturis, quando huius falſitatis habemus præmanibus ferè euidens teſtimonium.

Auctoritatem huius Ciſtercienſis ſic adducunt: Idem tenet Magiſter Nicolaus de Achiora, in ſermone Natiuitatis B. Virginis, ſic dicens: *Beata Virgo licèt originale peccatum habuerit, nunquam tamen actualiter peccauit. Hæc ille.* Ex ipſiſmet verbis, quando aliud non extaret argumentum, cognoſcitur euidenter, auctoritatem eſſe fictam à Bandello. Suppoſita ergo hac, vt iacet, panditur huius auctoritatis myſterium, & eſt, quòd inter Doctores antiquos fuit quidam Scriptor vocatus Nicolaus, abſq; alio cognomine, vel notitia, & cuius ſtatus, vel Religionis fuerit ignoratur, qui nunquã

fuit

fuit typis mandatus, sed extat manuscriptus, & habet sermones Festiuitatum, & in sermone Conceptionis B. Virginis Mariæ, apertè se inclinat in opinionem Aduersariorum. Ex hoc ergo vno Nicolao incognito, finxit Bandellus tres Nicolaos distinctos, scilicèt hunc Nicolaum Achiora, Cistercienſem; Nicolaum de Aquauilla, Franciſcanum; & Nicolaum de Eſculo, Dominicanum; vt ſtatim infrà ſuis locis demonſtrabimus. Et fortè eſt quadruplicatus cũ Nicolao Gallico Cistercienſi, de quo num. 224. & ſimiliter quinqueplicatus cum Ioanne Monacho, Ciſtercienſi, de quo num. 180. Fatemur ergo iuxta veritatem, quod vnus fuit Nicolaus, in contrariam ſententiam propenſus, vt videbimus num. 223. Si autem fuit Achiora, vel Anchona, vel Aquauilla, vel Eſculo, Ciſtercienſis, Franciſcanus, aut Dominicanus, inueſtigare non potui: non enim omnia poſſumus omnes.

NICOLAVS Alexius, Inquiſitor Peruſinus, Ordinis Prædicatorum, in Concione de Sanctifiertione. *Ita Paul. Gryſal. Alphab. 5.*

VERITAS 221.

DE Hoc Alexio mentionem faciunt Poſſeuinus, fol. 184. Placentinus fol. 405. At nullus horum dicit, quòd ſcripſerit Sermones, ſed ſolùm ſuper Logicam, & quatuor libros Regum carmine Heroico, vnde cùm hic floruerit ad ann. 1566. & fuerit contemporaneus, & compatriota Gryſaldi, etiam Peruſini, fortè in quadam Concione ille dixit, & hic audiuit, Virginem Mariam contraxiſſe peccatum originale, & ad captandam ſui inſignis Inquiſitoris auram, ac beneuolentiam, necnon augendum ſuum Cathalogum, illum collocauit inter alios Scriptores. Quidquid ergo ſit de hoc, Auctore Nicolao Alexio parum eſt curandum; tum, quia eſt teſtis ſuſpectus in hac Conceptionis materia, vtpotè ex Ordine Prædicatorum; tum, quia Sermo ille de Sanctificatione, quicumque ille ſit, non eſt in rerum natura, nec aliquis alius de ipſo mẽtionem facit, nec exiſtimo, quòd fuerit typis mandatus; tum denique ex auctoritate; quia nullam adducit Gryſaldus, ſolùm enim dicit: *Nicolaus Alexius, Inquiſitor Peruſinus in Concione de Sanctificatione.* Et nihil ampliùs. Ergo pro vana, & infructifera ſpica reputari debet ex omni parte.

NICOLAVS De Aquauilla, Ordinis Minorum, in Sermonibus Aſſumptionis, & Natiuitatis. *Anonym. Auct. 108. Bandel. cap. 24. Deza fol. 48. Vincent. & Gryſal.*

VERITAS 222.

DICO Primo, hunc Auctorem notiſſimum eſſe apud Nomenclatores, vt videre eſt apud Gesnerum, fol. 408. & in alia impreſsione, fol. 620. Poſſeuin. fol. 144. Villotum fol. 272. Vvading. fol. 262. Gonzagam, & Ioannem de la Haye in Cathalogo prænxo ſuis Commentariis in Geneſim. Secundo, dicimus, hunc ſcripſiſſe Sermones de Sanctis, ac de tempore, quorum Sermones Dominicales fuerunt typis mandati apud Ioannem Quintinum, quos ego vidi, & legi in Bibliotheca Salmanticenſi. Sermones vero de Sanctis exiſtimo nunquam fuiſſe excuſſos; ſiquidèm diù quæſitos, illos inuenire non potuimus. Tertio, certum eſt, quod hic Auctor vixit ad annum 1317. & tamen Turrecremata, qui poſt eum ſcripſit per integrum ſæculum, & ampliùs eũ nõ adducit in ſuo Cathalogo; vndè aliqua Bandelliana fictio timenda eſt. Quarto, quòd nullus Aduerſariorum de iſto adducit auctoritatem, ſolùm enim dicunt: *Idem tenet Magiſter Nicholaus de Hauquevilla, in ſermone Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, & Natiuitatis.* Et nihil ampliùs. Cùm ergo per triginta, & ampliùs demonſtrationes facias in hac Ventilatione, cognitum ſit euidenter, quòd vbicumque Bandellus adducto Auctore, tacet auctoritatem, eſt quaſi ſignum naturale, quod Auctoris verba, vel parum faciant pro ſua ſententia, vel expreſsè ſunt contra ipſam, hoc ipſum poſſumus abſque vlla temeritate iudicare de præſenti. Quinto dico, quòd cùm cõtrouerſia iſta fuerit cum Fratribus Minoribus, curarunt Aduerſarii per fas, vel nefas, omnes Auctores incognitos, quotquot potuerunt recolligere ad ſuam Aream adducere. Vltimo dico, quòd ego vidi, & legi opus Sermonum manuſcriptum cuiuſdã Nicolai, abſque alio cognomine, vbi erat ſermo de Aſſumptione, & Natiuitate Virginis, ſed in ipſis nullum verbũ extat contra immaculatam Conceptionem, vt videre eſt num. ſequenti.

NICOLAVS De Eſculo, Ord. Prædicat. in Serm. Natiuit. Domini. *Ita Bandel. cap. 23. Deza fol. 42. Vincent. & Paul. Gryſald.*

VERITAS 223.

ANTONIVS Senẽſis in ſua Biblioth. fol. 181. mentionẽ facit cuiuſdam ſui Ordinis Scriptoris Nicolai Eſculani, qui ſcripſit quædã Logicalia, & nihil ampliùs, & claruit ad ann. 1342. fol. vero 185. meminit idẽ Senẽſis alterius Nicolutii de Eſculo, qui ſcripſit ſermones Dominicales, & de Sãctis,

ctis, & floruit ad an. 1262. & pro confirmatione adducit alios Nomēclatores ſuæ Religionis antiquos. Hos duos Eſculos tranſcripſit ad litteram, nulla mutata, vel dempta ſyllaba, Alphonſus Placentinus fol. 404. & 405. Ex his patet, quòd ſi propoſitus ab Aduerſariis, eſt primus Nicolaus de Eſculo, eſt ſuppoſitus, quia ille nullos ſcripſit Sermones, ſi verò eſt ſecundus, decepti ſunt in nomine, quia non appellabatur Nicolaus, ſed Nicolutius, ſed dato, quòd hic ſit error Typographiæ, vel ignorantia Scriptorū, de hoc Nicolutio, vel Nicolao Eſculano, ſiuè de Eſculo, nulla apud Nomenclatores vniuerſales, & claſsicos extat, vel ſaltem minima memoria: vndè deducimus, quòd ſi Auctor non eſt fictus, fuit tamen nullius nominis, auctoritatis, vel opinionis. Et ſic ex hac parte paruipendendus. Deindè admiſſo, quod Auctor fuerit in rerum natura, & grauiſsimus Scriptor, cùm ille vixerit ad annum 1262. vel ad annum 1342. ſemper præceſsit Turrecrematam, & Anonymum, & illum non adducunt, ſed ſolus Bandellus ſemper mendax, imò & hic nullam adducit auctoritatem, ſolùm enim dicit: *Idem tenet Magiſter Nicolaus de Eſculo, in ſermone Natiuitatis Domini*, & nihil ampliùs, vndè ſi non eſt fantaſticus, videtur eſſe.

Pro exacta autem veritatis cognitione de hoc Nicolao Eſculano, & duobus præcedentibus, Achiora, & Aquavilla, & fortè etiam pro ſequenti Nicolao Gallico Ciſtercienſi, notandum, quod in Conuentu S. Ioānis Regum, Arca Y. num. 82. extat quoddam manuſcriptum Sermonum de Sanctis, ſub titulo, & nomine Nicolai, abſque vllo alio cognomine, cuius initium eſt: *Reuerendiſsimo in Chriſto Patri D. Guidoni Diuina prouidentia, tituli S. Cyriaci in Termis, Presbytero Cardinali. Frater enim Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, &c.* In hoc ergo antiquo manuſcripto extat ſermo de Conceptione B. Mariæ ad Clerum, qui incipit: *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi Aurora*; in quo Auctor expreſsis verbis, & latiſsima Ventilatione inculcat quæſtionem de Conceptione Virginis Mariæ, & ſemper in affirmatiuam, & minùs piam partem ſe inclinat. Habet ſimiliter ſermonem de Aſſumptione, qui incipit: *Sedeo vt Regina, & vidua non ſum*, & alium de Natiuitate, qui incipit: *In regione vmbræ mortis*, ſed in his duobus Sermonibus nihil adducit pro Conceptionis materia, vndè videtur, quòd hic Nicolaus, nec ſit de Eſculo, nec Achiora, nec Aquavilla, nec Gallicus, quia nihil, horum conſtat ex opere; nec quòd ſit Ordinis Prædicatorum, nec Minorum, nec Ciſtercienſis, ſed videtur fuiſſe ex Ordine Carmelitarum. Et ſi ex hoc Bandellus fecit quatuor diuerſos, tacendo eius Religionem, vt ſic non deueniremus in cognitionem illius, eſſet ridicula multiplicatio Auctorum, & Sermonum citatio; quia pro Nicolao de Eſculo non adducit ſermonem de Natiuitate Domini; pro Nicolao de Achiora nihil dicit in ſermone Natiuitatis Virginis; & pro Nicolao de Aquauilla, nec verbum habet in ſermone Aſſumptionis; de Bandelli genio hæc, & alia maiora credo, qui non crediderit, mittat hamum in mare, & extrahat iſtos tres Nicolaos, vel quatuor.

NICOLAVS Gallicus, Magiſter Ciſtercienſis, in Poſtilla ſuper Lucam, cap. 1. *Ita Bandel. cap. 22. Deza fol. 37. Petr. de Vincent.*

VERITAS 224.

IOANNES Trithem. in Cathal. illuſtr. virorum, fol. 153. mentionem facit de quodam Nicolao, Monacho Ciſtercienſi, S. Crucis in Auſtria, qui vixit ad ann. 1420. qui ſcripſit librum de laude B. Virginis prænotatum: imaginem S. Mariç, & Sermones, ſed hic nec fuit Gallus, ſed Germanus, nec ſcripſit Poſtillam ſuper Lucam, nec denique opera eius fuerunt typis mandata. Quare ad memoriam reuocanda ſunt, quod ſuprà ſæpè notaui, ſcilicèt, quòd vbicumque Bandellus adducto Auctore tacet proprium nomen, & eum adducit ſub appellatiuo Patriæ, vel nationis, v. g. N. Gallicus, Theutonicus, vel Anglicus, ferè ſemper aliquod proponit mendacium, quod in præſenti Auctore etiam verificatur, cuius auctoritatem ſic adducit: Idem tenet Magiſter Nicolaus Gallicus in Poſtilla ſuper Lucam, cap. 1. ſic dicens: *Spiritus Sanctus ſuperueniens in Virginem, eam à fomite peccati liberauit, quàm prius in vtero matris ab originali peccato mundauit. Hæc ille.* Gryſald. ſic trāſcripſit: *In vtero matris ab originali peccato mundata erat.* Semper iudicaui has auctoritates eſſe fictas, quia Bandellianum ſtyllum, & verba habent, quam ſuſpicionem confirmauit rei euentus: nam poſt exactā diligentiam, vt huius Auctoris opera inuenirē, occurrit mihi Ioannes Vitalis Cardinalis, qui in ſuo Defenſorio pro myſterio immaculatæ Conceptionis, lib. 4. Ancil. 7. referens Auctores pro noſtra ſententia, adducit inter alios Nicolaum Monachū in Expoſitione ſuper Magnificat (cohæret hæc cum citatione Aduerſariorum dicentium: In Poſtilla ſuper Lucam, capit. 1.) & ad illa verba: *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes*, ſic inquit Nicolaus Monachus: *Beata fuit habens affectum puriſsimum ſine contagione, vt eſſet candor lucis æternæ, quoad animam, & ſpeculum ſine macula quoad corpus.* Hæc ſunt verba quæ adducit Vitalis ex præſenti Nicolao Monacho, vel alio, & eadem verba nulla mutata ſyllaba extant in

illo

illo originali Alani Parisiensis, scripto anno 1392. quæ licèt in rei veritate non videantur supra allegata ab Aduersariis, nec expressa pro immunitate Virginis à peccato originali, indicant tamen esse vera, & non fictè supposita, sicut illa Bandelli. Cui ergo credendum sit, tu, ô Lector iudica: supponendo hoc vnum principium, quod illud opus Ioannis Vitalis de Furno nunquam fuit typis mandatum, & semper solidè, maturè, ac iuxta veritatē loquitur. Bādelli vero opus semper, & vbique scatet fictionibus, atque falsitatibus, & est repletus multis miseriis. Sed loquendo absque omni temeritate, ego dicerem Auctorem istum esse duplicatum: nam cum Bandellus adduxisset Nicolaum de Lira, natione Gallum, inter Minoritas, vt multiplicaret alium Auctorem pro sua opinione mutando illi habitum Franciscanum in Cistercienſem, & cognomen, iterum illum introduxit in Aream suam. Hoc constat, nam Magister Nicolaus Lyranus, Gallus, in Postilla super Lucam, cap. 1. habet auctoritatem hic adductā pro Nicolao Gallico, Cisterciēsi, excepto vno, vel altero verbo quod fortè mutauit Bandellus, vt non deprehenderetur in, &c. vide infrà num. 226. Et si non hic, erit Nicolaus Gorram, Dominicanus, de quo num. sequenti: nam fuit Nicolaus, Gallus, & scripsit Postillā super Lucam, & cap. 1. ad illa verba: Spiritus Sanctus superueniet in te, agit de sanctificatione Virginis: sed si est iste Nicolaus, auctoritas penitus est ficta, vt num. sequenti videre poterit Lector. Cōcludo ergo assertiuè, affirmando, quòd omnia adducta de isto Nicolao Gallo, sunt multiplicata, ficta, & mendaciter adducta; nam si volumus hunc Nicolaum Cistercienſem fuisse Cæsarium Cistercienſem, qui scripsit Postillam, siuè Explanationem super cap. 1. Lucæ, impress. cura, & sollicitudine R. P. F. Ioānis Andr. Coppenstein, Ordin. Prædicatorum, Coloniæ ann. 1615. in 4. Sed ad illud: *Spiritus Sanctus superueniet in te*, nec solùm vnicum verbum habet ex suprà adductis ab Aduersariis, quinimò ad illud: *Et nomen Virginis Maria*, fol. 20. col. 2. inter alia dicit de Deipara: *Mouetur quidèm propter nos visceribus misericordiæ: quæ nunquam sensit motum carnalis concupiscentiæ: propter quod & immobilis creditur fuisse totius peccati immunitate.* Et alia similia verba habet ibidem pro nostra sententia, vide quę diximus num. antecedēti circa multiplicationem huius incogniti Nicolai, & aliorum.

NICOLAVS Gorram, Ordinis Prædicatorum, in Postilla super Lucam, cap. 1. *Turrecrem. par. 5. cap. 2. & part. 6. cap. 29. fol. 120. Anonym. Auctore 71. Bandel. capit. 22. Deza fol. 42. Vinc. Gryfal. & Anton. de Brixia.*

VERITAS 225.

VT Ex repetitis demonstrationibus credas, ô Lector! quod vbicumque Aduersarii adducto Auctore tacent auctoritatem, solùm parant laqueum ad decipiendos simplices in multitudine Auctorum; in hoc etiam suæ Religionis graui, ac erudito Scriptore palam fiet. Turrecremata semel, & iterū citat pro sua sententia Nicolaū Gorranum, sed nec ipse, nec Aduersariorum alius adducit ipsius verba; solùm enim dicunt: Item ad idem est eiusdem Ordinis Nicolaus Gorram super Lucam; tractans illud: *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, quod, vt superiùs habitum est, ad extensionē fomitis peccati refert.* Cùm ergo Gorrani Postilla, seu Enarrationes Euangeliorum sint excusiæ Coloniæ anno 1537. in fol. & Antuerpiæ anno 1617. etiam in folio, transcribo omnia eius verba, quæ hanc Conceptionis materiam concernere possunt.

Inquit ergo fol. 292. *Aue gratia plena, Dominus tecum. In hac salutatione commendat Angelus quatuor in B. Virgine. Primò, vniuersalem culpæ carentiam, cùm dicit: Aue. Secundò, redundantis gratiæ abundantiam, cùm subdit: Gratia plena. Tertio, specialem Dei præsentiam, cùm addit: Dominus tecum. Quartò, singularem super alias mulieres prærogatiuam, cùm addit: Benedicta tu. O gloriosa Domina! quæ & culpa caruit vniuersaliter, & gratia emicuit abundanter, Deum præsentem habuit specialiter, & mulieres omnes præcellit singulariter. Dicit ergo: Aue, quod dicitur ab A, quod est sine, & ve, quasi sine væ. Prima enim mulier genuit nos cū multiplici væ &c, sed B. Virgo facta est Mater dilectionis, contra væ malitiæ, Mater timoris contra væ discordiæ, Mater cognitionis contra væ ignorantiæ, Mater spei sanctæ contra væ miseriæ, &c. verè gratia plena, quia eius intellectus plenus &c. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te, &c. Denique omnis B. Mariæ vita plena fuit omni sanctitate. Prou. 12. Mulier gratiosa inuenit gloriam, & ideò merito sequitur: Dominus tecum, &c. Dominus, inquam, qui te præelegit, Dominus Filius, qui te desponsauit, Dominus Spiritus Sanctus, qui te consecrauit, &c. Benedicta tu in mulieribus. Ecce salutatio Booz ad Ruth: ergo fuit hæc præsens salutatio valdè completa, numeris omnibus absoluta, &c. Respondens Angelus. Hic certificat Angelus Virginem inquirentem; vbi primo ostendit concipiendi modum, secundo ponit ei exemplum, ibi: Ecce Elisabeth; tertio allegat posse diuinum, ibi: Quia non erit impossibile. In prima primo tangit Incarnationis auctorem, scilicèt, Spiritum San-*

ctum.

ctum. Secundò, incarnati dignitatem, ſcilicèt, Dei Filium, ibi: Ideòque. In prima tangitur duplex operatio Spiritus Sancti; prima eſt gratia ſanctificationis, quia ampliùs Matrem, & Filij carnem ſanctificauit; ſecunda eſt patientia operationis, quia carnem ſanctificatam Verbo perſonaliter vniuit, &c. Superuenit, inquã, ad purificãdũ, & ſanctificãdum carnem Dei Filio vniendã. Item, ſuperueniet, id eſt, ſuper illud quod per eum in te eſt, veniet, quia qui priùs erat in mente, erit nũc & in vẽtre. Vndè quæ priùs fuiſti gratia plena, modo eris ſuperplena, &c. Et virtus Altiſſimi, id eſt, Spiritus Sãctus ab Altiſſimo, ſcilicèt, à Patre, & Filio procedẽs, obũbrabit tibi carẽ tuã ſanctificatã Verbo perſonaliter vniendo. Et infrà: *Et hic actus dicitur obumbratio, quæ circa corpus opacum lumen æternum applicuit. Item obumbrabit, id eſt, refringerabit fomitem totaliter extinguendo. Item obumbrabit tibi, in ſuo ingreſſu non te lædendo, ſicut autem vmbra nec lædit, nec grauat, ſed refrigerium præſtat. Notatur ergo hic Spiritus Sanctus, & virtus Altiſſimi fœcundãs, ſanctificatione quidèm ipſam à corruptione virginitatis præſeruando, ſed vmbra ab ardore concupiſcentiæ eam refrigerando. Poteſt etiam, dici quòd, &c.*

Hæc ſunt, o Lector! omnia Gorrani verba, quæ Aduerſarii in medium adducere noluerunt propter illas clauſulas: *Vniuerſalem culpæ carẽtiam.* Et: *Quæ culpa caruit vniuerſaliter.* Et: *Tota pulchra, & macula non eſt in te.* Et illam: *Vita plena fuit omni ſanctitate.* Sicut etiam illã: *Quia ampliùs Matrem, & Filij carnem ſanctificauit:* Ergo ſanctificatio non ſemper ſupponit culpam; cùm hìc affirmet Gorran Filii carnem fuiſſe ſanctificatam, in qua nullum fuit, nec potuit eſſe peccatum. Ac denique illam: *Sanctificatione quidèm ipſam à corruptione virginitatis præſeruando*, nam cùm ipſi hic expreſsè, & clarè vidiſſent ſanctificationem coniunctam cum præſeruatione, quod penitùs eſt contra ipſorũ doctrinam; volentes adſtruere, ac ſtabilire, quod ſanctificatio ſemper ſupponit maculam, vel culpam in ſanctificato, non fuerunt auſi propalare hæc ſui Gorrani verba. Item, quia viderunt hìc ſemper loqui de ſanctificatione carnis virgineæ in ordine ad Incarnationem Verbi. Cũ ergo omnia, & ſingula verba auctoritatis eſſent contra ipſos, & ſolùm illa clauſula: *Refrigerabit, fomitem totaliter extinguendo*, exiſtimarent eſſe pro ipſis, illam adduxerunt, ſed ſine fundamento, quia gratia, & præſeruatio per ipſam facta opponitur culpæ, & peccato, non fomiti, non enim eſt præcipua controuerſia, an cum culpa originali animæ fuerit etiam præſeruata Maria à carnis fomite, de primo nunc ventilamus, de ſecundo Deus prouidebit; fili mi, vide tuum Caietanum num. 300. & incidenter nota, quòd ex his verbis: *Refrigerabit, fomitem totaliter extinguendo*, fabricauit Bandellus auctoritatem pro Nicolao Gallico Ciſtercienſi, de quo numero antecedenti, & ſic circa illos Nicolaos tota eſt confuſio, fictio, & falſitas.

Inſuper alia opera habet Gorranus, ex quibus ſua mens colligi poteſt: nam in Sermonibus impreſsis ſeorſim per Robertum de Bonamonte, Ordinis Prædicatorum, à Nicolao de la Barre, Pariſiis 1509. in 8. qui incipiunt: *Hora eſt iam nos, &c.* & etiam extant cum Poſtilla Epiſtolarum Pauli, ſub titulo: Fundamentum Aureum Sermonum (omnia enim Prædicatorum opera ſunt aurea; Roſa aurea, Opus aureũ, Catena aurea) in ſer. 8. Natiuitatis, inquit Gorranus: *Sic Virgo nata de maſſa corruptionis, non tenuit conditiones corruptionis.* Et ſerm. 6. ad illa verba: Egredietur virga de radice Ieſſe, inquit: *Ergo ſecundùm originem comparantur hic, tres perſonæ tribus. Quia comparantur Ieſſe radici terræ inhærenti propter culpam originalis corruptionis: virgo virgæ de radice egredienti, propter gratiam puritatis: Chriſtus flori aſcendenti, &c.* Et infrà: *Circa Natiuitatem Virginis notãtur tria: puritas Natiuitatis, ibi: Egredietur, ſcilicèt, de radice, conditiones non habens, vtpotè recta ſine tortuoſitate originalis, ſurſum tendens.* Et ſerm. 9. *Excellens naſcentis ſanctitas, quia lux noua, quia ſine omni peccato, & pronitate ad peccandũ nata eſt.* Hæc, & alia habet Gorranus pro immaculata Virginis Conceptione, de quibus nos latè in noſtra Militia, & non in noſtra malitia: ſed an Sermones iſti ſint Nicolai Gorrani Dominicani, vel Nicolai Lirani Franciſcani, controuerſia eſt alibi diſcutiẽda. Sufficit enim pro nũc ſcire, quòd Gorranus nec verbum vnum dixit contra immaculatam Virginis Conceptionem, licèt ipſum quærant habentes lucernas ardentes in manibus ſuis.

NICOLAVS Liranus, Ordinis Minorum, ſuper Lucam, & in Prologo ſuper Matth. & in 1. ad Theſſalon. cap. 4. *Turrecr. cap. 31. fol. 122. Anonym. Auctore 104. Bandel. cap. 24. Dezafol. 47 in Additione. Spina part. 6. cap. 4. Vincent. Gryſald. Capreol. Soncin. Berelete. S. Antonin. Brixienſis.*

VERITAS 226.

OPERA Iſtius Inſignis Doctoris notiſsima ſunt, ſiquidèm ſeorſim fuerunt ſemel, & iterum impreſſa, & cũ Gloſſa Ordinaria, Venetiis anno 1603. & 1488. Duaci per eius DD. Antuerpiæ 1634. Lugduni 1545. & 1590. & 1588. Baſileæ incepta anno 1506. correctam per Fratrẽ Conradum Lontarium, & finita ann. 1608. & ibidẽ, alia anno 1502. manuſcripta in Biblioth. S. Eccleſiæ Toletanæ, & Scorialis, & alibi. Primam ergo

ergo huius auctoritatem sic adducit Turrecremata: Item ad idem est eiusdem Ordinis Pater, & Magist r Parisiensis solemnissimus, totius Bibliæ Postillator, Magister Nicolaus de Lira, qui super Lucam exponens illud: Spiritus Sanctus superueniet in te, ait: *Quia prius venerat Spiritus Sanctus super Virginem adhuc in vtero matris existentem, eam ab omni originali purgãdo, vt communiùs dicitur, vel secundùm aliquos, à peccato originali præseruando. Hæc ille.* Bandellus verò, & Spina sic illam adducunt: Idem tenet Doctor Nicolaus de Lira, Doctor Parisiensis, qui super Lucam exponens illud: Spiritus Sanctus superueniet in te, sic dicit: *Benè dicit; superueniet in te, quia prius venerat Spiritus Sanctus super Virginem, adhuc in vtero matris existentem, eam ab originali peccato purgando, vt cammuniter dicitur. Sed in Conceptione Filij Dei superuenit, id est, iterum venit ad cõferendam Virgini Mariæ gratiæ plenitudinem. Hæc ille.* Sic etiam transcribunt Vincentia, & alii. Auctoritas autem Lirani sic se habet: *Et benè dixit; superueniet in te: quia prius venerat Spiritus Sanctus super Virginem adhuc in vtero matris existentem, eam ab originali purgãdo, vt communiter dicitur, vel secundùm alios, vt communiter etiam dicitur, à peccato originali præseruando, sed in Conceptione Filij Dei superuenit Spiritus Sanctus, id est, iterum venit, ad conferendam maiorem gratiæ plenitudinem, quæ non solùm sanctificauit mentem, sed etiam ventrem.* Ex his Turrecremata transcripsit Lirani verba minus vitiatè: nam in originali excusso Venetiis anno 1482. extant verba Lirani, vt Turrecremata transcribit, sed adhùc adulterauit textum in tribus essentialissimis verbis. Primo, quia addidit illam vnicè falsam, ab *omni* originali in nullo enim auctographo impresso, nec manuscripto, extat illud, *omni*. Secundo, vbi Liranus dicit, *secundùm alios*; ipse malitiosè vitiauit, secundùm *aliquos*, vt sic restringeret, ac minueret numerum. Tertio, prætermisit illud, *vt communiter etiam dicitur*. Benè verum est, quod in impressione Basilien si, facta anno 1502. fol. 125. non extant illa verba, *vt communiter etiam dicitur*. Hæc clausula deest etiam in manuscripto existente in Bibliothec. Regia Scorialis H.I.D. 6. & in altero existente in Bibliotheca S. Ecclesiæ Toletanæ. Bandellus ad has addidit, sicut & cæteri, alia vitia peiora prioribus: nam quarto dereliquerunt totam illam clausulam: *Vel secundùm alios, vt communiter etiam dicitur, à peccato originali præseruando*; quam Turrecremata non est ausus tacere contrà veritatem: si autem hæc fuerit malitia pessima, tu iudica. Quinto, abstulerunt illã vocem, *maiorem*: Sexto etiam malitiosè racuerunt illam clausulam: *Quæ non solùm sanctificauit mentem, sed etiam ventrem.* Quia audire, ac videre sanctificationem ventris, non erat ipsis ad suum propositum. Si ergo in vno Auctore trito ab omnibus, atque communissimo, & in vna auctoritate habente sex lineas, apposuerunt sex adulterationes capitales, quid miramur de adulterationibus factis in Auctoribus incognitis, & libris minus tritis?

Secundã auctoritatẽ adducit Turrecremata sic: Quod verò ipse tenuerit cũ cõmuni opinione, videtur manifestè colligi ex illo, quod affirmãdo ait in Prologo super Matthæũ, in fine, vbi sic ait: *Benè dicitur Christus alter homo, quia fuit alter homo ab omnibus alijs hominibus, quia omnes alij processerunt de radice peccati, ipse autem solus innocens, per quem alij sunt redempti, secũdùm quod scribitur Rom. 6. Sicut per vnius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per vnius hominis obedientiam iusti constituuntur multi. Hæc ille.* Et hoc etiam ex multis aliis locis Postillæ suæ colligi potest. Qui Doctor expressè dicitur hanc sententiam posuisse in 3. Sent. dist. 3. Hucusque Turrecremata. Sed pro veritate indaganda scias, Lector, quod Liranus duos habet Prologos super Matthæum. Vnus incipit: *Matthæus, hic est primus Prologus.* Alter verò sic: *Matthæus cum prim prædicasset*, sed in his non extant verba prælegata à Turrecremata, sed in Præfatione in quatuor Euangelistas, incipiente *Quatuor facies*, &c. Et sic cita non est iuxta veritatem. Item vbi Liranus dicit: *Per quem ad iustitiam sunt aliqui redempti*, ipse abstulit illud, *Ad iustitiam*. Item Liranus non adducit cap. 6. epistolæ ad Romanos, sed cap. 5. Denique prætermisit prima Lirani verba, incipiunt enim sic: *Et posita similitudo alterius hominis, id est, Christi, cuius præcipuè considera humanitatem, & benè dicitur*, &c. Ex quibus constat, quod Liranus loquitur de humanitate, quam omnes homines recipiunt à radice concupiscentiæ, & libidinis, à qua solus Christus exemptus fuit, ipse enim solus fuit innocens per naturam, & ex vi suæ generationis, quod nos cum fide libentissimè concedimus. Imo auctoritas hæc, si benè perpendatur, potius videtur esse pro nobis, quàm contra nos. Nam si omnes alii homines procedunt de radice peccati, id est, de patre, ac matre peccatrice, parentes enim sunt radix, à quibus filii nascuntur infecti, & solus Christus non processit ex radice peccati, quia non habet Patrem in terris, & Mater nullum habuit peccatum, præcipuè originale, quod est vnica, ac præcipua radix, à qua maculãtur filii: ergo Christi Mater Maria radix illius humanitatis nullum habuit peccatum. Hæ mihi videntur necessariæ consequentiæ: Petrus processit ex radice peccati: ergo processit à matre infecta peccato, saltem originali: Christus non processit ex radice peccati; ergo processit ex Matre non infecta originali peccato.

Ter-

Tertiam auctoritatem adducit Deza, siuè Corrector Bandelli, in quadam Additione, dicens sic: Idem clariùs, & expressiùs 1. ad Thessal. 4. vbi postquam posuit vnam opinionem de his, qui recipiendi sunt viui, cum Christus venerit in iudicium, dicit: *Sed ista opinio, primò deficit, in eo quod dicit aliquos sine morte transferēdos ad immortalitatem. Omnes enim ab Adam descendentes, præter Christum, incurrunt peccatū originale, in cuius pœna est data mors; &c.* Ecce clarum testimonium. Sed aduerte, quod ille Doctor in isto passu est corruptus in libris de impressione omnibus, præter primam impressionem, sicut patet intuenti, omnes libros manuscriptos; de quibus ego iam vidi octo libros sic vniformiter habentes. Impressores autem addiderunt temerariè, & falsè: Præter Christum, & Matrem eius; quod benè nota. Hucusquè ille Continuator, vel Corrector Bandelli. Sed pro veritate, & censura dicimus, quod Liranus in epist. 1. ad Thessalon. cap. 4. ad illa verba: Quia nos qui viuimus, qui residui sumus, inquit: *Quod hic dicitur, deindè nos qui viuimus, qui relinquimur, scilicèt, viui, vsque ad aduentum Christi, simul rapiemur cum illis, id est, cum mortuis resuscitatis obuiam Christo descendenti ad iudicium; & dicunt, quòd Apostolus se connumerat eis, eo quòd pertinet ad idem corpus Ecclesiæ. Sed hæc expositio primò deficit in hoc quod dicit, aliquos sine morte ad immortalitatem transire. Cùm omnes descendentes ab Adam (præter Christum, & Matrem eius) incurrunt originale peccatum, cuius pœna est mors, & ideo omnes soluent debitum mortis, &c.* Sic ad litteram extant hęc verba in Postilla Lirani, & in Glosis omniū impressionum antiquarum, & ad marginem illarum dicitur: *Ecce B. Virginis immunitas ab originali peccato.* Deest tamen verbum illud, *& Matrem eius*, in Antuerpiana, edita ann. 1634. Vndè existimo, originalia manuscripta esse alterata. Si ergo Deza, vel Continuator ille Bandelli vidit omnes impressiones: igitur in omnibus inuenit vniformitatem?

Quòd autem illa exemptio: Præter Christū, *& Matrem eius*, sit Lirani, comprobatur ex alia simili: nam lib. 3. Esdræ cap. 4. ad illa verba: *Iniquæ mulieres, iniqui omnes filij hominum, &c.* vers. 37. inquit Liranus: *Multi enim Reges, mulieres, & homines fecerunt iniquitates, accipiendo iniquitatem pro crimine enormi: & sic est hic hyperbole sicut enim dicitur: Omnes de Ciuitate vadunt ad tale spectaculum, id est, multi: si autem accipiatur iniquitas pro peccato quocumque, sic generaliter omnes dicuntur iniqui, dempto homine Christo, & B. Virgine, de quibus non loquebatur Zorababel, &c.* En in vtraque auctoritate æqualiter excipit Liranus Christum, & Mariam, si hanc non addiderunt impressores temerariè, & falsè, quare illā? An quia ibi agebatur de peccato originali? Vel ergo ambæ fuerunt vitiatæ, vel nulla? Sed hæc in omnibus editionibus est. Ergo. Sed triturēmus ex professo illa Dezæ verba: *Impressores autē addiderunt temerariè, & falsè*, & videamus, quis fuerit temerarius, & fallarius? In hoc Ventilabro nullum inuenietis Auctorem, nullum dico bis, & millies, qui nō fuerit temerariè falsificatus à sanguine Abel iusti (ab hoc enim inci pit noster Cathalogus, vt videre est num. 1.) vsq; ad sanguinē Zachariæ (de quo ad finem, vt videre est n um. 314.) fecerunt nè hoc Impressores? Nulla est auctoritas SS. Patrum, vel aliorum DD. quæ non sit temerariè, atque falsè vitiata, & adulterata, fecerunt nè hoc Impressores? In hoc vno Lirano, vt alia taceam, prima auctoritas temerariè, & falsò vitiata fuit in sex essentialissimis verbis, fecerunt nè hoc Impressores? In secundā auctoritate Lirani dicit vester Turrecremata: *Et hoc etiam ex multis alijs locis Postillæ (quæ colligi potest. Qui Doctor expressè dicitur hanc sententiā posuisse in 3. Sent. dist. 3.* Nonnè hæc temerariè, & falsè dicta fuerunt, cùm in tota Postilla Lirani non inueniatur vnus solus locus pro cotraria sententia: addiderunt ne hæc in Turrecremata Impressores? In tertia auctoritate dicis tumet ipse insignis Cōtinuator Bandelli: *Idē clariùs, & expressiùs, &c. Ecce clarum testimoniū, &c.* Quid dixit Liranus clariùs, & expressiùs in tuo claro testimonio adducto? Quod Virgo Maria contraxit peccatum originale? Videamus ergo tuum clarum, & expressum testimonium, seiusis Impressoribus: *Omnes enim ab Adam descendentes, præter Christum, incurrunt peccatum originale.* Est nè hoc tuum clarū, & expressum testimonium, seu Lirani ad comprobandū, Virginem Mariam contraxisse peccatum originale? Nonnè hæc est quædam propositio vniuersalis, sicut est illa: Omnes in Adam peccauerūt? Si ergo Pauli non est clarum, & expressum testimonium, quarè Lirani erit clarum, & expressum? Si hoc est falsè, & temerariè dictum, quis hoc dixit, Impressores? Postilla, seu Glossa Lirani, quæ est cum sacra is. Bibliæ textu, iuxta omnes impressiones, vna excepta est vitiata ab Impressoribus, quia est in fauorem Virginis Mariæ, ac pro immaculata eius Conceptione, & illa Additio, seu Glossa, quæ est in iure Canonico ad marginem, & non extat in omnibus impressionibus, vt dixi numer. 125. & 192. quia est cuiusdam Patris Dominicani, contra puritatem sacratissimæ Virginis Mariæ, non est vitiata ab Impressoribus? Si Impressores hoc fecerūt, quo modo extat in decem impressionibus in diuersis mundi partibus, ac temporibus exclusis? Et vtinam hoc potuissent facere, & fecissent Impressores; quia fortè hic adimpleretur illud: Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus vt confundat sapientes.

NICOLAVS Treuet, Taueth, vel Hauehet, Ordinis Prædicatorum, in Quodlib. 3. quæst. 4. *Turrecrem. part. 6. cap. 29. fol. 119. à tergo. Anonym. Auct. 67. Bandel. capit. 23. Dez. a fol. 41. Vincent. Capreol. Soncin. Gryf. & Barelete.*

VERITAS. 227.

PRIMO Suppono, hunc Auctorem vocatum fuisse Nicolaum Treuethum, natione Anglum, vixisse ad annum 1320. scripsisseque plura, quorum Catalogum adducit Pitseus, fol. 420. ac de ipso communiter mentionem faciunt Nomenclatores. Vidi, & legi de hoc Auctore Declamationes morales, manuscriptas in Bibliotheca Collegii Vniuersitatis Complutensis, in quibus nihil inuenire potui pro hac Conceptionis materia. Et in Bibliotheca Scorialis VII. E. 23. super Boetium de Consolatione incipit: *Explanationem librorum.* Secundò suppono, quod Aduersarii sic adducunt huius Scriptoris auctoritatem: Itē ad idem est eiusdem Ordinis P. Magister Nicolaus Treuet, Anglicus, magnus vir, sicut ex eius operibus celeberrimis colligitur testimonium, in Quodlibeto 3. loquendo de celebratione festi Conceptionis B. Virginis, quæ in aliquibus Ecclesiis fit, dicit sic post multa: *Non ergo dies Conceptionis sic celebratur, quasi supponendum sit, quòd B. Virgo absque originali peccato suam Conceptionem compleuerit: hoc enim esset erroneum, nec pro isto tempore, quo actu originale peccatum contraxit, nec ista ratione, qua erat in potentia, vt contraheret, hoc enim esset superstitiosum. Hæc ille.* Tertiò suppono, quòd liber iste Quodlibetorum nunquam fuit excusus, nec aliquod aliud opus istius Auctoris. Quarto suppono, quod hic non inquirimus, an Nicolaus Treuethus sustinuerit opinionem affirmatiuā, quia cùm esset ex Familia Prædicatorum, quasi ex iure manet exclusus: sed an liber ille Quodlibetorū fuerit in rerum natura, Leander Alber. lib. 4. fol. 137. refert istius aliqua opera, vt est illud super Boetium, & Declamationes morales à nobis visa; sed nihil dicit de Quodlibetis, siuè ergo fuerint, vel non Quodlibeta.

Ad nostrum institutum solùm interest demōstrare, quòd ex proposita auctoritate nihil probant Aduersarii, nam iste loquutus est circa festiuitatem Conceptionis sub illa vniuersali æquiuocatione Antiquorū; vt autem sæpè diximus opponebant Antiqui, Ecclesias celebrare die 8. Decembris festū Cōceptionis, quia ab illa hora, & puncto, quo Ioachim, & Anna sese maritaliter coniunxerat, totum fuerat sanctum, ac veneratione dignum, nullumq; ibi interfuisse peccatū, contra hoc insurgebant antiqui Scriptores, & cum eis Treuethus, demonstrando, quod in illa Cōceptione, seu generatione aliquod interfuit peccatum, quia illa dies, & festiuitas *non celebratur, quasi supponendum sit, quòd B. Virgo suā Conceptionem compleuerit absque originali peccato, hoc enim esset erroneū.* Nota verba illa, *suā Conceptionem compleuerit.* Si enim in illa die 8. Decembris, Maria nondū erat, quomodo supponendum erat, Maria iam suam compleuisse Conceptionem? Quando animatio fœtus fuit ad minus post quadraginta dies? Neq; enim poterat celebrari illa festiuitas, *pro isto tempore, quo actu originale peccatum contraxit.* Nota illud, *pro isto tempore*, id est, die 8. Decembris, quia in isto tempore actu erat, in actu illo concupiscētia, & libido parētū (hoc enim Treuethus, sicut & omnes antiqui, vocabat contractionem peccati originalis, sumendo causam pro effectu) ex quibus Maria *erat in potentia, vt contraheret* in propria persona, quando in termino prefixo à natura, animanda erat: ergo ex nullo capite (dicebat Treuethus) dies illa 8. Decēbris debet festiuari, quia carnalis conceptio illo die facta in actu non habuit sanctitatem, & contrarium dicere, esset erroneū, reducere autē hæc ad sanctitatem in potētia, esset superstitiosum. Hæc meo iudicio erat mens Treuethi secundùm vim suorum verborum. Et sic in æquinocū laborauit, & quousq; Aduersarii ostendant aliud testimoniū sui Treuethi, appenderunt terrā super nihilum.

ODO De Castro-Rodulphi, Episcopus Tusculan. Ord. Cistercienſis, in Ser. 5. Natiu. Domini, & in Ser. 3. Dominicæ Aduen. *Ita Bandel. cap. 22. Dez. a fol. 37. Vincent. & Gryſal.*

VERITAS 228.

PRO Exacta huius, ac duorum sequentium eiusdem nominis Auctorū aliqua prænotare debemus: Primò, quod inter antiquos Scriptores fuit quidā celebris communiter vocatus Magister Odo, vt euidenter constabit ex infra dicendis. Secundo, quod inter plures alios prædicti nominis præcipui enumerantur tres, qui omnes, vt affirmat R. P. Carolus de Visch in sua Biblioth. Cisterc. à fol. 207 fuerunt Monachi Cistercienses, & scripserunt Sermones, seu Homilias, tam de tempore, quàm de Sanctis, vnus fuit Odo Ceritonensis, vel Schirton, Anglus, & Doctor Parisiensis, qui claruit ad ann. 1181. Alter Odo Abbas Morimundensis, qui obiit ann. 1161. Ac tertius Odo, vel Ottho de Castro-Rodulphi, Gallus, Bituricensis, Sacræ Theologiæ Doctor, & Cancellarius Parisiensis, postea vero Monachus

Cister-

Ciſterciēſis factus, fuit Abbas Sextus Vrſi campi, & Grandis ſiluæ, ac tandèm ad ann. 1244. ab Innocentio IV. creatus Cardinalis, Epiſcopus Tuſculanus. Tertio ſupponendum, quod ſub nomine Magiſtri Odonis, vidi quinque Sermonaria diuerſa, primum impreſ. apud Iacob. Badium anno 1520. in 4. ſub hoc titulo: *Flores Sermonum, ac Euangeliorum Dominicalium excellentiſsimi Magiſtri Odonis, Cancellarij Pariſien. &c.* & incipit opus ſine prologo à prima Domin. Aduent. ſic: *Cùm appropinquaſſet Ieſus, &c. Præſens Euangelium bis in anno legitur, &c.* Secundùm originale manuſcr. in Biblioth. S. Ioann. Regum Pluteo AA. num. 71. cuius exordium eſt: *Prologus ſuper Euangelia Dominicalia, ſcilicèt, Magiſtri Odonis, ad laudem ipſius, qui eſt Alpha:* & Prologus, qui breuis eſt, incipit: *Aquatuor ventis veni Spiritus, &c.* & ad finem Prologi dicitur: *Ego Odo de Curtonia, Doctor Eccleſiæ minimus Euangelia Dominicalia, & quæ in præcipuis ſolemnitatibus in Eccleſia recitantur, ad laudem Dei, &c.* ex quibus conſtat, quod proprium cognomen huius Odonis, qui ſcripſit ſermones de Tempore, ac de Sanctis, fuit de Curtonia: Sermo ergo in hoc originali prim. Dominic. Aduent. incipit: *Cùm appropinquaſſet, &c. Præſens Euangelium bis in anno legitur, &c.* & in omnibus Sermonibus, ac verbis eſt idem cum impreſſo. Tertium originale extat in eadem Bibliothec. littera Z. num. 69. etiam manuſc. & in principio habet aliquos Sermones extrauagantes, ſed fol. 12. incipit 1. Dominica Aduent. *Cùm appropinquaſſet, &c. Præſens Euangelium bis in anno legitur.* Et ad finem ſermonum de Tempore dicitur ſic: *Explicitum eſt hoc opus anno ab Incarnatione Domini* 1219. *pridie Kalen. Ianuar. à Magiſtro, Odone ad laudē ipſius, qui eſt Alpha.* Deindè adducit alios Sermones de Sanctis, & concludunt ſic: *Explicint Euangelia Sanctorū ſecundùm Magiſtrum Odonem ad laudem eius, qui eſt Alpha.* Quartum originale M. S. extat in Biblioth. Regia ſuperiori Scorialis, cuius ſubſcriptio eſt: *Magiſtri Odonis,* & coincidit in Sermonibus cum antecedenti. Quintum originale etiam manuſc. extat in Biblioth. S. Eccleſiæ Tholetanæ, ſed intùs, & foris habet hanc inſcriptionem: *Odo de Caſtro Rodulphi, Sermones.* Quarto ſuppono, quòd nec ex originalibus poteſt deduci, cuius ex tribus ſuprà enumeratis Odonibus ſint Sermones iſti, neque etiam ex Nomenclatoribus, quia confusè nimis ſcribunt, nam Ciaconius fol. 568. dicit: *Otho de Caſtro Rodulphi, Bituricenſis Diœceſis, Gallus, ex Cancellario Pariſienſi Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus, &c.* Ecce Cancellarium facit Gallum, & Epiſcopum Tuſculanum, ſed nihil dicit de Religione Ciſtercienſium, neque de Seruonibus ſcriptis. R. P. Fr. Matthæus MaKerel, Præmonſtratenſis, natione Anglus, in Epiſtola ad D. Ioan. Fiſcherum, Roffenſem Epiſcopum, ſic inquit: *Hos Sermones in iſto tuo Licio à me repertos, ſed, vti opinor, Pariſiis editos ab excellentiſsimo viro Magiſtro Odone, Pariſien. quidē Academiæ Cancellario, ſed vt veriſimile eſt, à noſtris oriundo, &c.* Ecce Sermones Odonis Cancellarii, ſed non cōſtat, an fuerit Epiſcopus Tuſculanus Gallus, vel Anglus. In Biblioth. Cardin. fol. 40. fit mentio de quodam Odone regulari creato ab Innocentio IV. Cardinali, qui ſcripſit ſermones de Tempore, & nihil dicit de Sermonario de Sanctis, & infrà iterum facit mentionē de alio vocato Othone de Caſtro Rodulphi, qui ab eodem Innocentio IV. fuit creatus Cardinalis, & ſcripſit Homilias de Tempore, ac de Sanctis. Poſſeninus item fol. 168. refert Odonē Ceritona, aliis Schirton (ſed fortè melius diceret, vt ego ſuprà legi ex ipſo originali M. S. de Curtonia, ſed parum refert, quòd cognominetur Ceritonia, vel Curtonia, dum tamē conſtet de veritate Auctoris; vt conſtat) qui ad annū 1180. ſcripſit Sermones in anno, non conuenit cum ſupradicto 1219. & infrà fol. 168. habet hæc verba: *Odo, Epiſcopus Tuſculanus, ſcripſit Homilias, ſiuè Sermones duobus grandis voluminibus per totum annum; ſtabant manuſc. Romæ in Vaticana Bibliotheca, & apud Aſcanium Martinengum, Canonicum Regularem, verumtamen quis, quo ve tempore fuit Odo, mihi incertum, &c.* Hæc, & alia dubia, incerta, ac inter ſe repugnantia inueniuntur in Nomenclatoribus: vndè difficillimum erit inueſtigare, an iſti Scriptores Sermonum fuerint tres, aut duo, vel potiùs vnus Odo; ego vero, ſaluo meliori iudicio, ſemper crederem, fuiſſe tantum vnum Odonem Magiſtrum, Pariſienſem Doctorem, Cancellarium, Abbatem Epiſcopum, & Cardinalem, Scriptorem Sermonum, ſeu Homiliarū, quia originalia, Sermones, ac ſtylus, auctoritates, & verba hoc indicant. Et confirmatur; quia Turrecremata ſolùm adducit vnum Odonem, ex quo Bādellus videtur multiplicaſſe tres. Et hæc dicta ſufficiunt de Odonibus in communi, nam in particulari ipſæmet auctoritates loquentur: de hoc ergo primo.

Auctoritatem ſic adducunt Aduerſarij: Idem tenet D. Odo de Caſtro Rodulphi, Epiſcopus Tuſculanus, in 3. ſermone Natiuitatis Domini, ſic dicens: *Beata Virgo fuit antè ſui Natiuitatem à peccato originali, per gratiam in vtero matris mundata, vt ex ea conciperetur Deus, & homo ſine peccato.* Idem dicit in ſermone 3. Dominicæ Aduentus. Hucuſque Bādellus. Dico ergo, quòd Odo Cardinalis, Epiſcopus Tuſculanus edidit ſermones de Sanctis, ac de Tempore, & in originali Bibliothecæ S. Eccleſiæ Toletanæ, quod extat ſub expreſſo nomine

Odonis de Caſtro Rodulphi de Natiuitate Domini, adducit quatuor Sermones. Primus incipit: *Puer natus eſt nobis.* Secundus: *Euangelizo vobis.* Tertius: *Ecce Euangelizo*, & eſt imperfectus. Quartus denique: *Sic Deus dilexit mundum*, cùm ergo non adducat quintum ſermonem de Natiuitate Domini, iam ex hac parte fallitur Bādellus: in aliis originalibus ſolū extant tres Sermones. Primus incipit: *Exijt edictū à Cæſare, &c.* Secundus: *Paſtores loquebantur, &c.* Et Tertius: *In principio erat Verbum, &c.* Sed in nullo iſtorum extat verbum directè, vel indirectè loquens de Conceptione, aut Virginis ſanctificatione.

De remiſsione Sermonis 3. Dominicæ Aduētus dico, quòd in originali Odonis de Caſtro Rodulphi nullus extat Sermo de Aduentu; in aliis quatuor, Sermo 3. Dominicæ incipit: *Cùm audiſſet Ioannes in vinculis, &c.* Sed ibi nec minimum extat verbum de Virgine Maria. Legi alios, vt ex ipſis indagarem mentem huius Auctoris, & in ſermone Aſſumptionis, qui incipit: *Tota pulchra, &c.* ſic inquit: *Sequitur nitoris munditia, quæ eſt à peccati immutatione, cùm dicit: Et macula non eſt in te, quia neque maculâ originalis, venialis, ſiuè mortalis, originalis enim in ea non erat, quia in vtero ab ea mundata, & mundata extitit, &c.* In ſermone verò Natiuitatis Virginis, qui incipit: *Tranſite ad me, &c.* ſic inquit: *De qua tamen virga dicit Iſaias: Egredietur virga de radice Ieſſe, virga autē recta, radix verò eius frequenter eſt curua, quia cùm Patriarchæ in radice ſeruarent ortum ſuum, &c. De illa Natiuitate de vtero, non quæ in vtero, ſed de illa quæ de vtero non ſolùm ſine peccato, imò gratia plena, & ſanctificata nata, quia in vtero ſanctificata, quod de paucis aliis legitur.* Hæc ſunt omnia, quæ in Sermonibus Odonis inuenire potui: ex quibus conſtat, quod Odo in Aduerſariorum opinionem ſe inclinauit, & ſic cum ſufficienti fundamento adduxerunt Auctorē, attenta verborum cortice, non verò ſi enucleentur; quia ad ſanum ſenſum reduci poſſunt, imò abſolutè videtur negare maculam originalem, quia more antiquorū vocat primam natiuitatē in vtero, generationē, nam de animatione non curabant, vt indicant verba illa: egredietur virga de radice Ieſſe. Auctoritas verò, & citationes adductæ à Bandello videntur falſæ, & fictæ. Potuit enim res ſic euenire, quòd Bandellus audiuit ab aliquo, Odonem ſuam ſuſtinuiſſe opinionem in duobus Sermonibus; & abſq; alio examine finxit ſerm. de Natiuitate D. quintū, & illum de Dominica 3. Aduentus. Nec iſte potuit eſſe error typographiæ, vel ergo eſt aliud opus Sermonum Odonis, vel hoc fecit Bandellus, vt ſic clararetur multiplicatio facta cum ſequentibus, quia ex vno adducto à Turrecremata voluit ipſe facere tres.

ODO Ciſtercienſis Abbas, Murunuden. vel Murmiunden. in Euangelio: Stabat iuxtæ crucem, &c. *Turrecrem. part. 6. cap. 26. folio 116, à tergo. Anonym. Auctore 147. Bandel. cap. 22. Deza fol. 37. Vincent. Bārelet.*

VERITAS 229.

SVPPOSITIS His; quæ num. præcedenti diximus de Odone Epiſcopo, Ordinis Ciſtercienſis, nunc ſuperaddo, quòd Arnoldus de Vvion in Ligno vitæ part. 1. lib. 2. cap. 61. agens de Scriptoribus Eccleſiaſticis Ordinis S. Benedicti nigrorum litt. O. fol. 443. ſic inquit: *Odo Gallus, Monachus, & Abbas Monaſterij, & Congregationis Floriacenſis, ſiuè, vt alijs placet, Abbas Morimundi, qui floruit anno Domini ....: ſcripſit ſermonem vnum de translatione corporis S. P. N. Benedicti ad Floriacum. Eſt M. S. in Monaſterio noſtro S. Benedicti Mantuani, & alijs pluribus locis. Item Sermonum diuerſorum lib. 1. qui eſt Caſini M. S. ſcam. 4. ad ſiniſtrā.* Eadē verba habet Poſſeuinus tom. 2. Appar. fol. 168. Geſnerus verò in ſua Biblioth. fol. 639. inquit: *Odo Muremūdenſis Abbas, Anglus natione, ſcripſit, &c. Titulus indicat iſtum Epiſcopum fuiſſe.* Et citat Ioan. Lelandum. Et fortè hic Odo eſt ille Abbas Floriacenſis, & Epiſcopus Salisburienſis, & Cantuarienſis, de quo Balleus fol. 67. Huic Murimundenſi nō adſcribit Geſnerus Sermones, ſed alteri primo Abbati Cluniacenſi, qui claruit anno 920. Et S. Bernardus habet Epiſtola 4. ad Arnoldum Abbatem Morimundi, & aliam ad Adam. Conſtat ergo, quòd titulum Abbatiæ ignorarūt Aduerſarii; quia eſt Muriſmundi, vel Murimundi in Lombardia, Diœceſis Mediolanenſis. Annales Ciſtercien. ad ann. 1160. cap. 2. fol. 335. num. 13. tomo 2. agunt de hoc Odone Murimundi Abbate. In Bibliotheca Scorialis extat quoddam opus inſcriptum: *Dominus vobiſcū*, modo Concionatorio III. C. IV. ſub nomine Odonis Monachi Cantuariæ, & exiſtimo, fuiſſe Benedictinum, quia adducit duos Sermones S. Benedicti. Ex iſto Odone Abbate Muriſmundi, adducit aliquas Homilias, ſeu Sermones Bibliotheca Homiliarū, ſeu Concionatoria nunc Pariſiis edita à R. P. F. Frāciſco Combefis Ordinis Prædicatorum; conſtat ergo de Auctore, Valerius Andræas Deſſelius in ſua Biblioth. fol. 704. agit latè de Odone Tornacenſi Benedictino, poſteà Epiſcopo, qui plura ſcripſit Opuſcula, præcipuè de peccato originali libros tres, ſed nihil dicit de Sermone citato ab Aduerſariis, ſicut nec Carol. de Viſch. in Bibliotheca Ciſtercienſi licèt, fol. 208. latè referat huius Auctoris opera omnia.

Ex

Ex quibus colligo ſequentia. Primo, quòd de hoc dubitatur, an fuerit Monachus ex nigris, vel albis, id eſt, an Benedictinus, vel Ciſtercienſis? Secundo, quòd ab omnibus ignoratur, quo tempore vixerit? Tertio, quod exiſtimatur ex propriis ſcriptis, hunc fuiſſe poſtea Epiſcopum. Quarto, quòd hic fuit natione Anglus, ſicut poſitus numero antecedenti, & etiam fuit Ciſtercienſis, ſicut ille, & quòd vnus, & alter citantur in Sermonibus. Quinto, quòd Bibliothecæ Anglicanæ ſolùm adducunt vnum Odonem ſuæ gentis Scriptorem. Ac denique Turrecremata ſolùm adducit pro ſua opinione vnum Odonem: igitur qui ex his principiis deduceret pro concluſione ſolùm fuiſſe vnum Odonem Abbatem Morimundenſem, & poſteà Epiſcopum Tuſculanum, qui ſcripſit Sermones varios, Bandellumque more ſuo ad multiplicandum auctores contra immaculatã Virginis Conceptionem, ex vno Odone Ciſtercienſi, feciſſe tres, alium Abbatem Morimunden. cum Turrecremata, & alium cum ſuo genio Epiſcopum Tuſculanum, atque tertium Odonem Gallum antiquum, nec diceretur eſſe temerarium, nec eſſet: difficilè enim videtur, quòd ferè eodem tempore, in vna Religione Ciſtercienſium, & in vna Congregatione Floriacenſi, & ex eadem natione Anglicana, eſſent tres Odones, ſcribentes Sermones, ſeu Homilias per totum annum, & quòd vnus, & alter, ac tertius eiſdem ferè verbis affirmarent, Virginẽ Mariam fuiſſe in vtero matris ſanctificatam à peccato originali, & ſic exiſtimo verè, ac realiter, vel iſtos duos Odones præcedentem, & præſentem (nam de multiplicatione ſubſequẽtis nulla eſſe poteſt dubitatio) eſſe vnum, & eũdem, vel vnum, & indiuiſibile opus Sermonum fuiſſe adſcriptum diuerſis Odonibus, ſed quidquid ſit de Auctore: procedamus in pace ad auctoritatem.

Turrecremata ſic eam adducit. Item quinto ad idem eſt venerabilis Pater, & multæ Religionis, & ſapientiæ fama præclarus Dominus Odo, Abbas Murunuden. Ordinis Ciſtercien. qui Homilia deuotiſsima ſuper Euangelio: Stabat iuxta crucem Mater Ieſu, quæ incipit: *Sicut chriſtianæ Religionis defectus*, ita ait: *Ecce de illa dicitur: Stabat, & non incongruè; ex quo enim à peccato originaliter contracto, in vtero ſanctificata eſt, ab omni deinceps peccato immunis permanſit. Vndè idem Doctor egregius Auguſtinus ait: Cùm de peccatis agitur, &c. Hæc ille.* Bandellus verò hanc eandem auctoritatẽ ſic tranſcribit in vtroque tractatu de Cõceptione, atq; etiam Petr. de Vincentia eiſdẽ verbis dicentes: Idem tenet D. Dominus Odo Abbas, in quadã Homilia ſuper Euãgelio: Stabat iuxta crucem, ſic dicens: *B. enim Virgo, ex quo à peccato originali cãtracto fuit in vtero matris per ſanctificationẽ mundata, ab omni deinceps peccato immunis remãſit, vt dicit Auguſtinus Doctor egregius.* Odonis auctoritatem, vel maiè trãſcripſit Turrecremata, vel Bandellus, & Vincentia, atque illorum ſequaces; nam adulterarunt ſequentia. Primo, vbi Odo: *à peccato originaliter contracto*; ipſi vitiantes dixerunt, à peccato *originali* cõtracto: multum enim inter ſe diſtant iſti duo termini: *originaliter*, & *originali*, quia *originaliter* reſpicit originẽ, ſeu principium, & cauſam, ſiuè radicem remotam in Adamo, vel proximam in parẽtibus, *originali* autem exprimit ipſam culpam, ſeu maculam formaliter, & actualem contractionẽ in propria perſona originalis peccati, ideò malitioſe ſatis vitiarunt vocẽ: do exemplum euidens, nam in Indiis Occidentalibus, in ciuitatibus Limana, & Argentinenſi, vidimus oculis noſtris aliquos filios natos ex patre, ac matre Æthiopiis, non ſolùm albos, ſed albiſsimos in ſuperlatiuo gradu: iſti ergo, licèt eſſent originaliter nigri, & in radice Æthiopes, formaliter erant albi, & quod in his natura, fecit in Maria gratia. Secundo, addiderunt illud: *matris*, & hoc etiam cauillosè, quia mater non dicitur propriè vſque ad animationem fœtus, vt ſic ſequentia verba maiorem haberent vim. Tertio, etiam addiderunt illud: *Per ſanctificationem mundata*, nam cùm verba, vt à Turrecremata adducuntur, ſolùm dixiſſent: *Quòd à peccato originaliter contracto in vtero ſanctificata fuerat*: & illud, in vtero ſonaſſet tantũ infectionem originis, ſeu infectionẽ carnalis generationis, ideò Bandellus loco illius: *ſanctificata eſt*, appoſuit: *per ſanctificationem mundata eſt*, vt ſic ipſam Virginẽ Mariam ſubiectum ſanctificationis, priùs infectam, & immundã conſtitueret. Quarto, illa verba Odonis, quæ ad ſequentia referuntur: *Vndè idem Doctor egregius Auguſtinus ait: cùm de peccatis agitur, &c.* Aduerſarii iniqua intentione cum antecedentibus coniunxerunt, vt facerent illa verba hunc ſenſum: *A peccato originali contracto fuit in vtero matris mundata, vt dicit Auguſtinus Doctor egregius*; vt mendacium mendacio addentes, adulterãdo verba Odonis, ſuum etiam facerent Auguſtinum. O Frarres! qui vos fatcinauit non obedire veritati?

Reſtat nunc aliquid dicere de hoc ſermone ſuper Euãgelium: *Stabat iuxta crucem Mater Ieſu*, tam decantato ab Aduerſariis. Et dico, quòd in Biblioth. Floriacenſi ex veteriſsimis Patribus illius Congregationis compaginata, per Ioann. à Boſco Pariſienſem, impreſſi. Lugduni anno 1603. tom. 2. fol. 160. extat Sermo Domini Odonis Abbatis Floriacenſis, & Cluniacenſis in veneratione S. Mariæ Magdalenæ, & nihil ampliùs. Item in Bibliotheca magna eiuſdem Congregationis excuſſa Lutetiæ anno 1614. in fol. extant huius Odonis Sermones

quatuor de diuersis rebus, sed inter illos non extat hic prælegatus ab Aduersariis. In Sermonariis Odonis, de quo egimus numero antecedenti, non extat talis Sermo, nec illum inuenire potui in aliqua Bibliotheca, & sic de illo quantum ad verba nihil dicere auderem assertiuè, nisi quod non est typis mandatus, nec inuenitur, & quòd auctoritas, vt adducitur à Turrecremata, nihil habet contra immaculatam Virginis Conceptionem, vt ex suprà scriptis constare potest, nam ad maculandam Mariam, ex ipsa desunt verba illa, quæ Bandellus addidit, in antecedenti Odone: citarunt sermonem de Natiuitate Domini, & de hoc Odone Murimundi est serm. Natiuitatis, qui incipit: *Gloria Dei zelare Verbum, &c.* Sed in illo ad præsentem rem sunt ista verba: *Humana siquidem natura ab ipsa radice per liberum arbitrum vitiata, tanta erroris caligine inuoluebatur, &c.* Sed nec Verbū habet de Maria, nec originali peccato. Denique Sermones isti Odonis iam sunt accinni ad prælum, Parisiis per R. P. Franciscum Combefis, & Romæ per R. P. Ferdinandum Vghellum, Monasterii Vincentii, & Anastasii ad Aquas salui as Romæ Abbatem ibi etiā videbis veritatem.

O D O Gallicus, Doctor Antiquus in sermone Beatæ Virginis. *Ita Bandel. cap. 21. Deza fol. 36. Pet. de Vincent. classe 4.*

V E R I T A S 230.

EX dictis numero 228. constat, Auctorem istum esse idem cum Odone de Castro Rodulphi, quod etiam hìc iterum clariùs demonstratur ex auctoritate, quam sic adducunt Aduersarii. Idem tenet Magister Odo Gallicus, Doctor antiquus in sermone Beatæ Virginis, dicens: *Triplex natiuitas ab Ecclesia celebratur, videlicèt, Ioannis Baptistæ, Beatæ Virginis, & Saluatoris nostri, Conceptio autem Beatæ Virginis, nec alterius Sancti, nisi solius Saluatoris, non celebratur, quoniam Beata Virgo in Conceptione culpam, & pœnam traxit, verumtamen fuit in vtero matris sanctificata. Sed quando, ignoratur.* Hæc Aduersarii de suo Odone Gallo, Doctore antiquo.

Auctoritas ista non inuenitur in libro Odonis, impresso Parisiis anno 1520. quia ibi solùm extant sermones de Tempore; reperitur tamen in originali manuscripto existēte in Bibliotheca superiori Scorialis, & in altero etiam manusc. Bibliothecæ S. Ioannis Regum Toletan. arca Z. num. 69. sic in sermone de Virginis Natiuitāte, qui incipit: *Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham, Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Messis Ecclesiæ peccatis exigentibus multiplici cōsumitur tempestate, &c.* in §. *de triplici generatione*, quem ad litteram totum hìc transcribere decreui, inquit iste Odo: *Notandum, quòd prima generatio hominis de terra, secunda, scilicèt, Euæ de viro, tertia de masculo, & fœmina: sed quia generatio ista facta est praua, & exasperans, Dominus excogitauit quartam, scilicèt, de Virgine, per quam omnes generationes benedicentur, vnde Ierem. Nouum facit Dominus super terram, mulier circundabit virum; virum vocatur, propter plenitudinem sapientiæ, quam habuit in matris vtero. Item contra triplicem generationem malam dedit nobis triplicem bonam, scilicèt, baptismū, pœnitentiam, & gloriam; vndè triplex natiuitas ab Ecclesia celebratur Ioannis Baptistæ, Virginis, & Saluatoris in signū triplicis natiuitatis spiritualis. In qualibet exultatur Ecclesia triūphans. Natiuitas in baptismo significatur per Ioannem Baptistam: Ioannes interpretatur gratia Dei, tunc enim gratia confertur, diabolus expellitur, filius iræ efficitur filius gratiæ: Natiuitas in pœnitentia significatur per Natiuitatem Mariæ; Maria nuncupatur amarum mare, ecce amaritudo pœnitentiæ: Interpretatur etiam stella maris, licèt enim per ipsam frequentem habeamus amaritudinem pœnitentiæ, tamen sicut stella māris parat ducatum ad portum vitæ æternæ. Natiuitas gloriæ significatur per Natiuitatē Saluatoris. Istud festum celebratur cum anima in gloria assumitur, & visione Saluatoris perfruitur; ideò mors sanctorum natale dicitur, quia tunc in cœlo nascuntur. Conceptio autem Beatæ Virginis nec alterius sancti, nisi solius Saluatoris, celebratur, quoniam Beata Virgo culpam, & pœnam secum traxit, verumtamen in vtero matris fuit sanctificata, sed quando ignoramus, quòd postea potuit peccare venialiter, credimus, sed vtrum peccauerit nescimus, sed in Conceptione Saluatoris ita Spiritus Sanctus eam obumbrauit, quòd postea non peccauerit, nec peccare potuerit. Natiuitas autem eius antiquitùs celebrari minimè solebat, sed diuino intuitu quidam sanctissimus vir quadam vice orans de nocte audiuit in cœlis harmoniam, &c.* & refert historiam communem de causa, & modo institutionis festi Natiuitatis. Hæc sunt Odonis verba existentia in vtroque originali manusc. nulla mutata syllaba.

In quibus quantum ad litteram vitiarunt sequentia: Primum, Sermo ille non est, vt ipsi dicunt, de B. Virgine, sed de Natiuitate. Secūdum, prætermiserunt titulum, seu §. de triplici generatione, & alia, ex quibus cognosci poterat mens Odonis. Tertium, ab illo verbo *spiritualis*, dereliquerunt quatuordecim lineas, vsque ad *Conceptio*. Quartum, & est præcipuū, addi-

addiderunt illud, *in Conceptione*, qua sola voce totum adulterarunt sensum. Quintum, abstulerunt ly *secum*, quæ vox multum interest, vt iam videbimus. Sextum, scire debet Lector, quòd in originali Toletano, quod pulcherrimis characteribus est manuscriptum inter lineas alio pessimo, ac minutissimo charactere est interposita vox illa, *in Conceptione*, quæ quidèm nō extat in originali Scorialis, ex quo euidenter colligitur, quod Aduersarii non solùm extraxerunt auctoritates vitiatas, sed quod etiam conati sunt adulterare ipsamet originalia manuscripta, & inficere fontes antiquorum; & si hoc fecerunt in auctoribus extraneis, & qui foris erant, quid agerent in propriis, S. Thoma, Sancta Catharina, & aliis, de quibus suis locis alia similia demonstramus?

Quantum ad sensum de se patet, quòd Odo loquitur de generatione ex viro, & fœmina: cùm enim omnis generatio facta esset prana, & exasperans, excogitauit Dominus facere quartam generationem ex Virgine, per quam omnes generationes benedictionem consequerentur, & quæ sola digna est celebratione, & de facto sola celebratur ab Ecclesia, conceptio autem, seu generatio Beatæ Virginis non celebratur, *quoniam culpam, & pœnam secum traxit*; quia non fuit ex Virgine, sed ex corrupta, nec ex Spiritus Sancti obumbratione, sed ex virili semine, quòd necessariò culpam, & pœnam secum trahebat, quia ab Adam naturaliter erat infectum, *verumtamen* hæc genita proles ex viro, & fœmina, quæ secum trahebat culpam, & pœnam, *in vtero matris fuit sanctificata, sed quando, ignoramus*; quia nescimus, an fuerit in primo, vel secundo instanti, tertio, vel quarto sanctificata. Patres, hæc sunt Odonis verba, signate, quid habeant pro animatione, peccati originalis contractione, vel vestra sanctificatione, quia ego in rei veritate nihil inuenio: imò ex istis Odonis verbis colligitur, quòd Doctores antiqui nunquam loquuti sunt de animatione, & semper, ac vbique generationem vocabant Conceptionem; neque in hoc est immorandum, siquidèm ipsimet Aduersarii, vt saltem apparenter reducerent Odonem ad suā opinionem, reduplicata illa adulteratione, addiderunt ly, *in Conceptione*, quia vox ista dicebat, & clamabat ad ipsos in adducto Odone, sine me nihil potestis facere.

OFFICIA Ecclesiastica, in Breuiario Gerunden. & in Officio Carthusianorum, & in Breuiario antiquo Germaniæ. *Turrecremata part. 6. capit. 14. fol. 106. à tergo, & capit. 35. fol. 124. à tergo. Caietan. capit. 5. folio 207.*

VERITAS. 231.

POSTQVAM Ioann. de Turrecremata adduxisset pro sua opinione auctoritates Sancti Thomæ Aquinatis, capite sequenti proponit hæc: *In quo inducuntur ad idem testimonia ex Officijs multarum Ecclesiarum per ordinem*, & hoc de multis Ecclesiis repetit iterum infrà parte 13. cap. 9. fol. 269. sic: *Tertia conclusio est, quòd si hoc festum instituendum sit, vt in Ecclesia celebretur, conuenientiùs nominandum venit festum sanctificationis, quàm Conceptionis eius. Cuius conclusionis probatio, & cōuenientia accipitur primo, ex consuetudine antiquarum, tàm Ecclesiæ Romanæ, quàm multarum aliarum religiosissimarum Ecclesiarum, &c.* Aliam huius auctoritatis partem, & præcipuam dabimus infrà ad finem. Nec solus Cardinalis Turrecremata in Concilio Basilensi ad annum 1436. Sed etiam Cardinalis Caietanus anno 1515. ad Concilij Lateranense idem attestatus est in suo Opusculo, dicens: *Primo, quia multæ Ecclesiæ sunt per orbē diffusæ celebrantes in illo die sanctificationem non Conceptionem, &c.* Sed pro hoc de multis Ecclesiis nullum adducit exemplum, locutus in fide Turrecrematæ, qui suum propositum assumptum de Officiis Ecclesiasticis, & Ecclesia Romana, & aliis multis religiosissimis Ecclesiis, incipit ostendere sic: Item ad idē videtur professi vniuersalis Ecclesiæ, quæ communiter in die Natiuitatis Beatissimæ Virginis in multis Ecclesiis per orbem diffusis, inter Matutinales Lectiones illam in principio commemorat, quæ est Bernardi in sermone Assumptionis eiusdem, sicut superiùs allegatum est, videlicèt: *Beata Virgo omnimodis constat ab originali contagio fuisse mundatam.* Ex quo apertè sequitur, quòd illi aliquando subiecta fuerit. Vndè Ecclesia vniuersalis his Beati Bernardi dictis vtens in prædicta solemnitate videtur canonizare doctrinam Beati Bernardi in hac parte, cuius doctrina apertissimè habet Conceptionem Beatissimæ Virginis in originali peccato fuisse, sicut superiùs manifestum est multiplici testimonio. Hucusq; sunt verba Turrecrematæ, pro cuius veritate examinanda dico. Primo, quòd ipse proponit se allaturum testimonia, *ex Officijs multarum Ecclesiarum per ordinem*, & cum ordine, & sine ordine solùm adducit in hoc capite vnam, scilicèt Gerundēsem, vt statim dicemus, vide ergo, an in vno possit esse ordinis multitudo. Secundo affirmat, quòd in multis Ecclesiis per orbem diffusis inter Matutinales Lectiones legitur, illud dictum Sancti Bernardi: *Omnimodis constat ab originali contagio fuisse mundatam*; hoc autem

est

est plusquam falsum; quia in Breuiariis omniũ Ecclesiarũ à nobis visis, quorum Catalogum infra dabimus, recitantur Lectiones ex Epistola Sancti Anselmi ad Episcopos Angliæ de Miraculo Abbatis Elsiai. Tertio, nota illud repetitum dictum Turrecrematæ, quod vniuersalis Ecclesia videtur tenere, & approbare suam opinionem, ex eo solùm quod in aliquibus Ecclesiis reciterur dictum illud Sancti Bernardi in festo Natiuitatis; omnia ergo Officia multarum Ecclesiarum de sanctificatione Virginis post contractionem peccati originalis, clauduntur in vna auctoritate Bernardi, & illa non in festo Conceptionis, seu sanctificationis, sed ex festiuitate Natiuitatis, quando Bernardus habet sermones duos de Cõceptione Virginis. Quarto, ex illis multis Ecclesiis nõ exprimit aliquas, an quia solùm intendebat ludere verbis, & decipere illiteratos imperitos? Quia tales Ecclesiæ nullæ erant, nec inuenire potuit. Tota ergo hæc Turrecrematæ auctoritas, pro quadam ficta chimera reputari debet: Sed descendendo ad particularia,

Prosequitur sic: Item ad idem est famosissima Ecclesia Gerunden. in Regno Cathaloniæ, quæ hanc fidem manifestissimè profitetur in Officio, quod decantat in festo Sanctificationis Conceptionis Beatæ Virginis, quolibet anno, in cuius festum Officium, quod ex auctoritatibus sacræ Scripturæ, & dictis Augustini, Hieronymi, & aliorum Sanctorum copulatum est, tàm in capitulis, quàm responsoriis, quàm in hymnis, quàm in oratione sonantibus, ab originali peccato, cui subiacuerat, sanctificatam fuisse conflatum est. Vndè in oratione dicitur: *Concede nos, quæsumus omnipotens Deus, vt qui sanctificationem Conceptionis Beatæ Mariæ semper Virginis in aluo suæ matris à te factã commemoramus in terris, eiusdem meritis, & intercessionibus opitulantibus, secum mereamur gaudere sine fine in cœlis.* In Lectionibus verò Matutinalibus eiusdem festi sunt, quæ sequuntur, vt extractum est ex Breuiariis eiusdem Ecclesiæ, quæ habui à quibusdam Patribus huius sacri Concilii, qui præfatæ Ecclesiæ in persoluendis horis morem, & ritum obseruant. Dicitur autẽ sic in Lectionibus præfatis: *Hanc etiam domum non solùm Dominus ædificauit, cùm eam in aluo matris suæ Annæ, & octogesimo die ab eius facta carnali conceptione sibi animam infundit, imò & plenius eam ibidem sanctificauit. De hoc nempè potest intelligi illud quod in 2. libro Regum scribitur: Statim sanctificata est ab immunditia sua, id est, à culpa originali. Tenendum tamen est, quòd hoc festum non debet referri ad Conceptionem Beatæ Mariæ, quæ fuit in carne, cùm nemo ex virili semine cõceptus vnquam fuerit à culpa originali immunis, nec etiam infans vnius diei, si vita eius fuerit super terram. Vndè & Augustinus super Ioannem dicit: Quis innocens, scilicèt à labe originali, nisi Christus, qui non de mortalitate conceptus est. Et addit: Omnes ex ista radice veniunt, & ex illa propagine, de qua cantat gemens Dauid: Ego in iniquitatibus conceptus, & in peccatis concepit me mater mea. Cùm enim Dauid hoc de se dixit, neminem conceptum humano semine excusauit. Tamen Beata Virgo speciali Dei priuilegio in aluo suæ matris plenè sanctificata fuit, & hoc declaratur, cùm dicitur: Canticorum: Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij. Sicut enim aromata carbonibus supposita, malitiam fumi transmutant, vt fumus, qui erat prius, nociuus antè impositionem aromatum, post positionem sit odoriferus, & confortatiuus, sic in ea per gratiam sanctificationis originalis macula traducta, cum vita mortali absorta est. Hactenus.* Et hæc Turrecremata ex Officio illius famosissimæ Ecclesiæ Gerundensis in Regno Cathaloniæ. Sed nota, quòd in illo Concilio fuerunt Ecclesiastici ex omnibus ferè mundi partibus, & solùm inuenit pro sua opinione illud Gerundensis Ecclesiæ Breuiarium, & obiter aduerte illam malitiam: *Item ad idem est*, quasi iam aliã adduxisset, nam verba ista: *Item ad idem est*, sunt correlatiua supponentia alia.

Sed, vt videat Lector, qua veritate locutus fuerit Turrecremata in hac auctoritate, transcribo hìc ex ipso Breuiario Gerundensis Ecclesiæ fol. 4. Lectiones, & verba ad præsentem materiam spectantia. Prima sic incipit: *Fratres charissimi, nobis in præsenti solemnitate Beatissimæ Virginis Mariæ, corde, voce, & opere fideliter est gaudendum: nam cùm totum humanum genus, ex inobedientia priorum parentum, Euæ scilicèt, & Adæ, turpe fœdatum fuisset, & ad mortem perpetuam irreuocabiliter condemnatum, neque esset aliquis, qui iuuaret, &c. Ideò summus Artifex, qui neminem vult perire, pietate, quam maxima erga hominem immeritum, quem fecerat, & creauerat miseratus; ædificauit sibi domum, vbi in hoc mundo personaliter resideret, & indè arma condecentia acceptaret ad bellandum diabolum, qui ipsum humanum genus fraudulentiùs captiuarat. Hæc quidèm domus fuit Beata Virgo Maria, de qua in Prouerbijs Salomon loquitur, ita dicens: Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columbas septẽ. Hanc etiam domum non solùm Dominus omnipotens ædificauit, cùm eam in aluo matris suæ Annæ in octogesimo die ab eius facta carnali conceptione sibi animam infundit, imò etiam plenius eam ibidem statim sanctificauit. Et de hoc nempè patet intelligi illud, quod in 2. lib. Reg. scribitur: Statim sanctificata est ab immunditia sua, id est, à culpa originali. Tenẽdum tamen est, quòd hoc*

festum

feſtum non debet referri ad Conceptionem Beatæ Mariæ, quæ fuit ex carne, cùm nemo ex virili ſemine conceptus, vnquam fuerit à culpa originali immunis, nec etiam infans vnius diei, ſi vita eius fuerit ſuper terram. Vnde etiam Auguſtinus ſuper Ioannem dicit: Quis innocens, ſcilicèt à labe originalis, niſi Chriſtus, qui non de mortalitate conceptus eſt. Et addit: Omnes ex illa radice veniunt, & ex illa propagine, de qua cantat gemens Dauid: Ego in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis mater mea me aluit. Cùm enim hoc Dauid de ſe dixit, neminem conceptum humano ſemine excuſauit. Tamen Beata Virgo Maria ex ſpeciali Dei priuilegio, in aluo ſuæ matris plenè ſanctificata fuit. Et hoc declaratur, cùm dicitur. Ex aromatibus myrrha, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij, ſicut enim aromata carbonibus ſuppoſita, malitiam fumi trãſmutant, vt fumus, qui priùs erat nociuus, antè impoſitionẽm aromatum, poſt impoſitionem fit odoriferus, & confortatiuus: ſic in eam per gratiam ſanctificationis originalis macula traducta, cum vita mortali abſorta eſt. Istæ ſunt ſex Lectiones primi, ac ſecundi Nocturni, pro tertio habet Euangelium S. Matthæi: Liber generationis Ieſu Chriſti, & Homiliam ex S. Hieronymo, quæ incipit: *Fuit etiam Virgo Maria thus deuotionis ad Deum, &c.* Octaua, & nona Lectio agunt de inſtitutione feſtiuitatis, ex miraculo communiter relato de Abbate in mari naufragante. Incipit enim octaua ſic: *De cuius quidẽm ſanctificatione non minus eſt dignum ſolemne feſtum, quãm de Eccleſiarum conſecratione, quæ anno quolibet à fidelibus feſtiuatur, &c. Quomodo autem hoc feſtum Beatæ Mariæ inuentum fuerit libro de Donis, legitur in hunc modum, &c.* Ex his ſecundùm veritatem dictis, notare debes ſequentia.

Primo, quod in illis verbis: *Et dictis Auguſtini, Hieronymi, & aliorum Sanctorum, &c.* deuiauit à veritate Turrecremata; nam, vt viſum eſt, ſolus Auguſtinus adducitur in ſuprapoſita auctoritate, & quãdo vellemus admittere Hieronymum propter Homiliam Euangelii, ſaltem illud: *Aliorũ*, falſum eſt. Secũdo, in oratione non dicit: *Concede nos, ſed, nobis.* Tertio, dereliquit in eadem oratione ly: *& miſericors.* Quarto, non dicit, *ſecum*, ſed *tecum.* Sed hæc parui momenti vitia ſunt, pergẽdo ad alia maiora. Quinto, auctoritatem deſumpſit à tertia Lectione, derelinquendo illam clauſulã: *Hæc quidẽm domus fuit Beata Virgo Maria, de quã in Prouerbijs Salomon loquitur ita dicens: Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem.* Sexto, prætermiſit ly, *omnipotens.* Septimo, malitioſè ſatis, vbi in Officio, *in octogeſimo die*; Turrecremata abſtulit præpoſitionem illam, *in*, quia erat indicatiua temporis ſanctificationis, id eſt, animationis. Octauo, ob eandem malitiam, vbi in Officio, *imò etiam pleniùs ibidẽm ſtatim ſanctificauit*; Turrecremata ſic, *imò & pleniùs eam ibidem ſanctificauit*, tacendo ly: *ſtatim*, & auget malitiam, quod hanc vocem non abſtulerit loquendo de ſanctificatione Domus Salomonicæ. Nono, vbi in Officio, *& in peccatis mater mea in vtero me aluit*, tranſmutando verbum, *aluit*, in, *concepit*, quia hoc illi præmebat. Decimo, addidit illud, *Canticorum*, & totam clauſulam ſequentem. Vndecimo, cum deteſtanda intentione appoſuit diuiſionem ſic, *originalis macula traducta cum vita mortali abſorta eſt*, quaſi cum vita mortali traducta ſit originalis macula in Maria; cùm punctum diuiſionis, ſeu inciſum, ad verum ſenſum ſic eſſet apponendum: *Originalis macula traducta, cum vita mortali abſorta eſt*: macula enim traducta à parentibus Ioachimo, & Anna in generatione carnis, cum vita mortali Virginis abſorta fuit, id eſt, eodem met puncto, quo cepit viuere. Duodecimo, quod dicit de capitulis, ac Reſponſoriis, falſum eſt; quia in ipſis nihil ſingulare exprimitur pro peccato originali cõtracto, nec intelligo, quid ſibi velit dicere Turrecremata in illis verbis: *Quæ hanc fidem manifeſtiſſimè profitetur*, niſi quod Breuiarium Gerundenſe profertur ſuam opinionem, tanquam de fide, ſed hoc, vt ex dictis patet, eſt pluſquam falſum. Hæc ſunt duodecim capitalia vitia, quoad litteram auctoritatis.

Quoad ſenſum verò exiſtimo, Officium hoc Gerundenſis Eccleſiæ abſolutè, & ſimpliciter eſſe pro noſtra ſententia, quod ſic oſtenditur; primo ex titulo Officii, inquit enim ſic: *In ſanctificatione Conceptionis B. Mariæ.* Si enim Cõceptio ſupponit ibi pro animæ infuſione, vt ſtatim dicemus, & hęc animę infuſio, ſeu Cõceptio fuit ſanctificata: ergo illa animæ infuſio, ſeu Conceptio non fuit maculata: aliud enim eſſet dicere: Deus ſanctificauit Mariam in aluo matris ſuæ, & aliud: ſanctificauit Conceptionem Mariæ in aluo ſuæ matris: nam de Ioanne poſſumus dicere: Deus ſanctificauit Ioannem in aluo matris ſuæ; at falſum eſſet dicere: Deus ſanctificauit Conceptionem Ioannis; quia Ioannes non fuit ſanctificatus in Conceptione, ſed poſt illam: cùm ergo Officium Gerundenſe ſit de *ſanctificatione Conceptionis Beatæ Mariæ*: igitur ſupponit ipſam Cõceptionem fuiſſe ſanctificatam: quomodo ergo compati poſſunt iſtæ duæ propoſitiones: Conceptio Mariæ fuit ſanctificata, & Conceptio Mariæ fuit maculata? Confirmatur, quia Aduerſarii prõ viribus conantur probare, iſta eſſe diuerſa: Immaculata Maria, immaculata Conceptio; primam admittunt, ſecundam non: ergo pari modo tenentur dicere de his: ſanctificata Maria, ſanctificata Conceptio, hoc quod Aduerſarii negãt, concedit Officium Gerundenſe: ergo non eſt

pro

pro ipsis. Secundo probatur ex illis verbis: *Hanc etiam domum non solùm Dominus omnipotens ædificauit, cùm eam in aluo matris suæ Annæ in octogesimo die ab eius facta carnali Conceptione sibi animam infudit, imò etiam plenius, ibidèm statim sanctificauit.* Si post octogesimum diem ab eius facta carnali Conceptione, in infusione animæ statim fuit sanctificata: ergo nō maculata in illo instanti infusionis animæ? Hoc præuidens Turrecremata tacuit absque vllo Dei timore illud, *statim*, vt suprà vidimus. Tertio illa verba, quæ hic magis videntur vrgere, *De hoc nempè potest intelligi illud, quod in 2. libro Regum scribitur: Statim sanctificata est ab immunditia sua, id est, à culpa originali.* Explicantur illis immediatè sequentibus: *Tenendum tamen est, quòd hoc festum non debet referri ad Conceptionem Beatæ Mariæ, quæ fuit ex carne, cùm nemo ex virili semine conceptus vnquam fuerit à culpa originali immunis, nec etiam infans vnius diei, &c.* Cùm ergo Conceptionis festum non debeat referri ad Conceptionem carnis, quia nemo est ex virili semine conceptus, qui non habuerit originalem culpam: igitur loquitur de illa conceptione carnis, & culpa originali illic propagata, seu transfusa à parentibus, non autem de animatione facta post octogesimum diem ab illa carnali Conceptione, de qua dixerat suprà, quod statim in animatione fuerat sanctificata? Quarto, hoc idem indicat verba vltima: *Sic in ea per gratiam sanctificationis originalis macula traducta, cum vita mortali abhorta est.* Constructio horum verborum suppositis antecedentibus est, quod macula originalis traducta ex virili semine in carne illa, quæ futura erat Virginis Mariæ post octogesimum diem, quādo incepit in ea vita mortalis abhorta fuit: sicque maculam illam originalem constituebant antiqui in infectione seminis naturaliter propagati: traducebatur enim in Conceptione carnali, & in carne Mariæ (si fuit traducta) die 8. Decemb. & ad hanc nō debebat referri festū, sed ad illam factā post octogesimum diem, quādo per gratiam sanctificationis illa traducta in carne originalis macula cum vita abhorta fuit.

Sed iam pro pleniori intelligentia dictorum debemus transcribere verba Augustini citata in Officio, Lectione 5. quæ sic se habent Tract. 4. super Ioann. cap. 5. tom. 9. fol. mihi 15. col. 1. littera B. & in alio fol. 8 colum. 3. loquendo de Christo Domino: *An non & ipse innocens? Sed quis innocens, quantum innocens? Omnes ex illa traduce veniunt & ex illa propagine, de qua cantat gemens Dauid: Ego in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis in vtero mater mea me aluit. Solus ergo ille Agnus, qui non sic venit, non enim in iniquitate conceptus est: quia non de mortalitate conceptus est, nec eum in peccatis mater eius in vtero aluit, quem Virgo concipit, Virgo peperit, quia fide concipit, fide suscepit. Ergo ecce Agnus Dei, non habet iste traducem de Adam, carnem tantum sumpsit de Adam, peccatum non assumpsit. Qui non assumpsit de nostra massa peccatum, ipse est qui tollit nostrum peccatum, &c.* Nota, quod Augustinus affirmat, Christum non venisse ex traduce, nec ex propagine, de qua alii omnes procedunt, & rationem reddit, quia Virgo eum concepit, & Virgo eum peperit, *& non de mortalitate conceptus est*; nota hæc vltima verba, vt scias quomodo Maria Virgo fuit mortalis, licèt non contraxerit in sua animatione peccatum originale. Erat Adam innocens in Paradiso, & idem dicimus de Eua, quando dixit illi Deus: In quacumquè hora comederis, morte morieris, comedit contra præceptum Domini Adam, & simul, & semel, ac in eodem instanti amisit innocentiā, & mortalis factus est, ex illo crimine actuali peccato, Adam amisit innocentiam, quoad animam, & quoad carnem fuit mortalis, hinc in generatione, verbi gratia, primi filii cùm Adam non esset innocens, genérauit filium in iniquitatibus, & peccatis, concupiscentia, libidine, delectatione, &c. & sic eum concepit in vtero, & aluit mater eius Eua, & cùm illa caro in Adam, & Eua esset mortalis, ille primus filius, & omnes alii ex illa traduce venimus, atque ex illa propagine procreati sumus, ex parētibus, inquam, non innocentibus, & ex carne mortali, ab hac vniuersali regula solus exemptus fuit Christus, inquit Augustinus: *Nō enim in iniquitate conceptus est, nec eum in peccatis mater eius in vtero aluit, quem Virgo concipit, Virgo peperit, quia fide concipit, fide suscepit.* Nota illam Augustini causalē, non de iniquitate conceptus est, *quia*, non de mortalitate conceptus est: fuit enim mortalitas, id est, illa Dei promulgata sententia mortis contra Adamum, causa, & origo iniquitatis; per peccatum enim Adami fuit mors, vt dicit Apostolus, & ex morte, ac corruptione Adami, filiorum iniquitas: en causa, & effectus, mortalitas Adami, & à mortalitate iniquitas: cùm ergo in generatione Christi non fuerit Adam, id est, vir, sed sola Virgo conceperit, nec fuerit mortalitas, neque iniquitas in traduce, seu propagatione, &c. in generatione verò Mariæ, Ioachim erat mortalis, & forte cum iniquitate seminauit (licèt iste effectus potuerit ex Dei misericordia impediri, vt multi dicunt) mortalem genuit filiam, seminando carnem mortalem pro ipsius formatione, sicque Maria ex mortali carne Adæ semina ta a Ioachimo, licèt aliàs non esset cum iniquitate animata, vel Deipara contraheret, vel non contraheret originale peccatum, tenebatur ex vi suæ generationis mori. Ex omnibus ergo supradictis colligitur, Officium Gerun-

den-

denſis Eccleſiæ fuiſſe vitiatum à Turrecremata, in ipſoque nihil expreſſum eſſe cõtra immaculatam Virginis Conceptionem, quin potiùs ex verbis ipſius deduci clarè, & expreſsè, Conceptionem ipſam, ſeu animationem fuiſſe ſanctificatam, quod abſolutè negant ſemper, & vbique Aduerſarii, affirmantes citò poſt Conceptionem fuiſſe ſanctificatam, non verò in ipſa Conceptione. Quibus adde, quòd ſi in totâ Hiſpania nullum hucuſque fuit Officium ſub titulo ſanctificationis, vt infrà videbimus, nec in alia mundi parte, vndè deuotiſsima Gerundẽſis Eccleſia hoc didiciſſe poterat?

Deindè proſequitur Turrecremata ſic: Item eſt quòd Eccleſia in multis partibus Germaniæ cantat in feſto S. Eliſabeth (ſicut Breuiaria teſtantur antiqua) cuius Matutinale ſolemnitatis Officium in Lectionibus ita habet: *Mulierem fortem quis inueniat? Procul, & de vltimis finibus pretium eius; ſcaturiens in humanis ſenſibus antiquos riuos corruptionis, & culpæ, infirmioribus maſculis amplius ſe infundit, iuxta illud: virum ex mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni. Virum, id eſt, Chriſtum ex mille vnum ſine fomite generatum. De quo Ieremias: Nouum fecit Dominus ſuper terram. Mulierem autem ex omnibus nõ inueni. Beata ſiquidèm Virgo Maria licèt plena gratia, tamen cum fomite nata fuit, quæ tamen virtus Altiſsimi in ipſo tempore Conceptionis Chriſti extinxit; iuxta illud: Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi: Huius enim refrigerium obumbrationis totius ab ea repulit fomitis incentiuum. Hæc ibi.* Ecce quàm ampliſsima, & quàm multa ſpecialia teſtimonia, auxiliante Patre luminum, habemus, quod Virgo Maria concepta fuerit in originali peccato, &c. Hucuſque Turrecremata, & proſequitur, vt ſupra in Triturationc in principio operis poſita num. xv. Patet ergo euidenter, quod Officiũ hic allegatum non eſt ſanctificationis, nec hìc dicitur expreſsè, nec apertiſsimè, Virginem Mariam contraxiſſe originale peccatum, aut ſanctificatam fuiſſe poſt maculam, ſed ſolùm ex illo: *Cum fomite nata fuit*, vult deducere ſuã concluſionem. Sed quòd talis illatio non ſit neceſſaria, vide quæ dicit Caietanus infrà num. 300. ſed ad rem noſtram: ego in aliquibus Breuiariis Germanicis auctoritatem iſtam inuenire non potui, hoc vnum ſcio quòd extra Alpes, id eſt, Germania, Gallia, & Hiſpania recitabant adhuc PP. Prædicatores ſub titulo Conceptionis, vt dicit Amb. Cath. infrà adducendus, & Nieremb. in excpt. cap. 23. fol. 35.

In hoc capite nihil aliud habet Turrecremata pro Officiis, ſed cap. 35. eiuſdem 6. part. loquens de Ordine Carthuſianorum, inquit: Item ad idem non parnæ auctoritatis teſtimonium eſt quod facerrimus Ordo Carthuſien. feſtum hoc non niſi ſub nomine ſanctificationis celebrat per orbem, dicens in collecta prima ſic: *Supplicationem ſeruorum tuorum Leus miſerator exaudi, vt qui in ſanctificatione Dei Genitricis, & Virginis congregamur, &c.* Duo dicit Turrecremata, & quod Ordo Carthuſienſium celebrabat per orbem feſtiuitatẽ ſub nomine *Sanctificationis*, & quòd in oratione dicitur: *vt qui in ſanctificatione*, ſed vnum, & alterum eſt falſum, & fictum, quia, vt ſæpè dixi, liber ille non fuit Turrecrematæ, ſed Spinæ, vel Duìmii, vel alterius plagiarii, non enim eſt credibile, quod tantus vir ſcriberet tanta mendacia, & ad Patres in Concilio conſtitutos, ſicut in illo libro continentur, quia Breuiarium Carthuſienſe antiquum impreſſ. Venetiis apud Andræam Thoreſanum de Aſula anno 1491. in 8. fol. 194. habet hanc rubricam: *In feſto S. Nicolai Epiſcopi per omnia de communibus vnius confeſſoris Epiſcopi; & quando transferri contingat hoc feſtum ad ſecundam Feriam, tunc in ſecundis veſperis, quæ primæ erunt Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, de eo nihil fit, niſi tantũ commemoratio.* Et ſtatim conſequenter in alia rubrica proſequitur ſic: *In feſto Conceptionis B. Mariæ Virginis per omnia ſicut in Natiuitate eiuſdem in fol. 187. ſine tamen octauis:* & in principio ad diem octauam Decembris habet ſequentem rubricam: Cõceptiõ Beatiſsimæ Mariæ candelarum, in vigilia Conceptionis Beatiſsimæ Mariæ facimus abſtinentiam in pane, & aqua, cap. 4. ſecundæ part. non colligitur, & per declarationem capituli anni 1470. *Et quãdo in tali Vigilia celebratur feſtum Sancti Nicolai, eam facimus ſequenti 6. Feria, vt à ſimili habetur vbi ſuprà. In die verò feſti ad Miſſam cõmunicat Diaconus. In hac etiam Miſſa: Gloria in excelſis dicimus; ex declaratione capituli anni 1418. Quando hoc feſtum transfertur, Cõuerſi non ceſſant ab operibus cap. 2. 3. part. no.* Nota, quomodo Patres Carthuſiani celebrabant ſub titulo Conceptionis, & ieiunabant in pane, & aqua eiuſdem vigiliam ad ann. 1418. & Turrecremata ſcripſit anno 1437. Aliud Breuiariũ impreſſum Pariſiis anno 1511. in 12. fol. 253. ad diem octauam Decembris habet hanc Rubricam: *In ſolemnitate Cõceptionis Beatæ Mariæ Virginis omnia ſicut in Natiuitate eiuſdem, mutato tamen nomine Natiuitatis, in Conceptionis nomen. Et ſi contingat in Dominica, ad ſecundam transfertur Feriam, cum candelis, capitulo, & refectorio quoad Monachos celebrandum.* Miſſale antiquum eiuſdem Religionis, cuius finis eſt: *Explicit Miſſale ſecundùm Ordinem Carthuſienſium, impreſſum in Monaſterio Carthuſiæ Ferrariæ, diligenter emendatum per Monachos eiuſdem Ordinis regnante excellentiſsimo Domino duce Hercule Eſtenſi anno à Natiuitate D. 1503. die 10. Aprilis*, &c. fol. 144.

habe

habet hanc Rubricam: *In Conceptione B. Mariæ Virginis omnia sicut in Natiuitate eiusdem mutato nomine Natiuitatis in nomine Conceptionis, & dicitur gloria in excelsis: & si accidit in Dominica, transfertur ad diem sequentem cum candelis.* Ex his iam constat, quod Carthusienses non celebrabant antiquitùs propositam festiuitatem sub nomine sanctificationis, sed sub titulo Conceptionis. At progrediamur vlteriùs ad inquisitionem Orationis, seu Collectæ. Ad primas vesperas Antiphona sola est: *Sicut cinnamomum, & balsamum*, Capitulum: *Ego quasi vitis*. Magnum responsorium: *Fulcite me, &c.* Hymnus: *Aue maris stella*. Ad Magnificat Antiph. *Quam pulchra est amica mea.* Oratio autem est: *Supplicationem seruorum tuorum Deus miserator exaudi, vt qui in Conceptione Dei Genitricis, & Virginis congregamur: eius intercessionibus à te de instantibus periculis eruamur. Per eundem, &c.* Ecce quomodo etiam est falsum illud de Oratione. Aliud etiam extat impressum Lugduni anno 1587. cuius Lectiones sunt ex S. Brunone, ex sermone 2. de Laudibus Virginis, sed hìc etiam est sub titulo Conceptionis. Item aliud nouissimum, impressum Parisiis anno 1642. quod etiam est sub titulo Cõceptionis. Consului Patres Carthusienses antiquissimi Monasterii del Paular, sed tale Breuiarium sub titulo sanctificationis nullomodo cõparuit. Ac omnibus suprà positis irrefragabilibus testibus superaddite, quòd insignis ille Scriptor Dionysius RiKel, Carthusianus, qui floruit cum Turrecremata, in 3. Sent. dist. 3. q. 1. fol. 27. affirmat, quòd Carthusienses celebrabant sub titulo Conceptionis, & non sanctificationis. Item in quodam Breuiario manusc. antiquissimo cuiusdà Matthæi Carthusiensis prioris in Burgundia, in quadam Oratione extat illud: *Aue, cuius Conceptio solemni plena gaudio, &c.* Videte ergo, fratres, quid dicendum erit ad hoc pro vestri Turrecrematæ fallacissima auctoritate?

Concludit igitur Idem hoc assumptum de Ecclesiasticis Officiis sic: *Cæterum ex prædictis patet, quòd habemus etiam in speciali testimonia clarissima ipsius nostræ Sanctæ Matris Ecclesiæ, quæ in diuersis Ecclesiis per orbem diffusis de B. Virgine commemorans, quæ superiùs inducta sunt, clarissima luce profiteri videtur id quod priùs. Quibus omnibus consideratis, tàm quæ in præcedenti capite, quàm quæ in præsenti dicta sunt, cognoscere possumus, quantum VERITATIS habet Sermo ille, qui tàm repetitis vicibus ex aduerso suggeritur audientibus, &c. Sed hæc est rei VERITAS, quòd doctrina ex aduerso nulla testimonia sufficientia habet Scripturæ, aut Sanctorum, nec in generali, nec in speciali, quæ formaliter, aut argumentatiuè, necessaria illatione sibi faueat, sicut patebit infrà, &c.* Vide ergo ex his, ò Lector! qua conscientia, aut veritate potuit hæc dicere Turrecremata (si hæc sunt verba illius?) Tria Officia Ecclesiastica tãtum refert, Gerundense, Carthusiense, & Germanum, de primis constat euidenter falsitas, & mendacium, de alio Germaniæ in festo S. Elisabeth, res dubia est; quia licèt aliqua Breuiaria Germanica scrutati fuerimus, vt statim patebit, talia verba inuenire non potuimus, sed dato, quod Germanicum subsistat, in illo nulla sunt, nec *testimonia clarissima* inuenies, & quãdo essent clarissima, si est vna, & vnum officiũ, quomodo in diuersis Ecclesiis per obem diffusis? Item quia assumptum Turrecrematæ in isto capite est demonstrare Ecclesias celebrantes sub titulo Sanctificationis: in illo ergo Breuiario Germanico, vel erat festiuitas Conceptionis, vel non; si erat, quare non adduxit titulum, sed hoc prætermisso recursum habuit ad festiuitatẽ S. Elisabethæ? Si non erat festiuitas Conceptionis in illo Breuiario Germanico: igitur in vanũ laborauit, & extra rem, ac propositum assumptum. Et prima veritas pro suæ opinionis confirmatione ex Officiis Ecclesiasticis non est veritas, sed mendacium? Videamus ergo (licèt terminos nostri instituti in hac parte transeamus) an secũda illa propositа veritas, quòd doctrina nostra neque in generali, neque in speciali habet pro se testimonia aliqua, & circa hanc materiã Officiorum Ecclesiasticorum, de qua tu hucusque locutus es, sit certa? Propriis igitur oculis ego vidi sequentia Breuiaria, ac Missalia nostram sententiam confirmantia, non solùm in generali, & in speciali de Conceptione, sed etiam specialissimè de Conceptione immaculata.

Romana Breuiaria vidi triginta sex diuersis, temporibus, ac in distinctis mundi partibus impressis, quorum sexdecim erant sub expresso titulo immaculatæ Conceptionis, & alia sub titulo tantum Conceptionis, & Missalia sub eisdem titulis ferè viginti quatuor, & protestor coram Christo Iesu, quòd nunquam vidi, nec inuenire potui saltem vnum Breuiarium, aut Missale Romanum sub titulo sanctificationis, & sic iudica, qua veritate dixerit Turrecremata illud: *Tàm Ecclesiæ Romanæ.* Sed videamus illud: *quàm multarum aliarum religiosissimarum Ecclesiarum*, quam etiam veritatem habeat.

Toletana Breuiaria vidi manuscripta, & impressa octo diuersa, sub titulo Conceptionis: Missalia quinque, cui adde etiam Mozarabe Sancti Isidori.

Ambrosianum triplicatum, sub titulo Conceptionis, cum suis Missalibus.

Hispalense duplicatum, sub titulo Conceptionis immaculatæ Virginis, cum Missali.

Salmanticense, duplicatum cum titulo Sanctissimæ Conceptionis.

Con-

Conchenſe duplicatum, cum titulo immaculatæ Conceptionis.

Cæſarauguſtanum duplicatum, cum titulo immaculatæ Conceptionis, vnum, & alterum Conceptionis tantùm, & aliud manuſ. in Scoriali in 4.

Granatenſe, duplicatum ſub titulo Conceptionis immaculatæ.

Franciſci Quignonis Cardinalis, ſub titulo immaculatæ Conceptionis diuerſarum impreſsionum.

Vxamenſe, ſub titulo Conceptionis.

Valentinum, ſub titulo immaculatæ Conceptionis.

Cordubenſe, ſub titulo immaculatæ Conceptionis.

Pampilonēſe, ſub titulo immaculatæ Conceptionis.

Segouienſe, duplicatum, vnum ſub titulo Conceptionis, & alterum pulcherrimum, ſub titulo immaculatæ Conceptionis.

Giennenſe, duplicatum ſub titulo Conceptionis.

Compoſtellanum, ſub titulo immaculatæ Conceptionis.

Ilerdenſe, ſub titulo eodem.

Burgenſe, ſub titulo Conceptionis.

Seguntinum, ſub titulo Conceptionis.

Aurienſe, ſub titulo Conceptionis.

Tudenſe, ſub titulo immaculatæ Conceptionis.

Caurienſe, ſub titulo immaculatæ Conceptionis.

Placentinum, duplicatum, ſub titulo glorioſæ Conceptionis, & immaculatæ.

Abulenſe, ſub titulo immaculatæ Conceptionis.

Ciuitatenſe, ſub titulo puriſsimæ Conceptionis.

Calaguritanum, ſub titulo Conceptionis.

Dertuſenſe, ſub titulo immaculatæ Conceptionis.

Palentinum, ſub titulo immaculatæ Conceptionis.

Aſturicenſe, ſub titulo Conceptionis.

Eborenſe, ſub titulo Conceptionis.

Tudelæ, ſub titulo Conceptionis.

Tiraſonenſe, ſub titulo immaculatæ Conceptionis.

Hueſcæ, ſeu Hoſcæ, ſub titulo Conceptionis, de quo in noſtro Armament. Item apud Dominum Vincentium, Ioannem de Laſtalona extant alia duo Breuiaria huius Eccleſiæ, ſub titulo immaculatæ Conceptionis, vnum impreſſ. ann. 1547. cùm eſſet Epiſcopus D. Petrus Auguſtin. fol. 489. item aliud impreſſ. anno 1505. fol. 509. Item aliud Miſſale eiuſdem Eccleſiæ fol. 268. ſub eadem titulo.

Sancti Iacobi, ſub titulo Conceptionis.

Sanctæ Mariæ de Mercede, ſub titulo immaculatæ Conceptionis.

Sanctiſsimæ Trinitatis, ſub titulo immaculatæ Conceptionis.

Sancti Hieronymi, ſemper ſub titulo Conceptionis.

Carmelitarum, ſub titulo Conceptionis immaculatæ, triplicatum.

Caſinenſe, ſub titulo Conceptionis.

S. Ioannis Hieroſolymitani, ſub titulo Conceptionis.

Nogarolis, ſub titulo immaculatæ Conceptionis.

Bernardini de Buſtos, ſub titulo immaculatæ Conceptionis.

Monialium Conceptionis, ſub titulo immaculatæ Conceptionis.

Minorum antiquum, & modernum, ſub titulo immaculatæ Conceptionis, de quibus egi latè in Regeſto noſtri Armamentarii Seraphici, pro tuendo titulo immaculatæ Conceptionis à colum. 195. quibus addo alios nuperà me viſos, & recollectos per diuerſas Europæ Bibliothecas ſcilicèt.

Vvaldetrudenſe, ſub titulo Conceptionis impreſſ. in 4.

Virdunenſe, ſub titulo Conceptionis impreſſ. ann. 1499.

Triuirienſe, de feſtiuitate Conceptionis.

Sixenſe, ſub titulo Conceptionis, impreſſ. anno 1547.

Seclinienſe, Officium de Conceptione B. Virginis Mariæ.

Fontisbraiden. de Conceptione duplex maius etiam impreſſ.

Lubicenſe, de Conceptione B. Mariæ impreſſ. 1513.

Hieroſolymitanum, ſub titulo Conceptionis, ann. 1501.

Dononienſe, iuxta Valentianas in Belgio manuſcriptum anno 1250. in feſto Conceptionis.

Brugenſe Conceptionis. Ex Ballinghen.

Auguſtanum in Germania etiam eſt pro Conceptione, de quo in Militia.

Officium paruum Neapolitanum impreſſ. anno 1488. in 24. ſub titulo Conceptionis cum aliis.

Satisburgenſe Officium, ſub titulo Conceptionis, cum proſa ſpeciali, 1557.

Leodienſe impreſſ. anno 1622. ſub titulo Conceptionis.

Comenſe impreſſ. anno 1592. ſub titulo Conceptionis.

Pragenſe impreſſ. anno 1517. ſub titulo Conceptionis.

Bracharenſe, ſub titulo Conceptionis, & aliud M. S. extat in Scoriali ſub hoc titulo: Ad honorem, & laudem omnipotentis Dei, &c.

incipit Breuiarium ſecundùm conſuetudinem Bracharen. Eccleſiæ per Beatum Hieronymum compilatum.

Vallis-Vmbroſæ, ſiue S. Gualberti, ſub titulo immaculatæ Conceptionis.

Sancti Benedicti alia duo, Congregationis Valliſoletanæ; & aliud commune, ſub titulo Conceptionis, cũ horis Venetiis 1601. & aliud manuſc. Congregationis Pinatenſis in 4. exiſtens in Bibliotheca ſuperiori Scorialis, & ibidem vidi alterum manuſcr. eiuſdem Religionis, antiquiſsimis characteribus exaratum.

Carthuſienſium Breuiaria ſuprà relata, omnia, ſub titulo Conceptionis.

Montis Virginis, ſub titulo immaculatę Cõceptionis.

Auerſanum, ſub titulo Conceptionis.

Capuanum, cum vigilia, pulchrum, ſub titulo Conceptionis.

Neapolitanum, cum diuerſis aliis Officiis, ſub titulo immaculatæ.

Montis Aragonum Eccleſia Miſſale impreſ. ann. 1559. per D.D. Petrum de Luna, fol. 313. Officium immaculatæ Conceptionis.

Camaldulenſe, ſub titulo Conceptionis, impreſſ. Venetiis.

Baſilienſe, pro immaculata Conceptione, anno 1515.

Officium Eccleſiæ Græcæ, ſub titulo Conceptionis.

Hieroſolymitanum, ſub titulo immaculatæ Conceptionis.

Gerundenſe etiam, quia eſt ſub titulo Sanctificationis Conceptionis B. Mariæ.

Ciſtercienſe, ſub titulo Conceptionis.

Cœleſtinorum pulchrum, ſub titulo immaculatæ Conceptionis.

Seruitarum de Conceptione cum octaua impreſſ. Romæ 1629. & eſt proprium.

Officium velleris aurei, editum à Guillielmo Filiatro, Epiſcopo Tulienſi ann. 1458. ſub titulo Conceptionis.

Item Officium ſacri Roſarii pro 1. Dominica Octobris edito à Benedicto Moraboto, ſub titulo Conceptionis impreſſ. Mediolani ann. 1579. in 12.

Pulchrum Officium de Conceptione, quod extat in Bibliotheca Regia Scorialis IV. H. 20. & incipit: Gratulare, & lætare, manuſcriptum in 8.

Breuiarium in Scoriali pulcherrimum, cum imagine Ioachim, & Annæ, & Officio Conceptionis III. A. 8. & ibi Miſſale cum feſtiuitate Conceptionis litteris aureis III. A. 5.

Miſſale antiquum Atrebatenſis Eccleſiæ in die Conceptionis, Miſſa communis votiua. Ita Ioan. Heſſels in Epiſtola, apud Sculting. folio 46.

Officium ad Philippum II. cum imagine Ioachimi, & Annæ, ſe amplexantes pulcherrimum III. B. 7.

Romanum IV. B. 1. ſub titulo Conceptionis. Aliud Rom. cum pulchra Imagine immaculatæ IV. B. 10. & V. A. 15. & 17.

Aliud Deuotionarium Conceptionis extat IV. A 2.

Aliud Breuiarium manuſc. in pergameno apud D. Vincent. de Laſtanoſa, ſub titulo Conceptionis.

Horarium Latino-Gallum, in quo prima pagina ad deſignandum Conceptionis myſterium extant Ioachim, & Anna ſe mutuo amplexantes in quadam pulcherrima amagine, & præter quam quod eſt ſub titulo Conceptionis, habet etiam hanc Antiph. *Gaude Virgo nondum nata, ſed concepta præſeruata à reatu criminis, &c.* extat in Bibliotheca ſuperiori Scorialis. A. 10.

Horę diurnales, ſunt etiam ibidem ſub titulo Conceptionis: & aliæ impreſſ. Barchinonæ Hiſpanicè ann. 1571. apud D. Mich. de Lanuza, & apud D. Vinc. de Laſtanoſa fol. 171.

Kalendarium quoddam antiquum lingua hiſpanica manuſcriptum extat etiam ibidem, ſub titulo Conceptionis.

Item ibidem duo alia Breuiaria etiam manuſcripta reperiuntur, quæ carent principio, & fine, ac alia huiuſmodi à me viſa Romæ, & alibi, quibus cùm fuerint exarata antè Typographiam, & per conſequens ante Turrecrematam, maiorem contra ipſum conciliant fidem.

Hæc ſunt, ò fratres mei! Officia Eccleſiaſtica, Breuiaria, atque Miſſalia antiqua, quæ egomet ſolus vidi, ac legi, in quibus extabãt, & extant teſtimonia clariſsima ex prædictis diuerſis Eccleſiis per orbem diffuſis, antiquiſsimis, & religioſiſsimis, non pro veſtra ſanctificatione, ſed pro Conceptione, immaculata, pura, ac ſancta, &c. Et non refero hic alia quàm plura Breuiaria, & Miſſalia tàm impreſſa, quàm manuſcripta, reperta in inſigni Bibliotheca D. D. Cardinalis Franciſci Barberini, & alibi per Italiam, & Hiſpaniam, quæ carebant principio, & ſic ſcire non potui, cuius eſſent Eccleſiæ: prætermitto etiam alia Officia parua, edita ob deuotionem à particularibus perſonis, Horas, Kalendaria, Litanias, Hymnos, Proſas, & cætera pertinentia ad Eccleſiaſticum cultum, & religioſum ritum: de quibus plura inuenies in noſtra Militia Conceptionis contra malitiam originalis peccati, atque iterum fateor, & proteſtor in illo, qui iudicaturus eſt viuos, ac mortuos, & reddet vnicuique iuxta opera ſua, quòd in his omnibus nunquàm vidi Breuiarium, vel Miſſale, aut Officium parum, vel magnum; commune, aut particulare alicuius Eccleſiæ, quod Conceptionis feſtiuitatem

addu-

adduceret ſub titulo Sanctificationis: ergo gratis, & ſine vlla veritate fuerunt ſcripta à Turremata, & Caietano illa de diuerſis, ac multis Eccleſiis per orbem diffuſis: ſicut etiam illud 13. par. cap. 9. vbi iterum eadem repetit ſic: *Cæterũ hæc ſancta antiqua conſuetudo Eccleſiæ Romanæ incõuulſa radice manſit in ſacro Ordine Carthuſien. perdurat inſuper in multis alijs ſacerrimis locis Chriſtianitatis; in quibus ſub nomine ſanctificationis, feſtum illud celebratur, ſicut ſuperiùs extitit allegatum de religioſiſſima Eccleſia Gerund. in Regno Cathaloniæ, & de ſacro Ordine Prædicatorũ, &c.* Hæc omnia penitùs ſunt falſa, & à primo vſque ad vltimum verbũ à veritate prorſus aliena, quia nunquam in Romana Eccleſia fuit talis conſuetudo, neque in ordine Carthuſienſium manſit illa inconuulſa radix, imò nec folium, & illa perduratio neque in multis, aut ſaltem in vno fuit ſacerrimo loco: allegatio vero illa de religioſiſſima Eccleſia Gerundenſi iam vidimus quantum habeat veritatis. Solùm ergo reſtat ventilare vltimam illam clauſulam: *& de ſacro Ordine Prædicatorum.*

In his verbis demõſtrat Turrecremata, quòd in ſuperioribus, ſcilicet, lib. 6. cap. 14. vbi egerat de Eccleſia Gerundenſi, etiam ſe locutum fuiſſe de Officio, aut Breuiario Ordinis Prædicatorum, ſed hoc falſum eſt, quia in ſuperioribus nec verbum habet de ſacro Ordine Prædicatorum, vndè verba iſta nec fuerunt Turrecrematæ, nec poterant eſſe, ſalua veritate, quia tempore Turrecrematæ ſacra Prædicatorum Religio non recitabat diuinum Officium huius feſtiuitatis ſub titulo Sanctificationis, ſed Conceptionis; tempore verò Spinæ, & Alberti Duimii, qui poſt centum vndecim annos ediderunt ſuo modo diſpoſitum, librum Turrecrematæ, iam recitabat Ordo Prædicatorum ſub titulo Sanctificationis, & ideò ipſi addiderunt hanc clauſulam: *& de ſacro Ordine Prædicatorum*; malitiosè prætermittentes verba, vt non deprehenderetur ipſorum fraus, nam Officiũ, quod tunc recitabatur in Ordine Prædicatorum ſub titulo Sanctificationis, fuerat editum à Vincentio Bandello circa annum 1502. & Turrecremata ſcripſerat ad annum 1436. Hæc incidenter inſinuamus, vt etiam hinc cognoſcant Aduerſarii, opus illud ſui Turrecrematæ fuiſſe penitùs vitiatum: ſed cuiuſcumque ſint verba iſta: *& de ſacro Ordine Prædicatorum*: veritas circa Officia, ſeu Breuiaria Ordinis Prædicatorum ſic ſe habet.

Circa annum 1280. quidam Georgius, vel Gerardus Adæ, Ordinis Prædicatorum, & poſteà Antibariẽſis Archiepiſcopus, in Gallia edidit quoddam Officium de Sanctificatione, ſi credendum eſt Anton. Senenſi in Biblioth. fol. 91. à quo omnes Nomenclatores Dominicani id ipſum affirmant, & Marrac. in Biblioth. fol. 473. & in Antiſ. Marian. fol. 217. ego dicerem, quod Senenſis, vel Typographia ſapia fuit in numero, & dicendum erat ann. 1380. vide Triturat. num. III. Sed hoc nihil pro nunc intereſt. Bernardinus de Buttis Serm. 9. part. 1. fol. 109. col. 2. loquens de Officiò immaculatæ Conceptionis a ſe compoſito inquit: *Quapropter Officium compoſui de ipſius puriſſimæ Virginis innocentia; non vt homo quidam fecit de illius contaminatione, & corruptione.* Quis autem fuerit iſte inimicus homo, qui in agro Dominico ſuperſeminauit zizaniam (nota Officii titulum de contaminatione, & corruptione Beatæ Mariæ) Buttus non exprimit, nec ego inuenire potui. Sed cùm iſta duo Officia non fuerint viſa, nec recitata in ſacro Ordine Prædicatorum, quia prudentes, atque religioſi propter Virginis honorem, & ſuum, illa ſepelierunt in ipſo ortu, pergamus ad alia: Ante Typographiam, id eſt, ante annum 1442. cæpit Prædicatorum Ordo celebrationem huius feſtiuitatis ſub titulo Conceptionis, cuius irrefragabilis veritatis teſtes ſunt duo Breuiaria manuſcripta, exiſtentia in Bibliotheca Regia Scorialis, vnum in duobus tomis pulcherrimis characteribus, arca 111. littera B. num. 9. & 10. & aliud arca V. littera B. num. 14. & iſti abſque vlla dubitatione fuerunt manuſcripti ante ann. 1400. & tunc recitabatur Officium Natiuitatis, mutato ſolùm nomine Conceptionis: Item conſtat ex Henrico Spondano in Annal. tom. 2. ad ann. 1387. num. 7. affirmante, quod eodem anno Patres Prædicatores celebrabant in Gallia feſtum ſub titulo Conceptionis. Denique patet ex illa celebri diſputatione, habita in Conuentu Auinionenſi Ordinis Prædicatorum inter Raymundum Lulium, ſeu verius Raymundum de Cortillis, & quendam Eremitam.

At circa annum 1502. aſcendens ad ſupremum ſui Ordinis gradum, & factus Magiſter Generalis. Vincentius Bandellus de Caſtronouo, acerrimus oppugnator Myſterii immaculatæ Conceptionis (vt ex toto hoc libro conſtat) cernens, quod Religio Fratrum Minorum habebat Officium proprium pro ſua ſententia de immaculata Conceptione, editum à Leonardo Nogarolis, & approbatum à Sixto IV. ipſemet Bandellus edidit aliud Officium pro ſua opinione de ſanctificatione, & illud pro viribus curauit introducere in ſua Religione; ſed cùm tunc eſſet Summus Pontifex Iulius II. qui tot, tantaque priuilegia conceſſerat immaculatæ Conceptioni, & eodem tempore contigit illa iniquitatum iniquitas Bernenſium, &c. Spectata opportuna occaſione illud typis mandarunt tempore Clementis Septimi, anno 1527. & iterum anno 1546. & ex tunc cæpit ſanctificationis nomen

in Officiis Ordinis Prædicatorum; sed hoc non fuit commune, nec generaliter admissum, quia vt docti, ac Dei timorati, videbant Officium illud potiùs decantare laudes peccati originalis, quam Virginis Matris Dei Mariæ encomia, & sic multi eum despiciebant tanquam intrusum à passione, & sine Sedis Apostolicę approbatione, quare eodem tempore impressum fuit Hispali Missale ann. 1530. & Breuiarium Parisios ann. 1550. sub titulo Cōceptionis & exortæ sunt: *Horæ B. Mariæ Virginis ad vsum fratrum Prædicatorum Ordinis S. Dominici, &c. atque Officio Conceptionis immaculatæ Virginis, & Officio S. Dominici, &c.* impressæ ann. 1539. & 1571. vndè promiscuè recitabant alii sub titulo Cōceptionis, & alii Sanctificationis, vt constat ex testimonio Vicarii Generalis totius Ordinis Prædicatorum, de quo Ambrosius Catharinus in 3. suo Tract. de Concept. cuius titulus est: *Explanatio errorum in controuersia super celebrationem Conceptionis immaculatæ Virginis inter fratres nostros, & Senenses ciues orta, &c.* circa finem, *§. Ad tertiā rationē de cōsuetudine celebrādi in Francia, &c.* vbi supremus Dominicanorum Pastor, ac rector inquit: *De rebus Parisiis nemo est, qui melius loqui sciat, quàm ego: & scio vobis dicere, quòd in tali solemnitate aliqui non celebrant, aliqui quando non est, qui videat, id est, quando nullus adstat, celebrant sub titulo Sanctificationis, alij tussiūt, & loquuntur intra dentes, ac nihil exprimunt. Alij pro meliori affectione, qua ad illud Gymnasium tenentur quod decoxit ad fecem, celebrant secundùm intētionem illorum capitosorum, &c.* Ita tussim, & feces in diuino Officio persoluendo excitauit illud Bandelli Breuiarium.

Postea videns hanc confusionem: R. P. Generalis Franciscus Romæus; Castiglionen. reformauit Breuiarium præcipiens, vt hæc festiuitas celebraretur cum eodē Officio Natiuitatis, mutato nomine in sanctificationis, iuxta reformationem Salmanticensem, factam ann. 1551. & hoc fuit receptum, & recitatum in tota Religione ab anno 1556. quando facta fuit prima impressio fol. 282. & per omnes alias tactas an. 1559. & 1569. & 1579. & 1605. & in Diurno impres. Venetiis apud Iuntas ann. 1584. vsquē ad ann. 1625. Sed adhuc hæc Rubrica generalis habuit exceptionē: nam ann. 1582. Fr. Ioan. de Palentia Hispanus iussu R. P. F. Iosephi Cabbali, Generalis, edidit Venetiis Kalandarium, vbi die 8. Decemb. dicitur: *Conceptio B. Mariæ Virginis totum duplex*, & in Martyrologio sic: *Conceptio sacratissimæ Virginis Mariæ Genitricis Dei, & D. N. Iesu Christi totum duplex.* Vide de hoc Christoph. de Vega in Theolog. Marian. Pales 3. cert. 3. fol. 67. & cert. 7. fol. 82. num. 179. & Euseb. Nieremb. cap. 23. excep. fol. 343. & Ioan. Tamaium fol. 251. Itē iuxta Decretū Gregorii XV. R. P. F. Nicolas Rodulphus Generalis illud reformauit sub hac Rubrica; vt videre est fol. 619. *In Conceptione B. Mariæ totum duplex: omnia, præter lectiones infrà scriptas de Officio Natiuitatis ipsius, mutato Natiuitatis nomine in Conceptionis.* Cùm ergo in Ordine Prædicatorum fuerint quinque Breuiaria, seu Officia diuersa, atque tria illorum sub titulo Conceptionis, & duo sub titulo sanctificationis, & sub hoc promiscuè, singulariter, seu, vt dici solet, ad libitum, recitatum fuit ab ann. 1527. vsque ad ann. 1551. vniuersaliter verò, & in communi ab ann. 1551. vsque 1625. reliquū autem tempus semper recitauit Dominicana Religio sub titulo Conceptionis, sic incepit, & sic, Deo dante perseuerauit vsque ad finem mundi, vnde Officium Sanctificationis in nulla Ecclesia fuit recitatum, nisi in Ordine Prædicatorum, & hoc nō communiter, sed tantūmodo in Italia, & tempore Caietani, non Turrecrematæ, vt etiam fatetur Ambr. Cathar. cuius auctoritatem dabimus infrà nu. 307. ad finem: ergo totum suprà adductum ab Aduersariis de multis Ecclesiis, fuit fictum?

Etiam ad propositam materiam de Officiis pertinet, quod dicitur in eodem libr. Turrecr. par. 10. cap. 3. fol. 207. *Imò, quod grauius est, & citissimè per Ecclesiā rudendū in nonnullis Clericorum Breuiarijs, scribitur historia B. Annæ, habens verba, quæ sequuntur ipsi Ioachim per Angelū dicta, videlicèt: Propter quod reuertere ad coniugem tuam, & inuenies eam habentem in vtero de Spiritu Sancto. Pro quo gratias offeres Deo, & semen eius erit benedictū, & ipsa erit benedicta, & mater benedictionis æternæ constituetur, &c. Quæ verba quoad illam partē, quòd Anna erat in vtero habens de Spiritu S. quanto sint conformia fidei nostræ, & an sint præiudicialia priuilegijs Christi, Ecclesiæ sponsæ sua examinet, & iudicet.* Hęc sunt verba, quæ extant in illo Turrecrematæ libro rectè, sanctè, ac iustè damnantia illum execrabilem errorem; *reuertere ad coniugē tuam, & inuenies eam habentē de Spiritu S.* dignū omni censura, quia est contra fidem, &c. sed vbi inuenta sunt illa detestanda verba? dicunt, quod, *in nonnullis Clericorum Breuiarijs.* Fratres mei, quare non signastis, in quibus Breuiariis? Vel cuius Diœcesis erant illi Clerici? Hoc est dylema indissolubile, quod dicitis de illis Clericorū Breuiariis, vel est impostura vestra, falsitas, & mendaciū, vel est veritas: videtur mendacium, quia licèt in plurimis Breuiariis ex suprà relatis, & à me verbatim lectis, sit historia illa de Conceptione Virginis, imò & ipsissima verba à vobis relata dicta Ioachimo: *Propter quod reuertere ad coniugem tuā, &c.* tamen sequētia à vobis signata, *& inuenies eā habentem in vtero de Spiritu Sāto* in nullo, nullo, & tertio dico, nullo inuenire potui, nec extant,

&

& ſic iudico eſſe falſam impoſturã, atque mendacium excogitatum non ſolùm contra ſtatum Eccleſiaſticum, contra puritatem Virginis Matris, contra prærrogatiuam Filii Dei, ſed etiam contra veſtram ſacram Religionem.

OLYMPIVS, Hiſpanus, Epiſcopus, Beatus, vt dicit Auguſtinus in 1. & 2. contra Iulianum. *Turrecrem. part. 6. cap. 14. fol. 107. Anonym. Auctore 14. Bandel. cap. 13. Deza fol. 19. à tergo. Capreol. Gryſald. Sanctus Antonin. Barel.*

VERITAS 232.

HIC Secundùm Honorium Auguſtodunenſem, & Genadium Maſilienſem in ſuis Nomẽclaturis, ſcripſit librum de fide aduerſus eos, qui naturam, & non liberũ arbitrium, in culpam vocabant, in quo oſtendebat non creatione, ſed inobedientia ingenium naturæ eſſe malum, qui quidẽ liber nunquam fuit typis mandatus, imo exiſtimo, quod iam nec manuſcriptus extet in rerum natura. Tempore precеſsit Auguſtinum, & fuit magnæ auctoritatis vir. Cuius auctoritatem ſic adducũt Aduerſarii; Idẽ tenet S. Olympius, Hiſpanus, Epiſcopus, vir illuſtris in quodã Sermone, vt recitat Auguſtinus in 1. & 2. contra Iulianum: *Vitiũ*, inquit, *tranſgreſsionis Prothoplauſti eſt adeò in germine ſparſum, vt omnes, excepto Chriſto, cum peccato naſcantur, floruit anno D.* 342. Hæc ſunt Aduerſariorum verba: Auguſtini verò lib. 1. contra Iulianum (nam in 2. nullum adducit verbũ ex Olympio, vndè friuola, & ſuperflua fuit illa citatio lib. 2.) ſic ſe habent: Olympus Hiſpanus Epiſcopus, vir magnæ in Eccleſia, & in Chriſto gloriæ, in quodam Sermone Eccleſiaſtico: *Si fides*, inquit, *vnquam in terris incorrupta manſiſſet, ac veſtigia defixa tenuiſſet, quæ ſignata deſeruit, nunquam Prothoplaſti mortifera tranſgreſsione vitium ſparſiſſet in germine, vt peccatum cum homine naſceretur.* Si conferas, ò Lector! hanc Auguſtini auctoritatem cum ſuprapoſita adducta ab Aduerſariis, videbis, quòd non ſolùm quoad partes, ſed tota integra a primo vſque ad vltimum verbum eſt falſificata, & adulterata, aut potiùs vtrumque: ſignate, fratres, vbi eſt illa clauſula, ex qua veſtram vultis deducere illationem: *Vt omnes, excepto Chriſto, cum peccato naſcantur.* Nec alia verba ſunt eo modo, ac ordine, vt à vobis proponuntur.

Sed dato, quòd hæc auctoritas non eſſet quoad litteram ita vitiata; quo fine, & intentione fuit adducta? An, vt oſtenderetis, Virginẽ Mariam natam fuiſſe in peccato? Quid enim aliud ſonant illa verba, *cum peccato naſcantur*? Nonnè hìc expreſsis verbis agit Olympus de aſſumpto propoſito in ſuo libro, oſtendens, quòd non ex natura, ſed ex libero arbitrio lapſus fuit homo, & ex libera tranſgreſsione Prothoplaſti (non Prothoplauſti, vt ſemper ſcribunt Aduerſarii) Adami vitium ſparſum fuit in germine? Quid ergo hæc cum Conceptione Virginis in peccato originali? Cui ergo hæc adulterationis, & corruptionis iniuria facta eſt? An Olympo Hiſpano, an Auguſtino Africano, an potius vtrique?

ORIGENES, Super Ioannem, & ſuper Leuiticum Homil. 7. & ſuper Numer. Homil. 5. *Anonym. Auctor. 42. Bandel. cap. 14. Deza fol. 20. à tergo. Vincent. Gryſald. Capreol. Soncinas.*

VERITAS 233.

NOTISSIMI Huius Auctoris Origenis Adamantii opera excuſſa fuerunt Baſileæ 1536. & 1557. correcta & 1545. & Pariſiis 1512. in 4. Tom. & 1604. & 1619. & 1544. ac ſeorſim in diuerſis mundi partibus. Cuius prima auctoritas ſic adducitur ab Aduerſariis: Idem tenet Origenes, doctrina clariſsimus, cuius opera per B. Hieronymum translata ſunt, ab Eccleſia approbata ſuper Ioannem, vbi ſic dicit: *Habet homo Chriſtus Ieſus in humano genere magnam fiduciam, cùm nullus hominum veraciter dicere poſsit: Quis ex vobis arguet me de peccato, niſi Dominus noſter, qui peccatum nullum habuit.* Origenis autem verba tom. 2. part. 2. in Euangelium Ioannis ſecundùm editionem nouiter factam Pariſiis ann. 1619 (nam in aliis talia non extant verba) ſic inquit: *Magnam autem fiduciã habet ſeruatoris oratio in hoc dicto, nullo homine, cũ ea confidentia, quæ naſcitur ex non peccaſſe, dicere valente: Quis ex vobis arguet me de peccato? Sed ſolo Domino noſtro dicere hoc valẽte ad omnes, qui vnquam illum cognouerunt, qui peccatũ non fecit, per omnia tentatus iuxta ſimilitudinẽ abſque peccato.* Hæc ſunt Origenis verba, quæ licèt cũ allegatis ab Aduerſariis habeant aliquã ſimilitudinem, non tamen identitatẽ materialem in verbis, nec formalem in ſenſu, nam Origenes dicit: *Magnam autem fiduciam habet ſeruatoris Oratio in hoc dicto*; ipſi verò dicunt: *Habet homo Chriſtus in humano genere magnam fiduciam.* Nota differentiã. Deindè dicit Origenes: *Nullo homine cum ea confidentia, quæ naſcitur ex nõ peccaſſe, dicere valente*; ipſi verò ſic: *Cum nullus hominũ veraciter dicere poſsit*, mutantes omnia verba, & illa cõfundentes. Deindè prætermiſerunt ferè totam vltimã clauſulã, & ex illis Origenis verbis: *Qui peccatum non fecit, per omnia tentatus*, occaſionem ſumẽtes

finxerunt illa: *Nisi Dominus noster, qui peccatum nullum habuit.* Et super omnia cum vidissent, quod illud verbum Origenis, *fecit*, indicabat peccatum actuale, transmutarunt in, *habuit*, tacentes illud, *per omnia tentatus*, nam cùm Christus Dominus non fuisset tentatus à peccato originali, omnia huius auctoritatis verba vitiarunt, tacendo aliqua, addendo alia, transmutando, & variando omnia, vt saltem inuitum ad suam Aream adducerent Origenē. Quantum ad sensum verborum Origenis, de se pātet esse longè diuersum à peccati originalis contractione in Christo, & plus à Virginis Mariæ Conceptione.

Secunda auctoritas Origenis sic adducitur: Item Origenes super Leuiticum Homilia 7. *Quæcumque, inquit, anima in carne nascitur iniquitatis, & peccati sorde polluitur.* Hæc auctoritas non extat Homil. 7. quæ incipit: *Plura quidèm.* Sed in Hom. 8. quæ incipit: *Medicum dici*, explicans illa verba: *Mulier quæcumque susceperit semen*, vbi sic inquit: *Hæc ergo dicta sint de eo quod obseruauimus scriptum, quia non superfluo addidit Legislator: Mulier si conceperit semen, & peperit filium: sed esse exceptionem mysticam, quæ solam Mariam à reliquis mulieribus segregaret, cuius partus non ex conceptione seminis, sed ex præsentia Sanctus Spiritus, & virtute altissimi fuerit, &c.* Et paulò infrà: *Sed & ille ipse qui nascitur, siue virilis, siue fœminei sexus sit, pronuntiat de eo Scriptura, quia non sit mundus à sorde, etiamsi vnius diei sit vita eius.* Et infrà: *Quod si placet audire, quid etiam alij Sancti de ista natiuitate senserint, audi Dauid dicentem: In iniquitatibus, inquit, cōceptus sum, & in peccatis peperit me mater mea, ostendens, quòd quæcumque anima in carne nascitur, iniquitatis, & peccati sorde polluitur: & propterea dictum esse illud, quod iam superiùs memorauimus, quia nemo mundus à sorde, nec si vnius diei sit vita eius.* Hæc sunt omnia Origenis verba: ex quibus integrum sensum colligere poteris, Lector, non vero ex illis trūcatis, & abbreuiatis Aduersariorum, & simul cognoscere, quòd Origenes agit ibi de lege purificationis, ac seminis receptione, quia enim illic mater sordibus, ac peccatis polluitur, ideò purificabatur in partu, à quibus sordibus, iniquitatibus, ac peccatis nulla anima in carne nata fuit libera, nisi illa sanctissima Christi Domini Mater, quia eius Virginitas intacta non concepit ex susceptō semine, sed mystico Spiritus Sancti spiramine. Vndè tàm longè abest, vt hęc auctoritas sic contra immaculatam Virginis Conceptionem, quod si Origenes hic iuxta suum modum loquendi, ad proposita verba superadderet, ac diceret expressè: Quare Anna mater Virginis Mariæ comprehensa fuit in hac lege, quia non concepit filiam suam munda à sorde, sed iniquitatibus, & peccatis polluta, in his nihil exprimeret Origenes contra propriam, & immaculatā Mariæ Conceptionem; quia loquitur de Conceptione carnis prima, & a tiua. Imo plus audeo dicere (& sit exercitii causa, & vt cognoscat Lector, quātum interest videre originalia Antiquorum Patrum in suo fonte trutinando antecedentia, & subsequentia cum auctoritate, assumpto, & materia, de qua loquebantur) quòd si Origenes in illius explanatione, iuxta suum loquendi modum, superadderet ad omnia supra dicta, ac expressè, ac nominatim diceret: Maria concepta fuit, & nata in vtero matris suæ secundùm aliarum fœminarum legem, in iniquitatibus, & peccati sordibus polluta, & immunda iuxta illud Dauidicum: In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis peperit me mater mea, adhuc sic non attingeret nostræ difficultatis scopum, quia nos non agimus de Conceptione seminis, sordibus, peccato, vel iniquitate, in illa seminis susceptione commissis, de his enim, quæcumque anima, id est, homo natus in mundo polluitur, prout pollutiones illæ, iniquitates, sordes, & peccata in generatione connotant terminum, à quo generantis, & terminum ad quem geniti, à quibus solus Christus Dominus fuit liber, & immunis, quia eius mater non concepit virili opere, susceptō semine, polluta, vel cum carnis delectatione, & sic solus ipse fuit impollutus, & segregatus ab hominibus. Si ergo additis his omnibus hæc Origenis auctoritas non esset ad rem: ergo Patres vt quid perditio hæc?

Tertia auctoritas sic adducitur: Item, idem in eodem: *Magnus*, inquit, *Sacerdos Iesus, qui solus peccatum non fecit; & ad quem venit princeps mundi huius, & non inuenit in eo quidquā. Hæc ille.* Existimo, nimis quòd malitiosè dixerunt Aduersarii illud, *in eodem*, quia si hoc intellexerunt de eodem loco, vel capite, quo antecedentia, est falsum; quia hæc verba non extant in Homilia 7. neque in 8. sed in Homilia 12. quæ est de Magno Sacerdote, & auctoritas sic se habet: *Meus autem Sacerdos magnus Iesus, idcircò magnus est, quia peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, & quia venit ad eum princeps mundi huius, & non inuenit in eo quidquam, &c.* In qua etiam auctoritate, more solito aliqua addiderunt, alia tacuerunt, & nonnulla immutarunt. Vbi enim Origenes, *meus autem Sacerdos magnus Iesus, idcircò magnus est*; ipsi sic, *magnus Sacerdos Iesus, qui solus peccatum non fecit*, abstulerunt causalem illam, *idcircò magnus*; *quia*, & addiderunt ly, *qui solus*, deindè tacuerunt illam clausulam: *Nec inuentus est dolus in ore eius*, vt ex his verbis, & illud, *non fecit*, legentes, vel audiē

tes

tes hoc, non deuenirent in cognitionem, quòd Origenes loquebatur de peccatis actualibus, vt etiam constat ex verbis immediatè antecedentibus ab Aduersariis suo fine prætermissis: *Quomodo enim magnus dici potest Sacerdos, qui peccare potest? Quòd autẽ sub peccato fuerint omnes magni Sacerdotes, & ex hoc ipso facilè aduertimus: quòd lex præcipit, vt priùs pro suis, post etiam pro populi peccatis offerat hostiam Sacerdos. Quomodo ergo magnus est sub peccato positus? Meus autem Sacerdos, &c.* Ex quibus patet, quòd non loquitur Origenes de originali, sed de actualibus, & quando loqueretur de originali, nescio, quomodo ex propositis verbis posset deduci illa consequentia: ergo Maria contraxit originale? Nam si ex illo, quod Iesus fuit magnus, deducitur: ergo non contraxit originale, nec habuit peccatum, etiam Maria de se dicit: Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius. Et misericordia eius à progenie in progenies, timentibus eum. Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. Et benè: dispersit.

Quarta auctoritas sic adducitur: Item idem modicum infrà: *Solus*, inquit, *Dominus Iesus meritò consumatas habet manus, quia ipse solus peccatum non habuit. Hæc ille.* Verba autem Origenes, Homilia 12. non. 7. littera K. sic se habent: *Quia non est homo super terram, qui faciat bonum, & non peccet. Meritò ergo solus Iesus consumatas habet manus, qui solus peccatum non fecit, hoc est, qui perfecta, & integra opera manuum habet.* Vide in hac breui auctoritate, quot, quantaque vitiarũt; prætermiserunt enim totam primam clausulam, à qua pendet intelligentia sequentium, & mutauerunt verbum illud, *fecit*, in illud, *habuit*, quod millies obseruatum inuenies in hoc Ventilabro, & malitiosè tacuerunt verba sequentia, vt sic ex omni parte occultarent Origenes mentem, loquentis de actualibus peccatis, vt simplici intuitu patebit legenti. Sed specta quia maiora videbis, veni, & vide.

Quinta auctoritas sic adducitur: Item modicum infrà: *Omnis*, inquit, *qui ingreditur hunc mundum, ex hoc ipso, quòd in vulua matris positus materiam corporis ab origine paterni seminis sumit, in patre, & matre contaminatus dici potest; quia nemo mundus à sorde, nec si vnius diei fuerit vita eius. Omnis ergo homo in patre, & matre pollutus est: solus autem Dominus noster Iesus Christus in hanc generationem mundus ingressus est, quia ipse solus peccatum nesciuit. Hæc ille.* Hæc auctoritas coincidit cum superioribus, sed videamus, qua veritate fuerit transcripta; explicans ergo Origenes illud: *In patre suo, & matre sua non contaminabitur*, sic inquit: *Hic Scripturæ locus difficilis est ad explanandũ, sed si orationibus vestris Deum Patrem Verbi deprecemini, vt nos illuminare dignetur, ipso donãte poterit explanari. Omnis, qui ingreditur hunc mundum, in quadam contaminatione effici dicitur. Propter quod & Scriptura dicit: Nemo mũdus à sorde, nec si vnius diei fuerit vita eius. Hoc ipso ergo, quòd in vulua matris est positus, & quod materiam corporis ab origine paterni seminis sumit, in patre, & in matre contaminatus dici potest. Aut nescis, quia cum quadraginta dierũ factus fuerit puer masculus, offertus ad altare, vt purificetur ibi tanquam pollutus fuerit in ipsa Conceptione, vel paterni seminis, vel materni. Omnis ergo homo in patre, & matre pollutus est; solus vero Iesus Dominus meus in hac generatione mundus ingressus est, in Matre non est pollutus. Ingressus est enim corpus incontaminatum, &c.* Ecce ante oculos habes vtramque auctoritatem. Si hæc ergo erit regula illius, nota vitia, quantum ad litteram. Vbi Origenes: *Omnis qui ingreditur hunc mundum, in quadam contaminatione effici dicitur.* Aduersarii verò sic: *Omnis ergo qui ingreditur hunc mundum, ex hoc ipso, &c.* prætermiserunt omnia verba illa: *In quadam contaminatione effici dicitur: Propter quod & Scriptura dicit: Nemo mundus à sorde, nec si vnius diei fuerit vita eius*: & hanc clausulã postposuerunt. Deindè prætermiserunt aliam clausulam: *Aut nescis, quia cum quadraginta, &c.* quia ibi extat totum pondus sententiæ. Itẽ vbi Origenes: *Solus vero Iesus Dominus meus in hac generatione mundus ingressus est, in Matre non est pollutus.* Aduersarii dixerunt, *In hanc generationem*, & tacuerunt ly, *in matre non est pollutus.* Tandem vbi Origenes, *Ingressus est enim corpus incontaminatum.* Aduersarii sic; *Quia ipse solus peccatum nesciuit.* Et si his adiungis dictiones emphaticas ablatas, vt illud, *ergo*, & ly, *est*, & ly, *& quod*, &c. inuenies quatuordecim falsitates capitales, habent nè hæc aliquam excusationem? Quantum verò ad sensum ex littera ipsa constat, quod Origenes solùm intendit probare, Christum Dominum non fuisse contaminatum, nec pollutum in semine, à concupiscentia, & libidine parentum, à quibus polluuntur, & contaminãtur cæteri homines, quia cùm ipse fuerit virtute Spiritus Sancti conceptus ex Virgine, ille solus ex vi, & modo suæ generationis, mundus fuit ab omni sorde, peccato, & iniquitate, à qua alii omnes in paterno, & materno polluuntur semine, in prima illa generatione carnali, seu conceptione actiua parentum, de qua hìc est Sermo, non verò de Conceptione propria, seu animatione facta post quadraginta dies. Hæc adeò clarè, & expressè extant in littera, vt solus cæcus ea videre, aut intelligere non possit.

Sexta auctoritas sic adducitur: Item idẽ modicum infrà: *Solus*, inquit, *Dominus Iesus, qui nunquam peccauit, exiuit de Sanctis. Hæc ille.*

Nec

Nec adhuc iſta pauca verba fideliter trãslata fuerunt; nam ſic pro ſua propoſita doctrina proſequitur Origenes: *Solus verò Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui peccatum neſcit, neque in patre, neque in matre contaminatus eſt, & de Sanctis non exiuit*, abſtulerunt ergo malitiosè ly, *neſcit*, & loco illius appoſuerunt, *nunquam peccauit*, & ſimiliter tacuerunt illa verba, *Neque in patre, neque in matre contaminatus eſt*, quæ ſi Aduerſarii cum antecedentibus contuliſſent, nunquam pro ſe citaſſent. Siquidèm Origenes relinquens litteram, tranſit ad allegoricam expoſitionem, vt de more habet; loquens de hominibus, qui vel non credendo, vel malè operando in Deum peccant: ideo, inquit, poſt alia: *Sic ergo etiam contaminamur in matre, ſi credentes Deo, vel Eccleſiam lædimus, vel libertatem matris cœleſtis indigna peccati ſeruitute fœdamus. Solus verò Dominus, &c.* Vt ſuprà. Quo ergo fundamento adduxiſtis hæc, ô Patres mei! contra immaculatam Virginis Conceptionem?

Septima auctoritas talis eſt: Item ſuper librũ Numer. Homil. 5. & ponitur in Gloſſa Ordinaria num. 11. *In cæteris*, inquit, *Sanctis requieuit Spiritus Sanctus, ſed non ſicut in Saluatore noſtro, in quo non ſolùm quieuit, ſed tanquam quid præcipuum, & ſingulare dicitur in eo ſemper mãſiſſe, quod de nullo alio dici poteſt. De nullo enim alio dictum eſt: Quia peccatum non fecit. Quia ergo ſolus ipſe eſt, qui peccatum non habuit, ideò ſolo in ipſo manſit, & permanſit Spiritus Sãctus. Si autem ipſe eſt, de quo tanquam quid ſingulare, & eximium hoc dicitur: Quia peccatum non fecit, conſtat, reliquos omnes aliquando fuiſſe ſub peccato. Tempore autem peccati, in eis Spiritum Sanctum manſiſſe, conuenienter dici non poteteſt: Hæc ille.* Hæc verba non extant, vt ipſi dicunt Homil. 5. quæ incipit: *Reſponſa dans*, ſed in Homil. 6. quæ incipit: *Plura nobis*, & longè diuerſo modo, vt ex ipſis conſtabit: inquit enim Origenes fol. 120. lit. K. *Habeo & aliud teſtimonium, quo docere poſſum in Domino, & ſalutare meo, Spiritum Sanctum eximio quodam genere, & lõgè aliter requieuiſſe, quàm refertur in cæteris. Dicit enim Ioannes Baptiſta de eo: Qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum Sanctum deſcendentem, & manentem in eo, ipſe eſt. Si dixiſſet: Spiritũ deſcedẽtem, & non addidiſſet: manentẽ in eo, nihil præcipuũ cæteris habere videretur. Nũc autẽ addidit: & manentẽ in eo, vt eſſet hoc ſignũ in Saluatore, quod in nullo alio poteſt oſtendi. De nullo enim ſcriptũ eſt, quia manſerit in eo Spiritus Sanctus. Et nequis me putet in hoc derogare Prophetis, ſciũt ipſi, quia non eis derogo, præferens eis D. meũ Ieſum Chriſtũ. Recolunt enim ſinguli dicta ſua, & inueniunt, quod de nullo alio dictũ eſt: Quia peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore ſuo. Quia enim ſolus eſt ſine peccato, qui peccatũ non fecit idcircò in ipſo ſolo manſit, & permanſit Spiritus. Si enim ipſe eſt, de quo ſingulare aliquid, & eximium dicitur, hoc quod ſuprà diximus: Quia peccatum non fecit, conſtat, reliquos omnes fuiſſe ſub peccato. Si omnes, neceſſariò, & Prophetas, &c.* Hæc ſunt Origenis verba: ex quibus euidẽter conſtat, qualiter Aduerſarii omnia, & ſingula vitiarunt, & peſsimè adulterarunt, præcipuè illa, quæ ad ſuũ intentũ concernere poterant, vt eſt illud: *De nullo alio ſcriptũ eſt, quia manſerit in eo Spiritus Sãctus.* Aduerſarii verò ſic: *De nullo alio dictũ eſt, quòd peccatũ nõ fecit.* Nota amore Dei, quantum inter ſe differant iſtæ clauſulæ, Item illud: *Quia enim ſolus eſt ſine peccato, qui peccatum non fecit*; ipſi ſic: *Quia ergo ſolus ipſe eſt, qui peccatum nõ habuit*, ſemper, & ferè vbiq; mutantes verbũ, *fecit*, in, *habuit*, vt excluderent peccata actualia, & introducerent originale: ſiquidèm ſolùm hoc non fit, ſed habetur. Reſtat nunc verificare, an ſit certum illud, quod dicunt Aduerſarii: *Et ponitur in Gloſſa Ordinaria Num.* 11. Ad quod dico, quod in Gloſſa Ordin. præallegato cap. 11. col. 1224. adducũtur aliquà verba Origenes ex ſuprà poſitis, præcipuè hæc: *De illo enim ſolo dictũ eſt: Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Quia enim ſolus eſt, qui peccatũ non fecit, ideò in ſolo illo mãſit, & permanſit Spiritus. Conſtat ergo, reliquos omnes ſub peccato fuiſſe.* Videte ergo, quàm ad litteram tranſcripſit Gloſſator verba Origenis, & conuertantur retrorſum, qui ſimul, & ſemel vitiarunt Origenem, & Gloſſam.

Octauam auctoritatem adducit Anonymus via 3. p. 2. auctorit. 21. ſic: Item Origenes ſuper Ioan. *Diabolus*, inquit, *fuit homicida ab initio, non propter aliquem ſingulariter tantũ, ſed propter totum humanũ genus, quod peremit, in quantum in Adam contenti moriuntur.* Origenis autem verba tom. 2. in Euang. Ioann. Hom. 24. ad illa verba: *Ille homicida erat ab initio*, folio 244. col. 2. lit K. ſunt hæc: *Inſpice verò etiã hoc: In Adã omnes moriũtur, & in Chriſto omnes viuificabũtur, quibus verbis neque mors media ſignificatur hoc dicto: In Adã omnes moriũtur, neque indifferens vita (quæ neque bonum per ſe eſt, neq; malum) in illo: In Chriſto omnes viuificabuntur, & videbis vitã hominis, qui eſt ad imaginem: cuius vita cõſiderata, intelliges, quo nam pacto homicida ille interfecerit viuentẽ hominẽ, rectè dicendus homicida, non quia vnum quempiam priuatim interfecerit, ſed propter vniuerſum genus à ſe interfectum, vndè in Adam omnes moriuntur. Hoc verò homicidiũ operatus eſt, cũ incepiſſet ab initio, &c.* Confer ergo huius auctoritatis vltima verba cum ſuprapoſita, & videbis, quomodo illa tota à primo ad vltimum verbum eſt adulterata, & ficta, & hęc Origenis legitima potiùs eſt pro nobis; quia ſi diabolus omnes in Adã

per peccatum interfecit, ſed non priuatim omnes: ergo aliquam excipit priuatam perſonam, & hæc nec eſt, nec potuit eſſe, niſi Virgo Maria: hoc enim quærimus in præſenti controuerſia, an Virgo Maria, vt priuata perſona, exempta fuerit ab illa morte peccati, qua diabolus interfecit omne genus humanum in Adam. Et qui aliud dicere voluerit, in veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in eo.

PAGANVS De Pergamo, Ordinis Prædicatorum, Beatus, in Serm. Natiuit. B. Virginis. *Bandel. cap. 23. Dez. fol. 40. Gryſald.*

VERITAS 234.

DE Pagano de Pergamo, Inquiſitore Lombardiæ, dicit Geſnerus fol. 648. quòd ſcripſit Poſtillam ſuper Bibliã, ſed non Sermones. Nomenclatores vero Ordinis Prædicatorum, vt Sixtus Senenſis fol. 285. Antonius Senenſis fol. 286. Alphonſus Placentinus fol. 409. Leander Alber. lib. 4. fol. 136. & illos ſequens Poſſeuinus fol. 206. & Ioann. Michael Pius col. 83. part. 2. ad annum 1270. & iterum illum multiplicat col. 153. ad annum 1323. vnanimiter affirmant, ſcripſiſſe Sermones de Sanctis, ac de Tempore, ſed cum iſti ſcripſerint poſt Bandellum, dubito, nè ab illo decepti fuerint, vt infrà inſinuabitur, quia Sermones extant, ſed non ſub nomine, & titulo, Pagani de Pergamo: vixit Auctor iſte ſecundùm omnes ad annum 1323. Ita vt per integrũ ſæculum præceſſerit Turrecrematam, Anonymum, & Petrum de Vincentia: cùm autem iſti non adducant hunc Auctorem, ſed ſolus Bandellus, dico, & iterum dico, quod dubito de veritate; ſed quidquid ſit de Auctore.

Auctoritatem ſic adducit: Idem tenet B. Paganus de Pergamo, Doctor clariſsimus, in ſermone Natiuitatis B. Virginis, ſic dicens: *Beata Virgo ſignificatur per Auroram, quantum ad dignitatem Natiuitatis, Iob 3. Spectet lucem, & nõ videat, nec ortum ſurgentis Auroræ. Originale enim peccatum lucem, id eſt, Chriſtum non vidit, neque in conceptu, neque in ortu, Auroræ verò, id eſt, Beatæ Virginis, etſi conceptum viderit, non tamen vidit eius ortum; quia licèt B. Virgo in originali peccato concepta fuerit, non tamen eſt cum peccato nata. Hæc ille.* In quodam libro manuſcripto, qui extat in Collegio Maiori S. Ildephonſi Vniuerſitatis Complutenſis, in tomo de Sanctis, cuius principium eſt: In Vigilia S. Andreæ: *Stabat Ieſus.* Secundus verò tomus finit ſic: *Expliciunt Sermones Dominicales, & Feriales, per totum annum, ſecundùm ordinem Officij Fratrum Prædicatorum.* Ex his verbis, ſicut ex eo quòd adducit ſermones S. Dominici, & S. Petri Martyris, & nullius alterius Patriarchæ, euidenter cognoſcitur, Auctorem illorum Sermonum fuiſſe ex Ordine Prædicatorum. In hoc ergo opere extant Sermones ſeptem de Natiuitate Virginis. Primus incipit: *Ego quaſi vitis.* Secundus: *Ego Mater pulchræ dilectionis.* Tertius: *Liber generationis.* Quartus: *Iacob genuit.* Quintus: *Sicut Sol Oriens.* Sextus: *Sapientia ædificauit.* Septimus: *Obſcurentur ſtellæ.* Et in hoc vltimo Sermone extant hæc verba: *A ſuæ Natiuitatis exordio inuenitur Maria medium locum tenere inter Sanctos, & Filium, qui eſt Sanctus Sanctorum; nam inferior inuenitur Filio, & ſuperior omnibus Sanctis, quod quidèm dupliciter ſignificatur in præmiſſis Iob ſcriptis, ex lamentatione ſua, in qua deplorat, & deſcribit miſeriam originalis peccati, ex differentia naſcentium, quam diſtinguit ſecundùm diuerſas ſimilitudines, quæ ſunt tres, Stellarum, Auroræ, & lucis; in Stellis Sanctos, in Aurora Mariam, in luce Chriſtum deſignat, &c.* Et infrà: *Sed nota, quòd priùs dicit Auroram, poſteà Solem, quia Aurora præcedit Solem, ſed nihilominùs creatur à Sole; ſic Virgo præcedit Filium ſecundùm humanam naturam, ſed ab ipſo creatur ſecundùm diuinam, & benè ſequitur ætatem, & ver; quia poſt ortum Virginis, & ætatem gratiæ, & ver gloriæ dedit Dominus. Secundò, commendat eminentiam Natiuitatis, quia ſine originali nata, & ſic dicitur hic: Expectet lucem, & non videat. Tertiò, commendat gloriam Conceptionis, & ſic dicit auditor ſermonuum Dei, 2. Reg. 23. Sicut lux Auroræ oriente Sole, &c. duas ponit ſimilitudines, volens per primam oſtendere, qualiter præparata ad expectationem Filij Dei, & ſic dicitur lux Auroræ abſque nubibus; per nubes intelliguntur defectus naturæ, ex quibus omninò erat improportionata ad receptionem ſui Creatoris, &c.* Et infrà: *Quæ eſt iſta quæ prõgreditur, &c. Vbi triplicem notat de virtute in virtutem, de maiori luce ad maiorem; Aurora comparatur antè Conceptionem Filij Dei, quia lucem admixtam habuit tenebris, lucem ſcilicèt ſanctificationis cum tenebra originali; Lunæ verò in Conceptione, Soli verò poſt Conceptionem, &c.* Et infrà: *Nõ ſolùm ex differentia naſcentium oritur propoſitum, ſed adhuc vlteriùs ex differentia natiuitatum, omnes enim Sancti cum originali concepti ſunt, & nati, Chriſtus verò nec conceptus, nec natus, Maria concepta, ſed non nata, quia in vtero ſanctificata, & hanc triplicem differentiam oſtendit Iob in verbis præmiſſis, &c.* Ex his vltimis verbis exiſtimo, quod Bandellus finxit ſuam auctoritatem, diſponendo eam more ſuo, vitiando omnia, & ſingula.

Suppoſito ergo, quòd liber iſte, & Sermo ſit Pagani de Pergamo, de quo nihil audeo affirmare, Auctor iſte Dominicanus, quicumque

ille

ille sit, nihil dicit contra immaculatam Virginis Conceptionem, quia loquitur de prima conceptione seminis more Antiquorum, per respectū ad secundam natiuitate in vtero, vt colligitur ex illa clausula: *Omnes enim Sancti cum originali concepti sunt, & nati.* Hæc enim propositio non loquitur de natiuitate extra vterū, aliàs non solùm esset falsa, sed expresse cōtra Scripturam; nam Ioannes Baptista, & Hieremias nati sunt ex vtero sine peccato originali. Loquitur ergo de natiuitate in vtero, & sic tota auctoritas Pagani verissima est. Nam Christus Dominus solus conceptus est sine originali concupiscentia, & libidine, & eodem modo natus in vtero: Maria vero concepta cum concupiscentia, & libidine originali, sed non nata in vtero cum originali, quia fuit sanctificata. Iste est genuinus sensus verborum Pagani, iuxta rigorem suæ auctoritatis, & verborum vim, ideo Bandellus illā aliter dispositi sumendo assumptum, & aliqua verba à Pagani Sermone, quousque ergo ostenderint Aduersarii alium librum Sermonum sui Pagani de Pergamo, & in illo auctoritatem adductam à Bandello, sepeliatur cum honore cum Patribus suis, quia ego non credo Bandello.

PARATVS Doctor antiquus, in Sermone 4. de Concept. Virginis Mariæ. *Ita Paul. Gryf. Alphab. 3. in princ.*

VERITAS. 235.

INTER Scriptores antiquos Anonymos fuit quidam non spernendæ eruditionis, ac scientiæ, qui scripsit luculentissimos Sermones de Tempore, ac de Sanctis sub nomine Parati, absque alio cognomine, aut signo sui status, vel Religionis, fuitque hoc opus impressum Romæ 1598. in fol. Parisiis anno 1551. in 8. Argentinæ 1487. Norimbergiæ 1493. & fol. 256. vsq; 258. adducit Sermonem de Conceptione B. Mariæ Virginis. Hunc Auctorem; & Sermonem conducit Paulus Gryfaldus solus, citans Sermonem 4. & allegans ex ipso hanc auctoritatem. Paratus Serm. 4. de Conceptione: *Purificauit eam à rubigine, id est, ab omni macula originalium peccatorum.* Qua veritate, & fundamento hoc dixerit, verba ipsa Parati demonstrabunt, quæ sic se habent.

In Sermone, qui est in ordine 4. & incipit: *Beatam me dicent*, inquit Paratus: *Hodiè S. Mater Ecclesia recolit, qualiter Maria Virgo Virginum in vtero matris suæ sit concepta. Circa verba proposita quatuor reuera magnalia à Deo sibi facta per sanctitatem eius tam sacram restant cōsideranda. Primò, quòd Deus Conceptionem suā Angelica voce nuntiauit. Secundò, quod ipsam tàm in vtero, quàm extra vterum matris suæ præ omnibus creaturis mundi mirabiliter sanctificauit, &c. Et hoc modo Beatissima Virgo Maria, est concepta, & nata, ac speculum Diuinitatis, & miraculum omnium effecta est. Secundo, fecit ei Dominus magna, ex hoc quod eam, tàm in vtero, quàm extra vterum sanctificauit, quod sic ostenditur: cùm Beatissima Virgo Maria concepta fuit in vtero cursu naturæ, corpus suum erat ad recipiendam animam habilitatum, & statim immisit ei Deus animam cum flamma Spiritus Sancti, mediante qua fuit purgata ab omni macula, & rubigine peccatorum originalium, exēplo ipso: Accipe aurum purum, & mitte in testam puram, & pone ignem: ignis ardet per testam, & purgat aurum. Sic gloriosissimum corpus Beatissimæ Dei Genitricis Virginis Mariæ positum erat in testa, id est, corpore B. Annæ matris Mariæ, quod pertransiuit ignis Spiritus Sancti, & purificauit à rubigine, id est, ab omni macula omniū originaliū peccatorum: sic quod in vtero matris suæ fuit sine peccato, sine peccato vixit, & sine peccato decessit, &c. Ergo de te dicit deuota anima, Cāticor. 2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Item Canticorum 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te, & quia Deus sic te sanctificauit: ergo Beatam te dicent omnes generationes. Quarē dico, quòd Deus creauit Solem clariorem cunctis Planetis, sic præ omnibus creaturis Beatissimam Virginem Mariam, quia sine omni peccato, &c.* Alia habet hic Auctor verba in prælegato Sermone, quæ adduci poterant ad comprobandam Virginis immunitatem, sed quia hæc adducuntur ab Aduersariis, & sunt præcipua, ac principaliora alia omittimus; ex quibus potest colligere Lector, qualis fuerit mens Parati in hac Conceptionis materia, nunquam enim ponit peccatum originale in Virgine, imò ante infusionem animæ, dum corpus erat organizatum in vtero Annæ, fuisse purificatum per flammam Spiritus Sancti à rubigine originalium, id est, à fomite, & sordibus relictis ex concupiscentia parentū in illa materia apertissimè adstruit. Et sic Gryfaldus referens cauillosè solùm quatuor verba, sine veritate, & fundamento adducit Paratum ad suam aream, sed in sacculo pertuso, sicut alios, &c.

Vtinam proposita Parati verba, vidissent, ac legissent attentè omnes Aduersarii; nam ex ipsis expressè constat, quòd Doctores antiqui intelligebant per rubiginem, & originalium sanctificationem, quando dicebant, & explicabāt illud: *Auferrubiginem de argento, & egredietur vas purissimum*, quam auctoritatem semper, & vbique adducunt pro se Aduersarii, & immeritò, quia rubiginem sumebant antiqui, non pro peccato originali formaliter, sed pro sorde, & fomite, atque aliis defectibus originalibus generationis, & seminis, vt hic dicit Paratus: *Cum Beatissima Virgo Maria concepta fuit*, per pri-

mam conceptionem, *in vtero cursu naturæ corpus suum erat ad recipiendam animam habilitatum, & statim immisit illi Deus*, scilicèt, corpori, *animam cum flamma Spiritus Sancti, mediante qua* flamma *fuit purgata* illa materia, à qua formanda erat ipsa Maria, *ab omni macula, & rubigine peccatorum originalium*, id est, procedentium ab origine paternæ, ac maternę generationis, quam rubiginem aliqui vocant fomitem alii peccatum originis, alii verò originale. Meliùs hoc declarat exemplum Parati: Aurum purum fuit corpus Mariæ, testa pura vteros Annæ, *sic glorioſiſſimum corpus Beatiſſimæ Dei Genitricis Mariæ poſitum erat in teſta, id eſt, corpore B. Annæ, quod*, scilicèt, corpus, quod statim futurũ erat Virginis Mariæ, *pertrãſiuit ignis Spiritus Sancti, & purificauit*, illud corpus formatum, & vltimatè disposítum ad animationem, *& purificauit à rubigine, id eſt, ab omni macula omnium originalium peccatorum.* Nota, quomodo loquatur de plurali, & concludit Paratus: *Et ſic Deus creauit Virginem Mariam ſine omni peccato.* Quid clarius? Hoc aliquantulum latiùs dixi, & explicui, quia Aduersarii vbicumque audiunt, vel legunt hæc verba: rubigo, ablata, purificata, purgata, & his similia, absque alio examine, vel discursu, totum hoc intelligunt de peccato originali contracto post animationem, quando ferè omnes loquuntur de purificatione, & purgatione ante animationem, vt hic Paratus, & omnes alii suprà relati.

PAVLINVS Bernardinus, Lucensis, Ordinis Prædicatorum, in Quodlibet. de Incarnatione. *Ita Paul. Gryſ. Alphab. 5.*

VERITAS 236.

HIC Auctor secũdùm Antonium Senensem, fol. 189. Anto. Pollenium in Apparat. fol. 219. Alph. Placentinum fol. 410. fuit in rerum natura, & vixit ad annum 1577. & mortuus fuit ad 1585. Vide de hoc latè Michaelem Pium part. 2. lib. 4. col. 313. scripsitque aliqua Quodlibeta, nullum tamen fuit typis mandatum, & sic ex hac parte quasi non fuisset. Gryſaldus illum adducens nullam auctoritatem transcribit, & etiam ex hoc, vt vana, & inanis spica reiicitur. Inquit enim Alphab. 5. litt. P. *Paulinus Bernardinus Lucenſis, in Quodlib. de Incarnatione.* Ad finem verò totius Cathalogi sic concludit: *His ergo tantorum Doctorum teſtimonijs demonſtratur, illam originale peccatum contraxiſſe, imò Bartholomæus Spineus, Doctor præſtantiſſimus, & Sacri Palatij Magiſter, in Quæſtione propria, de hac re, probat alteram opinionem eorum, qui dicunt, eam non contraxiſſe, eſſe hæreticam, & hanc noſtram tanquam de fide ſequendam probat. Cum quo eſt Magiſter Paulinus Bernardinus Lucenſis, vir doctiſſimus, ac Prouinciæ Abbrutij Regularis vitæ Inſtitutor: hic in ſuis Quodlibetis, rationibus, & auctoritatibus corroborat hanc ſententiam.* Hæc Gryſaldus. Ex quibus constat, quomodo Aduersarii adhuc post Constitutiones Sixti IV. Pii V. & Concilii Tridentini approbationem ore pleno dicebant, & scribebãt, suam opinionem esse de fide, nostramque sententiam hæreticam, & hoc non solùm fratres infimæ conditionis, vt in Hispania Cuchaterus, & Pedroche, sed in Italia Magistri sacri Palatii, & Institutores Regularis Obseruantiæ Prouinciarum. Denique Auctor iste est suspectus testis, quia ex Ordine Prædicatorum: quousque ergo adducant Aduersarii Quodlibetum, vel Quodlibeta illa de Incarnatione, & ex illis verba, credendi non sunt: existimo enim quod Gryſaldus non vidit Quodlibetum illud, sed cùm in materia de Incarnatione ferè semper agatur de Virginis Sanctificatione, affirmauit, quod fortè nesciuit.

Quod comprobo hoc vnico, ac solo argumento: cùm ego in Ciuitate Neapolitana monumenta aliqua litteraria inquirerem, incidi in librum parum, impressum in 12. absque anno, & loco, de Confraternitate, seu Congregatione Nominis sanctiſ. Dei, cuius Fundator, vt in prædicto libro dicitur, fuit hic deuotus Pater Paulinus Bernardinus de Luca: huius ergo Cõfraternitatis consuetudo, seu institutum a sua prima fundatione est, recitare Officium immaculatæ Conceptionis, vt extat in eodem libro à fol. 43. vsque 134. Titulus libri Italicè talis est: *Officio della Congregatione del Santtiſsimo Nome di Dio è Mõte de poueri ſoto la protettione de Patri Prædicatori della Cheſa di S. Seuero maggiore di Neapoli, impreſſ. &c.* Compone ergo, ò Lector! hoc Officium cum Quodlibeto Gryſaldi? Paulus Bernardinus instituit illam Confraternitatem, in qua ex instituto recitatur Officium Conceptionis, cuius nullum simile exemplar extat in tota Religione Prædicatorũ, quomodo ergo Fundator scriberet esse contra fidẽ, & hæreticam piam opinionem? aut mutauit sententiam, aut Gryſaldus, sicut in omnibus aliis defecit à via veritatis, & hoc est magis probabile.

PAVLVS Burgensis, Episcopus, in Dialologo, quem appellauit, Scrutinium Scripturarum. *Bandellus capit. 21. Dezza folio 36. à tergo.*

VERI-

VERITAS 237.

AVCTOR, Et opus notissima sunt. Scrutinium fuit primo typis mandatum Maguntiæ anno 1478. in fol. & Parisiis, vbi dicitur, quod Burgensis illud scripsit anno 1434. cùm esset annorum 81. fuit etiam impressum Burgis anno 1591. ac nouissimè cum Glossa Ordinaria tom. 6. anno 1636. Quomodo autem, vel quibus verbis dixerit Burgensis, Virginem Mariam fuisse cõceptam in originali peccato, Aduersarii nõ exprimunt, quia hic est ex illis, quorum nullam adducũt auctoritatem, sed quam adducere poterant in tam clara, & aperta falsitate? Pro confirmatione ergo illius sæpè propositi afferti, quòd vbicumque Aduersarii adducto Auctore tacent auctoritatem, aliquod latet mẽdacium, adducam aliqua ex illis quæ Burgensis habet in suo Scrutinio, quæ hanc Conceptionis materiam concernunt, vel concernere possunt.

In 1. igitur parte Scrutinii agit latè de redẽptione, ac satisfactione Christi pro hominum peccatis, & dist. 6. cap. 2. sub hoc titulo: *In quo præsupponitur oppositum, scilicèt, quòd peccatum primi Parentis in posteros transiuerit, &c.* agit de peccato originali, & eius transfusione in filios Adami, ibique habet hæc verba loquendo cum Paulo: *Oportet, vt tibi vnum præsupponam, quod secũdùm veritatem fidei Catholicæ firmiter est tenendum, & etiam per sacras Scripturas, & Doctores tuos, esse verum approbatur; quod quidèm præsuppositum tale est: Quòd primum peccatum primi hominis, de quo habetur Geneſis 3. originaliter transijt in posteros, ex quo sequitur, quòd Abrahã, & Moyses, & alij quicumque Patriarchæ, seu Prophetæ, quantumcumque Sancti, non fuerunt immunes ab huiusmodi peccato, sed illud contraxerũt per originem, & ideo iustitia diuina in eis saluatur, &c.* Et infrà: *Similiter, & quod dictum est mulieri: In dolore paries filios tuos, &c. Omnia transierunt in posteros, vt habemus per rei euidẽtiam, & per consequens peccatum ipsius Adæ transiuit in posteritatem, quoad culpam, aliàs esset dare pœnam sine culpa, quod est inconueniens, &c.* Denique infrà: *Primum enim peccatum fuit peccatum Adæ, quod transiuit in posteros per originem, vt iam dixi.* Hæc sunt omnia verba illius 1. part. In 2. verò dist. 2. cap. 2. ad finem, loquens de B. Maria, sic inquit: *Et ideò in sacris Scripturis Noui Testamenti non leguntur commendationes S. Virginis, nisi tantùm supradictæ, quæ à nobis de necessitate credendæ sunt; humilitas eius etiam exprimitur, vt ex ea possimus sumere rationem, quare laudes eius in Scripturis sacris subticentur, vt dictum est, vndè Conceptio, vel Natiuitas, seu mors ipsius, in quibus magna miracula contigisse piè credi debet, non narrantur in canonicis Scripturis, neque ex tali narratione, ipsi Virgini gloriosæ, quæ tunc in humanis viuebat, & ea quæ in sacris eloquijs scribebantur, eam non latebant; fastidium, seu tædium generarent ratione prædicta, &c.* Signate ergo, o Patres mei, vbi dicit Burgensis, Virginem contraxisse originale peccatum? Imo potiùs est pro nostra sententia, tùm quia nihil dicit contra illam, tùm, quia vt vidimus in hac secunda auctoritate, eodem modo loquitur de Conceptione Virginis, atque de eius Natiuitate, ac de miraculis patratis in vtranque: si ergo vtrobique fuerint miracula patrata, quod miraculum potuit esse in Conceptione (signatè dico cum Burgensi in Conceptione, vt non recurrant ad Sanctificationem) si non fuit in ea à peccato originali præseruata? Sed quando Burgensis non sit pro nobis, quo fundamento Aduersarii ipsum adduxerunt pro se? Allegatus ergo fuit solùm ad multiplicandum numerum, & augendam paleam; quando dixerunt: *Idem tenet Magister Paulus, Episcopus Burgensis, in Dialogo suo, quem appellauit Scrutinium Scripturarum.*

PAVLVS De Perusio, Ordinis Carmelitarum, in 3. Sent. dist. 3. *Turrecrem. part. 6. cap. 34. fol. 124. Anonym. Auctore 142. Bandell. cap. 26. Deza fol. 50. Vincent. Gryſal, Castellan. & Barelet.*

VERITAS 238.

DE Hoc Auctore omnes Nomenclatores honorificam faciunt mentionem, Trithemius, Gesnerus, Possevinus, & alii, vixitque ad ann. 1344. Eius opus super Sententias ab omnibus laudatur, Romæ, & Perusiæ ipsum inuenire non potui, & sic in isto Auctore loquar ex verbis Aduersariorum. Turrecremata sic adducit illius auctoritatem: Idem tenet Magister Paulus de Perusio in 3. Sentent. dist. 3. sic dicens: *Firmiter tenendum est, Beatam Virginem fuisse in originali peccato conceptam, tùm, quia fuit concepta per concubitum viri, & mulieris, tùm quia solus Christus fuit conceptus sine peccato, vt Augustinus, & Hieronymus dicunt; tùm quia traxit meritum mortis, & habuit debitum moriendi, vt dicit Augustinus; tùm etiam, quia fuit redempta per mortem Christi, vt cæteri. Hæc ille.* Attende, o Lector! & nota, quomodo hanc eandem auctoritatem addat Bandellus, & Vincentia ex ipso. Idem tenet eiusdem Ordinis Carmelitarum clarissimus Doctor Magister Paulus de Perusio, in 3. Sent. dist. 3. sic dicens: *Beata Virgo fuit in originali peccato concepta. Tùm primo, quia fuit à peccato purgata, & mundata, vt dicit Magister Sententiarum. Secundò, quia fuit*

per

per coitum viri, & mulieris, ex concupiſcentia generata, ex qua proles de neceſsitate contraxit originale peccatum, vt dicit Auguſtinus in lib. de fide ad Petrum. Tertio, quia ſolus Chriſtus fuit in ſua Conceptione immunis ab originali peccato, vt dicit Bernardus, Auguſtinus, & Hieronymus. Quarto, quia Beata Virgo traxit ab Adam, pœnam, & meritum pœnæ, ſicut omnes aly, excepto Chriſto, vt dicit Auguſtinus ſuper Pſalmos, quia dicere, Beatam Virginem ſine peccato fuiſſe conceptam, eſt eius honori detrahere, vt dicit Bernardus. Sexto, quia ſi ante Chriſti Paſſionem mortua fuiſſet, non euolaſſet ad cœlum: ergo habebat reatum alicuius peccati, & per conſequens habuit aliquod peccatum. Septimo, quia mortua fuit, & habuit debitum, & neceſsitatem moriendi, quæ ſunt pœna peccati. Octauo, quia omnes homines, excepto Chriſto, peccauerunt, vel in ſe ipſis, vel in Adam, vt dicit Auguſtinus de Natura, & Gratia. Nono, quia dicit Auguſtinus in libro de Nuptijs, & Concupiſcent. & contra Iulianum, quod ſi Chriſtus ex concubitu Mariæ, & Ioſeph generatus fuiſſet, habuiſſet originale peccatum: ſed Beata Virgo fuit per concubitum concepta; igitur, &c. Decimo, quia Beata Virgo fuit redempta per Paſſionem Chriſti, talis autem redemptio præſupponit peccatum; igitur, &c. Vndecimo, quia Beata Virgo, quando Chriſtus venit in mundum, habuit reatum peccati, vt dicit Leo Papa; igitur, &c. Duodecimo, quia Beata Virgo in iniquitatibus concepta eſt, & in peccatis concepit eam mater eius, vt dicit Anſelmus. Conceptio tamen Virginis poteſt dupliciter conſiderari, vno modo in ordine ad contractionem originalis peccati, & ſic non eſt celebranda, & hoc modo intelligit Bernardus, & Gloſſa Decreti de Conſecr. diſt. 3. cap. 1. Alio modo poteſt conſiderari in ordine ad futuram Sanctificationem, & Chriſti Incarnationem, & ſic poteſt celebrari: Sicut medicina in quantum amara, eſt odibilis, & vituperabilis, ſed in quantum eſt inductiua ſanitatis, eſt diligibilis, & laudabilis. Et Eccleſia non vt lapidea, ſed vt conſecrata, & Deo dicata veneratur. Prælatus, vt peccator, eſt vituperandus, ſed vt habens iuriſdictionem, & ſuper cathedram Moyſi ſedens, eſt honorandus. Hæc ille. Hucuique Bandellus. Gryſaldus verò Perufinus ſic illam adducit: Paulus de Perufio 3. diſt. 3. *Solus Chriſtus fuit ab originali peccato immunis, vt dicit Bernardus, Auguſtinus, & Hieronymus, quia Beata Virgo traxit ab Adam.* Caſtellanus autem ſic: Magiſter Paulus de Perufio, Carmelita, in 3. Sent. diſt. 3. *Ideòque B. Virgo traxit meritum mortis, & habet debitum moriendi.* Et nihil ampliùs. Ecce, ò Lector! adducunt Aduerſarii pro vno Paulo de Perufio quatuor auctoritates inter ſe primò diuerſas, ex vno, eodemque libro, & loco; quomodo ergo hæc componenda ſunt? Vel cui ex his quatuor credendum eſt? Opera Pauli Perufini iam noncòparent in rerum natura, & ſi alicu bi extant, erunt manuſcripta (quia nũquam fuerunt typis mandata) in aliqua recondita Bibliotheca, nec ego hunc Auctorem inuenire potui, cùm eſſem in Ciuitate Perufina. Si auctoritas Turrecrematæ eſt vera, & legaliter tranſcripta, quomodo in illo antiquo Opuſculo à Caſtellano adducto, tacetur illa clauſula principalis: *Firmiter tenendum eſt, B. Virginem fuiſſe in originali peccato conceptam.* Sed gratis admiſſo, quòd illa Turrecrematæ eſſet vera, qua veritate, aut Dei timore potuit Bandellus fingere illas duodecim rationes? Quòd autem ſint falſæ, ac ſuppoſitæ à primo vſque ad vltimum verbum, patet euidenter, tùm ex auctoritate Turrecrematæ, & Caſtellani, tùm, quia verba, ſtyllus, & artificium totum eſt Bandelli, aliam enim ſimillimam auctoritatem finxit in Gregorio de Arimino, vt videre eſt num. 94. tùm denique, quia non ſolùm difficile, ſed impoſsibile eſſet, Paulum de Perufio ſcripſiſſe, vel ſaltẽ excogitaſſe tot, ac tanta mendacia, ſicut in prę allegatis verbis continentur: hoc enim ſolùm fuit reſeruatum vni Bandello, imò plus audeo dicere, quòd nec Bandellus vidit librum Sentẽtiarum Pauli de Perufio, ſed ſolùm ſumpta occaſione ex verbis adductis à Turrecremata abſq; vllo alio fundamẽto, fabricauit omnia ſuperiùs relata. Et hoc *firmiter tenendum eſt*, vt ipſe dicit de Paulo de Perufio, quouſque oſtendant auctoritatem allegatam, quod abſque dubio non facient per omnia ſæcula ſæculorum.

PETRVS De Bruco, vel de Bracho, ſeu de Prato, in ſuo Repertorio diffuſo, littera Conceptio. *Turrecrem. part. 6. cap. 26. fol. 126. Anonym. Auctore 190. Bandel. cap. 19. Dez 4 fol. 30. Vincent. Gryſald. Barelet.*

VERITAS. 239.

PRO Confirmatione illorum, quæ dicta ſunt numero antecedenti, notare debes, Lector, quod Petrus de Bracho, (non de Prato, vt malè Turrecremata, nec de Bruco, vt dicit Anonymus) Auctor inter Iuriſtas paruæ, vel nullius auctoritatis, edidit Repertorium, ſeu Indicem ad reperienda illa, quæ erant in Iure Canonico. Cùm enim illis primis temporibus eſſent Iura indigeſta, & abſque indicibus titulorum, & rerum, nimis laborabant ſtudioſi in inueniendis materiis; quare pro operis neceſsitate quàm plurimi antiqui elaborarunt Indices, ſeu Elenchos, quos ipſi Repertorios vocabant; quia erant ad reperiendum faciliùs, ſecundùm Alphabeti ordinem notabilia contenta in Iure; inter hos vnus fuit iſte Petrus de Brucho, cuius opus manuſcriptũ extat in

Bibliotheca S. Ecclesiæ Toletanæ, nunquam enim, quod sciam, fuit typis mandatum: nam Repertorium, seu Index, qui nunc extat in Iure Canonico, non est illius Petri de Bruco, sed alterius. Hoc dixerim, Lector, vt non existimes audiens illud: *In suo Repertorio diffuso littera Conceptio*, esse aliquod eximium opus, quia solùm est, vt dixi, quidam index, & non diffusus, vt infrà ex ipsius verbis constabit.

Auctoritatem huius sic adducit Turrecremata: Item ad idem est Dominus Petrus de Prato, Doctor solemnissimus Decretorum, qui in Repertorio suo diffuso in littera Conceptione, dicit sic: *Quòd festum Conceptionis B. Mariæ non debet celebrari, eo quòd concepta fuerit in originali peccato, quod notat & Dominus Guido de Consecratione, dist. 4. Firmissimè. Hæc ille.* Bandellus verò, & alii sic adducunt hanc eandem auctoritatem: Idem tenet Dominus Petrus de Braco, Doctor solemnissimus, in Repertorio suo Conceptio: *Festum*, inquit, *Conceptionis B. Mariæ non debet celebrari, vt notatur de Consecratione, dist. 3. cap. 1. & dist. 4. cap. Per Baptismum; & ratio est: quia ipsa fuit concepta in peccato originali, vt notat Guido dist. 4. capit. Firmissimè. Hæc ille.* Verba autem quæ extant in Repertorio Petri de Bracho, incipiente: *Quoniam inter cætera*, fol. 1022. verbo, Conceptio, nulla mutata syllaba, aut alterata littera, hic se habent: *Quòd festum Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis non debet celebrari, notatur de C. dist. 1. cap. 1. dist. 4. Per Baptismum. Quòd concepta fuerit in peccato originali, notatur gni. de Consecratione. dist. 4. Firmissimè. Quòd sanctificata fuerit in vtero, in verbo, Sanctificare. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea, de Pœnitent. dist. 2. Sr. enim in quod Conceptionem quinque impediunt, &c.* Ita sunt verba, vel, vt melius dicam, litteræ, quæ extant in illo Repertorio: ex his clarissimè deprehendemus omnia mẽdacia in hac breui auctoritate commissa. Nam primò Turrecremata benè transcripsit illud: *Quòd festum B. Mariæ non debet celebrari*, sed male Bandellus, quia abstulit illud relatiuum, *quod*, vt sic demonstraret, verba illa non esse indicatiua, sed absoluta, & assertiua. Secundò, malè Turrecremata addidit ex proprio cerebro illam causalẽ, *eo quod* concepta fuerit in originali peccato. Tertiò, eadem intentione abstulit remissionem illam, *Notatur de C. dist. 1. cap. 1. dist. 4. Per Baptismum*, adscribens illam Guidoni; nisi forte illud, *gni*, sit *Guid.* nam ex originali manuscripto non clarè constat. Quartò, etiam cauilosè addidit Bandellus illud, *Et ratio est, quia ipsa* fuit cõcepta in peccato originali. Quintò, addiderunt totam illam clausulam, *Quod notat & D. Guido, dist. 4. Firmissimè.* Sextò, abstulerunt ordinẽ, & dispositionem Indicis expressam in ipso Repertorio, per vocem illam, *quod*, & citationibus immediatè positis post quamlibet clausulã: disponentes verba, ac si esset quædam sententia, & cõclusio Petri de Bracho, quando ipse solum refert illa, quæ sunt, & dicuntur in Iure Canonico. Illæ sunt sex adulterationes capitales quoad litteram; quoad sensum verò solùm est vna, scilicèt, adducere hunc Auctorem pro sua sententia, nam neque fuit Auctor, nec aliquid dicit ex se, vt ex ipsius verbis constat, vndè verè, & realiter hic est multiplicatus cum Ioanne Theutonico, vel Ioãne Gallico, cuius sunt verba, & Glossæ illæ Decreti a Petro Bracho hic relatæ, vide quæ diximus suprà num. 173. & 192. & alibi sæpè.

PETRVS Calo Clugiensis, Ordinis Prædic. in suo Legendario, cap. de Sanctificatione, & Conceptione B. Virginis. *Bandel. cap. 23. Deza fol. 42. Petr. de Vinc. & Gryfald.*

VERITAS 240.

QVOD Millies in hoc opere notauimus, scilicèt, quod vbicumque Aduersarii non adducunt auctoritatem, aliquod latet maleficium, & in hoc suo Auctore tantùm dicant: *Idem tenet Magister Petrus Calo Clugiensis, in suo Legendario, capitulo de Sanctificatione, & Conceptione B. Virginis.* Et nihil amplius; sequitur, quòd aliquod etiam lateat in hoc Auctore mendaciũ, nisi fortè sint mendacia, pro quibus detegendis dicam secundùm veritatem huius Auctoris integram historiam. Et in primis Anton. Senensis, fol. 199. mentionem facit de quodam Petro Schalo de Clausia, qui scripsit Legendas Sanctorum plurium, quas diffusè compilauit, addens aliquas, quas Iacobus de Voragine prætermiserat. Idem ad litteram dicit S. Antoninus 3. part. Histor. titul. 23. cap. 11. §. 2. fol. 681. Ioann. Mich. Pius, part. 2. lib. 1. col. 139. vocat istum Petrum Calo de Chiozza. Vixit autem hic Petrus Calo, seu Kalo, Kado, seu Scalo, quẽ Gryfaldus, vt semper errans, vocat Clauum, ad annum 1310. & 1316. At in hac parte non est audiendus Antonius Posseuinus, qui fol. 244. hunc facit ex Ordine Minorum, licèt citet pro sua sententia Georgium Vvicelium, deceptus ex eo quòd Gesnerus fol. 608. vocat eum ex Ordine Fratrum Mendicantium: sumpsit enim Posseuinus Mendicantes per antonomasiam. Fuit ergo ex Ordine Sancti Patris nostri Dominici, vt dicitur in opere ipsius manuscripto existente in Bibliotheca Eminentissimi Dom. Dom. Francisci Barberini, in carta pellicea, numero 928. & 929. inter libros Matthæi Cardinalis de Vrsinis de Monte Iordano, qui obiit anno

1345.

1345 Et hæc de Auctore, & opere.

In illo ergo Legendario capite de Conceptione, & Sanctificatione, inquit Petrus Calo: *Conceptionis Sanctæ Mariæ Dei Genitris festum Ecclesia Romana non celebrat, tolerat tamen consuetudinem, quia alicubi in Ecclesijs fit festum, quod secundùm quosdam ideò fit, quia, vt dicunt quidam, hoc non fit propter Conceptionem, sed magis ad gratiarum actionem, sicut in veteri lege erant quasi omnia festa, vt Paschæ, Penthecosten, &c. Et in nouo sunt aliqua talia, vt Epiphania, quia nulla fuit sanctitas collata alicui, sed Ecclesia solemnizat pro beneficijs, quibus fuit & gentibus reuelatus, & baptizatus, & propter miracula Discipulis manifestatus sic quia maximum beneficium fuit collatum in Conceptione Virginis, Matris Redemptoris humanigeneris, & sic intelligunt isti verbum Anselmi infrà positum, ad Episcopos Angliæ, &c.* Deindè adducit aliqua contra illud de macula Sancti Bernardi, & prosequitur sic: *Alijs videtur, quod fiat festum, quia, vt dicunt, Beata Virgo non fuit concepta in originali, sed simul quidem tempore animata, & gratia ei data, quod ostenditur primò fuisse possibile sic. Quamvis peccatum originale, &c.* Et adducit rationes, & argumenta ad probandam possibilitatem præseruationis: Deindè prosequitur: *Tertio, ostenditur, quòd ita in re factum fuerit. Primò, per Augustinum lib. de Natura, & Gratia, qui dicit: Cum de peccatis agitur, nullam volo de Beata Virgine fieri quæstionem. Secundo, per Anselmum, qui de hoc fecit librum specialem. Tertio, per Richardum de Sancto Victore, in quodam Sermone: ideò dicunt, quòd festum Conceptionis potest celebrari: vndè Anselmus in quadam Epistola ad Episcopos Angliæ, dicit: non credo amatorem, qui respuit celebrare festum Conceptionis. Sed Sancto Thomæ de Aquino videtur, quòd hæc opinio derogat dignitati Christi: Si enim ponatur non concepta in originali, vel sanctificata antè animationem eius, quia tunc nunquam incurrisset maculam culpæ, &c.* Et postquam adduxerat aliquas auctoritates Sanctorum pro hac affirmatiua opinione, concludit sic: *Quia Beata Virgo non fuit sanctificata, nisi postquam omnia membra eius perfecta fuerunt, scilicet corpus, & anima. Et ideò celebrationem Conceptionis eius diuersa consuetudo Ecclesiarum inoluit: nam Romana Ecclesia, & plurimæ aliæ considerantes.* (Nota, Lector, quia quæ sequuntur in originali, sunt ex alio charactere: fuerunt enim in illa parte pergameni aliqua priùs scripta, deindè abrasa, & iterum superscripta sequentia verba.) *Conceptionem eius in originali fuisse, festum Conceptionis eius in originali non celebrant. Aliquæ verò considerantes Sanctificationem eius in vtero, cuius tempus ignoratur, celebrant Conceptionem eius. Creditur enim, quòd citò Conceptionem, & animæ infusionem fuerit sanctificata, & ideò celebratur festum Sanctificationis eius in die Conceptionis, & celebratio illa referenda est non ad Conceptionem ratione Conceptionis, sed potiùs ratione Sanctificationis, vt dicit Thomas.* Omnia verba hæc fuerunt in illo originali superscripta: & posita hac controuersia, seu quæstione prosequitur Calo sic, in Legendæ modum: *Conceptionis Virginis festum ita legitur reuelatum. Tempore quo diuinæ placuit pietati Anglorum gentem, &c.* Et adducit omne in Historiam de Elino, vel Eluno, prout extat in epistola Sancti Anselmi, vt communiter refertur, & adduximus in nostro Armamentario, column. 1. Regesti. Deindè adducit Historiam de Conceptione Virginis extractam à Lectionario, seu a Sancto Hieronymo, quæ incipit: *Beata igitur Maria ex Regia stirpe, &c.* Tandem refert aliqua miracula Beatæ Virginis Mariæ, quæ omnia extant in præallegato manuscripto à folio 31. vsque 40. Hucusque veritas pura, & sincera.

Ex qua colligere possumus, opus hoc Petri de Calo fuisse viciatum, ita vt superaddita fuerint omnia illa, quæ agunt de controuersia vsque ad illud, *vt dicit Thomas.* Primò, quia quo fundamento adducenda erat tota illa controuersia in Legendario; nam Legenda non est quæstio: cùm ergo hoc ipsum fecerit Albertus Castellanus, Ordinis Prædicatorum, in Legendario Petri de Natalibus, introducens eandem controuersiam, & quæstionem, vt vidimus in Ventilabro. Hoc ipsum fecit alter Pater Dominicanus cum Legendario Petri Calo. Secundò, quia omnia illa videntur scripta ad æmulationem illius partis, à qua secundùm rei veritatem incipiebat Legẽda, & in qua incipit Calo: *Conceptionis Virginis festum ità legitur reuelatum*; alius autem addidit illud positum §. antecedenti, quod sic incepit: *Conceptionis Sanctæ Mariæ Dei Genitricis festum Ecclesia Romana non celebrat.* Tertio, quia iam quoad partem inuenimus euidenter vitiatam illam Legendam ab illa clausula, *Conceptionis eius* vsque ad illud, *vt dicit Thomas*, de quo testem feci D. Carolum Moronem, Canonicum Sancti Laurentij in Damaso, Bibliothecarium D. D. Cardinalis Barberini, & alios in ipsa Bibliotheca existentes: ergo saltem propria, & vera resolutio Auctoris fuit abrasa, & alia superscripta. Quarto, quia si verba antecedentia essent Petri Cali, quomodo poneret infrà Reuelationẽ festi Cõceptionis ex S. Anselmo, quã omnes sectatores opinionis contrariæ pro viribus contradicunt, non quomodocumque, sed semper, & vbique vt falsam, suppositam, & à nobis fictã reiiciẽdo? Et etiam quo fine superadderet Calus miracula Conceptionis, seu pro illa fectiuitate?

Quinto, quia hic Petrus Calo vixit, & scripsit suam Legendam ad annum 1310. & in illa prima parte, seu controuersia suæ Legendæ vocat Diuum Thomam de Aquino Sanctum, dicens: *Sed Sancto Thomæ de Aquino videtur, &c.* Angelicus autem Doctor fuit in Sanctorum numerum relatus à Ioanne XXII. anno Christi 1323. Pontificatus sui anno VII. die 15. Kalend. Augusti, vt constat ex eius Canonizationis Bulla, quæ incipit: *Redemptionem*: ergo illa scripta fuerunt ab alio posteriori Petro Calo, quia, vt dixi, scribebat ad annũ 1310. id est, ante duodecim annos canonizationis S. Thomæ. Sexto, quia hoc Legendarium Petri Cali erat communissimum, & sic vt de communi Scriptore mentionem facit de illo S. Antoninus loco suprà citato; si ergo Petrus Calo haberet in sua legenda verba supraposita §. antecedenti, S. Antoninus in suo Cathalogo, quando refert Auctores pro sua opinione de maculata conceptione, inter alios minoris momenti hunc classicum Scriptorem non prætermitteret. Idem dico de Turrecremata, & idem de Anonymo, & idem de Barelete, qui omnes absolutè prætermittunt hunc Auctorem: ergo suo tempore non extabant illa verba in Petro Calo, sed postea fuerunt addita ab aliquo Patre Dominicano, & fortè hic fuit Vincentius Bandellus. Quod confirmo ex ipsomet manuscripto: nam in primo folio habet hanc notulam: *Floruit Calo ad annum 1310. & censetur alius à Petro Schalo, seu Kalo de Cleucia, qui vixit ad annum 1480.* cùm ergo nullus fuerit talis Petrus Schalo, seu Kalo de Cleucia, ad annum 1480. qui scripserit vitas Sanctorum, seu Legendarium, nisi præsens Petrus Calo, qui vixit ad annum 1310. existimandum, & credendum est, quod Auctor huius notulæ vidit duo Legendaria sub nomine Petri Calo, vel Kalo, vel Schalo, aliud sine illa controuersia de Conceptione Virginis, & existimauit fuisse duos Petros Calos Scriptores Legendarum, quorum vnus scripsit Legendam sine illa controuersia, & illum vixisse ad annum 1310. alium vero fuisse Calum, qui scripsit eandem Legendam cum illa controuersia, & opinione de maculata Conceptione, & vixit ad annum 1480. quod est ipsummet tempus, imò & annus, quo Bandellus feruens spiritu contradictionis scribebat contra immaculatam Virginis Conceptionem, & vitiauit pro ipsius confirmatione omnes Auctores in hoc Ventilabro relatos: ergo idem possumus intelligere de Petro Calo. Et ideò cauillosè nullam adduxit auctoritatem, quia cùm essent aliqua originalia, quæ non habebant illam controuersiam, timuit auctoritatem, & illam tacuit. Deindè Paulus Gryfaldus hunc adducit sic: *Petrus de Clauo in Legendario, capit. de Sanctificatione Beatæ Virginis, & probat sic esse de fide.* Hoc autem falsum est, quia Petrus Calo, vel de Clauo, vt malè Gryfaldus, in illo suo Legendario, nec probat esse de fide, nec de hoc habet, vel saltem minimum verbum, imò æqualiter loquitur de vtraque opinione.

Sed pro maiori horum comprobatione examinemus verba Sancti Antonini, quæ sic se habent: *Frater Petrus de Clausia, qui dicitur Schalo, & ipse compilauit Legendas Sanctorum multorum diffusè de multis Sanctis referens, de quibus Iacobus non fecit mentionem.* Vt hoc intelligas, Lector, res ita se habuit (licèt referam quæ dixi suprà in Ventilabro §. 2.) Iacobus Ianuensis, Ordinis Prædicatorum, dictus communiter de Voragine, qui obiit anno 1298. scripsit quasdam Legendas Sanctorum, sub titulo: Historia Lombardica, siuè Aurea Legenda Sanctorum. Prima huius operis impressio prodiit Basileæ per Nicolaum Kesser anno 1486. in folio, in qua sunt primo illæ Legendæ compilatæ à Iacobo Ianuensi, quæ sunt numero 177. à numero 178. incipiunt Legendæ additæ (siuè à Petro Calo, siuè ab alio, de quo non curo pro nunc) vsque ad numerum 215. In his ergo 38. Legendis additis, Legenda 188. est de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis, quæ incipit: *Anselmus Cantuarienſis.* Deindè adducit Sermonem Sancti Anselmi, incipientem: *Principium, quo salus mundi.* Deindè Decretum Concilii Basilienſis incipiens: *Sacrosancta Generalis Synodus.* Denique adducit miracula de Conceptione Virginis, quæ incipiunt: *Ad informationem denique huius veritatis de Conceptione, &c.* Hoc Legendarium, vt dixi, impressum Basileæ, iterum fuit typis mandatum Lugduni anno 1512. per Iacobum Saccon, & ibidem apud Iacobum Crozet 1554. recognitum per Reuerendum Patrem Fratrem Claudium de Rota, Ordinis Prædicatorum, & semper in 4. in quibus non solùm est variata Legenda Conceptionis quantum ad numerum, quia quæ in prima Basilienſi erat 188. in his posita est numer. 185. sed etiam omnia suprà relata quæ erant in prima impressione, absolutè, & radicitùs abstulerunt, quia cedebant in laudem immaculatæ Conceptionis, & loco illorum apposuerunt aliam Legendam, incipientem: *Tempore illo quo Diuinæ placuit, &c.* Videant ergo ipsi, quis vitiauit hanc Legendam iam typis mandatam? Quia fortè ipsimet vitiarunt illam manuscriptam sui Petri Calo: recurre ad Ventilabrum, quia circa hoc ibi mirabilia narrantur.

(.¶.)

PE-

PETRVS Capuanus, vel Capnanus, in Summa de Trinitate, capit. de Incarnatione Verbi. *Anonym. Auctore* 195. *Bandel. capit.* 21. *Deza fol.* 36. *Gryſal.*

VERITAS. 241.

DE Hoc Auctore nullum parvum, vel magnum reperitur veſtigium in Nomenclatoribus Eccleſiaſticis, nec de ipſo adducunt auctoritatem: ſolùm enim dicunt: *Idem Magiſter Petrus Capuanus in Summa ſua de Trinitate, in materia de Incarnatione Verbi*, & ſic exiſtimo eſſe fictum, & comprobatur, quia Anonymus iſtum appellat Capnanum, & illum adducit inter Canoniſtas; Bandellus verò vocat Capuanum, & ipſum enumerat inter Doctores clariſsimos, ac antiquos Theologos, ſed Capuanus, vel Capnanus Theologus, vel Iuriſta, nullus fuit in rerum natura, & ſic ex hac parte credo, & iterum affirmo, eſſe quoad nomen fictum, & ſuppoſitum, quoad rem verò exiſtimo eſſe multiplicatum, quia hic fortè fuit Raynerus de Piſis, ex Ordine Prædicatorum, qui fuit Theologus, & Canoniſta, & compoſuit Summam, & capite de Incarnatione Verbi agit de Sanctificatione Virginis Mariæ in vtero materno, & ſic ex omnibus ſignis videtur fuiſſe Raynerum, de quo nos infrà numero 263. Hoc ſuppoſito, dicam quidquid in hac materia reperio.

Raynerus de Piſis, Ordinis Prædicatorum, Theologus, & Canoniſta, compoſuit Summam celebrem, quæ manuſcripta in multis aſſeruatur Bibliothecis, & in aliquibus extat ſubſcripta proprio nomine Auctoris, in aliis verò extat Anonyma, id eſt, ſine Auctoris nomine, vt videre eſt in Bibliotheca Sancti Ioannis Regum, littera X. numer. 85. & ſolùm habet hanc inſcriptionem: *Summa Theologiæ*, & in capite de Incarnatione, folio LXXXIX. extant hæc verba: *Secundo principaliter circa Incarnationis Myſterium conſideranda eſt ſanctificatio virginea: nam Beata Virgo præ alijs tres excellentias habuit, ſanctitatis, ſcilicèt, virginitatis, & maternitatis. Primò enim fuit Beata Virgo ſanctificata, hoc eſt, Beata Virgo non fuit ſanctificata, antequam eius caro in vtero matris ſuæ conciperetur, quod probo duplici ratione. Prima eſt talis, quòd non eſt, non poteſt ſanctificari: Sed Beata Virgo antequam ex vtero matris ſuæ conciperetur, non fuit: ergo ſanctificari non potuit. Secunda ratio eſt talis: Sanctificatio fit per gratiam: ergo quod non eſt gratiæ ſuſceptivum, ſanctificari non potuit; ſed antequam caro conciperetur, non eſt ſuſceptiua gratiæ: ergo nec Sanctificationis. Similiter caro ante infuſionem gratiæ ſanctificata non fuit. Quod probatur; primo ratione originis ſic: in partibus hominis eſt talis ordo, quòd anima eſt Deo propinquior, quàm corpus; cùm ergo virtus agentis perueniat primò ad id quod eſt propinquius, quàm ad id quod eſt remotius, ſed cùm gratia ſanctificationis prius veniat ad animam, quàm ad corpus, & non è contra: ergo antequam caro Virginis animaretur, ſanctificari non potuit. Secundò probatur ratione contrarietatis ſic: Contraria habent fieri circa idem, ſed gratia ſanctificationis præcipue opponitur peccato originali: cum ergo in carne antè infuſionem animæ peccatum originale eſſe non potuit, quia eſt proprium animæ rationalis, vt ſit ſubiectum culpæ: ergo ante animæ infuſionem caro Beatæ Virginis ſanctificata non fuit, vt ſcilicèt per gratiam infuſam tunc conſeruaretur. Similiter Beata Virgo tunc ſanctificata non fuit, quia nondum gratiæ capax erat, nec culpam originalem incurrerat. Ratio autem quare tunc ſanctificari non debuit, ſcilicèt, antè animæ infuſionem, eſt, quia tunc redemptione non eguiſſet, ſed hoc ſingulariter, ſcilicèt redemptione non indigere, in toto humano genere conuenit ſoli Chriſto, quia ipſe eſt caput noſtrum: ergo nec Beatæ Virgini, neque alicui præter Chriſtum, conceſſum eſt, non eſſe infectum originali macula, & per conſequens non indigere redemptione. Et hinc Beata Virgo fuit ſanctificata ante natiuitatem ſuam ex vtero matris eius; quod tripliciter probo, &c.* Hæc ſunt verba illius Doctoris Theologi, & Canoniſtæ in Summa ſua, & capite de Verbi Incarnatione; ſi ergo iſte eſt veſter Petrus Capuanus, eſt multiplicatus, quia hæc ſunt ad litteram verba Rayneri de Piſis vt ſuo loco videbimus infra num. 265. Sed inſuper nota, Lector, quòd hæc Summa manuſcripta diuiſa eſt in duas partes, ſeu habet duos Tomos diſtinctos, ſicut etiam eſt diuiſa in impreſsis. Sed in Bibliotheca prædicta Sancti Ioannis Regum ſolùm extat prima pars, ſeu primus Tomus, & in principio huius primæ partis adducit Indicem, ſeu Elenchum rerum pro vtraque parte, & littera M. habet hæc verba: *Mariæ Conceptio præſeruata, parte* 2. *fol.* 192. Ex quibus verbis videtur, quòd in 2. parte aliquid dicebat Raynerus circa præſeruationem Virginis à peccato originali, ſed quidquid illud fuerit, deeſt in omnibus impreſsionibus Rayneri; vndè poſſumus exiſtimare, etiam Auctorem iſtum fuiſſe vitiarum ab Aduerſariis: & confirmatur, quia in impreſsione vltima Lugdunenſi anni 1655. facta per Reuerendum Patrem Ioannem Nicolaum, eſt inſertum in prædicta Summa Rayneri, totum caput 8. vbi latiſsimè agitur de hac Conceptionis controuerſia. Vide infrà prælegatum num. 265.

Nisi fortè hic fuerit Richardus de S. Victore, qui edidit Tractatum, seu Summam de Trinitate in sex libros distinctam, & incipit: *Iustus meus ex fide viuit.* Et immediatè post habet alium librum, seu Tractatum de Incarnatione Verbi, qui incipit: *Ad me clamat ex Seir, &c.* & habet cap. 17. vbi agit latissimè de lapsu primi hominis, & reparatione generis humani: sed in hoc libro pertinentia ad hanc materiam solùm inuenio verba sequentia, scilicèt cap. 8. hæc: *Item homo per inobedientiam debitum mortis incurrit, & ad eiusdem debiti expiationem, obediendo indebitam mortem pro debita soluere opportuit. Sed hoc omninò non potuit, nisi homo mortalis, & iustus, & qui mortis sententiæ in nullo esset obnoxius, &c.* Et capit. 13. *Ab ipsa primæ prævaricationis horâ vsque ad Christum, omnes sub nocte erant, & viam reuertendi ad patriam, portam intrandi ad vitam inuenire non poterant, &c.* Si hic ergo Richardus fuit Petrus Capuanus, vt indicant tractatus de Trinitate, & Incarnatione adducti ab Aduersariis, nomen fuit fictum, & auctoritas, seu cita mendaciter adducta, quia nisi præallegata verba, alia non extant, quantum verò hæc distent à proposito, iam vides.

Vel fortè hæc Capuani, vel Capnani Summa est quædam antiqua, cuius transumptum extat in Bibliotheca Regia Scorialis manuscr. V.K.16. Anonyma cum hoc solo titulo: *Compendium Theologiæ*, & incipit sic: *Circa res diuinas, &c.* agitque de Trinitate, & Incarnatione, & in 3. distinct. 3. sic inquit: *Christi autem carō non peccatrix in Christo, id est, aliquo peccato obligata, quia ex carnis delectatione nata non est, nec postea peccauit: fuit verò peccatrix in matre, sed superueniente Spiritu Sancto tota mundata: quinimò, vt Augustinus ait, ipsi matri ex tunc collatum est ex omni parte vincere peccatum, vt illi soli inter omnes Sanctos non conueniat illud: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, &c.* Si ex hoc vero, compendio condiderunt suum Capnanum, ipsi videant: nam quod ego video, est, auctoritatem nihil habere contra nos. De illo autem, *fuit verò peccatrix in matre*, lege infrà num. 246. & alibi sæpè.

Tandem nota, quòd fuit quidam Doctor antiquus, vocatus Vvernerus, Abbas Monasterien sis B. Basilii, Ordinis S. Benedicti in nigra Silua Constantien. Diœcesi, qui scripsit librum Defloration um, siuè Excerptionum ex melliflua Diuinorum Patrum doctrina, &c. impress. Basileæ anno 1494. in fol. cuius principium est: *Confessio Fidei Catholicæ D. Vvernerī Abbatis, sumpta ex tertio libro Ambrosij de Trinitate.* Et in titulo libri est magnis characteribus: DE TRINITATE, & in hoc libro titulo de assumpta carne in Christum, inquit: *Quæritur, quomodo homo personaliter vnitus Verbo, sine peccato potuit assumi de massa humani generis, quod totum corruptum, & quasi fermentatum est peccato in Adam? Ad quod respondetur, quod Virgo Maria per fidem mortis futuræ Christi ante Conceptionem mundata fuerit, &c.* Hic inuenio librum quasi Summam Sanctorum Patrum, & titulum de Trinitate, & materiam de Incarnatione, atque aliqua verba, quæ ad hanc materiā pertinere videtur. Si est iste suus Petrus Capnanus, vel Capuanus, non erit multiplicatus, sed ostendant, quo fundamento Vvernerum Monasterien sem fecerunt, vel baptizarunt sub nomine Petri Capuani, vel Capnani, & vnus constituit illum inter Theologos, & alter inter Canonistas? Quæ omnia arguunt nō solū fec ūdas, sed ternas intentiones. Verba autem Vvernerī nihil probant contra immaculatam Virginis Conceptionem; nam illud quod dicit: *Quòd Virgo Maria per fidem futuræ mortis Christi antè Conceptionem mundata fuerit à peccato*, intelligendum est de illo tempore ante immediatam Conceptionem Verbi; tunc enim quia illa massa naturæ humanæ tota erat corrupta, & fermentata Adami peccato, superueniens Spiritus Sanctus in eam fuit mundata ab illo peccato, id est, non permisit Deus, quòd caro illa haberet aliquam immundam concupiscentiam, vel car is delectationem: vndè mundare sumit pro præseruare, & peccatum pro delectatione, & sensualitate. Qui loquendi modus licèt crassus, & rudis, fuit frequentissimus apud antiquos: aliter enim hæc verba nec sanum in fide, neque Catholicum sensum habere possunt. Et ideò Aduersarii noluerunt adducere auctoritatem, nec huius Auctoris verba, quia adhuc sumpta cum toto rigore grammaticali, & vt sonant in se, nihil probabant pro sua conclusione, sed aliam propositionem erroneam, & blasphemam, scilicèt, Sacratissimam Virginem Mariam antè Conceptionom Verbi fuisse mundatam ab aliquo peccato. Resoluendo ergo omnia dicta in hoc numero, affirmo, Petrum Capnanum, vel Capuanum non fuisse in rerum natura, Summam illam de Trinitate nunquam fuisse typis mandatam, si verò hæc dixerunt propter Reynerum de Pisis, esse multiplicatū, si autē propter Vvernerum Monasterien sem, vel Richardum, fuisse sine vllo fundamento adductos, si autem propter alium, ipsum ostendant; quia ego nec minimam talis Auctoris inuenire potui notitiam, vel vestigium in tota litteratura Ecclesiastica.

(***)

PE-

PETRVS Comestor, Magister Historiarum, in sermon. Natiuitat. Beatæ Virginis. *Turrecrem. part. 6. cap. 26. fol. 117. Anonym. Auctore 154. Bandel. cap. 20. Deza fol. 34. Vincent. Castellan.*

VERITAS 242.

HVIVS Petri Comestoris, vel Manducatoris, Presbyteri Trecensis, qui claruit ad annum 1160. notissimi, atque celeberrimi Doctoris auctoritatem sic adducit Turrecremata: Item sexto ad idem est Venerabilis Pater, Magister Historiarum Petrus Comestor dictus, qui in Sermone quodã de Natiuitate Beatæ Virginis, qui incipit: Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephtalim, dicit sic: *Vide quam potenter terra Zabulon est appellata; sed quomodo alleuiata? Ecce, omnis càro humana secum traxit in Conceptione duo pondera, culpam, & pœnam. Fuit ergo hæc Virgo cum culpa, & pœna concepta, & ideò eius Conceptio non est celebranda; sed tamen fuit in vtero sanctificata, & ab originali culpa mundata. Vnde & eius Natiuitas hodiè à sancta Ecclesia est celebrata. Et ideò dicimus, quòd superueniente gratia Spiritus Sancti, sic ab omni peccato fuit mundata, quod creditur fomes originalis peccati in illa omninò esse extinctus; sed non est remota culpæ pœna. Benè ergo dictum est: alleuiata, non exonerata. Tunc verò exoneratur, cùm ex toto põdus subtrahitur, sed alleuiatur, cum vna pars subtrahitur, & altera relinquitur. Hæc ille.* Et addit ex se Turrecremata: *Vbi apertè habetur propositum.* Bandellus verò, & Petrus de Vincẽtia sic adducunt eandem auctoritatem: Idem tenet Dominus Petrus Comestor, Doctor clarissimus, & Magister Historiarum, qui floruit anno Domini 1145. in quodam sermone Beatæ Virginis, qui incipit: *Primo tempore alleuiata fuit terra Zabulõ*; in quo sic dicit: *Fuit enim Beata Virgo cum culpa, & pœna concepta, & ideò eius Conceptio non est celebranda, sed quia fuit in vtero sanctificata, & ab originali peccato mundata, ideò eius Natiuitas est celebranda. Superueniente autem in ea gratia Spiritus Sancti, sic ab omni peccato fuit mũdata, vt credamus, fomitẽ peccati fuisse in illa penitus extinctũ. Quia tamen in ea remãsit pœna culpæ propter hoc dicitur alleuiata, & non exonerata: tunc enim aliquid exoneratur, cùm ex toto pondus subtrahitur, sed alleuiatur, cùm vna pars subtrahitur, & altera relinquitur. Hæc ille.* Licèt auctoritas adducta à Turrecremata sit clara, & expressa pro Aduersariis, adhuc Bandellus vitiauit, iuxta consuetudinem suam.

Propono certa, & indubitata, vt indè ad dubia, & incerta procedamus, certissimum ergo est. Primo, quod sermo iste de Natiuitate Virginis incipiens, vt dicunt Aduersarii: *Primo tẽpore alleuiata est terra Zabulon, &c.* non extat in operibus Petri Comestoris, cuius originalia manuscripta vidi duodecim, & impressa non pauca, & talis Sermo nullibi fuit typis mandatus sub nomine Petri Comestoris, nec sub nomine alicuius alterius Auctoris antiqui. Secundò dico, quod nullus Nomenclator, nec Ecclesiasticus Scriptor dicit, se vidisse, vel legisse talẽ Sermonem, nisi solus Turrecremata; à quo propositam auctoritatem transcripserunt Bandellus, & Vincentia. Tertio dico, quod nec Turrecremata vidit talem Sermonem Petri Comestoris, sed auctoritatem suam extraxit ab illo antiquo Opusculo confecto ex auctoritatibus Sanctorum, & recognito per Fr. Albertum Castellanum, Ordinis Prædicatorum, vt videre est in nostra Biblioth. Virginali tomo 1. fol. 758. colum. 1. littera D. & patet, quia Turrecremata incipit, ac definit auctoritatem, sicut extat in illo Opusculo, incipit enim in illo: *Vide*, & concludit in illo: *relinquitur*: ergo Turrecremata etiam transcripsit suam auctoritatem ab illo Codice Dominicano, & non à Petro Comestore. Cùm ergo in prædicto Opusculo sanctificationis confecto ex dictis Sanctorum sint innumerabilia mendacia, & fictiones, videtur, quod Sermo iste Petri Comestoris etiam sit fictus, & suppositus. Quarto dico, quòd stylus, & verba non videntur Doctoris antiqui, seu Scriptoris scribentis ante exortam controuersiam de Conceptione inter Thomistas, & Scotistas, quia nullus reperitur Scriptor ante annum 1200. qui similibus vtatur terminis, nec ipsemet Sanctus Bernardus in Epistola ad Canonicos Lugdunenses, cùm esset Epistola, & non Sermo, sed alicuius modernioris, & Ordinis Prædicatorum: adducit enim Sermo ille sanctificationis Paulum de Perusio, qui scripsit ad annum 1344. Quinto dico, quod hæc verba addicta à Bandello, sunt contra textum Scripturæ, & auctoritatem, vt adducitur à Turrecremata, nam non dicit, *Alleuiata fuit*, sed, *est*, & hoc cauillosè adulterauit, vt cum tẽpore præterito includeret Mariæ Conceptionem. Sexto, verba hæc Aduersariorum adducta sub nomine Petri Comestoris non compatiuntur cum verbis adductis ab Antonio Chucaro, Episcopo Azernensi, etiam Doctore antiquo, qui vixit parum post Turrecrematam, nam prædictus Episcopus Azernensis in illo suo celebri Elucidario pro Virginis Conceptione part. 2. folio 64. colum. 1. refert hæc verba ex Petro Comestore in lib. de Laudibus Virginis: *Candens sine peccati fœtore lilium, Speculum decorum sine originali macula: Nardus nitens*

tens

tens puritate adorifera, radix innocentiæ. Rubus visionis Mosaicæ ardens, & incombusta Platanus. Qui dixit hæc verba pro immaculata Virginis Conceptione: *Sine originali macula, &c.* Quomodo, aut qualiter scriberet illa adducta à Turrecremata? Vel vice versa cum illis quomodo compatiuntur ista? Sed ex his transeamus ad alia, in quibus nulla potest esse controuersia.

Anno Domini 1533. Antuerpiæ apud Guillielmum Vorstermanum prodiit in 8. paruo, Sermo sub nomine Petri Comestoris Presbyteteri Trecensis de immaculata Conceptione Virginis Mariæ, transcriptus, & extractus, vt ibidem dicitur, ex vetusto quodam Codice reperto in Anglia, qui Sermo approbatus extat à Ruuardo, Decano Louanienſi, & incipit, sic: *Conceptionem B. Virginis Mariæ corde, & voce, &c.* In hoc ergo Sermone existente in rerum natura, typis mandato, & approbato Petri Comestoris, extant inter alia verba sequentia: *Quòd autem est gloriosa dicta sunt de re ciuitas Dei, si nostræ infirmitati similia dicuntur, quæ magis pudenda, quàm gloriosa dici potuerunt? Opportuit ergo eam ab ipso fundamenti primordio præ cæteris aliquod dignitatis sortiri priuilegium, &c. Quod si ita est, fratres, vt Christus ab Adam solam naturam, & nullã prorsus culpam susceperit, verisimile est, vt & mater Christi solam carnem, & nullam penitùs culpam à parentibus contraxerit, præsertim cum vna, & eadẽ caro sit matris, & filij, & qualis Agnus, talis & Mater Agni, cui nullum bonum defuit ad cumulum totius humanæ perfectionis, nec in se aliquod malum habuit ad testimoniũ cuiuslibet, vel minimæ corruptionis, &c.* Et post medium inquit: *Sanctificauit ergo tabernaculum suum, sanctificauit à fundamẽto, operam dans ædificio, alioquin si corruptum esset fundamentum, omne super positum nutaret ædificium. Attende, quisquis es, qui malitiæ tuæ fistulis, fundamento huic infusas maculam corruptionis, qui domum subuertere niteris septem subnixã columnis, tu qui cum antiquo serpente sibilas, cui color optimus mutatus est, cuius argentum versum est in scoriã, attende, & obaudi, quod testimonium huic fundamento dedit Prophetarum eximius: Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus, intellige quod ait: Ipse fundauit eam, ipse, nõ alius, non vetus Adam, sed nouus, nouum iacens fundamentum, super quod tam præclarum, tam insigne surgeret ædificium, alioqui si veteris ruinæ mansere vestigia, si veteri superædificatum est vetus Adam, & non ipse fundauit eam altissimus, &c.* Hæc clarà sunt.

Infrà verò sic inquit: *Conuertantur ergo inimici eius retrorsum, & fugiant qui oderunt eam à facie eius, vt quid tantopere se B. Virginis opponunt Conceptioni? Vt enim de multis vnos sumamus exemplum: quid illorum toti mundo vtilius? Quid dignius, aut Petrum crucifigi, aut Mariam concipi? Si non esset crucifixus Petrus, tamen nihilominùs salutem obtinuisset mundus; sed si Virgo Beata concepta non esset, nec Petrus gloriam, nec mundum vitam meruisset, & tamen recolitur, vt dignum est. Apostoli passio, & recoli non debet Dei Genitricis Conceptio? Nec in passione Petri recolitur crucifigentis iniquitas, neque in Conceptione Matris Dei recolitur carnalis amoris cupiditas. Non gaudet mundus, quia Nero Petrum crucifixerit, nec gaudere debet de parentum carnali commertio, sed quod talis concepta fuerit: gaudet de Creatoris beneficio, ad gloriam in Apostoli passione; gaudet de susceptο ad vitam remedio ex Virginis Conceptione. Porrò est Conceptio concipientis, & est Conceptio conceptæ prolis, quorum alterum actiuè, alterum passiuè intelligitur, vt expressiùs dicam, est conceptus, & est conceptio, est conceptus matris, & est conceptio prolis, in conceptu matris, carnis significatur luxuria, in Conceptione prolis, susceptа est hominis natura, in altero carnis iacet titillatio, in altero spes de homine futuro: verbi gratia, aliud est quod homo semen iacit, aliud quod terra iactum suscipit, vna, & eadem est operatio, quia semen iacitur, & qua iactum concipitur. Verum in vno, & eodem diuersi sunt respectus, quia in altero seruilis conditionis monstratur iniuria, in altero fructus vbertatis manet, & gratia. Pari modo aliud est mors Petri, aliud ipsius gloria, & tamen ex constantia passionis consecutus est Apostolus gloriam retributionis. Nec gaudet Ecclesia de tyrannica insecutione, gaudet verò de certa, & exhibita glorificatione, gaudet de constantia Martyrum ad exemplum, gaudet de peruentione eorum ad præmium. Igitur non gaudet mundus, quòd Anna virum cognouerit, sed gaudet, & gratias agit, quòd salutis suæ causam susceperit, & quia compellor dicere, non humores Ioachim veneratur, sed quod Maria concepta sit, gratulatur. Cuius Conceptionis sacramentum in Spiritu præuidens Isaias ait: Egredietur virga de radice Iesse, &c. de radice Iesse, scilicèt vitiata, & terræ infossa, egressa est virga gracilis, & recta, tortitudinis ignara, egressum est, scilicèt corpus intemeratæ Virginis, nescium penitus nostræ corruptionis, &c.*

Tandèm sic concludit: *Quod si in ipsam ex lege communi adhuc processeris, nulla ratio inuenitur ad subuertendum Conceptionis diem, quæ non progrediatur ad interrumpendum Natiuitatis ordinem: Sicut enim concipitur homo secundùm carnem, sic ex carne nascitur ad mortem, ibi miseria inchoatur, hic monstratur, ibi peccato suscipit causam, hìc peccatum, & pœnam. Iuxta illud: Homo nascitur*

ad

ad laborem, & illud: Nec infans vnius diei sine peccato est. Quia igitur ratione Conceptionis solemnitas similiter, vt video, impeditur tam ab Ecclesia suscepta Natiuitas. Quod enim interuenit sacramentum, vt si Conceptio sit in culpa, Natiuitas sit libera? Si enim in culpa concepta est, in culpa quoque nata est, aut si donata est ei culpa in vtero, non dies Natiuitatis, sed dies restitutæ libertatis meritò eligenda fuit ad laudē. Cæterum quia vltra procedere nescis, scio, quia legem matris propriæ in Dei Matrē, & Virginē promulgas: Dices ergo: In iniquitatibus concepit me mater mea, nullus excipitur: ergo in iniquitatibus concepta est Virgo Maria? Hoc falsò concluditur; verum est, quod te in iniquitatibus concepit te mater tua; & ipsa concepta est iniqua: Concepta est forsan in vtriusque parentis delicto Virgo Maria, sed ipsa sanctissima. Sequi potes, & dicere: in labore peperit me mater mea: ergo in labore peperit B. Virgo Maria, hoc totum dicere, sed credi non poteris, &c. Hæc, & alia habet Petrus Comestor in illo Sermone pro immaculata Virginis Conceptione, quæ breuitatis causà omittimus.

Ex his secundùm veritatem propositis discursus, iudicium, & censuram deducit sic: Sermo ille citatus à Turrecremata contra immaculatam Virginis Conceptionem, non extat nec inuenitur in rerum natura, neque excusus, neque manuscriptus: ergo videtur suspectus. Nos vero adducimus Petrum Comestorē pro immaculata Virginis Conceptione ex verbis Episcopi Azernensis, quæ extant. Et ex hoc Sermone, qui etiam extat; ac tandem ex verbis Ioannis Molani, in Bibliotheca manuf. Et Auberti Myræi fol. 169. qui loquentes de libro de Laudibus Mariæ Petri Comestoris relati à Trithemio, inquiunt: *Meminit etiam Trithemius libri de Laudibus Mariæ, quem in 8. excusum legi: Sed opinatur, Mariam sine peccato conceptam esse ex particula seminis, quæ ex Adam per omnes generationes incorruptam descenderit, &c.* Ecce, Lector, tria testimonia veritatis irrefragabilia, & si vis quartum, attende. Nam Ioannes Vitalis, Hispanus, Ancilla 5. sic inquit. *Vndè de Virgine sacra ait Petrus Trecensis, in aurora super Lucam.*

Tanto compleuit hanc dies natura decore,
Quod mirata fuit nil superesse sibi.
Vnam nec maculam natura relinquit in illa,
Ad caput à planta transvolat iste decor.
Colla, supercilia, coma, frons, oculi, gena, nasus,
Os, dens, labra, manus, pes sine labe fuit.

Eadem verba ad litteram transcripsit etiā Alanus Parisiensis: potest esse, quod Alanus illa trāscriberet ex Petro Comestore; nam ego verba ista solùm inuenio in quodam manuscripto Petri de Riga, de quo in nostra Militia; ex quibus omnibus deducitur, quod Sermo ille adductus à Turrecremata vel est fictus, vel suppositus, scilicèt, alterius Auctoris, & fortè Dominicani, & adscriptus Petro Comestori. Ex his iudicet Lector, quid de hoc Auctore dicendum, vel tenendum sit.

PETRVS Damianus Beatus, & Cardinalis, in sermone Natiuitatis Beatæ Virginis, & de Contemptu mundi cap. 19. *Bandell. cap. 20. Deza fol. 33. Vincent. Gryfald. Castellan. Spina part. 7. cap. 5.*

VERITAS 243.

NOTISSIMVS Est Sanctus Petrus Damianus, S.R.E. Cardinalis, Episcopus Ostiensis, qui anno 1080 in Domino obdormiuit. Cuius opera fuerunt typis mādata Romæ ann. 1615. tribus tomis, & Lugduni 1623. & alibi. Eius primam auctoritatem sic adducunt Aduersarii. Idem tenet D. & Beatus Petrus Damianus, Ecclesiæ Sanctæ Cardinalis, Doctor deuotus, & eloquētissimus, in sermone Natiuitatis Virginis Mariæ sic dicens: *Peccauit primus homo diabolo suadente, & tota humani generis arbor venenata est in radice. Cecidit infelix pater per gulam, & vniuersa eius progenies rea facta est per naturam. Factus est itaque Adam fermentum, & vniuersam corrupit multitudinem filiorum, quia dum ille pestifero serpentis veneno vitiatur, tota in illo humani generis massa corrumpitur. Nè igitur creatura, quam ad suam imaginem conditerat, tota periret, necesse erat, vt talis Sacerdos inueniretur, qui dum in alijs peccatorum sordes ablueret, ipse in se abluendum aliquid non sentiret, & demum alieni reatus contagia tergeret, in seipso leprę maculam non haberet. Sed huiusmodi homo in humano genere inueniri non poterat, qui vnusquisque cum Propheta hunc versiculū veraciter decantabat: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit mē mater mea; & sicut per Apostolum dicitur: Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Cùm ergo huiusmodi homo in humano genere inueniri non posset, ne in peccato suo periret homo, creator hominum de Beatissima Virgine carnem assumens, sine peccato factus est homo: sine peccato conceptus est in Virginis vtero, & sine peccato conuersatus est in mundo. Oportebat autem, vt Sacerdos iam factus, & nullum ipse peccatū habens, rationalem hostiam, quæ sine peccato esset, inueniret, vt rationalem creaturam iustificare posset. Quid ergo Sacerdos noster faceret: omnis quippè terrena creatura, si rationalis erat, peccati virus de primi parentis radice contraxerat, si irrationalis, rationalem iustificare non poterat. Quid igitur fecerit Sacerdos noster diligenter consideret*

tate. *Quia enim in rebus creatis inueniri non poterat pretium redemptionis, Redemptor noster semetipsum obtulit pro nobis hostiam Patri in odorem suauitatis, sicque ipse factus est Sacerdos, & sacrificium, ipse Redemptor, & pretium. Hæc ille.* Hanc auctoritatem desumpserunt Aduersarii ex primo Sermone S. Petri Damiani de Natiuitate Virginis, qui est in ordine 45. & incipit: *Natiuitas Beatissimæ, & intemeratæ, &c.* sed cùm ipsi more suo composuissent hanc auctoritatem, ferè ex toto Sermone sumentes clausulas hinc inde, & illas catenando inter se secundùm suam voluntatem, necesse esset hic transcribere totum Sermonem, sed quia opera S. Petri Damiani communissima sunt, suppono Sermonem, & pro veritate dico, & breuiter ostendo, vbi ab illa defecerunt.

Primò, prætermiserunt malitiosè illa verba, à quibus Damianus incipit suam mentem expandere, quæ sunt ista: *Hic etiam obsecro, dilectissimi fratres, hìc lineam nostræ redemptionis diligenter, attendite, & quam circa nos diuinæ pietatis viscera fuerint intenta, cordis aure pensate. Fecit Deus hominem, vt ita dixerim, mortaliter immortalem, videlicèt vt si custodire vellet præceptum obedientiæ, in æternum viueret; si verò contemneret, mortis mox imperio subiaceret: Quid plura? Peccauit homo, &c.* Secundo vbi Damianus solùm, *peccauit homo*; ipsi adulterarunt ly, *primus*. Tertio post illam vocem, *naturam*, prætermiserunt illa verba: *Dicente cũ Apostolo: Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri.* Quarto, post illam vocem, *corrumpitur*, prætermiserunt illud: *Vndè irradiante iam nouæ gratiæ splendore, per egregium nobis Prædicatorem dicitur: Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio.* Quinto vitiarunt totam illam clausulam. *Sed pius, & misericors Deus noluit, omnino perire creaturam suam, quam formauerat ad imaginem, & similitudinem suam,* dicentes sic: *Ne igitur creatura, quam ad suam imaginem condiderat, tota periret.* Sexto, derelinquentes 32. lineas, coniunxerunt præcedentibus verbis illud, *Necesse ergo erat, &c.* Septimo, vbi S. Damianus, *aliquam lepræ maculam*; ipsi tacuerunt vocem illam, *aliquam*, vt sic propositio fieret vniuersalior. Octauo, derelinquẽtes quinque lineas transierunt ad illud, *cum ergo*. Nono, Damianus post illa verba, *immundo*, immediatè prosequitur: *Eia fratres intendite, inquam, & ineffabile redemptionis nostræ mysterium vigilanter audite*, quæ omnia prætermiserunt. Decimo, vbi Damianus: *Ecce iam Sacerdos, fratres, nulla ipse habens peccata, & idcircò dignus, & potens, vt sacrificium offerens aliena mundaret peccata*, prætermittentes totam hanc clausulam, & loco illius in oratione sequenti interposuerunt illa verba, *Et nullum in se peccatum habens*, reddentes de singulari, quæ in Damiano extant in plurali, vt sic reducerent verba ad originale, nõ ad actualia. Vndecimo, prætermissis vndecim lineis transierunt ad illud, *Oportebat, &c.* Duodecimo, vbi Damianus sic: *Oportebat ergo, vt rationalis hostia fieret, quæ creaturam rationalem expiaret*; ipsi sic: *Oportebat autem, vt Sacerdos iam factus, & nullum in se peccatum habens, rationalem hostiam, quæ sine peccato esset, inueniret, vt rationalem creaturam iustificare posset.* Vide quanta hic sunt addita, & vitiata, quia hæc ad oculum patent. Decimotertio, derelinquentes tres lineas transierunt ad illud: *Quid ergo Sacerdos noster faceret*. Decimoquarto, post quatuor lineas transierunt ad illud: *Omnis quippè terrena, &c.* Decimoquinto, post nouem lineas transierunt ad clausulam sequentem: *Quid igitur faceret Sacerdos noster, diligenter considerate.* Decimosexto, hãc etiam vitiarunt, nam in Damiano sic extant suprapositi verba: *Quid inquam faceret? Considerate, fratres mei, diligenter considerate ineffabilis viscera pietatis, perpendite immensum, & inæstimabile pondus diuinæ charitatis.* Decimoseptimo, addiderunt ly, in rebus *creatis*. Decimooctauo, prætermiserunt ly, *nostræ*. Ista sunt vitia quoad litteram commissa in sola vna auctoritate, continuè, ac successiuè adducta ab Aduersariis.

Quoad sensum verò, in tota hac auctoritate solùm pro ipsis possunt facere illæ duæ clausulæ: *Cecidit infelix Pater per gulam, & vniuersa eius progenies rea facta est per naturam.* Et illa: *Omnis quippè terrena creatura, si rationalis erat, peccati virus de primi Paremis radice contraxerat.* Sed istæ sunt quædam propositiones vniuersales, quæ paruam, vel nullam vim habẽt de priuilegio concesso Virgini Mariæ in sua Conceptione, de qua nihil agit Damianus. Imò si coniecturis, ac consequentiis ex vniuersalibus locutionibus sumendum esset argumentum, B. Petrus Damianus potius esset pro nobis, quam contra nos, nam in 1. & 3. Sermone eiusdẽ Natiuitatis, & in Serm. Annuntiationis aliqua habet verba, quæ pro immaculata Virginis Conceptione militare videntur, de quibus in nostra Militia. sed in rei veritate, neque hic adducta ab Aduersariis, nec quæ ego adducere possum, in iudicio contradictorio aliquid probare possunt, ideò mea prætermitto, & adducta ab Aduersariis, vt vitiata, vt nullus momenti reiicimus.

Secundam auctoritatem sic adducit Gryfaldus: Petrus Damianus Cardinalis, &c. De contemptu mundi, cap. 19. *Ex hac carne Virginis, quæ de peccato concepta est.* Hic Auctor, seu Pseudo Auctor, vt semper norani, videtur solũ ad errandum sumpsisse calamum, vt in antecedentibus demonstraui, & subsequentibus patefaciam, & in præsenti sic ostendo. S. Petrus Da-

miã-

mianus ſcripſit Apologeticum de contemptu ſæculi ad Albizonem Eremitam, vt videre eſt in eius Opuſculis, Opuſcul. 12. in quo deplorat miſerabilem ſuo tempore Religionis ſtatum, quotidiè in deteriùs prolabentem, & cap. 19. citatum à Gryſaldo, habet hunc titulum: *Quòd mollia indumenta minùs perfecti, faſtidiant, perfectiores aliquando indifferenter admittant.* Et in hoc capite nec verbum habet Damianus ex allegatis à Gryſaldo, nec in toto illo Opuſculo, & poſſum affirmare quòd nec in reliquis ſuis operibus. Sed exiſtimo, quod res ita ſe habuerit. Lotharius poſteà Innocentius III. dictus ſcripſit librum de Contemptu mundi, ſiuè de miſeria conditionis humanæ, de quo egimus ſuprà num. 211. cùm ergo Gryſaldus adduxiſſet ſemper omnes Auctores adductos à Bandello, prætermiſit Lotharium, vt ibi videre eſt, neſciens ergo quid diceret, vel de quo loquebatur Auctore (quod in ipſo nouum non eſt) adſcripſit Petro Damiano librum Lotharii, & ſi hæc non fuit ſui erroris cauſa, Patres mei, oſtendite aliquam honeſtiorem.

Tertiam auctoritatem adducit Caſtellanus ſic: Petrus Damianus in Homil. Liber generationis Ieſu Chriſti: *O admirábilis! O ſingulariter nobis caro Beatiſſimæ Virginis, in qua muliebris natura mutatur, humana conditio non tenetur! Per coitum quidèm eſt genita, ſed per efficaciam coitus non enixa, edita communi naſcentium iure, edidit ſingularis gratiæ nouitate.* Hæc ad litteram extat in S. Petro Damiano Sermone citato, ſeu Homil. 46. ad finem, folio 257. ſed ibi loquitur, vt patet ex antecedentibus, de carne Mariæ, prout nata eſt de virili ſemine, & humano coitu generata; at Maria concepit Chriſtum, abſque eo quod amiſerit virginalem pudicitiam ſine libidine, coitu, & dolore, & ſic Marię caro fuit *edita communi naſcentium iure*, de hoc loquitur Damianus, non quantùm ad moralia culpæ, & maculæ: nam quoad hæc nō eſt nata Maria communi naſcentium iure. Siquidèm ante Natiuitatem fuerat ſanctificata in vtero matris ſuæ. Aliæ auctoritates adducuntur ex eodem Petro Damiano in illo Opuſculo Caſtellani, ſed ex ipſis nec vnum ſolùm verbum poteſt extrahi contra immaculatam Conceptionem. Vide ipſas in noſtra Bibliotheca Virginali, tom. 1. fol. 760. Eſſet enim terere tempus, illas hic velle tranſcribere, quia nec ſunt ſecundùm opera noſtra, nec propoſitum ſuum: Seruum autem Domini non oportet litigare ſine fructu, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati, nè quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem.

Quartam auctoritatem adducit ille ſapientiſſimus, & nunquam à ſuis ſatis laudatus, ac Sacri Palatii egregius Magiſter Bartholomæus de Spina, qui læpiſſimè nos vocat falſarios, & corruptores auctoritatum Sanctorum Patrum. Vt antequam ipſius proponamus verba, ſupponēdum eſt, quod S. Petrus Damianus habet Sermonem de Aſſumptione Virginis Mariæ, qui in ordine eſt 40. & incipit: *Hic totum decurrat ingenium, &c.* Sermonem iſtum aliqui antiqui adſcripſerunt S. Bernardo, fortè quia in aliquo originali manuſcripto erat ſubſcriptus nomine huius Sanctiſſimi Abbatis, & hoc etiam fecit Spina adſcribens illum S. Bernardo, cùm in rei veritate ſit B. Petri Damiani, ſed hæc res parui momenti eſt, cùm ambo ſint Sancti, & ferè eiuſdem auctoritatis in Eccleſia. Hoc ſuppoſito prædictus Spina loco allegato cap. 5. cuius titulus eſt. *Anſelmum, atque Bernardum inuitum trahunt, Doctorem Auguſtinum non intelligunt Aduerſarij*, ſic inquit: Inducunt etiam D. Bernardum in quodam Sermone dicentem: *Caro Virginis ex Adam ſumpta maculas Adæ non admiſit. Hæc ille.* Reſpondetur, quòd D. Bernardus tria proponit diſcutienda in illo Sermone de B. Virgine. Primò, quid conueniat eius Natiuitati? Secundo, quid eius conuerſationi? Tertio, quid eius Aſſumptioni? Et quoad Natiuitatem dicit: quòd comparatur Auroræ, dicens inter alia: *Aurora conſurgens, Maria dicitur; quæ priùs ceciderat, ſurrexit, & finis noctis, & lucis initium fuit. Hæc ille.* Ex quibus patet, eum docere, quòd B. Virgo concepta eſt in originali peccato, quia ante Natiuitatem ſuam non potuit alio peccato cadere, & quòd ſurrexit per ſanctificationem factam in vtero, & ſic quaſi Aurora cum luce gratiæ, proceſſit per Natiuitatem in hunc mundum. De conuerſatione verò eius, per bona opera, & vſum liberi arbitrii: poſteà ſubſequitur Bernardus inter exteras laudes eius, pronuntians in dicta verba. Vndè patet, quòd ſenſus verborum, & intentio eius eſt, quod B. Virgo, licèt originale peccatum contraxerit, tamen maculas Adę non admiſit, id eſt, no propria voluntatē in ſua conuerſatione commiſit, & eius caro continentiæ, & puritatis dono, in candorem lucis æternæ conuerſata eſt, vt immediatè poſt prædicta verba dicit Bernardus: *Sua enim conuerſatione ſic ſe ab omni peccato actuali immaculatam ſemper ſeruauit, vt à peccato ſuperbiæ, gulæ, vel auaritiæ, vel concupiſcentiæ, quæ fuerant maculæ Adæ, contaminari ſe non permiſerit.* Vndè patet, quod ex malo ſenſu verborum Bernardi procedebat argumentum, &c. Hucuſque ſunt verba Spinæ, in quibus, vt vides, Lector, ſunt duæ auctoritates, vna noſtra, cui nititur Spina reſpondere, & interpretari, non verò contradicere, vel reiicere vt falſam, quia vt à noſtris Doctoribus adducitur nullo mutato apice, extat in prædicto Sermone Pſeudo-Bernardi, ſed verè Petri Damiani, circa finem

finem, §. *sequitur ex aromatibus*, &c. fol. 241. colum. 1. vbi dicit: *Caro enim Virginis ex Adam assumpta, maculas Adæ non admisit, sed singularis continentiæ puritas in candorem lucis æternæ conuersa est.* Constat ergo, ô Spina! quòd auctoritas nostra non est falsa, nec adulterata. Tu explicas illam tuo modo, tranleat, & vtinam in hoc sisteret tua malitia; quia verba illa Bernardi, aut Damiani, *tamen maculas Adæ non admisit*, explicas de peccatis actualibus propria voluntate commissis, quo nihil absurdius.

Cùm ergo, vt hanc nostram auctoritatem enerues, adducas aliam eiusdem S. Petri Damiani, & ex eodem Sermone, ac ex eodem loco, videamus, an tua sic dicens: *Aurora consurgens Maria dicitur, quæ priùs ceciderat, surrexit, & finis noctis, & lucis initium fuit. Hæc ille*, sit ne vera, vel à te iniquè, ac peruersè ficta, à primo vsque ad vltimum verbum, nō quomodocumque, sed ita, vt nec vnum saltem illius verbum sit in Petro Damiano, inquit enim sic: *Dicamus breuiter, quia prima interrogatio conuenit eius Natiuitati. Secunda eius conuersationi, tertia Assumptioni: Quæ est ista (inquit Spiritus Sanctus de eius Natiuitate) quæ progreditur sicut Aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? Hæc est quæ nescivit thorum in delicto. Virgo Dei filio singulariter consecrata, specialiter Sancto coniugata Spiritui. Quæ progreditur, inquit, sicut Aurora consurgens. Quam elegans, & clara similitudo, & ex illius disciplina descendens, qui summum sapientiæ fontem, in Canticis affluenter inclusit, &c.* Deindè prosequitur loquendo de primo parente, ac eius ruina, cuius primum peccatum introduxit tenebras in mundum, & facta est nox: *Sed nata Virgine*, prosequitur, *surrexit Aurora; quia Maria veri præuia luminis, Natiuitate sua manè clarissimum serenauit. Hæc est stella matutina in medio nebulæ, quæ in cœli cardine summo splendore coruscans, orbem subditum splendidioribus radijs incolorat. Hæc est Aurora, quam sequitur, imò de qua nascitur Sol Iustitiæ, soliusSolis claritati succumbens. Hæc est Aurora, quam ille nō vidit, qui vidit omne sublime: Et orat B. Iob, vt ei multa suppressione claudatur, dicens: Non videat ortum surgentis Auroræ. Tuus est dies, Domine, in quo Adam est conditus: tua est nox, in qua Adam à die est eiectus, tu fabricatus es Auroram, id est, Virginem Matrem, & Solem, Solem videlicet Iustitiæ, qui de virginali thalamo consurrexit. Nam sicut Aurora terminum noctis, diei principium adesse testatur, sic & Virgo noctem expulit sempiternam, & de die diem de terra suæ virginitatis exortum, terris infudit. Progreditur inquit: quasi procul egreditur, quia procul, & de vltimis finibus pretium eius. Aurora, quia noctis finis, & lucis initium. Consurgens, quia de cadente supersurgens materia. Pulchra vt Luna. Quid Luna pulchrius,* &c. Spina absque dubio ex his vltimis verbis suam finxit auctoritatem, quia alia non extant in toto Sermone Damiani. Sed vide, vbi sit illud: *Maria, quæ priùs ceciderat, surrexit?* Quæ non solùm fuerunt iniquè ficta, sed etiam mendaciter, id est, contra mentem Damiani adducta, quia illius Sancti intentio expressa erit, dicere: Maria est Aurora consurgens, quia licèt materia, de qua fuit formata, esset de illa cadente in tenebras, & noctem, hæc, inquam, de qua fuit formata Maria supersurgens, vt aurora non cecidit. Cadebat omnis materia, de qua generabantur homines, sed de illa cadente materia fuit Aurora supersurgens Maria. Notare illud, *consurgẽs*, &, *supersurgens*. Et si adhuc in materia consurgens, cum alio surgens, & supersurgens, supra ascendens, quomodo in animatione materiæ caderet? Coincidit hæc cum illis suprapositis: *Hæc est Aurora, quam ille non vidit, qui vidit omne sublime*, &c. Et si illum Iob locum vos omnes, cum vestro S. Thoma, intelligitis de peccato originali, quare etiam non hic? Sed fortè dicetis, quòd illud, *ortum*, significat Natiuitatem, non Conceptionem. Quomodo ergo vos passim sumitis, *ortum*, pro, Conceptione, vt maculetis Mariam? Et os eius grandi lapide claudebatur.

PETRVS Galdini, Ordinis Prædicatorū in serm. Assumptionis, & in secunda Feria post Pascha, & in serm. Circumcisionis Domini. *Anonym. Auctore 79. Bandel. cap. 23. Deza fol. 42. Vincent. Gryfald.*

VERITAS 244.

AVCTOR Hic ex duplici capite videtur fictus. Primo, quia nullius Nomenclator, seu Ecclesiasticus Scriptor de tali Petro Galdini mentionē facit, nisi aliqui, qui scripserunt post Bandellū. Quia Alphonsus Placētinus, fol. 411. citat Ambrosium Tægium 1. part. Auctor Bibliothecæ Bononiensis fol. 192. citat Razzium, & Plodium, & omnes isti notitiam Auctoris sumpserunt ab Antonio Senensi, hic autem etiam recurrit ad Bandellum, folio enim 196. inquit: *Petrus Galdinus de Bononia scripsit Sermones de Tempore, & de Sanctis, & quidem huius fit mentio in illo libro recollecto ex Patrum Sentētijs ad probandum Conceptionem Beatæ Virginis, qui incipit: Veritatem meditabitur, & creditur esse Bandelli.* Ad eundem Bandellum recurrit Mich. Pius lib. 3. part. 2. colnm. 45. Ex quibus verbis patet, quòd tota notitia huius Auctoris emanauit tanquam à primo fonte, & ori-

origine ab vno ſolo Bandello, cùm enim ipſe citet tres Sermones, duos de Sanctis, & vnum de Tempore, occaſionem ſumpſit Ant. Senenſis ad exiſtimandum Petrum Galdinis ſcripſiſſe Sermones de Sanctis, & de Tempore. Si autem Bandellus citaſſet Galdinum in 3. diſtin. 3. pari modo dixiſſent, Galdinum ſcripſiſſe ſuper Sententias, vt fecit Senenſis cum aliis. Sed cùm Bãdellus tot, tantoſque finxerit Auctores in illo ſuo libro Recollectorio, incipiente: *Veritatem meditabitur cor meum*, in quo ſolùm videtur meditaſſe mendacia, & de hoc Petro Galdino nulla aliàs extet memoria, in Sacra Religione Prædicatorum, credo, exiſtimo, & abſque vlla temeritate affirmo, Auctorem iſtum eſſe ſuppoſitum, fictum, & fantaſticum.

Secundo idem probatur ex eo quòd Bandellus, & alii eum ſequentes, adducunt, & citant tres Sermones diſtinctos, in quibus Petrus Galdinus dixit, ſeu affirmauit, Virginem Mariam contraxiſſe peccatum originale, ſed ex tribus Sermonibus nullam adducunt auctoritatem, ſolùm enim dicunt: *Idem tenet Magiſter Petrus Galdini, in Sermone Circumciſionis Domini, & in Sermone Aſſumptionis.* Anonymus verò inquit: *Idem tenet Magiſter Petrus Galdini, in Sermone Aſſumptionis, & in ſecunda Feria poſt Paſcha.* Et nihil ampliùs: cùm ergo ex certa, & infallibili experientia toties in hoc Ventilabro demonſtrata conſtet, quod vbicumque Aduerſarii adducto Auctore tacent auctoritatem, vel Auctor eſt fictus, vel auctoritas vana, & nullius momenti, cur etiam hoc non erit credendum de Petro Galdino? Et confirmatur ampliùs, quia hunc dicunt fuiſſe Bononienſem, id eſt, ex Prouincia Lombardica, & vixiſſe ad annum 1465. quo tempore in Lombardia ſpiritus Bandellianus ipſamet ſaxa mouebat contra immaculatam Virginis Conceptionem: ſiquidèm anno ſequenti 1471. edidit primum ſuum opus Recollectorium, de quo ſuprà Antonius Senenſis, & non poſt multum tempus edidit Sixtus IV. Pont. Max. Extrauagantes illas: *Grauc nimis: Cùm in partibus Lombardiæ, &c.* Potuit ergo eſſe, quòd Petrus Galdinis fuerit ſicut contemporaneus, & vnius territorii, ita etiam ſocius, & coadiutor Bandelli, qui per vicos, & plateas, à dextris, & à ſiniſtris, omni tempore, & feſtiuitate, Natiuitatis, Circumciſionis, & Paſchatis, quando maior ſolet eſſe concurſus, dicebat, & prædicabat, Virginem Mariam fuiſſe in originali peccato conceptam, & contrarium eſſe contra fidem Catholicam, & hæreticum, & propter hos Sermones de Tempore, ac de Sanctis ipſum adduxerit Bandellus in ſuo Cathalogo, & ab illo decepti poſteà fuerint ſui: ſed quidquid ſit de hoc, vnum principium firmiter tenendum ſtatuimus, ſcilicèt Petrum Galdinis fuiſſe, & eſſe Auctorem innominatum, & incognitum; Sermones illius nunquam fuiſſe auditos, neque viſos inter Scriptores Eccleſiaſticos, & ſi forte fuit; fuit certè ex Ordine Prædicatorum, & contemporaneus Bandelli, ex his tu, Lector, iudica, quid ſentiendum ſit de Galdinis.

PETRVS Hieremias, Ordinis Prædicatorum, in multis Sermonibus ſuis. *Anonym. Auctore 59. Bandel. cap. 23. Deza fol. 42. à tergo. Vincent. & Gryſald.*

VERITAS 245.

HIVIS Celebris Auctoris inter Patres Dominicanos, Sermones de Tempore, ac de Sanctis, fuerunt excuſi Brixiæ per Iacobum Britannicum, anno 1502. in 4. recogniti à Reuerendo Patre Fratre Hieronymo de Bargnano, & Benedicto Britannico, Ordinis Prædicatorum, fuit Auctor Siculus, & floruit ab anno 1430. vſque ad 1444. aliqui verò dicunt ipſum vita functum ann. 1434. cuius Aduerſarii nullam adducunt auctoritatem, ſolùm enim dicunt poſt ſuprà poſitum Petrum Galdini: *Idem tenet Magiſter Petrus Hieremiæ, Siculus, in multis Sermonibus.* In quo etiam verificatur illa regula generalis, ſæpeſcpiùs à nobis propoſita, & verificata, quod quando Aduerſarii adducunt Auctorem, & prætermittunt auctoritatem, ſemper, & vbique inueniemus aliqua à veritate aliena, ſed in hoc erunt plura. Quis ergo legeret Aduerſariorum opera, & videret, hunc eſſe ex Ordine Prædicatorum, & illud: Idem tenet *in multis Sermonibus ſuis*, non exiſtimaret tanquam certam, & indubitatam veritatem Petrum Hieremiam non in duobus, vel tribus, ſed *in multis Sermonibus ſuis*, tenuiſſe, affirmaſſeque, Virginem Mariam fuiſſe conceptam in peccato originali? Sed ſcias, Lector, quod in multis ſermonibus delinquitur, & hic etiam ſimiliter.

Ad indagandã veritatem reuolui Sermones Petri Hieremiæ, & primum de S. Anna matre Virginis, qui extat in vltima parte, folio 97. & incipit ſic: Habetis fructum veſtrum in ſanctificationem. Rom: 6. Loquitur Thema B. Annę, dicens: *Habetis, ſcilicèt vos B. Anna fructum veſtrum, ſcilicèt, Virginem Mariam in ſanctificationem paſſiuam, & actiuam. Paſſiuam quidèm, quia fructus iſte, id eſt, B. Virgo, fuit in vtero B. Annæ ſanctificatus. Pſ. Fluminis impetus lætificãt Ciuitatẽ Dei, ſanctificauit Tabernaculũ ſuũ Altiſſimus. Vide ſuprà in Sermone, qui incipit: Benedictus fructus, &c.* Hucuſque Hieremias: & in hoc Sermone nihil ampliùs habet

de hac materia: recurri ad citatum Sermonem, qui incipit: Benedictus fructus, & extat præallegata parte 6. folio 9. column. 4. post Sermonem Sancti Nicolai, id est, in loco, & parte, vbi semper in Sermonariis ponuntur Sermones de Conceptione, & titulus huius Sermonis est: *De Beata Anna, vel Natiuitate Virginis*, & ad finem prædicti Sermonis sic dicit Petrus Hieremias: *Sexto fuit benedictus ab Spiritu Sancto*, (id est, fructus ventris Annæ) *per sanctificationem specialem: fuit enim in vtero matris sanctificata* (id est, Maria) *& hoc ostenditur exemplo, ratione, & auctoritate. Exemplo quidèm sicut de Hieremia, & Ioanne Baptista hoc asseritur, de quorum primo dicitur, Hieremiæ* 1. *Antequam exires de vulua sanctificaui te. De secundo verò dicitur Lucæ* 1. *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. Si ergo de istis hoc asseritur, quorum vnus fuit Prophera Christi, & alter Præcursor Christi, multo fortiùs de ista credendum est, quæ fuit Mater Christi. Ratione etiam probatur. Nullus gemmam præfulgidam in vase immundo collocaret; sic nec Deus Pater Filium suum in vtero Mariæ posuisset, nisi mundus fuisset. Daniel: Sanctus enim mens in Sanctis habitat. Auctoritate verò probatur: Psalm. 45. Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei. Sanctificauit Tabernaculum suum Altissimus. Vide suprà in Sermone de Conceptione Virginis, qui incipit: Nondum erant abyssi, parte 5. Et infrà in Sermone de Conceptione, qui incipit: Ab initio, & antè sæcula, &c. in fine.* Hucusque Petrus Hieremias, & nihil ampliùs dicit in hoc Sermone: ex quibus vltimis verbis constat, quòd in opere manuscripto Petri Hieremiæ erant duo Sermones de Conceptione Virginis, quorum vnus incipiebat: *Nondum erant abyssi*, & alter: *Ab initio, & antè sæcula* Hoc irrefragabile testimonium veritatis est: siquidèm ab ipsomet Petro Hieremia semel, & iterum prolatum, vt infrà dicam. At nunc nullus Conceptionis Sermo extat in prædicto libro, sed potiùs loco, & parte, vbi in omnibus Sermonariis collocantur Sermones de Conceptione B. Mariæ extat intrusus iste *de Beata Anna, vel Natiuitate Virginis*, & quòd iste fuerit traductus ex altera parte, patet euidenter, tum ex illis Hieremiæ verbis: *Vide suprà in Sermone de Conceptione Virginis, qui incipit: Nondum erant abyssi, parte* 5. Tum etiam, quia Sermo iste de Beata Anna, vel Natiuitate hìc non est ad rem: constat ergo, quòd illi duo Sermones de Conceptione Virginis fuerunt extracti, quis ergo illos abstulit, an Fratres Minores? Impressionis illius Reuisores fuerunt Dominicani, Hieronymus, & Benedictus; quare ergo isti de medio abstulerunt illos duos Sermones? An quia erant contra Immaculatam Virginis Conceptionem? Vel quia erant pro ipsa? Si primum: ergo illi duo Patres aliter sentiebant, quàm Hieremias, & dum de vno inuestigamus, duos inuenimus pro nostra sententia? Si secundum, id est, quod Sermones illi erant pro opinione magis pia, & ideò fuerunt ablati: ergo Petrus Hieremias pro nobis erat, & sic fallum est, quod dicunt hic Aduersarii: *Idem tenet Magister Petrus Hieremias, in multis Sermonibus suis.* Et si Sermones erant pro nobis, quare auferentes Sermones, non abstulerunt etiam istam remissionem, ex qua deprehenditur fraus? Sed fortè Deus excæcauit illos. At quidquid sit de proposito dilemmate, cùm constet euidenter, quòd duo illi Sermones de Conceptione Virginis, fuerunt sublati ab operibus Hieremiæ in illa impressione Brixiensi, quando ibidem viuebat Bandellus, vel saltem Discipuli eius: nam ipse fuit electus ad Generalatum anno 1501. & liber prodiit impressus anno 1502. & in principio Sermonarii fuerunt maleficia dicta patrata, quando in illa Ciuitate magis vigebat opinio minus pia: hinc deducitur per consequentiam etiam euidentem, quòd originalia Auctorum Ordinis Prædicatorum, quoad Conceptionis punctum fuerunt vitiata, & multò magis illa excusa Brixiæ. Qui ergo Brixiæ ausi sunt auferre duos Sermones de Virginis Conceptione, quid miramur, quod in operibus S. Catharinæ impressis in eadem Ciuitate Brixiensi, atque eodemmet tempore, addita fuerit vna clausula contra Conceptionem? Et sic manet confirmatum quod diximus suprà litt. K. num. 201.

Vlterius autem progrediendo in inquisitione Sermonum Hieremiæ ad verificandum illud Aduersariorum assertum: *In multis Sermonibus suis.* In primis, in sermone Purificationis, qui incipit: *Dies purgationis, &c.* hæc extant verba: *Quantum ad primum intro materiam istam per modum quæstionis: Quæritur ergo, quare istud festum dicitur festum purgationis Mariæ, & arguitur sic: Nulla debet purgari, quæ non fuit maculata priùs, sed Virgo fuit sine aliqua macula: ergo, &c. Minor probatur, quia Virgo Maria fuit in tantum sine aliqua macula, quòd Spiritus Sanctus phylocaptus de ea dixit: Quam pulchra es amica mea, & decora. Et infrà: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te, Cant.* 4. *Nota, ter dicitur pulchra, quia fuit pulchra in anima, sine cogitatione mala, &c. Secundo, in ore, non loquendo malum, &c. Tertio, in toto corpore, quia nunquam in aliquo peccauit, &c. Vndè dicit Anselmus lib. de Conceptu virginali: Quod decuit, quòd Virgo ea puritate niteret, quæ sub Deo maior nequit intelligi, &c.* Nò ergo in hoc Serm. est Hieremias pro ipsis liquidèm ter vocat Mariã, *sine aliqua macula.* In ser-

mone

mone Aſſumptionis, quærens, quomodo Deus ſanctificauit Tabernaculum ſuum, id eſt, Mariam, ſolum inquit: *Primò, quidèm in vtero, quia ſanctificata fuit, antequam nata, pleniori gratia, quam Hieremias, & Ioannes Baptiſta,* neque ex hoc aliquid pro ipſorum opinione colligitur, quia fuiſſe ſanctificatam in vtero pleniori gratia, quàm Ioannes, potiùs noſtram inſinuat ſententiam. In ſermone Annuntiationis nullum habet verbum pertinens ad hanc materiam, in Quadrageſimali de peccato à Sermone 6. vſque 11. latiſsimè agit de peccato originali, nullum attamen habet verbum de Conceptione, ſeu Virginis ſanctificatione. Denique in Sermone Natiuitatis, qui incipit: *Memoria mea in generatione*, ſic inquit: *Sexta clauſula: Et facta eſt lux: Ecce Sanctificatio Virginis Mariæ. Vnde facta eſt lux, id eſt, ſanctificata? Nota, facta, Ante ergo quàm eſſet ſanctificata, non erat lux, quia in peccato originali concepta erat. Nota de ſanctificatione eius, prout habetur ſuprà, & de iſta ſanctificatione fit feſtum in feſto Conceptionis Beatæ Virginis, quia neſcitur, quàdo fuerit ſanctificata, ſed bene ſcitur, quàdo fuit concepta, ideò, &c. & ſtatim ſanctificata Virgine fuit factum feſtum in cœlo Pſal. Lux, id eſt, Virgo Maria orta eſt iuſto, ſcilicèt Chriſto; & rectis corde lætitia, id eſt, Angelis, qui ſunt recti, &c.* Hæc ſunt omnia, quæ reperiuntur in Sermonario Petri Hieremiæ. Vide ergo, ò Lector! qua veritate, & fundamento dixerunt Aduerſarii: *Idem tenet in multis Sermonibus ſuis*, & cùm hoc non poſſent verificare, noluerunt adducere auctoritates. Et etiam nota, quod hic facit Hieremias mentionem de illis Sermonibus Conceptionis prætermiſsis ab Aduerſariis, quorum loco poſuerunt Sermonem illum de Sancta Anna, ſeu Natiuitate Virginis, dum dicit: *Nota de Sanctificatione eius aliquid, prout habetur ſuprà.* Si hæc fuit malitia, iudicet ille qui ſolùm poteſt, & eſt viuorum, atque mortuorum Iudex: & hæc de littera, eſt ergo penitùs falſum illud: *In multis Sermonibus ſuis*: illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis Sermonibus.

Quantum ad ſenſum, & ſententiam Hieremiæ, & Sermonibus nunc exiſtentibus in libro illo typis mandato, dico, quòd in primis Sermonibus ſolùm dicit, Virginem Mariam fuiſſe ſanctificatam in vtero matris ſuæ, an verò hæc ſanctificatio fuerit poſt contractionem peccati originalis, vel antè, ex vltima auctoritate ex Sermone Natiuitatis debet indagari, vbi ſecundùm verborum corticem videtur loqui pro opinione minus pia, ſed in rei veritate hæc auctoritas ex integro oſtendit nodum loquendi antiquorum: nota igitur illa verba: *Antè ergo quam eſſet ſanctificata, non erat lux, quia in peccato originali concepta erat, & de iſta Sanctificatione fit feſtum, in feſto Conceptionis Beatæ Virginis, quia neſcitur, quando fuit ſanctificata, ſed benè ſcitur, quando fuit concepta*: ergo Hieremias loquitur de conceptione prima, ſeu generatione facta die 8. Decembris, non de Conceptione ſecunda, ſeu animatione; quia ſolùm ſcitur, quando fuit generata, non autem ſcitur, quando fuerit animata, ſeu concepta, propria, ac rigoroſa conceptione, & ſic loquitur de peccato originali primæ conceptionis carnalis, ſecundùm vniuerſalem æquiuocationem antiquorum, vocantium abſolutè conceptionem illam carnalem, de qua nihil curamus. Vide pro exacta intelligentia, doctrinam ſuprapoſitam ex Sermone Petri Comeſtoris, numer. 242.

Et ſi nolueris pro hac veritate legere extraneos, vide ſaltem tuæ Religionis inſignem Auctorem, ſcilicèt Guillièrmum Pepin Ebroicienſem, qui in libro de Aduentu Domini, ſiuè de Secretis Secretorum, Sermone 1. de de Intemerata Conceptione Virginis Mariæ, qui incipit: *Vidi librum ſcriptum*, &c. folio 287. quem ſic introducit: *Sed tamen præmittenda ſunt aliqua. Primum eſt, quòd ipſa Virgo Sacratiſsima non fuit hodiè concepta*, id eſt, 8. die Decembris, *illa Conceptione, quam veneratur Eccleſia, cuius ratio eſt: Nam Eccleſia non intendit facere feſtum de Maria, niſi poſtquam fuit capax ſanctificationis. Hodiè autem, quando primum ipſam genuit Ioachim, & Anna, non fuit capax ſanctificationis: eo maximè cùm nondum haberet animam rationalem. Sed hoc dictum feſtum referẽdum eſt ad diem animationis ſuæ*, aliqui Dominicani dicunt ad diem ſanctificationis ſuæ, *quando ſcilicèt primum anima eius infuſa eſt corpori ſuo organizato, quòd fortè fuit poſt dies octoginta ab hac die*, ſcilicèt 8. Decembris. *Quia tanto tempore ſecundùm Auguſtinum diſponitur corpus puerile antequam anima introducatur. Sed quia Eccleſia non eſt omninò certa de die præciſa illius Conceptionis ſecundæ, ſeu animationis.* Nota hanc Conceptionem ſecundam, ad diſtinctionem conceptionis primæ carnalis, *eo quòd in aliquibus prædictum tempus, & dierum numerus acceleratur, in aliquibus verò retardatur, ſecundùm quod virtus derelicta in ſemine eſt maior, vel minor; ideò ſtatuit ipſa Eccleſia dictam Conceptionem ſecundam.* Nota iterum hanc Conceptionem ſecundam, *hodiè debere celebrari per mundum vniuerſum. Secundum notandum eſt, quòd Beata Virgo non fuit concepta*, id eſt, conceptione carnali prima, *ſolo oſculo Ioachimi, & Annæ, prout multi ſimplices fatuè credunt; argumentum ſumentes ex eo, quòd vident in Eccleſijs, & pictuvis dictos Ioachim, & Annã mutuo ſeſe oſculãtes, &c.*

Ex hac mutua oſculatione, ſeu muta amplexione Ioachimi, & Annæ viſa communiter, imo ſemper in Eccleſiis & antiquis picturis, tam in imaginibus, quàm in omnibus Breuiariis, occaſionem, & argumenta ſumebant ignorantes, & minus docti ad fatuè errandum, dicentes, quod Virgo Maria oſculo Ioachimi fuerat concepta in vtero Annæ, & quòd cùm hoc eſſet factum die 8. Decembris, ideò Eccleſia celebrabat illam Conceptionem ipſo die. Contra hunc errorem inſurrexerunt Docti, ac Sancti viri, ſicut etiam inſurgit hic Pepin continuando ſuum diſcurſum: *Quæ quidem oſculatio referenda eſt ad illam obuiationem, quæ facta fuit ab ipſis in ingreſſu Ciuitatis Hieruſalem apud portam Auream, prout Angelus Gabriel eis prædixerat. Fuit ergo concepta Virgo Maria ex viro, & muliere, nec tantùm attribuendum eſt Matri, vt derogetur priuilegio Filij ſui, qui ſolus ſine ſemine conceptus fuit.* Sicut hic Pepin loquuntur Bernardus, & omnes alij, apud quos inueniuntur hæc eadem verba, *nam ſicut fuit inter mortuos liber, ita & inter conceptos de muliere, &c.* Hæc & alia habet Pepin in eodem Sermone, ex quibus colligitur qualis fuerit æquiuocatio, vel error antiquorum ignorantium, atque mens Doctorum ſapientium, & impugnantium hanc falſam, & ineptam doctrinam. Aduerſarij autem, vel ex ignorantia, vel ex malitia, omnia dicta ab antiquis Patribus, contra Conceptionem illam primam, ſeu carnalem generationem, transferunt ad conceptionem ſecundam animationis, ſeu vnionis animæ ad corpus. Et ſic confuſio confuſionum cecidit ſuper omnes.

Pro maiori confirmatione do tibi alterum teſtimonium eiuſdem Auctoris ex libro de Imitatione Sanctorum, in Sermone de Conceptione Virginis, qui incipit: *Fundamenta eius in montibus ſanctis, &c.* Vbi in principio agendo de diſtinctionibus Conceptionis Chriſti, & Mariæ, apponit ſequentes: *Primò, quia prima facta eſt ſine virili ſemine, ſed tantùm Spiritus Sancti virtute ſuperueniente. Secunda verò ex viro, & muliere, videlicèt, Ioachim, & Anna per opus coniugale. Illi ergo ſimplices valdè ſe decipiunt, qui credunt, Dei Genitricem Mariam ſolo oſculo Ioachimi, & Annæ ſibi mutuò obuiantium, in introitu portæ Ciuitatis Hieruſalem (quæ Aurea dicebatur) fuiſſe conceptã. Tum ſecundo, quia Chriſtus mox conceptus animatus fuit, adeò quòd ſtetit nouem menſium ſpatio plenus vita intellectiua in matris vtero. Virginis autem corpus (ſicut & cætera humana corpora) prius fuit ſub forma vegetatiua, deindè ſub forma ſenſitiua, & poſtremò ſub forma intellectiua, ſicut de embryone dicunt Phyloſophi. Feſtum ergo, quod hodiè facimus de Conceptione Virginis Mariæ, non eſt referendum ad diem præſentem determinatè, hoc eſt, ad diem, quo primo concepta eſt, & genita ex Ioachim, & Anna.* Notate, Patres mei, hæc verba: Chriſtus mox conceptus, animatus fuit, in vno, eodemque die, hora, ac momento, Maria autem primo concepta eſt, & genita ex Ioachimo, & Anna, & animata non eodem momento, neque hora, neque die, & fortè nec menſe, & ſic dicentes, quòd Conceptio Mariæ non debet celebrari, niſi per ordinem ad ſecundam Conceptionem, animationem, vel Sanctificationem rectè dicebant: *Potiſſimè*, proſequitur Guilliel. Pepin, *cùm huiuſmodi embryo, ſuè materia adhuc eſſet res inanimata, quæ gratiæ capax non eſt. Sed referendũ eſt huiuſmodi feſtum, ſecundùm intentionem Eccleſiæ ad illum diem, in quo primo caro Virginis ſuſcepit animam rationalem. Et quia talis dies nondum innotuit Eccleſiæ, accepit diem certum, ſcilicèt, hodiernum diẽ*, videlicèt, octauum Decembris, *pro incerto, quaſi eſſet certa de die illo, ſicut forſitan aliquando fiet, nequaquam hodiè, ſed tunc celebraret feſtum huiuſmodi Conceptionis. Do exemplum de feſtis, quæ transferuntur in alium diem, propter impedimentum occurrens. Tum tertio differunt prædictæ duæ Conceptiones, eo quòd Conceptio Chriſti non potuit aliter eſſe, quàm ſancta, pura, & immaculata; Conceptio autem Virginis Mariæ, niſi diuinitùs, & ſpecialiſſima Dei gratia fuiſſet præuenta, & præſeruata, vtique fuiſſet vitioſa, polluta, & maculata, ſicut & conceptiones cæterorum hominum, & ideò ipſa in recognitionem tanti priuilegij, ac beneficij potuit dicere humiliter, quod Phariſæus dicebat arroganter, videlicèt, Gratias tibi ago, Domine, quia non ſum ſicut cæteri hominũ, &c.* Ex omnibus his colligitur, quòd inter Doctores antiquos dicentes hanc propoſitionem, vel propoſitiones: Conceptio Mariæ non fuit ſicut Conceptio Chriſti, quia non eſt tantum tribuendum Matri, vt derogẽt priuilegio Filii. Et ſic non debet celebrari, niſi per ordinem ad animationem, vel ſanctificationem, & quia fuit in peccato, vel peccatis concepta, vitioſa, polluta, & maculata: dum tamen non exprimant, in Conceptione ſecunda, vel ſua animatione (vt aliqui in hoc Ventilabro relati fecerunt vel colligatur ex antecedentibus, aut conſequentibus) in rei veritate nihil dicunt contra immaculatam Virginis Conceptionem, & præſentem controuerſiam. *In multis* ergo *Sermonibus* Hieremiæ, ſeminaſtis,

Patres mei, multum, ſed intuliſtis parum.

(*:*)

PETRVS Lombardus, Magiſter Sententiarum, Epiſcopus Pariſienſis, in 3. Sentent. diſt. 3. *Turrecremat. part. 6. cap. 27. fol. 111. Anonym. Auctore 153. Bandell. cap. 8. Deza fol. 14. Vinc. Gryſal. Capreol. Caſtell. Soncin. S. Antoninus Barelet. Brixienſ. Iuſt. Miechouien.*

VERITAS 246.

EX Nomine tantum cognoſcitur Auctoris magnitudo, cuius opera fuerunt paſsim typis mandata, & vltimo Lugduni 1618. in 8. Regal. atque in diuerſis partibus; vidi quatuordecim originalia manuſcripta; cuius primam auctoritatem ſic adducunt Aduerſarii: Et quia Dominus Petrus Lombardus, Epiſcopus Pariſienſis, Doctor egregius, maximus diuinorum eloquiorum perſcrutator extitit, & veluti apis argumentoſa, omnium illuſtrium Doctorum antiquorum Sententias, atque Flores, in vnum volumen compendioſè redegit, & ab hoc Magiſter Sententiarum eſt appellatus; idcirco eius teſtimonium primo loco adducere decreui, vt ipſe nobis referat, quid de Conceptione B. Virginis Sancti Doctores ſecundùm fidem Catholicam tenendum poſteros docuerunt. Hic igitur in 3. Sententiarum diſtinct. 3. quæſt. 1. tale de Chriſto, & Matre eius profert teſtimonium: *Sanè*, inquit, *credi oportet iuxta Sanctorum atteſtationis conuenientiã: ipſam carnem Filij Dei antequam conciperetur, peccato fuiſſe obnoxiam in Maria, ſicut reliqua Virginis caro. Sed poſtmodum Spiritus Sancti operatione ſuperueniẽte, ita mundatam fuiſſe, vt ab omni peccati contagione immunis vniretur Dei Verbo pœna tantum (non neceſsitate, ſed voluntate aſſumentis) remanente. Mariam quoque totam (Spiritus Sanctus in eam veniens) à peccato prorſus mũdauit, & à fomite peccati liberauit: vel fomitẽ ipsũ penitùs euacuãdo, vel ſic debilitãdo, & extenuãdo, vt ei poſtmodũ peccati occaſio nullatenùs extiterit. Quod autẽ ex tũc ſacra Virgo ab omni peccato immunis extiterit, Auguſtinus euidẽter oſtẽdit, in lib. de Natur. & gratia, inquiens: Excepta Sãcta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullã prorſus cum de peccatis agitur, habere volo quæſtionẽ. Inde enim ſcimus, quòd ei plus gratiæ fit collatum, ad vincẽdum ex omni parte peccatũ, quæ illum concipere, & parere meruit, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.* Textus, & verba Magiſtri communia ſunt, & vna tàm in originalibus impreſsis, quàm in omnibus Commentatoribus, & ſic illa non trãſcribo; proponam tamen breuiter, in quibus Aduerſarii, quoad litteræ puritatem deuiarunt à veritate. Primò, prætermiſerunt illud, *Sanè dici poteſt*, vt ſic auferrẽt à Magiſtro verba dubitatiua, & ſolùm poſuerũt aſſertiua, vt problema facerent concluſionem, & non quomodocumque, ſed peſsima intẽtione, nam ly, *dici*, reduxerunt in ly, *credi*, & ly, *poteſt*, in, *oportet*, vt ſic reducerent quæſtionem opinabilem, ad neceſsitatem fidei. Secundo, no dicit, cõmuniter *atteſtationis*, ſed, *atteſtationes*. Tertio, addiderunt illa, *carnem Filij Dei*, quæ in Magiſtro non extant. Quarto, etiã malitiosè addiderunt, *Antequã conciperetur*. Quinto, vbi Magiſter, *ipſam priùs peccato*; ipſi abſtulerunt ly, *ipſam*, & ly, *priùs*. Sexto abſque vllo timore addiderunt illud, *In Maria*, vt ſic verba Magiſtri generaliter dicta determinarẽt ad Mariam, & ſubſequentia maiorem pro ipſis haberent vim. Septimo, eadem malitia vbi Magiſter, *Sed Spiritus S. operatione*; ipſi addiderũt ſed *poſtmodũ*, vt ſic priùs infectam proponerent Virginis Mariæ carnem in ſeipſa. Octauo, addiderunt illud, *ſuperueniente*, vt ſic verba Magiſtri intelligerentur de illa ſuperuentione Spiritus S. facta antè Incarnationem. Nono, ad maiorem expreſsionem addiderunt illud, *fuiſſe*. Decimo, iniquè, & peruersè, vbi Magiſter, *præueniens*; ipſi appoſuerunt, *veniens*, videntes quia verbũ illud, *præuenies*, totam ipſorum machinam ſubuertebat. Vndecimo, vbi Magiſter, *purgauit*; ipſi, *mundauit*, quia hoc verbum expreſsiùs ſupponebat immunditiam, quam illud, *purgauit*. Duodecimo, abſtulerunt illud, *etiam*, quod nimis conducit ad intelligentiam totius auctoritatis. Decimotertio, eadem intentione prætermiſerunt illud, *vt quibuſdã placet*, vt completã facerent Magiſtri reſolutionẽ. Decimoquarto, tacuerunt ſequentia verba, *Potentiã quoque generandi abſque viri ſemine Virgini præparauit*. Decimoquinto, poſt hæc verba, tranſeuntes 26. lineas, id eſt, totum integrum caput primum, ſequentia verba: *Quod autẽ ex tunc, &c.* aſſumpſerunt ex 2. cap. & ſic ex duplici capite compoſuerunt vnam, & indiuiſibilem auctoritatẽ. Sed in hac ſecunda auctoritatis parte antepoſuerunt aliquas dictiones, ſed nec minimũ mutarũt, aut alterarunt verbum, quia illã iudicarunt ſufficiẽtẽ ad probandũ ſuum intentũ de peccato actuali poſt Incarnationẽ. Vide ergo, ò Lector! quomodo Magiſter Sententiarum eſt pro ipſis, ſi in ſola dimidia auctoritate neceſſe fuit illis addere quindecim vitia, quarum aliqua ſunt adulterationes peſsimę, & capitaliſsimæ? Deniq; inquire, vbi in hac auctoritate Magiſtri ſũt verba illa: *Quid de Conceptione B. Virginis Sancti Doctores, ſecundùm fidẽ Catholicã tenendum poſteros docuerunt?* Quando Magiſter neque in illa diſtinct. 3. nec in alia verbum vnicum habet de Conceptione Virginis Mariæ, ſed ſolùm loquatur de carne Chriſti, &c. Neque ibi aliquid habet de fide Catholica.

Licèt ergo hæc auctoritas ab omnibus explicetur Doctoribus, breuiter tamen dico ad illã, quòd in ea nihil eſt contra immaculatam Virginis Conceptionem: nam hìc non agit Magiſter, an B. Maria contraxerit peccatum originale, necne? Solùm enim inquirit de carne illa, quæ in inſtanti Incarnationis deciſa fuit à Maria ſine manibus, id eſt, ſine viri operatione, vt ad illam vniretur Verbum: An ſcilicèt illa caro obnoxia, & obligata fuerit peccato, ſicut priùs fuerat omnis alia Virginis caro in parentibus ſuis? Ad quam quæſtionem reſpondit, quòd caro illa priùs erat obligata, & obnoxia peccato, ſicut priùs fuerat omnis alia Virginis; at ſuperuentione Spiritus Sancti, caro illa indiuidua, ſiuè particula illa deciſa pro Incarnatione, ſeu Aſſumptione Verbi ita purgata, mundata, & purificata fuit, vt nullomodo obligata, vel obnoxia remanſerit peccato, ſicut manebat obnoxia, & obligata reliqua Virginis caro. Vndè ſi Virgo Maria poſt Verbi Diuini Incarnationem haberet alios filios ex Ioſepho, vt iniquè dixerunt aliqui Hæretici, licèt aliàs Virgo Maria fuiſſet præſeruata in vtero à peccato originali, & ab illo ſanctificata, filii Mariæ, & Ioſephi abſque dubio contraherent originale, quia reliqua caro Virginis in ordine ad generationem, non manebat formaliter abſoluta ab illa obligatione, & reatu, præcipuè in ſententia illorum affirmantium, fomitem fuiſſe ſolùm ligatum, non extinctum: ad modum quo nunc manet in carne mulieris baptizatæ, cui nullum eſt originale peccatum, & tamen naſcuntur filii cum originali. Quod autem iſte ſit genuinus ſenſus verborum Magiſtri, comprobatur ex titulo Diſtinctionis, qui ſic ſe habet: *De carne, quam Verbum aſſumpſit, qualis anteà fuerit, & qualis aſſumpta ſit?* De qua carne indiuidua affirmat, quòd antequam aſſumeretur, erat obligata, & obnoxia peccato, ſicut reliqua Virginis caro fuerat, quando Spiritus Sanctus in eam venit, ſiuè per præſeruationem, ſiuè per Sanctificationem in ſua animatione, licèt enim tunc Spiritus Sancti ſanctificaret animam, & carnẽ Virginis in infinitum, ſi ex illa carne generaretur filius opere virili, & non ſuperueniente Spiritus Sancti gratia in myſtico ſpiramine, filius ex vi generationis conciperetur in peccato. Nonnè hoc etiam patet ex propoſita quæſtione Magiſtri dicentis: *Quæritur etiam de carne Verbi, an priuſquam conciperetur, obligata fuerit peccato; an & talis aſſumpta fuerit à Verbo?* Hęc quæſtio eſt de Conceptione actiua, id eſt, de Incarnatione Verbi, non de paſsiua Conceptione, ſeu animatione Mariæ. Hæc quæſtio eſt de carne, non de anima, & de carne in ordine ad vnionem hypoſtaticam. Demus, Virginem cõtraxiſſe peccatũ originale, & ab ipſo fuiſſe ſanctificatam, non poſt horam, vel diem, vt vos dicitis, ſed poſt menſem, & annum illa caro iam erat ſanctificata: ſi ſanctificata, ad quid ſuperuenit Spiritus Sanctus tempore Incarnationis? Dicite quidquid volueritis, cum Magiſtro, vel ſine illo, dum tamen ſit cum fide, & Eccleſia, quia ad hoc etiam ſuperuenit ſuppoſita præſeruatione. Et de hoc ſit ſatis, Lector; quia iterum Magiſter te vocat.

Secundam auctoritatem ſic adducunt. Et modicũ infrà: *Quamvis*, inquit, *caro illa Chriſti (cuius excellentia ſingularis verbis explicari non poteſt) antequam eſſet Verbo vnita, obnoxia fuerit peccato in Maria, & etiam in alijs, à quibus propagatione tradũcta eſt, quia tamen ſine vlla libidine concepta eſt, ideò caro Verbi non fuit in Chriſto obligata peccato, aſſumpſit enim non carnem peccati, ſed ſimilitudinem carnis peccati. Aſſumpſit enim Verbum carnem peccatrici ſimilem in pœna, & non in culpa. Cætera enim hominum caro, peccati caro eſt; ſola illius non eſt caro peccati, quia non eum mater concupiſcentia, ſed gratia concepit. Licèt ergo eadem ſit caro Chriſti, quæ & noſtra, non tamen ita facta eſt in vtero, ſicut noſtra: eſt enim ſanctificata, & nata in vtero ſine pectato, nec ipſe in illa vnquam peccauit. In pœna ergò eſt ſimilis carni noſtræ, non tamen in qualitate peccati, quia in pollutionem, quæ ex cõcupiſcentiæ motu eſt, omninò non habuit, neque ex carnali delectatione concepta fuit. Hæc ille.* Videamus ergo, in quantis hæc ſecunda auctoritas eſt vitiata, & adulterata. Primò, malitioſè appoſitum fuit illud, *Et modicum infrà*, vt intelligerent legentes, hæc verba eſſe quaſi continuata cùm antecedentibus, quando illa primæ auctoritas ſunt ex cap. 1. & hæc ex cap. 3. Et mediantibus duobus capitulis dicitis, *modicum infrà*. Secundo, vbi Magiſter, *Cum autem illa caro*; ipſi ſic, *Quamvis caro illa Chriſti*, nam Magiſter abſolutè loquitur de carne, prout à Maria deciſa quaſi antè vnionem; ipſi vero illam contraxerunt ad Chriſtum: illud, *non poteſt*, quod in textu eſt, non *valet*, nõ eſt vitium capitale, quia nec variat ſenſum, nec pertinet ad aſſumptum, ideò hæc, & alia his ſimilia ſemper prætermittimus. Tertio, vbi Magiſter, *In Maria, & in alijs*; ipſi ſic, *In Maria, & etiam in alijs*, nam ly, *etiã*, hic eſt emphaticum, & cauilosè poſitum. Quarto, ab illo verbo, *tradũcta eſt*, in Magiſtro eſt lõgus diſcurſus continens ferè integram paginam de decimatione in lumbis Abraham, quæ omnia prætermiſerunt Aduerſarii. Quinto, fabricarunt ex proprio cerebro totam illam clauſulam, *Quia tamen ſine vlla libidine concepta eſt, ideò caro Verbi non fuit in Chriſto obligata peccato*; quod eſt totius Aduerſariorum ſententiæ fundamentum, niſi enim adderent hanc clauſulam, nihil inueniebant in Magiſtri textu. Sexto, prætermiſſo integro capite 3. faciẽdo vnam continuam orationem, tranſierunt ad caput 4.

Septi-

Septimo, ex his verbis Magiſtri: *Quo circa primitias noſtræ maſſæ, rectè aſſumpſiſſe dicitur Chriſtus, quia non carnem peccati, ſed ſimilitudinem carnis peccati accepit*, compoſuerunt pro ſuo libito ſolùm iſta: *Aſſumpſit enim non carnem peccati, ſed ſimilitudinem carnis peccati.* Octauo, vbi Magiſter, *Et non in culpa, & ideò non peccatricem*; ipſi prętermiſerunt illud, *Et ideò non peccatricem*. Nono, vbi Magiſter, *Cætera verò hominis omnis caro peccati eſt*; ipſi ſic, *Cætera enim hominum caro, peccati caro eſt*, mutauerunt ly, *enim*, abſtulerunt ly, *omnis*, & reduplicauerunt ly, *caro*. Decimo, poſt illud verbum, *concepit*, prætermiſerunt duas integras lineas. Vndecimo, vbi Magiſter, *Eſt enim ſanctificata in vtero, & nata ſine peccato*; ipſi ſic, *Eſt enim ſanctificata, & nata in vtero ſine peccato*, quæ ſunt longè diuerſa: nam ſanctificari in vtero, & naſci ſine peccato, vt dicit textus, habuerunt Maria, Ioānes, & Hieremias, at ſanctificari, & naſci in vtero ſine peccato, ſolus Chriſtus, & Maria; ex ſola enim antepoſitione vnius vocis totum peruersè adulterarūt ſenſum. Duodecimo, vbi Magiſter, *Et nec ipſe*; Aduerſarii abſtulerunt illam coniunctionis notam, *Et*. Decimotertio, vbi Magiſter, *Similis eſt noſtræ*; ipſi addiderunt ly, *carnis* noſtræ. Decimoquarto, vbi Magiſter, *Quia pollutionem quæ ex concupiſcentiæ motu concepta eſt*; ipſi ſic, quia *in* pollutionem, quę ex concupiſcentiæ *motu eſt*, addiderunt ly, *in*, & abſtulerūt ly, *concepta*. Decimoquinto, vbi Magiſter, *Neque ex carnali delectatione nata eſt*; ipſi ſic, Neque ex carnali delectatione *concepta fuit*, ponentes pro, *nata*, vocem, *concepta*, vt ſic totam auctoritatem ad ſuum reducerent ſenſum. Decimoſexto, prætermiſerunt ex malitia, vt non dicam deprauata intentione, quatuor vltimas lineas, quibus Magiſter ſuum concludit diſcurſum, complet ſententiam, & finem dat capiti, ſic: *Venit ergo, & corpus immaculatum, quod præter libidinis concupiſcentiam fuit conceptum: nec illud in ſe habuit vitium, quod in aliis eſt cauſa peccati, nec in eo peccauit. Ideòque verè dicitur, Verbi caro non fuiſſe in Chriſto obligata peccato.* Loquitur ergo de generatione, ſeu illa prima carnali cōceptione, in qua eſt vitium libidinis, & concupiſcentiæ, quod in aliis fuit, & eſt cauſa peccati: cùm ergo hæc cauſa non fuerit in Chriſti generatione, ideò caro illius non fuit obligata peccato; at Virginis Mariæ caro in hac acceptione fuit obligata peccato. Sed quid indè contra animationem, & peccatum originale formaliter? Hucuſque textus Magiſtri Sententiarum, cui poſſumus dicere: Magiſter aſpice, quales lapides, & quales ſtructuræ in tuis verbis ſunt poſitæ?

De hac auctoritate idem dicimus, quod de antecedenti, nam ſi fuerunt neceſſarię ſexdecim adulterationes, vt ipſam coaptarent ad ſuum propoſitum: ergo ex ſe opinioni Aduerſariorum non fauet. His adiunge quindecim vitia auctoritatis præcedentis, & triginta & vnam numerabis falſitates. Si ergo in ſolo vno Doctore, qui regula eſt, & norma omnium Scholaſticorum, cuius textus colitur, quaſi eſſet ſacer inter Theologos, ac ſemper exponitur, & declaratur, nunquam verò contradicitur, aut impugnatur, ita enormiter vitiarunt, vt poſſet dicere Magiſter: Triginta vna magis accepi, quid agerēt in aliis Auctoribus minus tritis, & incognitis? Nec poſſunt recurrere ad diuerſa originalia, quia vidimus vndecim impreſſiones diuerſas, & duodecim manuſcripta, & in nulla extant Magiſtri verba, vt ab Aduerſariis adducuntur, ſed in omnibus reperiuntur eodem modo, ſicut modo circunferuntur. Neque in his volo comprehendere Ioannem de Turrecremata, quia hic fideliter tranſcripſit Magiſtrum, ſed arguo, & redarguo Bandellum, Petrum de Vincētia, & alios; quorum nullus pro re tam graui legit Magiſtrum, ſed cùm primus peſſima intentione vitiaſſet, omnes alii ſecuti ſunt vanitates. & inſanias falſas.

PETRVS Mediolanenſis, in Apparatu Decreti, in cap. Firmiſsimè, de Conſecrat. diſt. 4. *Turrecrem. part. 6. cap. 36. fol. 126. Anonymus Auctore 182. Bandell. cap. 19. Dezza fol. 30. Vincent. & Gryſald.*

VERITAS 247.

QVID QVID In antecedentibus ſparſim diximus, hìc recapitulare debemus ſequentibus ſuppoſitionibus. Et prima ſit, quod de hoc Petro Mediolanenſi, Canoniſta, nullam faciunt mentionem, Ioannes Baptiſta Zilletus, Ioānes Fichardus, Valentinus Forſterus, nec aliquis alius Nomenclator Iuriſconſultorum. Nec Scriptores de Mediolanēſi Ciuitate, vt Saluator Vitalis, & Bernardin. Corius, Triſtanus, Ioannes Maria, Eugenius Cataneus, & alii, quorum opera tribus tomis circunferuntur, impreſſ. anno 1623. & 27. & 28. Imò neque fuit aliquis Scriptor Iuriſta, vel Theologus, vocatus Petrus Mediolanenſis, niſi quidam dictus Petrus Graſſus, Mediolanen. de quo in Repetitionibus Iuris Canonici volumine 3. à fol. 155. col. 3. vbi extat quædam eius Repetitio in cap. Cum ad ſedem de Reſt. ſpol. ſed ibi nihil extat circa Conceptionis Myſterium.

Secunda ſuppoſitio eſt, quòd huius auctoritatem ſic adducit Turrecremata: Item ad idem eſt Magiſter Petrus Mediolanenſis, in Apparatu ſuo Decreti, in cap. Firmiſsimè benè, ita dicit arguendo: *Quòd B. Virgo, Ioannes Baptiſta, & Hie-*

Hieremias sunt cum peccato originali nati, cùm constet, eos per concubitum maris, & fœminæ esse conceptos. Sed dic, quòd duæ sunt natiuitates, scilicèt, in vtero, & ex vtero, in vtero nasci, est, animam corpori infundi, ex vtero nasci, est, in lucem prodire. Prædicti cum originali peccato fuerunt nati in vtero: Vndè Beatæ Mariæ Conceptio non debet celebrari, quia fuit in peccato concepta, sed post fuit sanctificata in vtero. Hæc ille. Nota, & scrutare, Lector, quid voluerit indicare Turrecremata in illa voce: *benè, ita dicit arguendo*, quia non capio hæc verba. Bandellus verò, & alii sic: Idem tenet Dominus Petrus Mediolanensis, in Apparatu suo super cap. Firmissimè, de cõsecratione distinct. 4. *Beatæ*, inquit, *Mariæ Conceptio non debet celebrari, quia fuit in originali peccato concepta. Hæc ille.* Abstulit autem astutè Bandellus notam, seu citationem illam Decreti, cap. Firmissimè, & omnia verba illa, quæ erant quasi per se nota, & indicantia locum, vbi extabat hæc auctoritas; nam est illa, quam suprà num. 125. adduxerunt in Hugone Ferrariensi, & extat in Decreto dist. 4. cap. Firmissimè ad marginem, sed ibi non sunt arguendo, vt dicebat Turrecremata.

Tertio suppono, quòd in ipso corpore Iuris Canonici, & vt explicetur Gratiani textus, sunt quam plurimæ Glossæ, Adnotationes, Additiones, Casus, &c. aliæ verò sunt citationes, ac Notatiunculæ Marginales, & omnes istæ fuerunt à distinctis Auctoribus, diuersisque temporibus, ad pleniorem Gratiani textus intelligentiam additæ, ac singulæ ex maiori parte habent adnotatum sub abbreuiatura nomen sui Auctoris, v.g. aliquæ habent hanc notulam: *Hug.* vel tantum *H.* in signum quòd sunt Hugonis, vel Hugutii (his enim duobus nominibus vocatus communiter fuit primus Decreti Glossator) aliæ autem habent inscriptionem hanc: *Ioan.* vel *Io.* & his demonstratur, Glossas illas esse Ioannis Theutonici, qui fuit Ordinis Prædicatorum, & secundus Decreti Glossator. Aliæ habent hanc: *Bart.* quia sunt Bartholomæi Brixiensis, tertii Decreti Glossatoris, aliæ habent: *Ber.* vel tantum: *B.* & istæ sunt Bernardi Papiensis, aliæ habent hanc inscriptionem: *Ioan. de Fant*, quia ab isto Auctore fuerunt additæ, & inscribuntur sic ad distinctionem illarũ Ioannis Theutonici Dominicani. Istum autẽ Ioannem de Fant. existimo esse illum, de quo Gesnerus fol. 434. colum. 2. *Ioannes de Fauno, Ordinis Prædicatorum, Lombardus, scripsit Summam Iuris, & tabulam super Decretales, &c.* Aliæ autem habent hanc subscriptionem: *Lau.* & istæ sunt Laurentii Canonistæ, seu Calcanei dicti, aliæ inscribuntur sic: *Arch.* in signum, quòd sint Archidiaconi, nonnullæ denique notantur sic: *Petr.* quia Auctor illarum fuit quidam Petrus, de quo hic, sed nullibi indicatur, fuisse Mediolanensem, sed admittamus cognomen.

Quarto supponendum, quòd omnia superiùs dicta sunt de Glossis existentibus in ipso corpore Iuris, de quibus quandoque in ipsis dicitur (vt dist. 3. de Pœnit. cap. Quærat, in ordine 44.) Item in hac opinione est R. G. & H. id est, a tribus Doctoribus: ergo istæ Glossæ recollectę fuerunt ab aliquo posteriore, sed quidquid sit de his: marginales notulæ a nullo istorum fuerunt positę, sed ab alio hucusque incognito Doctore. Et ratio est euidens; nam ferè in omnibus Notationibus huiusmodi marginalibus, dicitur ad finem sententiæ: *Secundù Lau.* id est, secundùm Laurentium: *Secundùm Ber.* id est, secundùm sententiam Bernardi: *Secundũ Hug.* id est, secundùm explicationem Hugonis: *Secundùm Ioan.* id est, Ioannem Theutonicum: *Secundùm Arch.* id est, Archidiaconũ, &c. Ergo istæ notæ marginales non fuerunt appositæ ab ipsis antiquis Glossatoribus, sed ab aliquo alio posteriore. Item comprobatur euidentiùs, quia in octo originalibus manuscriptis existentibus in Biblioth. Regia Scorialis, & Ecclesia Sancta Toletana, reperiũtur Glossæ omnium prædictorum Auctorum, existentes in corpore Decreti, sicut modo extant in impressis, sed nulla marginalis adnotatio: ergo signum est, quòd istæ Notulæ Marginales fuerunt posteà ab aliquo alio Marginatore additę tempore impressionis, vel parum anteà.

Quinto supponendum, quòd quàm plurimæ Glossæ tàm ex existentibus in corpore Decreti, quàm in ipsa margine, sunt absque aliqua notula, id est, sine Auctoris nomine, & sic de istis nullum possumus facere certum iudicium; videtur tamen non fuisse suprapositorum Doctorum: nam essent subscriptæ, sicuti sunt aliæ, cum igitur non sint subscriptæ: ergo sunt alterius Glossatoris incogniti, sed etiam in his extat magna confusio: nam v.g. (vt loquamur secundùm subiectam materiam) in 3. distinct. de Consecrat. cap. Pronuntiandum, quod est in ordine 1. ad illa verba: *Natiuitas S. Mariæ*, extat in omnibus impressionibus hæc Glossa: *Natiuitas. De festo Conceptionis nihil dicitur, quia celebrandum non est, sicut in multis Regionibus fit, & maximè in Anglia, & hæc est ratio, quia in peccatis concepta fuit, sicut cæteri Sancti, excepta vnica persona Christi. Similiter de Annuntiatione Sanctæ Mariæ nihil dicit, cùm sit tamen celebre festum. Hug.* Hæc Glossa, quæ in omnibus originalibus impressis habet subscriptionem *Hug.* indicantem esse Hugonis, seu Hugutii, in aliquibus originalibus manuscriptis, existentibus in Scoriali, nullam habent notulam, & sic ex hac parte iam potest dubitari, an fuerit Hugonis? In alio manuscripto existente in Sancta Ecclesia Toletana, habet duas

notu-

notulas, *H. La.* ad insinuandum, quòd sit Hugonis, & Laurentii: in altero similiter, *Hu. La.* sed in altero sunt istæ, *H. P.* id est, Hugonis, & Petri. Hæc omnia videntur incompatibilia: nã illa Glossa non potuit esse nisi vnius Glossatoris tantummodo. Item appono aliud exemplum. Dist. 4. de Consecratione, cap. Per Baptismum, in ordine 2. ad illud: *Nisi forte miraculo*, extat Hæc Glossa: *Miraculo: vt in B. Maria, & in Ioanne Apostolo, quia neuter eorũ potuit peccare. Item natiuitas Mariæ in vtero non celebratur, sed Natiuitas ex vtero benè.* Et in omnibus impressionibus caret notula Auctoris, & similiter in aliquibus originalibus manuscriptis, sed in vno originali manuscripto S. Ecclesiæ habet has notulas, *La. B.* id est. Laurẽtii, & Bernardi, vel Bartholomæi, in altero solùm *La*, in alio habet hanc *Io*, id est, Ioannis, & in altero *Bn. D.* Et sic totum hoc scatet inextricabilibus confusionibus: siquidem originalia impressa, & manuscripta correspondent in littera textus, ita vt nec in apice discrepent, at in Auctoribus notatis, seu insinuatis per illas litteras, vt vidimus, absolutè variant.

Sexto, supponendum, quòd in eadem dist. 4. cap. Firmissimè tene (Et fortè hoc voluit dicere Turrecremata in illo, *benè*, fuit enim error Typographiæ pro, Firmissimè *tene*) in ordine 3. extat hæc nota, seu Glossa, quæ petra scandali est: *Vt hoc melius intelligas, scias, quòd duæ sunt natiuitates, scilicèt in vtero, & alia ab vtero: in vtero nasci, est, in vtero animam corpori infundi: Ex vtero nasci, est, ex vtero in lucem prodire. Vndè B. Virgo, & Ioannes Baptista, & Hieremias cum originali peccato nati fuerunt in vtero, & hoc vult dicere littera, capit. In principio: ibi: Omnem hominem, &c. vndè Conceptio Beatæ Mariæ non debet celebrari, sed Natiuitas ex vtero benè celebratur, & S. Ioannis, quia fuerũt in vtero sanctificati, & eis fuit dimissum originale peccatum. H.* Hęc vltima littera indicat, hanc marginalem Glossam esse Hugonis, sed hoc videtur impossibile. Tũ, quia in his marginalibus notis passim citantur Archidiaconus, Hugo, Laurentius, Petrus, &c. qui diuersis vixerunt, & scripserunt temporibus: ergo non istti Glossatores, sed alius quidam Marginator apposuit prædictas Glossis. item, quia in multis Glosis huiusmodi marginalibus (vt suprà notauimus, suppositione 4.) posita sententia marginali dicitur: hæc dicta sunt, *secundùm Hugonem*, vel *secundùm Laurentium*, vel *secundùm Ioannem*. Cùm his ergo verbis quomodo compatitur, quod prædictæ marginales Glossæ sint Hugonis, Laurentii, vel Ioannis? Item, quia istæ notulæ marginales, & perconsequens suprapositæ, de qua est nostra controuersia, nullomodo est in octo originalibus manuscriptis, & tamen in ipsis sunt Glossæ Hugonis, & aliorum Glossatorum existentiũ in impresso Decreto, ac in corpore Glossarum: ergo istæ Glossæ marginales non sunt Hugonis, Ioannis, &c. sed alicuius posterioris. Quibus adde, quod cum istæ Glossæ marginales sint in omnibus originalibus impressis, hæc contra Virginis Conceptionẽ non extat in impressione facta Venetiis per Ioannẽ de Tortis, anno 1485. & cùm hæc videatur prima, nescio vndè irrepserit in aliis? Denique in editionibus Parisiensibus, factis anno 1536. & 1542. sunt prima verba propositæ auctoritatis vsque ad illud, *prodire*, alia vero, *vndè B. Virgo*, absolutè desunt, vt diximus num. 125. ergo ex omni parte videtur, Glossam istam non esse Hugonis, vel Hugutii, sed alterius N. incogniti, qui malitiosè adiidit illam notulam, *H.* Item nota, quod hæc eadem Glossa marginalis etiam absolutè deest in Decreto impress. Parisiis ann. 1544. in 4. vt videre est fol. 561. imò ad capite Pronuntiandum, fol. 558. ad marginem extat hæc Glossa: *Virgo B. fuit sine originali concepta, quidquid dicat Gloss. & sentientes cum Gloss. sunt hæretici, textus est in Extrauag. Sixti IV. quæ incipit: Graue nimis, de Reliq. & Venerat. Sanct.* Et hæc nullam habet subscriptionem Auctoris. En habemus, Patres, Glossam contra Glossam?

Septimo supponamus, illam Glossam esse Hugonis, vt indicãt originalia impressa, & Aduersarii dixerunt suprà num. 125. quomodo ergo si est Hugonis, nunc etiam est Petri Mediolanensis Glossatoris Decreti? Nam in toto Decreto non est alia Glossa similis illi adductę pro Petro Mediolanensi, nisi apposita in suppositione antecedẽti, & vndè potest vna, & eadem Glossa duobus dominis seruire? Et quid si esset tribus. Nam hanc eandem auctoritatem hìc adductam pro Petro Mediolanensi, ad litteram dederunt suprà numer. 173. in Ioanne Gallico Glossatore Decreti, nullo ferè mutato verbo, lege ipsam ibi. Ex relatis ergo principiis, suppositis secundùm veritatem deduco hanc breuem conclusionem, scilicèt, Glossam istam marginalem, & scandali petram in Decreto, non esse Hugonis, seu Hugutii, & multò minùs Petri Mediolanensis, sed cuiusdam Patris Dominicani, qui in agro Domini voluit seminare zizaniam istam; sed dato, quòd esset Hugonis, vel Ioannis Theutonici, aut alterius Glossatoris ex suprà numeratis, quid indè? Non enim omnia, quæ sunt in Decreto, sunt Decreta, nec quæ extant in titulo de Consecratione, sunt consecrata, nec illa quæ dicuntur ad cap. Firmissimè tene, sunt firmiter tenenda, sed in Decreto multa fuerunt firmiter despicienda, sicut Glossæ illæ ex mandato S. Officii Inquisitionis expunctæ, quia damnatæ, de quibus non facio specialem mentionem; quia nolo ruinas antiquas, ac iam dissipatas erigere. Vide, & nota expunctiones ta-

factas in editione Parisiensi. per Antonium de Mochare, an. 1561. & si adhuc vultis, quod subsistant Glossæ, signate causam, quare subsistere debeat illa marginalis ex cap. Firmissimè, & nō marginalis, ex cap. Pronuntiandum. Concludimus ergo, quòd Petrus Mediolanensis sine fundamēto, ac veritate fuit adductus, quia Glossa Decreti ipsi hic adscripta habet alios septem Patres, seu Auctores.

PETRVS De Palma, siuè de Polonia, Ordinis Prædicatorum, in Postilla super Lucam, cap 1. *Turrecrem. part. 6. capit. 29. fol. 120. Anonym. Auctore 70. Bandell. cap. 23. Deza fol. 42. Vincent.*

VERITAS 248.

TVRRECREMATA In Cathalogo Ordinis Prædicatorum, adducit quemdam Petrum de Palma, in Postilla super Lucam, cap. 1. Anonymus, Bandellus, & Vincentia eundem, vel alium citant sub nomine Petri de Polonia, etiam in Postilla super Lucam, capit. 1. Cui autem sit fides adhibenda circa huius Auctoris cognomen, penitùs ignoro, & ego magis crederem Turrecrematæ, nam Bādellus, & alii vt in plurimum, & ferè semper errant, vt ergo eos conciliemus, & pariter eos excusemus, existimare oportet, Petrum de Palma, & Petrum de Polonia esse vnum, & eundem. Sed quid dicemus, quando nec vnus, nec alter comparent in rerum natura, quia Nomenclatores de nullo faciunt mentionem, nisi Anton. Senensis, qui fol. 196. cum Petro Galdini, suprà adducto numer. 244. adduxit Petrum Polonum simul, & semel, qui scripsit Expositionem præclaram in Euangelium Lucæ, & addit: *Quæ non vidi*, & à Senensi de eodē posteà mentionem faciunt Michael Plodius, & Alphon. Fernandez Placentinus, fol. 415. (sed malè, quia non vocatur, nisi Michael Pius, qui part. 2. lib. 3. col. 45. ipsum adducit simpliciter ex Anton. Senensi.) Cùm ergo notitiam Petri Galdini extraxerit Senensis à Bandello, vt ipse met fatetur, idem est dicendum de socio Petro de Polonia, vndè existimo, hunc verè, & realiter esse fictum, & quòd Aduersarii talem non inuenient auctorem in Palma, nec in Polonia, nec in finibus terræ. Possevinus meminit cuiusdam Henrici de Palma, sed hic nec fuit Petrus, nec Dominicanus, nec scripsit Postillā. Sed quid sit sentiendum in rei veritate de Auctore hoc, sicut etiam de Petro de Parma, Magistro, simul Cisterciensi, & sęcularī videlatiùs infrà num. 250.

Auctoritatem huius sic adducit Turrecremata: Item ad idem est eiusdem Ordinis Magister Petrus de Palma, in Postilla sua super Lucā, tractans illud Lucæ 1. Cui nomen Nazareth, de Filio Dei loquens ita ait: *Ipse est, qui per Spiritū Sanctum superfluitatem fomitis extinxit in matre, vndè Beda hoc dixit in Glossa: Superueniens Spiritus in Virgine, mentem eius ab omni vitiorum sorde castificauit. Hactenus.* Profiteor, quòd inter Patres Prædicatores fuit quidam Scriptor dictus Antonius Parmensis, vel de Parma, qui edidit Sermones, postillando Euāgelia, qui fuerunt excusi Parisēos ann. 1515. in 8. & incipiunt: *Cùm appropinquasset Iesus, &c. Tempus quod hodiè incipit, & durat vsque ad natiuitatem.* Sed hic, vt vides non fuit vocatus Petrus, sed Antonius, nec habet Postillam super cap. 1. Lucæ, nec in toto libro inuenire potui verbum, quod directè, vel indirectè pertineat ad hanc Conceptionis materiam. Et hic iam est suprà adductus num. 26. fuit etiā in eadem Religione quidam Petrus de Palma, Gallus, qui ad annum 1326. fuit electus Magister Generalis sui Ordinis decimusoctauus, sed hic nihil scripsit: fateor deniq; quòd nec Auctoris, nec auctoritatis saltē vestigium inuenire potui, & sic standum erit dictis, ac fidei Turrecrematæ, quousque Aduersarii, vel aliquis ex nostris inuento tam confuso Auctore detegat veritatem.

Sed miror certè, quomodo homo ratione præditus, & alioquin doctus, S. R. E. Cardinalis, & ad faciendam relationem coram Patribus Concilii Basilienſis, hanc adduxerit auctoritatem, ad probandum ex illa, Virginem Mariam fuisse conceptam in originali peccato? Nisi fortè existimauerit, quòd peccatum originale durauerit in Deipara vsque ad aduentum Angeli in Ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, & Spiritus Sanctus superuentionem; & qui hanc auctoritatem adduxit ad maculandam Dei Matrem, quam prætermitteret? Nam fomes est in semine, carne, & embryone, ante animationē, à qua anima in vnione contrahit maculam: & aliud est fomes, aliud superfluitas fomitis, scilicèt delectatio carnalis, & hanc potuit extinguere Spiritus S. in matre: circa fomitem, lege numer. 300. ex Caietano. Videns hæc, & alia in illo libro Turrecrematæ, existimo. fuisse vitiatū ab aliquo ignorante, idiota, vel quod ipse Turremata passione oppressus, vel à temporis angustia prepeditus, ignorabat, quid diceret, adeo enim hæc verba adducta à Turrecremata distāt à propesita conclusione, vt quasi verecundari, nec Bandellus, nec alius quisquam ex Aduersariis ausus fuerit illam in medium adducere, sed ipsam sub, silentio prætermittentes, solùm citant Auctorem dicentes: *Idem tenet Magister Petrus de Polonia, in Postilla super Lucam, cap. 1.* Et nihil amplius. Ex omni ergo parte Auctor iste manet exclusus, quia dubitatur, an fuerit in rerum natura? An de Palma, vel de Polonia?

Quia

Quia ex Ordine Prædicatorum; quia eius opera nunquam fuerunt typis mandata, nec manuſcripta reperiuntur, quia nullius famæ, nec opinionis, & fortè eſt multiplicatus cum ſequenti Petro de Palude, qui etiam fuit ex Ordine Prædicatorum, & ſi ſic, eſt etiam mendaciter adductus, quia Petrus Paludanus pro noſtra eſt ſententia, vt iam dicemus. Et fortè etiã eſt triplicatus cum Petro de Parma Ciſtercienſi, de quo infra num. 250. cuius etiam nullam adducunt Aduerſarii auctoritatem.

PETRVS De Palude, Parriarcha Hieroſolymitanus, Ordinis Prædicatorum, in 3. Sentent. diſtinct. 3. *Turrecrem. part. 6. cap. 29. fol. 119. à tergo. Anonym. Auctore 52. Bandel. cap. 22. Dezafol. 39. Vincent. Gryſ. Capreol. & Soncinas.*

VERITAS 249.

PRIMO Suppono, Petrum de Palude, Gallum Burgundum, Ordinis Prædicatorum, atque Patriarcham Hieroſolymitanum, vel Conſtantinopolitanum, fuiſſe doctum, & inter ſcholaſticos celeberrimum, licèt non conſtet certè, quo tempore floruerit, nam aliqui dicunt, quod ann. 1262. alii 1290. alii 1300. alii 1312. vel 1314. ac denique alii 1320. ſed inter has verior ſententia eſt, quòd floruit ab ann. 1290. vſque 1300. Secundo, ad tollendam omnem æquiuocationẽ, ſciat Lector, quod fuit alius Petrus de Palude, etiam Ordinis Prædicatorum, & Doctor Pariſienſis, qui vixit ad ann. 1380. qui inter Montiſonenſes fuit etiam oppugnator myſterii immaculatæ Conceptionis, ſed poſteà cum aliis cognita veritate, gloriosè palinodiam recantauit, vt dicit Alanus teſtis ocularis in ſuo Defenſorio lib. 3. collat. 7. cuius auctoritatem dedimus ſuprà num. 158. Tertio ſuppono, quòd Aduerſarii ſic adducunt Paludani auctoritatẽ. Idem tenet Dominus Petrus de Palude, Patriarcha Hieroſolymitanus in 3. Sent. diſt. 3. *Beata*, inquit, *Virgo non fuit ſanctificata ante Conceptionem, quando fuit ſibi infuſa anima, quia tunc contraxit originale peccatum, ſed poſt infuſionẽ animæ, & ante Natiuitatem. Hæc ille.* Quarto ſuppono, quòd hæc auctoritas formalis, vt iacet diſpoſita, eſt ficta, & falſa, quia non extat in Paludano, vt ex adducendis apparebit, quare nullus quamuis proprius Auctor liberatur ab ipſorũ inquinamentis. Quinto ſuppono, quòd ab hac regula excipitur ſolus Turrecremata, quia ſic illum adducit. *Item ad idem eſt eiuſdem Ordinis Pater Dominus Petrus de Palude, Magiſter Pariſien. & Patriarcha Hieroſolymitan. ſuper 2. Sentent. diſtinct. 3. cum Sancto Thoma, Durando, & Heruæo idem dicens, & eorum verba commemorans.* Cùm ergo Turrecremata nõ tranſcripſerit auctoritatem formalem, manet liber quoad hanc partem; ſed peccauit in illo: *ſuper 2. Sentent. diſt. 3.* quia dicere debuerat in 3. Sentent. ſed iſte potuit eſſe error Typographiæ: at non admittit excuſationem illud, *cum S. Thoma, Durando, & Heruæo, &c.* quia nullum iſtorum in tota quæſtione nominat, nec ipſorum verba commemorat, vt iam incipio demonſtrare ſic.

Paludanus ergo in 3. diſt. 3. fol. 19. lib. impreſſ. Pariſiis 1517. in fol. recognito per P. M. Petrum de Nouimagio, eiuſdem Ordinis Prædicatorum, ſic incipit: *Circa 3. Diſtinctionem quæruntur tria. Primo, de tempore ſanctificationis Beatæ Virginis. Secundo, de effectu ſanctificationis. Tertio, vtrum ad Conceptionem filij fuerit cooperata aliquid actiuè. Primo ergo quæritur, vtrum B. Virgo fuerit ſanctificata ante Natiuitatem ex vtero? Videtur, quod non, &c.* Et adductis rationibus dubitandi, reſoluit affirmatiuè. Non ergo Arauxus adductus in Trituratione num. LV. viderat Paludanum, quando dixit, quòd inter antiquos Theologos circa ſanctificationem Virginis ante natiuitatẽ ex vtero nulla fuerát cõtrouerſia. Deindè pergens ad alia dubia dicit: *Primũ eſt, vtrum B. Virgo ſanctificatione indiguit. Secundum eſt, ſuponendo quòd ſic; quo tempore ſanctificata fuerit. De primo ſciendum, quòd aliquis poteſt indigere ſanctificatione per gratiam Dei dupliciter, vno modo, vt habeat gratiam ad eleuandum, & perficiendum naturam ſolùm, & non ad tollendum culpam aliquam: alio modo, vt habeat gratiam ad tollendum culpam, & eleuandum naturam. Primo modo indiguerunt ſanctificatione Angeli boni, qui nunquam peccauerunt, & hoc in ſtatu innocentiæ, vt dictum fuit in 2. libro. Hoc etiam modo indiguiſſet ſanctificatione Beata Virgo, dato, quòd non fuit concepta in originali, quia gloria non habetur niſi mediante gratia, ſecundùm illud ad Rom. 6. Gratia Dei vita æterna, & ideò ad habendam gloriam, ſeu vitam æternam, neceſſarium eſt, naturam perfici per gratiam. Dato etiam, quòd priùs non fuiſſet infecta per aliquam culpam. Secundo modo non indigent ſanctificari niſi illi, qui culpam aliquam commiſerunt, & ſecundùm hoc ad ſciendum, an Beata Virgo tali ſanctificatione indiguit, inquirendum eſt, an originale peccatum contraxerit, & ad hoc eſt duplex dicendi modus; primus eſt, quòd B. Virgo non fuit concepta in originali, & ſimul tempore fuit animata, & gratia etiam data, &c.* Et ſic conſequenter adducit præcipuas rationes pro ſententia præſeruationis Virginis. In hac prima quæſtionis parte duo ſunt ſingulariter notanda: vnum eſt ex diametro oppoſitum Aduerſariis, ſcilicèt, quod Virgo Maria indiguit ſan-

ſanctificatione ad ſuam præſeruationem, quia hæc propoſitio: Maria fuit ſanctificata in vtero, eſt indifferens, ad ſanctificationem in primo inſtanti, vel in ſecundo; ante contractionē culpæ, vel poſt contractionem; ad perficiendam tantum, & eleuãdam naturam, vel ad excludendum peccatum, & eleuandam pariter naturam, vt hic docet Paludanus. Vndè ad hominem manent conuicti, qui ex his antiquorũ verbis: Maria fuit ſanctificata in vtero, ſemper, & vbique deducunt quaſi pro neceſſaria conſequentiã: ergo à peccato originali, quando potiùs eſſet deducenda oppoſita: ergo nullũ contraxit peccatum: tum propter illas communes regulas de Analogis, & de fauorabilibus: tum quia Mariæ priuilegia excedunt Angelorum, & menſurantur poſsibilitate, &c. Alterum quod colligitur ex verbis Paludani, eſt, quòd apud antiquos erat diuerſùm concipi in peccato originali, & eſſe infectum per culpam, nam Virgo Maria, inquit Paludanus, indiguit ſanctificatione, nota diſiunctiuam, *Dato quòd non fuit concepta in originali, & dato etiam quòd priùs non fuiſſet infecta per aliquam culpam*: cõcipi enim in originali peccato ſumebant actiuè pro illa rigoroſa Conceptione facta in vtero matris, & Mariæ, fuit die 8. Decembris, quando Ioachim genuit, & Anna concepit. De animatione verò prolis loquebãtur paſsiuè, id eſt, fuit infecta per culpam, vndè qui dicebant, ſolùm Maria fuit concepta in originalibus, vel originali peccato, non loquebantur directè ad noſtræ controuerſiæ punctum, niſi etiam exprimerent ſecundum: Maria fuit infecta per culpam, nam iuxta ſuum loquendi, & intelligendi modum hæc diſtinctio fuit inter Cõceptionem Chriſti, Mariæ, & Ioannis, ſiuè cæterorum hominum: nam Chriſtus nec fuit conceptus in originali peccato, nec infectus per aliquam culpam: Maria fuit concepta in originali peccato, ſed non fuit infecta per aliquam culpam. Ioannes autem & fuit conceptus in originali peccato, & infectus per culpam; ſed ex hoc, fratres mei, nihil contra nos, nec contra immunitatem Virginis, ac eius præſeruationem.

Tota hæc doctrina confirmatur ex ſequentibus verbis Paludani: *Secundo modo non indigent ſanctificari, niſi illi qui culpam aliquam commiſerunt, & ſecundùm hoc ad ſciendum, an Beata Virgo tali ſanctificatione indiguit, inquirendum eſt, an originale peccatum contraxerit.* Nota, quòd non dixit primum, an in originali peccato concepta fuerit, ſed ſecundùm, an originale peccatum contraxerit, nam Paludanus cum ferè omnibus antiquis ſentiebat, quòd illud peccatum originis, ſeu originale commiſſum à parentibus in Conceptione, contrahebatur à prole in animatione, quia illius peccati generationis parentum remanebat in carne fomes, corruptio, pruritus, infectio, contagium, &c. & in animatione, ex contactu carnis contrahebat anima prolis illud contagium, & infectionem. Item hoc ipſum confirmatur ex illa clauſula: *Eſt duplex dicendi modus: primus eſt, quòd B. Virgo non fuit concepta in originali, & ſimul tempore fuit animata, & gratia etiam data.* Nonnè vides, quomodo diſtinguit, concipi in originali, à gratia data in animatione? Potuit enim Virgo Maria concipi in originali, & accipere gratiam in animatione, ita vt non contraheret illud originale parentum. Aduerſarii omnia hæc confundunt in antiquis ſcriptoribus, cùm apud ipſorum modum loquendi, & iuxta rigoroſam vocum ſignificationem, & rei veritatem ſint diuerſiſsima, ſicut eſt inquirere, an actio illa generatiua parentum, & eſtrenatus ille appetitus procedat à peccato originali; vel an proles ex illo actu genita, fuerit in ſua animatione infecta, vel contraxerit originalem culpam, aut maculã, quia primum poteſt eſſe ſine ſecundo. Sed de hoc ſæpè redibit ſermo.

Poſitis ergo rationibus pro prima ſententia præſeruationis Virginis, inſurgit Paludanus contra ipſas, & reſpondit ad illas, & concludit ſic: *Puto tamen, quòd ſi Virgo Beata originale non contraxiſſet, potuiſſet tamen verè dici redempta à Filio Dei, pro eo quod in radice ſua, & naturæ ſuæ Conceptionis obligata erat ad incurrendum peccatum, niſi fuiſſet à Deo præſeruata; patet ergo primum principale, quòd Beata Virgo ſanctificati ne indiguit.* Deindè proponit ſecundum modum dicendi, ſcilicèt, quod Virgo Maria indiguit ſanctificatione, quia contraxit peccatum originale, cuius etiam adducit principaliora fundamenta, & rationes; & illis reſpondit doctè, & ſatisfacit pleniſsimè, ſicut fecerat ad alias primi modi, vt poterat quidam verſatiſsimus in noſtris principiis, ac fundamẽtis. Tandem pergit, ad propriæ ſententiæ manifeſtationem, atque quæſtionis reſolutionem ſequentibus verbis: *Inquirendo autem de his opinionibus, videtur, quòd de potentia abſoluta Deus potuerit B. Virginem ab originali præſeruare, ſuppoſito, quòd fuerat concepta ſecundùm legem communem, quia dicitur ſibi in Iob: quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, nonnè tu qui ſolus es? quia peccatum originale non eſt, niſi priuatio gratiæ propter Adæ peccatum, & negatio gloriæ, vel obligatio ad illud: conſtat autem, quòd Deus de potentia abſoluta potuit dare gratiam, & per conſequens debitum gloriæ animæ, quando infundebatur, imò ante infuſionem potuit anima creari, & gratia concreari, & ſic peccatum non contraxiſſet. Sed de potentia ordinaria, & de facto videtur probabilius, quòd nõ potuit præſeruari, nec fuit præſeruata.* Hæc eſt Paludani concluſio, ac propriæ ſen-

ſententiæ manifeſtatio, ex qua conſtat primo, quod Bandellus,& omnes ſui ſequaces penitùs finxerunt ſuprapoſitam auctoritatem;quia nec verbum illius extat in reſolutione Paludani.Secundo,quòd illud Turrecrematæ de verbis S. Thomæ, Durandi,& Heruæi, fuit gratis dictũ, vndè exiſtimo,quod nullus Aduerſariorum vidit in proprio fonte,nec ſuosmet Auctores,ſed illos tranſcripſerunt ex aliqua relatione, vel Tractatu Conceptionis Montiſonittico depraua-to,& corrupto. Tertio, quòd Paludanus dicens illud: *Quod de potentia abſoluta Deus potuerit B. Virginem ab originali præſeruare, ſuppoſito, quòd fuerat concepta ſecundùm legem cõmunem*,id eſt;ex ſemine immundo, ſupponere videtur,quod ſi non fuiſſet concepta ex ſemine immundo, non ſolùm de potentia abſoluta, ſed etiam ordinaria defacto manſiſſet præſeruata. Quarto dicit, quòd peccatum originale eſt priuatio gratiæ, *vel obligatio ad illud*, ſupple, peccatum: ergo ſi obligationem contrahere, erat contrahere originale, quid mirum, quòd dicat,defacto non fuiſſe Mariam præſeruatam? Quinto, accipiendo verba Paludani ſecundùm omnem rigorem,& ſuperficiem; ſolùm ſonat, quòd *de potentia ordinaria*, *& de facto videtur probabilius*, *quòd non potuit præſeruari*, *nec fuit præſeruata*. Hæc eſt vnica, & formaliſsima concluſio, ac ſententia Paludani, à qua fugerunt omnes Aduerſarii. Nota verba, *de potentia ordinaria*; nos non quærimus,an de potentia ordinaria fuerit Maria præſeruata, ſed an illud, quod potuit, per te, de potentia abſoluta facere Deus circa præſeruationem Virginis,illud fecerit nec ne? Nam dic mihi ſecundùm quam potentiam ordinariam, vel abſolutam, ſecundùm tuam ſententiam, ſanctificauit Mariam in ſecundo inſtanti, ita vt ſolùm fuerit in originali per vnicum inſtans, vt ſtatim videbimus in tuis verbis;dic quodvolueris,nam quod nos dicimus eſt, quòd per eandemmet potentiam ſanctificauit illam in primo inſtanti: requirit ne Deus diſtinctam potentiam ad ſanctificandam creaturam in primo inſtanti ſuæ animationis, quam in ſecundo? Sexto, nota illud, *videtur probabilius*: ergo vtramque opinionem iudicauit Paludanus eſſe probabilem? *Videtur* non affirmat, non determinat, ſed proponit ſuam ſententiam modeſtè: *probabilius* per ordinem enim ad valdè probabile dicitur communiter, ſed *probabilius* eſt hoc, & hæc ſcribebat Paludanus veſter ad annum 1290. in quo ergo Concilio,vel Eccleſiæ, aut Summi Pontificis determinatione, affirmabant Ioannes de Monteſono, cum ſuis ſequacibus ad annum 1380. Turrecremata ad annum 1437. Anonymus ad annum 1471. Bandellus ad annum 1482. Spina ad annum 1535. ſuam opinionem eſſe de fide, noſtram autem piam ſententiam erroneam, hæreticam, &c. alii alia ſcrutentur in hac Paludani reſolutione, quia non pauca reſtant notatione digna.

Infrà inquit Paludanus: *Quod dicunt, tertio, de feſto Conceptionis, quòd de ſe poteſt celebrari, & ratione ſui verum eſſet, ſi, vt ſupponunt, tota ſit munda, & cum gratia concepta fuiſſet, ſicut & Annuntiatio Chriſti: Licèt ibi ſit duplex ratio feſtiuitatis, ſcilicèt ſanctitas creata, & increata. Si enim contraxiſſet originale, non debet feſtiuari, ſed quia illud quod debet tanquam immundum expiari, non debet tanquam feſtum honorari; ſed conceptio, id eſt, carnis, & animæ vnio, quando eſt cauſa contrahendi originale, indiget tanquam aliquid coinquinatum per ſanctum expiari: ergo non debet feſtis laudibus honorari, &c.* In his verbis duo notari debent. Primum illud,quod tota Conceptio Virginis non fuit munda, ſicut Annuntiatio Chriſti; totam Conceptionem vocat à puncto primæ generationis vſque ad animationem, quæ in Chriſti D. Annuntiatione tota fuit munda, non ſic in Mariæ Conceptione,quæ non fuit tota mũda fuit enim concepta in peccato originali, id eſt, concupiſcentia, ac libidine parentum. Secundum notandum eſt illud: *Sed conceptio, id eſt, carnis, & animæ vnio*. Diſtinguens prudenter,& exprimens Conceptionẽ de qua loquebatur,quia conceptio nudè prolata, ſupponebat ſemper apud antiquos pro prima ſeminis Conceptione.Et hoc iterum exprimit infrà dicens: *Ad aliud autem dicendum, quod non debet reſpui feſtum Conceptionis ratione ſanctificationis, quia eodem die facta eſt, & creditur, prout conceptio accipitur pro vnione animæ, & carnis. Ad illud de maſſa dicendum; quod Eccleſia feſtiuat, aut propter gloriam, aut propter gratiã, &c. ſic de conceptione carnis Virginis, cum peccato non ſolemnizaret, licèt de ipſa formandus eſſet fons gratiæ, quia pro tunc erat ſubdita culpæ, & peccato obnoxia, &c. Vnio autem ad carnem ſeminatam ab Adam eſt per ſe cauſa peccati: ergo non feſti.* Hæc ſunt omnia quæ habet Paludanus pro vtraque Conceptione vnionis animæ,& generationis maſſæ per hanc Conceptionem maſſæ fuit Maria *ſubdita culpæ*, *& peccato obnoxia*, Conceptio autẽ ſecunda,id eſt,vnionis ad maſſam, & carnem illam ſeminatam ab Adam fuit cauſa peccati in Maria inquit Paludanus, & conſequenter deducit rectè ſuam conſequentiã ergo conceptio Virginis non fuit per ſe tota ſancta ſicut fuit Annuntiatio,ſeu Conceptio Chriſti, quare non eſt per ſe feſtiuanda niſi ratione ſanctificationis.Iſtas igitur duas conceptiones in ſuo Paludano diſtinctas ſemper, & vbique confundunt Aduerſarii, & hinc tota emanauit controuerſiæ æquiuocatio.

Concludit Paludanus quæſtionem ſuam inquirendo latiſsimè, an Virgo Maria potuerit ſanctificari in eodemmet primo inſtanti in quo contraxit originale, vel in alio immediatè ſequenti, & reſoluit ſic: *Cùm igitur nihil ſit ſubtrahendum potentiæ diuinæ niſi illud quod clarè contradictionem implicat, ponere autem quod Beata Virgo fuit per ſolùm inſtans in originali peccato, & deinceps ſemper in gratia non implicat contradictionem clarè, imò habet magnam probabilitatem; ideò tenendum eſt, quod Deus facere potuit quod ipſa fuit in originali peccato per ſolùm inſtans: vtrum autem hoc fecerit ipſe nouit, quia illa, quæ mere dependent ab eius voluntate non ſunt nobis plenè certa niſi ipſe reuelauerit.* Compone Lector, hanc vltimam reſolutionem cum ſuprapoſita ad quæſtionem principalem, & inuenies in ipſis, & ex ipſis hoc argumentum ad hominem. Quod non implicat clarè, & expreſsè contradictionem, ſed habet magnam probabilitatem non eſt potentiæ diuinæ denegandum; ſed per te quando infundebatur anima Virginis, imò & ante infuſionem potuit Deus de potentia abſoluta dare illi gratiam, vt peccatum originale non contraheret: ergo æqualis fuit poſsibilitas: circa primum, & ſecundum inſtans nulla eſt reuelatio, quòd hæc gratiæ infuſio fuit in ſecundo inſtanti extat verò, reuelatio imò, & reuelationes de primo inſtanti, vt latè demonſtrauimus in noſtra Militia: ergo, &c. Et hæc dicta ſufficiant de quæſtione Paludani adducta ab Aduerſariis.

Sed pro reſolutione veritatis ſcire debet Lector, quòd hic Petrus Paludanus, Ordinis Prædicatorum, & Patriarcha Hieroſolymitanus ſcripſit etiam ſermones de Tempore, ac de Sanctis, de quibus Myræus in Bibliotheca folio 260. qui primo prodierunt Anonymi ſub titulo: *Theſaurus nouus contionum, &c.* Venetiis anno 1520. in 8. deindè ſub expreſſo nomine Petri de Palude Lugduni 1575. & 1571. & 1584. in 4. & Pariſiis 1518. in fol. & 1535. in 8. atque in parte Hyemali, folio 211. habet Enarrationes, ſeu ſermones duos de Conceptione Beatæ Virginis, in quibus expreſsè affirmat fuiſſe præſeruatam à peccato originali, cuius verba in 1. ſic ſe habent: *Ipſa verò Virgo Beata ſpeciali priuilegio fuit præſeruata: quod conſiderans Salomon in ſpiritu dixit: Cantic. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Nam ſi vnquam fuiſſet in originali peccato concepta, non poſſet pro eodem tempore dici immaculata. Pro quo ſciendum, quòd Beata Virgo meritò fuit præſeruata ab originali peccato, nam Deus potuit matrem ſuam ab originali peccato præſeruare, &c. Et ſic Dominus legis poteſt circa legem diſpenſare, ſicut fecit B. Virgini, quæ fuit ſingulariter priuilegiata; ſic, quòd ſine originali peccato eſt concepta, &c. Et ſit oportet intelligi commune dictum tàm Sanctorum, quàm Magiſtrorum, quòd dicitur, quòd ipſa ſanctificata fuit in vtero, hoc eſt, quòd Deus infundens animam eius corpori, priùs virtute Spiritus Sancti ab omni fœditatis contagione mundato, vel purgato, in eodem inſtanti infudit ei gratiam ſanctificantem, aut gratiam gratificantem, &c.* Hæc, & alia quàm plura ſunt in prima illa Narratione. In 2. verò inquit: *Tertio, impermixta fuit eius puritas, quia non habuit admixtionem originalis peccati, nec actualis.* Ex his ſecundùm veritatem propoſitis deducuntur ſequentia.

Primo, quòd Paludanus ſuper Sententias, inclinauit ſe in minus piam opinionem, vt ſuprà vidimus, vel quia liber ille fuit dictatus in Vniuerſitate Pariſienſi, vbi vigebat Decretum Mauritii Epiſcopi, vel quia in ſcholaſticis, ac publicis diſputationibus noluit exaſperare ſuos, ſed cum ipſis ſentire, vel quia vt iuuenis, & cum illo lacte nutritus, nondum plenè cognouerat veritatem, &c. Sed poſteà factus iam vir, ac Patriarcha extra Religionem, re maturiùs conſiderata, & ſine vllo reſpectu euacuauit, quæ fuerant paruuli, ac cum iudicio, & ſcientia mutauit ſententiam, tenens Virginem Mariam fuiſſe præſeruatam à peccato originali, & in hac perſeuerauit vſque ad finem, quia Sermonarium fuit vltimum eius opus. Neque in hoc retractationis modo fuit ſolus Paludanus, quia id ipſum contigit Ambroſio Catharino, Archiepiſcopo Compſano, eiuſdem Ordinis Prædicatorum, vt ipſemet fatetur. Secundo, notatione dignum eſt, quòd omnes Nomenclatores Dominicani inter opera edita à Petro de Palude, nullum faciunt mentionem de ſupradictis Sermonibus, fortè vt ex illis non deueniret veritas in cognitionem mentis Paludani circa hanc controuerſiam, & præcipuè propter illa verba: *Et ſic oportet intelligi commune dictum tàm Sanctorum, quàm Magiſtrorum, quo dicitur, quòd ipſa ſanctificata fuerit in vtero, hoc eſt, quòd Deus infundens animam eius corpori, priùs virtute Spiritus Sancti ab omni fœditatis contagione mundato, vel purgato in eodem inſtanti infudit ei gratiam ſanctificantem.* His enim compendioſis Paludani verbis omnia fundamenta Aduerſariorum penitùs ſubuertuntur, & abſolutè corruunt illa de purgatione, ac mundatione, cui ipſi renaciter, & irreuocabiliter inhærent. Nã licèt Paludanus millies admittat præſeruationem Mariæ à peccato originali, ſupponit fœditatem, contagionem, mundationem, & purgationem in carne, ſeu embryone. Tertio colligitur ex omnibus ſupradictis, quod iſtæ propoſitiones: Maria fuit concepta in peccato originali; vel: In Conceptione Mariæ fuit

fœ-

fœditas peccati, contagium, mundatio, aut purgatio, taliter ſumebantur ab antiquis, quod ex ipſis nullo modo ſequitur intenta conſequētia Aduerſariorum, ſcilicèt: ergo Maria contraxit peccatum, vel maculam originalem in ſuę animationis inſtanti.

PETRVS De Parma, Sæcularis, vel Ciſtercienſis, in ſermone Natiuitatis Beatæ Virginis, & in ſermone de Paſsione Domini. *Anonym. Auctore 172. Bandellus, capit. 22. Deza fol. 37. à tergo, Vincent. & Gryſaldus.*

VERITAS 250.

VT Suprà vidimus numero 248. Turrecremata in Catalogo Ordinis Prædicatorum adduxit Magiſtrum Petrum de Palma, in Poſtilla ſuper Lucam cap. 1. At Anonymus, Bandellus, ac Vincentia in eadem claſſe Ordinis Prædicatorum loco illius adducunt Magiſtrum Petrum de Polonia, ſub eadem cota, ſcilicèt in Poſtilla ſuper Lucam cap. 1. Turrecremata non adducit Poloniam, ſed Palmam, & qui ex ipſo tranſcripſerunt, derelinquentes Palmam, tranſmigrati ſunt ad Poloniam, & fortè iudicantes Palmam non eſſe radicatam in veritate, illam tranſplantarunt in longinqua, ac diſtante regione Poloniæ, vt ſic ſuus Magiſter Petrus inueniret in illo Regno ciuitatem refugii, &c. Sed nunc vltra progrediendo Bandellus, Vincentia, & Gryſaldus in claſsi de Scriptoribus Ciſtercienſibus adducunt alterum Magiſtrum Petrum de Parma ſic: *Idem tenet Magiſter Petrus de Parma in ſermone Natiuitatis Beatæ Virginis, & in ſermone de paſsione Domini.* Anonymus autem in claſsi de Doctoribus Preſbyteris Sæcularibus, Auctore vltimo, adducit eundem ſic: *Idem tenet Magiſter Petrus de Parma in ſermone de Paſsione Domini, & Natiuitate Beatæ Mariæ Virginis.* Ecce habemus alium Magiſtrum Petrum, non de Polonia, nec de Palma, ſed mutata vna littera de Parma, nec ſolùm Dominicanum, ſed ſimul Sæcularem, & Ciſtercienſem. Patres mei, & quis poterit componere iſta? Nec adhuc eſt concluſa machina, nam Bandellus, Vincentia, & Gryſaldus, in claſsi de Ordine Prædicatorum, vt vidimus ſuprà num. 26. adducunt Antoninum de Azaro Parmenſem in ſermone de paſsione Domini, & ſic ſunt tres Doctores Parmenſes, Sæcularis vnus, Ciſtercienſis alter, & tertius Dominicanus, qui in ſermonibus de paſsione Domini dixerunt, atque ſcripſerunt, Virginem Mariam fuiſſe conceptam in peccato originali? Patres mei, eſt ne hoc credibile, & ſi iudicatis, quòd ſit credibile, oſtendite Sermones? Quia ex tribus veſtris Magiſtris Palma, Polonia, & Parma, Poſtilla ſuper Lucam, aut Sermonibus in ſtatu Sæculari, Ciſtercienſi, aut Dominicano, tantummodo inuenio Antonium Parmenſem, qui ſimul ſcripſit Poſtillam, & Sermones, ſed nullum adducit de Natiuitate Beatæ Mariæ, nec in ſermone de paſsione Domini habet verbum directè, vel indirectè reſpiciens eius Conceptionem, vel ſanctificationem, vt vidimus præallegato num. 26.

Benè verum eſt, quod in Religione Prædicatorum fuit quidam inſignis vir Petrus de Palma vocatus, qui ad ann. 1363. fuit electus Magiſter Generalis ſui Ordinis, de quo Leander Alber. lib. 1. & Mich. Pius part. 2. lib. 2. folio 174. licèt dicat electum fuiſſe ann. 1343. ſed iſte Palma nihil ſcripſit. Item Carolus de Viſch in ſua Bibliotheca Ciſtercienſi fol. 218. affirmat, in ſua Religione fuiſſe quēdam Petrum de Parma, qui ſcripſit Sermones, ſed vt ibidèm dicit, ſumpſit hanc notitiam à Sylueſtro Maurolyco, & Montalbo, ſed cùm omnes iſti ſint moderni Scriptores, qui tranſcripſerunt hunc, & alios à Bandello nullam fidem faciunt. In Biblioth. Medicea exiſtente Florentiæ in Cœnobio S. Laurentii Pluteo XX. extant Sermones cuiuſdam F. Ioannis de Parma, abſque alio ſigno, vel cognomine, at cū Aduerſarii non adducant auctoritatem de Petro de Parma, ſcire non poſſumus, an fuerit æquiuocatio cum iſto Fratre Ioan. Concluſio ergo noſtra eſt, quòd Magiſtri Petri de Palma, Parma, vel Polonia Poſtilla in Lucam, vel Sermones nūquam fuerunt typis mandati, nec manuſcripti reperiuntur, & quòd aduerſarii ex ſuo Magiſtro Petro de Parma Ciſtercienſi, & Sæculari nullam adducunt auctoritatē ex illis duobus ſermonibus de Natiuitate, & Paſsione, & cùm iuxta regulam generalem, in toto hoc Ventilabro verificatam, vbicumque Bandellus adducto Auctore, tacet auctoritatem, aliquam introduxit enormē fictionem; idem ſentiendum erit de hoc vndequaque confuſo Auctore. Et fortè totum hoc fabricauit ex ſuo Petro de Palude, qui fuit ex Ordine Prædicatorum, Magiſter, & Petrus, atque etiam Palude aliquam ſimilitudinē habet cum nomine Parma, & habet ſermones Natiuitatis Virginis, & paſsionis Domini, ac denique etiam ſcripſit Poſtillam ſuper Lucam: ſi ergo ex Petro de Palude fuerunt ficti Palma, Parma, & Polonia, certè, certè, quòd fuit Auctoris ridicula quadruplicatio, & citationum deplorandum teſtimonium, quia in illis duobus Sermonibus nec verbum habet Palude contra Immaculatam Virginis Conceptionem, imò in Sermonibus expreſsè eſt pro noſtra ſententia, vt vidimus numero antecedenti.

PETRVS Rauenas, Doctor, vel Diuus, in ſermone Beatæ Ioannis Baptiſtæ. *Ita Capreolus in 3. diſtinct. 3. quæſt. vnica, & ex ipſo Soncinas, atque Anonymus Auctore* 196.

VERITAS 251.

DE Hoc Auctore Capreolus, & Soncinas nullam adducunt auctoritatem: Anonymus verò inter Canonitas ſic illum armans proponit: Idem tenet D. Petrus Rauenas in ſermone B. Ioannis Baptiſtæ ſic dicens: *Et Hieremias, & Ioannes Baptiſta, & Mater Domini in peccato concepti ſunt, Chriſtus autem in Spiritu Sancto concipitur.* Bandellus verò, Vincentia, & alii ſcribentes poſt Capreolum, & Anonymum nullam mentionem faciunt de hoc Auctore, ex quo ſtatim iudicaui aliquam in propoſito Petro Rauennas latere fictionem, nam aliàs Bandellus, & ſui ſequaces tantum Doctorem, ac talem auctoritatem nullo modo prætermitterent; ſed pro ventilationis introductione notet Lector, quod Anonymus videns, Capreolum adduxiſſe Auctorem iſtum nudè abſque aliqua auctoritate, aut titulo, ne tantus miles abſque armis incederet, decreuit illi aſſignare ſuprapoſita verba ex ſermone Sancti Ioannis Baptiſtæ, quæ ita clara, & expreſſa eſſent, vt omni ambiguitate ſemota ſuam opinionem profiterentur. Sed cernens, quòd in nomenclatura Eccleſiaſtica erant duo celebres Doctores, Scriptores Sermonum ſub eodem ipſiſsimo nomine, ac cognomine Petri Rauennas, alius Sanctus, ſiue Diuus, alius verò Doctor, antepoſuit illam litterã D. nudam, vt vnuſquiſque ipſam legeret pro ſuo arbitrio, vel Dominum, vel Doctorem, vel Diuum, vt ſic quando inquiſitione facta, non inueniret Lector auctoritatem in Petro Rauennas Doctore, exiſtimaret eſſe in Diuo, vel è contrà, & ſic ſemper maneret occulta propoſita fictio. At quòd talis auctoritas neque ſit in vno, neque in altero Petro Rauennas Diuo, Domino, vel Doctore, vtrumque ad examen vocando, ſic euidenter demonſtro.

Primus Petrus Rauennas, eſt Sanctus Petrus Chryſologus, ob auream dicendi vim, & innatam eloquentiam ſic anthonomaſticè vocatus, qui ad annum 433. à Sixto Papa III. Rauennatibus datus eſt Epiſcopus, & hinc communiter à litteratis dicitur Petrus Rauennas, & ſic communiter citatur in Allegoriis Godefridi Tilmani, & apud alios. Cuius Sermones diſſertiſsimi, ſeu Homiliæ, quæ ſunt num. 222. paſsim fuerunt typis mandatæ, inter quas habet non vnam, vel alteram Sancti Ioannis Baptiſtæ, ſed de eius Annuntiatione ſeptem, ſcilicèt, à numero 86. vſque 92, item aliam de Beato Ioanne Baptiſta prædicante, deque pœnitentia agenda, quæ eſt in ordine 167. item alias duas, de decollatione eiuſdem, & ſunt in ordine 173. & 174. in his ergo decem ſermonibus de Sancto Ioanne Baptiſta non extant verba ab Anonymo adducta, nec aliqua ipſis ſimilia: igitur ex hac parte pentùs Aduerſarii deuiarunt à veritate, quatenùs iſte Sanctus Petrus Rauennas non fuit vtriuſque iuris Doctor, neque in Sermone, Sermonibus vè de Sancto Ioanne Baptiſta extat auctoritas prælegata, & ſic ſi locuti ſunt de hoc Petro Rauennas, fuit ingens fictio auctoritatis, ac inſuper Auctor eſſet ſimul multiplicatus cum Seueriano, de quo infrà num. 282.

Secundus Petrus Rauennas fuit quidam vtriuſque iuris Doctor, & eques auratus, qui relictis ſæculi vanitatibus publicè profeſſus eſt tertiam Regulam Pœnitentium Sancti Patri Noſtri Franciſci cum chariſsima vxore ſua Lucrecia, circa annum 1450. &c. Hic ergo multa ſcripſit, ſcilicèt, aureum Alphabetum, Compendium iuris Ciuilis, ac Canonici, atque Diſputationem de corpore ſuſpenſo in patibulo, vt referunt Poſſeuinus, & Geſnerus, folio 682. ſed nihil dicunt de Sermonibus, & aliis operibus, & aliud opus morale, quod extabat in Bibliotheca D. D. Laurentii Ramirez de Prado. Ego autem huius Auctoris vidi ſequentia: Relectionem in Titulum de Conſuetudine, quæ extat inter Tractat. Doctorum iuris tomo 2. folio 381. Atque etiam alia varia Opuſcula, videlicèt, librum florum, Artem memorandi, copiam multarum Allegationum, in materia extenſionis, & Sermonem Synodalem; quæ coniunctim fuerunt impreſſa Coloniæ anno 1518. in 4. vbi etiam extat Hymnus de Beata Virgine Maria, qui incipit: *Virgo decus cœli, &c.* Denique incidi in huius Auctoris Sermones excuſos Agrippinæ anno 1507. in 4. ſub hoc titulo: *Sermones extraordinarij, & pulcherrimi cum multa rerum, & Hiſtoriarum copia; & excellentiſsimi vtriuſque iuris Doctoris miranda memoria præditi, equitiſque Aurati ſplendidiſsimi Petri Rauennatis, Itali, quos diebus feſtiuis ſuis auditoribus pronuntiabat in Vniuerſitate Vvitemburgenſi, aſsidentibus quandoque ſereniſsimis Principibus, &c.* En habemus Petrum Rauennatem, vtriuſque iuris Doctorem, & Sermones, & ſolùm reſtat, vt in ipſo inueniamus prælegatum Sermonem Sancti Ioannis Baptiſtæ, & auctoritatem à vobis adductam contra immaculatam Virginis Conceptionem? Et de Sermone in primis dico, quod talis ſermo de Sancto Ioanne Baptiſta non extat,

ſunt

ſunt enim ibi viginti quatuor Sermones de diuerſis rebus, ſed nullus de Sancto Ioanne Baptiſta, aut Euangeliſta. De auctoritate ſimiliter affirmo, quod in toto libro non extat, neque aliquid pertinens ad Conceptionis, vel peccati originalis materiam, niſi in Sermone 10. cuius titulus eſt contra Iudæos, quòd Chriſtus fuerit verus Deus, & verus homo, fol. 44. explicans illud Iſaiæ: *Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, &c.* Vbi ſic inquit: *Aſſumendo ſibi carnem humanam, quæ dicitur nubes, quæ Spiritus Sancti virtute formata fuit, ſicut nubes ſurſum generatur in aere virtute Solis, & leuis dicitur, quia non fuit grauata pondere peccati originalis, &c.* Fratres mei, ſi Sermo iſte contra Iudæos, eſt S. Ioannis Baptiſtæ, & hæc verba ſunt idem, ac dicere: *Hieremias, & Ioannes Baptiſta, & Mater Domini in peccato concepti ſunt.* Vos ipſi iudicate? Si autem non ſunt, vt veſtros ſaluetis Auctores à tam euidenti fictione, quærite alios Sermones, vel alium tertium Petrum Rauennas, vtriuſque iuris Doctorem, ſed exiſtimo, quòd erit quærere (vt ironicè dici ſolet) Cardinalem Rauennatem.

PETRVS De la Scala, Veronenſis, Ordinis Prædicatorum, in ſermone Natiuitatis, & in multis Sermonibus. *Ita Bandell. cap. 23. Deza fol. 42. Petrus de Vincent. Gryſald.*

VERITAS 252.

INTER Nomenclatores Ordinis Prædicatorum ſequentes ſolũ, huius Auctoris extant notitiæ: Nam Sixtus Senenſis, folio 288. ſic inquit: *Petrus Scala Epiſcopus Veronenſis, Ordinis Prædicatorum edidit Poſtillam ſcholaſticam in Ioannem, quam manuſcriptam vidi Genuæ in Bibliotheca Minoritarum Obſeruantium, cius initium eſt: nunquid ad præceptum, &c.* De Sermonibus autem nullam facit mentionem. Anton. verò Senenſis, folio 190. meminit cuiuſdam Petri de la Scala, qui ſcripſit Poſtillam ſuper Matthæum, & ſuper Ioannem, & ſermones de Sanctis, ac de Tempore, & affirmat, Sermonum volumina haberi Genuæ apud Minoritas, & vixiſſe ad 1262. *Prædicta Sermonum volumina*, inquit, *habentur Genuæ apud Minoritas.* Nec erat volumen, ſed volumina. Ioannes Michael Pius, folio 54. inter Epiſcopos latè agit de ipſo, & inter Scriptores colum. 61. Vide autem in quantis diſſentiunt iſti duo Senenſes, Ordinis Prædicatorum, primus ſolùm dicit ſcripſiſſe Poſtillam ſuper Ioannem. Secundus addidit etiam Poſtillam ſuper Matthæum, & ſermones de Tempore, ac de Sanctis, primus affirmat quòd Poſtilla in Ioannem extabat in Conuentu Minorum Ianuenſi, alter verò dicit, quod erat Sermonum volumen, quæ inter ſe non videntur conuenire, ſed adhuc creſcet infans iſte. Alphonſus Fernandez Placentinus in ſua Concertatione fol. 410. videns variationes ſuorum Senenſium, ex hoc vno fecit duos Auctores diſtinctos, quorum vnum vocat Petrum Laſcala, & alium Petrum Scala Veronenſem, Epiſcopum Veronæ, & primo Petro Laſcala aſsignat Sermones, & ſecundo, Petro Scala Poſtillam. Cùm ergo coniungendo, ac ſeparando litteras, diuerſos faciant Auctores, quomodo poterit veritas ex tot paleis granum extrahere? Ex extraneis Nomenclatoribus nullus de vno, vel altero Petro mentionem facit, niſi Poſſeuinus, folio 267. de vno, ſed tacet illud de Sermonibus, ex quibus omnibus colligo, totum hoc eſſe figmentum Bandelli, à quo deceptus Ant. Senenſis, vt in pluribus aliis erranit, & errare fecit Placentinum.

Vnus ergo fuit ad ſummum Petrus de Laſcala, vel de la Scala, qui ſcripſit Poſtillam ſuper Ioannem, vt dicit Sixtus Senenſis, Bandellus verò videns hunc fuiſſe Scriptorem iam approbatum, ex ſua Poſtilla, finxit illud de *ſermone Natiuitatis, & multis Sermonibus*, vt etiam hic innocens macularet Sacratiſsimã Virginem, hoc comprobatur ex eo quòd neque ex ſermone Natiuitatis, neque ex aliis multis Sermonibus adducit aliquam auctoritatem, quòd in Bandello eſt primum ſignum fictionis. Deindè ſi hic ſcripſit ad ann. 1262. quomodo nõ adducitur à Turrecremata? Quomodo non à S. Antonino, nec ab Anonymo? Tandẽ eodem modo citauit ſuprà alium ſui Ordinis Scriptorem, ſcilicèt, Petrum Hieremiã, de quo ſuprà nu. 245. & omni ſecluſa temeritate, exiſtimo in ordine ad illum fuiſſe iſtum multiplicatum, & ex vmbra Petri Hieremiæ Ordinis Prædicatorum, fecit alium Petrum de la Scala, eiuſdem Ordinis. Sed dato, & gratis admiſſo, quòd Auctor non ſit fictus, & Sermones ſuppoſiti, opera iſtius nunquam fuerunt typis mandata, auctoritatem nullam adducunt, Auctor eſt ex Ordine Prædicatorum:

ergo ex omni parte pro ſpica vana, infructifera, & nullius momenti reputari debet.

PETRVS De Tarantasia, Ordinis Prædicatorum, Episcopus Lugdunensis Gallus, postea Summ. Pontifex Innocentius V. in 3. Sentent. distinct. 3. *Turrecrem. part. 6. cap. 29. fol. 112. à tergo. Anonym. Auctore 49. Bandel. cap. 23. Deza fol. 39. Vincent. Capreol. S. Anton.*

VERITAS 253.

IN Primis hic Auctor Petrus de Tarantasia, Burgundus, & postea Summ. Pontif. electus anno 1275. est multiplicatus, nam ipsum iterum adduxerunt in Catalogo Sum. Pontificum, vt vidimus supra num. 147. sicut enim absque vllo fundamento adduxerunt Innocentium V. quia non edidit libros Sententiarum, dum esset Summus Pontifex, rationabiliter citant ipsum sub nomine Petri de Tarantasia, cuius auctoritatem sic adducunt: Item ad idem est eiusdem Ordinis P. Dominus Petrus de Tarantasia, Gallicus, solemnis Magister in Theologia Parisiensis, qui ob excellentiam virtutum suarum, primo factus est Archiepiscopus Lugdunensis, & postea Cardinalis Ostiensis, & tandem Summus Pontifex Innocentius V. appellatus, qui in 3. Sent. dist. 3. sic dicit: *Sanctificari enim ante animationem, aut in ipsa animatione non fuit conueniens B. Virgini, quoniam aut non contraxisset peccatum originale, & sic non indiguisset vniuersali Christi sanctificatione, & redemptione, aut si contraxisset, culpa, & gratia simul fuissent, quod est impossibile.* Et infrà: *Hoc videtur conueniens, & pié credibile, vt citò post animationem, vel ipso die, vel ipsa hora, quamuis non ipso momento fuerit sanctificata.* Verba autem Petri de Tarantasia, vt habentur in suis operibus lib. impress. anno 1652. ex manusc. Tolosano, in 3. Sentent. dist. 3. quæst. 1. artic. 1. fol. 17. de sanctificatione Matris Dei, inquirendo sequentia dubia.

Circa primum quæritur primò, an sanctificata fuerit caro eius antè animæ infusionem? Secundo, vtrum eius anima ante Natiuitatem? Tertio, quis fuerunt effectus sanctificationis illius? Et positis argumentis, sic respondet ad nostram quæstionem: *Quantò quis magis accedit ad Sanctum Sanctorum, tantò debet habere maiorem sanctificationis gradum, non enim est accessus ad eum nisi per sanctificationem: Mater verò plus omnibus accedit ad filium, qui est Sanctus Sanctorum: ergo debuit habere sanctificationis excellentiorem gradum post Filium. Gradus sanctificationis quadruplex potest intelligi, aut ita quòd sanctitatem habeat quis ante conceptum, & ortum, aut post conceptum, & ortum, aut in ipso conceptu, & ortu, aut in ortu, non in conceptu, nam quòd in conceptu, & non in ortu, est impossibile. Primus gradus non est possibilis; tum, quia personalis perfectio, vt scientia, vel virtus non transfunditur à parentibus; tum, quia in filijs non potest fieri esse gratiæ ante actuale esse naturæ, super quod fundatur. Secundus gradus communis est omnibus secundùm legem communem sanctificationis. Tertius singularis est Sancto Sanctorum, in quo solo simul fuit omnis sanctificatio, conceptio, animatio, assumptio. Quartus ergo restat: hic verò quatuor gradus habet, quia potest intelligi fœtus conceptus in vtero sanctificari, aut antè animationem, aut in ipsa animatione, aut citò post animationem, aut diù post animationem. Primus gradus est impossibilis, quia secundùm Dionysium de Diuinis nominibus cap. 12. Sanctitas est ab omni immunditia libera, & perfecta, & immaculata munditia, immunditia verò culpæ non expellitur nisi per gratiam gratum facientem (sicut tenebræ per lucem) cuius subiectum non est nisi rationalis creatura. Secundus gradus non fuit conueniens Beatæ Virgini, quia aut non contraxisset originale, & sic non indiguisset vniuersali Christi sanctificatione, & redemptione: aut si contraxisset, simul culpa, & gratia ineſſe possent. Quartus item gradus non fuit conueniens Virgini, quia fuit aliis communis, vt Hieremiæ, & Ioanni (qui sexto mense fuit sanctificatus Lucæ 1.) & quia non conuenit tanta sanctitati, vt diù morata fuerit in peccato. Tertius verò, videtur conueniens, & pié credibilis (licèt de Scriptura non habeatur) vt citò post animationem, vel ipsa die, vel hora (quamuis non ipso momento) fuerit sanctificata.* Hæc sunt omnia, & integra verba Petri de Tarantasia, ex quibus multa deducuntur.

Primum, quod hic expressè, & clarè sustinuit Aduersariorum opinionem, de quo nulla potest esse dubitatio. Secundum, quod hic exactè, ac fideliter transcripserunt verba Tarantasiæ, quia ita apertè loquebatur pro ipsis, vt non fuerit necesse addere, vel diminuere, ex quo consequenter colligitur, quod alterationes, & mutationes commissæ in aliis processerunt ex mera malitia. Tertium, quod hic est multiplicatus (vt diximus) cum Innocentio V. posito supra num. 147. vt multiplicarent Auctores contra immaculatam Virginis Conceptionem. Quartum, quòd auctoritas illic adducta (vt sic occultaretur eorum fraus) fuit in multis vitiata, vt intelligerent Lectores ex diuersificata auctoritate, esse diuersum Auctorem. Hoc patet euidenter: nam verba formalia adducta in Innocentio V. fuerunt hæc: *Beata Virgo fuit in vtero matris sanctificata, non ante animationem, quia tunc gratiæ capax non erat, nec etiam in ipsa animatione, quia tunc origina-*

ginale peccatum non cotraxiſſet, & ſic non indiguiſſet vniuerſali Chriſti redemptione, quod non eſt dicendum. Sed pié credendum eſt, quòd citò poſt animationem, vel ipſa die, vel hora non tamen in ipſo momento à peccato fuerit per gratiam mundata, & ſanctificata. Vide ergo, o Lector! ſi inuenias hæc formalia verba in ſuprapoſita auctoritate; nam ex illa iſta extracta fuerũt. Quintum, eadẽ malitia, cùm hic in Petro Tarantaſia adduxiſſent vnam ſolam auctoritatem, vt viſum eſt; in Innocentio V. adduxerunt aliam ex ſecundo argumento, & alteram ex quæſtione 2. artic. 1. vt ex omni parte apparerent diſtincti iſti duo Auctores, ſed neque in illis obſeruarunt veritatem. Sextum, quòd Tarantaſia ſumit hic *ortum* pro natiuitate, & vt contraponitur conceptioni, Aduerſarii vero sẽper, & vbiq; quãdo ipſis placet, ſumunt in aliis Auctoribus, *ortũ* pro conceptu. Sextum, & principaliter notandum in ſuprapoſita auctoritate Tarantaſiæ eſt, quod ſemper vocat Sanctificationem, tum diſtinguendo quadruplicem gradum ſanctificationis, tum etiam in ſecunda ſubdiuiſione, quãdo dicit: *Quia poteſt intelligi fœtus: Conceptus in vtero ſanctificari, aut antè animationem, aut in ipſa animatione, aut citò poſt animationem, aut diù poſt animationem*: ergo ſanctificatio eſt æqualiter indifferens ad has quatuor acceptiones, quarum duæ primæ ſunt pro immaculata Virginis Conceptione, ac conſequenter pro noſtra ſententia, duæ ſecundæ ſunt pro veſtra opinione, nos affirmamus, quod Virgo Maria fuit ſanctificata in vtero primo, vel ſecundo modo ſanctificationis, id eſt, antè animationem, vel in ipſa animatione, vos dicitis, quod fuit ſanctificata in vtero tertio, vel quarto modo, id eſt, citò poſt animationẽ, vel diù poſt animationẽ: ergo nõ diſſentimus, ſed potiùs conuenimus in ſanctificatione: quare ergo, vel quo fundamento vbicumque auditis, vel legitis in Auctoribus antiquis: *Maria fuit ſanctificata in vtero*, vultis, quod hæc verba ſint formaliter proteſtatiua, & expreſsiua ſimpliciter veſtræ opinionis, & non noſtræ ſententiæ? Quando ad vtramque habent æqualem indifferentiam? Fatemur libentiſsimè, vt hic doctè, & eruditè fatetur, & explicat Tarantaſia iuxta veritatem, quòd ſanctificatio poteſt eſſe, antè, in, immediatè, vel diù poſt animationem: ergo hæc propoſitio: *Virgo Maria fuit ſanctificata in vtero*, ex ſe, & formaliter, ſeu nudè prolata (vt ferè ſemper dicitur à Doctoribus antiquis) eſt indifferens, & ſecundùm rei veritatem, nec pro nobis, nec pro vobis, nec contra nos, nec contra vos, imo potiùs deberet eſſe pro nobis ob plures cauſas; quare ergo abſque vlla ratione, fundamento, aut veritate, ſemper, & vbique illam adducitis pro vobis? Fortè dicetis, quod illa ad veſtram Aream pertinet de iure, quia eſt proteſtatiua veſtræ ſententiæ, ſicut immaculata, vel præſeruata noſtræ: Patres mei, quid dicitis? Noſtra, & veſtra proteſtatio fuit heri, vel nudiuſtertius poſt exortam controuerſiam, ſeu veriùs poſt Sixtum IV. ab anno 1505. nec Auctores antiqui noſtram; nec veſtram proteſtationes prophetarunt, dicebant: *Virgo Maria concepta fuit in vtero*, ſumendo Conceptionem à die 8. Decembris vſque ad diem Natiuitatis ipſius, abſtrahendo ab inſtanti, & puncto animationis, neque hoc erat proteſtatiuum, quòd concepta eſſet, ſeu animata in hoc, vel illo inſtanti. Ex hac prima propoſitione quoad naturam, tranſierunt ad aliam eiuſdem vniuerſalitatis, quoad gratiam dicentes: *Virgo Maria fuit ſanctificata in vtero*, quia ſi hoc fuit conceſſum Ioanni, & Hieremiæ, multò magis Matri Domini, ſed de tempore, vel inſtanti, ſi antè, vel in, animatione, vel poſt parum, vel poſt aliquod tempus, nihil dixerunt; & hi nec ſunt pro nobis, nec pro vobis expreſsè, vel ſecundùm rei veritatem, niſi ex adiuncto aliquo verbo, vel adiunctis, antecedentibus, vel conſequentibus colligatur Auctoris mens, vt hic colligitur Tarantaſiæ, & ſic manent excluſi à veſtra Area ferè viginti ſex Auctores antiqui, ex hoc ſolo vno principio, & veritate detecta in veſtro Tarantaſia, poſteà Innocentio V. Recedant ergo vetera, & noua ſint omnia corda, voces, atque opera.

Nota denique, Lector, pro infrà dicendis in S. Thoma num. 296. auctoritatibus 13. & 22. quòd Petrus de Tarantaſia ſcripſit Poſtillam ſuper Pſalterium, & Compendium Theologiæ, vt omnes fatentur Nomenclatores Dominicani, & ex aliis non pauci, Gefnerus folio 684. Accipe verba Ant. Senenſis, fol. 194. *Compendiũ Theologiæ, quod incipit: Veritatis Theologicæ. Totam doctrinam S. Thomæ redegit in Compendium, & plura alia, &c.* Poſſeuinus fol. 262. ſic: *Compendium item Theologiæ, quod incipit: Veritatis Theologicæ, eidem attribuunt, &c.* Hoc Compendium eſt illud, quod extat inter opera S. Bonauenturæ, & Alberti Magni, vt conſtat ex principio; ergo ſine fundamento adducunt Aduerſarii auctoritatem huius Compendii in Hugone de Argentina, num. 124. & Thoma de Suetonia, num. 299. & in aliis octo, de quibus vide numeros citatos, atque hoc Compendium incipiens: *Veritatis Theologicæ*, etiam adſcribitur Angelico Doctori, vt diximus, & iterum dicemus. Item notare debes, Lector, quòd ſecundùm Nomenclatores Dominicanos S. Thomas compendiauit opera Petri de Tarantaſia, & è contra, vt hic dicit Senenſis, Tarantaſia compendiauit S. Thomam, & ſic omnia redundant confuſionibus.

PE-

PETRVS Tripolitanus, Beatus, ſuper Epiſtolam ad Roman. cap. 5. & cap. 12. & 14. & ſuper 2. ad Corinth. cap. 5. & 8. & 13. *Band. capit.* 20. *Dezafol.* 31. *à tergo, Petr. de Vinc. & Gryſald.*

VERITAS 254.

TANQVAM Certum, & indubitatum habe, ò Lector! quòd ex dictis à S. Auguſtino in ſuis operibus, ac diuerſis Opuſculis, recollegit hinc indè, quidam antiquus Doctor quandam Expoſitionem, ſeu Commentarium in Epiſtolas Pauli, circa annum Domini 500. in quibus Auctor ille nec vnum ſolùm verbum ex propriis appoſuit, ſed ſolùm illa ſparſa à S. Auguſtino in omnibus ſuis operibus, quæ directè erant explanationes verborum D. Pauli, reduxit ad eaſdem Epiſtolas, & capita illarum S. Pauli, nullum alterando verbum. Sicut Antonius Monchiacenus concinauit Expoſitionem in Cant. Cantic. ex dictis S. Ambroſii, vt videre eſt tom. 5. folio 566. & ſic de aliis.

Quis autem fuerit huius Catenæ Auguſtinianæ Collector, dubitatur inter Scriptores, nam Caſiodorus lib. 1. de Inſtitutione Diuinarum Scripturarũ, hoc opus adſcripſit cuidam Petro Tripolitano, Abbati, & etiam Baronius, ad annum 562 Bellarminus verò, & Doctores Louanienſes, vt videre eſt tom. 10. operum S. Auguſtini, in Sermonibus de Verbis Apoſtoli, & alii, hoc opus attribuunt Venerabili Bedæ. Et confirmatur, quia hæc Expoſitio extat in operibus Bedæ tom. 6. & in originali antiquo Bedæ extant hæc verba: *Diui Auguſtini in ſacras Pauli Epiſtolas noua, & hactenus abſcondita interpretatio per Venerabilem Bedam ex innumeris illius codicibus mira induſtria, ſummoque labore collecta, &c.* Hæc ergo Expoſitio Epiſtolarum Pauli abſque vlla dubitatione eſt Sancti Auguſtini; de Collectore autem eſt communior, ac verior opinio, quòd ſit Bedę, ſed admiſſo, quòd fuerit Tripolitani, quo fundamento, aut veritate Collector adducitur vt Auctor? Si eſt Auguſtinus, & verba ſunt ipſamet Auguſtini nulla mutata ſyllaba: ergo non Bedæ, nec Tripolitani? Adduxerunt Auguſtinum, vt vidimus numer. 34. ergo adducere nunc Tripolitanum, eſt expreſſa multiplicatio. Deindè vellem ſcire ab Aduerſariis, in quo Martyrologio, vel ſaltem Auctore inuenerunt, Petrum Tripolitanum fuiſſe Beatum? Auctor ergo iſte licèt non ſit fictus quoad perſonam, eſt tamen ſemifictus quoad opus, & multiplicatus quoad auctoritates, quia nec vnum ſolùm verbum habet in illis Tripolitanus: ſunt enim omnia, & ſingula, vt dixi, Auguſtini, vt ſuis locis notauimus. Et hæc de Auctore.

Primam ergo auctoritatem ſic adducunt: Idem tenet B. Petrus Tripolitanus, qui, vt Caſiodorus dicit in 1. libro de Inſtitutione Diuinarum Scripturarum, ex dictis Opuſculorum B. Auguſtini Epiſtolas Pauli egregiè gloſſauit, & floruit ad anno Domini 498. in multis locis idem tenuit. Vndè ſuper Epiſtol. ad Roman. cap. 5. ſic dicit: *Quadam iuſtitia Dei in poteſtate diaboli eſt traditum genus humanum peccato primi hominis, in omnes vtriuſque ſexus commixtione naſcẽtes originaliter tranſeunte, & parẽtũ primorum debito vniuerſos poſteros obligãte; ſed quia occidit eũ, in quo ſolo nullũ peccatum inuenit, & qui ſolus à mortis delicto liber fuit, iuſtũ eſt, vt debitores, quos tenebat, liberi dimittantur, & per peccatorum remiſſionem de illius poteſtate eruantur. Hæc ille. Et ſunt verba Auguſtini, in 13. de Trinitate.* Hucuſque Aduerſarii. In quibus, antequam ad auctoritatem accedamus, nota, quòd Aduerſarii benè cognouerũt, illos Commentarios extractos eſſe ex operibus S. Auguſtini, & ſic errarunt in illud, *Egregiè gloſſauit*, quia ibi nec minima extat Gloſſa Tripolitani, falluntur ergo, nam debebãt dicere, *Egregiè trãſcripſit, & fideliter* non ſicut nos. Item in eo, quod dicunt floruiſſe Tripolitanum ad annum 498. nam floruit poſt annum 562. Sed his, & aliis omiſsis Tripolitanus, vel Beda, ſeu potiùs, ac veriùs S. Auguſtinus, vt habetur in prædicta Expoſitione Epiſtolarum, ſiuè Gloſſa, vt loquamur iuxta modum Aduerſariorum, explicans illud: *Quoniam cum adhuc peccatores, &c.* colum. 88. ſic ſe habent: *Tamen iuſtificati ſumus in Chriſti ſanguine, &c. Et quomodo id factũ ſit, vt potero, quantum ſatis videbitur, explicabo. Quoniam iuſtitia Dei in poteſtatem diaboli traditum eſt genus humanũ, peccato primi hominis in omnes vtriuſque ſexus commixtione naſcentes originaliter tranſeunte, & parentum primorum debito vniuerſos poſteros obligante, &c.* Et poſt triginta octo lineas ſic proſequitur: *Quæ eſt igitur iuſtitia, qua victus eſt diabolus? quæ eſt, inquã, niſi iuſtitia Ieſu Chriſti? Et quomodo victus eſt? Quia cum in eo nihil morte dignum inueniret, occidit eum tamen. Et vtique iuſtum eſt vt debitores quos tenebat, liberi dimittantur in eum credentes, quem ſine vllo debito occidit, &c.* Et poſt integram etiam columnam ex eodem libro 13. de Trinitate, cap. 16. ſic proſequitur Compilator: *Vt à Dei Filio ſempiterno, eodemque hominis filio mors temporalis indebita redderetur, qua eos à ſempiterna morte debita liberaret. Peccata noſtra diabolus tenebat, & per illa nos meritò adigebat in mortem. Dimiſit ea ille, qui ſua non habebat, & ab eo immeritò eſt perductus ad mortem, &c.* Ex his tribus diſtinctis locis ſuam auctoritatem compoſuerunt Aduerſarii, & ſi hoc eſſet fideliter, non adeò eſſet execrabile malum. Sed cùm ex pro-

prio

prio cerebro addidiſſent illam clauſulam: *In quo ſolùm null ù peccatū inuenit, & qui ſolus à mortis debito liber fuit*, in qua tota eſt ſententiæ vis, & etiam illud, *Et per peccatorum remiſſionem*, quæ neque in Auguſtino, Tripolitano, nec Beda extant, ſequitur, quòd vnico ictu adulterationis, tribus iniuriam fecerunt, imò & Virgini Mariæ, dum contra eius immunitatem à peccato, hæc verba ita vitiata, & adulterata, & tandem, tandem nihil probantia tàm effrontè adduxerunt. Sed pro intelligentia Auguſtini, & aliorum Sanctorum Patrum, obſernet Lector illud: *Peccato primi hominis in omnes vtriuſque ſexus commixtione tranſeunte, & primorum Parentum debito vniuerſos poſteros obligante*: ergo in commixtione parentum ſolùm tranſit peccatum Adami, & obligatio filii, quis igitur dubitat quod debitum, & obligatio non eſt ipſum originale formaliter? Et quod ab hoc, & illo debito, potuit Deus abſoluere Matrem?

Secundam auctoritatem ſic adducunt: Item idem, vbi ſuprà. (Et ad marginem addidit Cõtinuator, vel Corrector Bãdelli: Cap. 12. & 14.) *Adam*, inquit, *poſt peccatum exul effectus, ſtirpem quoque ſuam, quam peccando in ſe tanquam in radice vitiauerat, pœna mortis, & damnationis obſtrinxit: vt quidquid prolis ex illo, & ſimul damnata coniuge per carnalem concupiſcentiam naſceretur, traheret originale peccatū. Sed quia præter hoc vinculum carnalis concupiſcẽtiæ natus eſt Chriſtus, ex Virgine; ideò non eſt ipſe in iniquitate conceptus; nec in delictis eũ mater eius in vtero aluit. Solus enim ille infans innocens eſſe potuit, qui de opere Adam conceptus nõ fuit. Hæc ille. Et ſunt verba Auguſtini in Enchiridione, & ſuper Pſalmos.* Nota, o Lector! in primis citationis modum, quia Bandellus ſine vlla diſtinctione eſt loquutus, Continuator verò videns auctoritatem iſtam non eſſe continuam, appoſuit illas marginales notas, *Cap.* 12. *&* 14. ergo ex duplici capite Tripolitani 12. & 14. & ex duplici libro Auguſtini Enchiridionis, & ſuper Pſalmos, vnam continuam, & indiuiſibilem fabricarunt auctoritatem? Sunt ergo ſuccincta ſupràpoſita verba deſumpta ex duobus Auctoribus, & ex quatuor libris, ſeu locis diuerſis, & quid diceres, o Lector! ſi totum hoc etiã eſſet fictum? Nam licèt cap. 12. & 14. Tripolitanus citet Auguſtinum in Enchiridione, & ſuper Pſalmos, in illis duobus capitibus 12. & 14. nec verbum adducit Tripolitanus ex aſsignatis ab Aduerſariis. Verba enim ſupra allegata extant cap. 5. col. 95. explicãs illud: *Per Ieſum Chriſtum noſtrũ, §. Quia generante carne illud tantummodo trahitur, quod eſt originale peccatum; regenerante autem Spiritu, non ſolùm originalis, ſed etiam voluntariorum fit remiſſio peccatorũ, &c.* Poſt aliqua de peccato Adami, ſic inquit Compilator Auguſtin: *Hinc poſt peccatum exul effectus ſtirpem quoque ſuam, quam peccando in ſe tanquã in radice vitiauerat, pœna mortis, & dãnationis aſtrinxit, vt quidquid prolis ex illo & ſimul damnata, per quam peccauerat coniuge, per carnalem concupiſcentiam (in qua inobedientiæ pœna ſimilis retributa eſt) naſceretur, traheret originale peccatum, quo traheretur per errores, doloreſque diuerſos, ad illud extremum cum deſſertoribus Angelis, vitiatoribus, & poſſeſſoribus, & cõſortibus ſuis ſine fine ſuppliciũ. Sic per vnũ hominẽ peccatũ intrauit in mundum, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines pertrãſiit, in quo omnes peccauerunt. Mundum quidẽ appellauit Apoſtolus, eo loco vniuerſum genus humanum. Præter hoc vinculum concupiſcentiæ carnalis, natus eſt Chriſtus ſine maſculo, ex Virgine concipiente de Spiritu Sancto. Non poteſt dici iſte in iniquitate conceptus, nec poteſt dici, in peccatis mater eius in vtero eum aluit. Cui dictũ eſt: Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, &c.* Et poſt ſexdecim lineas deſumens Compilator alia verba Auguſtini ex Sermone 4. de Verbis Apoſtoli, ſic proſequitur: *Definita ſententia eſt: In Adam, inquit, omnes peccauerunt. Solus eſſe innocens infans potuit, qui de opere Adam non eſt natus. Videte ergo fratres, videte genus humanum à prima illius primi hominis morte fluxiſſe.* Hucuſque textus, numerando ergo in eo vitia commiſſa, inuenies. Primò, quod auctoritas hæc non eſt ex capitulis 12. & 14. illius Expoſitionis ſuper Epiſtolas, ſed ex capit. 5. Secundo, quòd eſt deſumpta ex tribus locis Auguſtini, ex Enchiridione, ſuper Pſalmos, & Serm. de Verbis Apoſtoli. Tertio, in ipſa illud, *Vitiauerat, pœna mortis, & dãnationis, aſtrinxit*, dolauerũt, in *obſtrinxit*, ſed iſta parui momenti ſunt. Quarto, vbi Tripolitanus, *Et ſimul damnata, per quã peccauerat, coniuge*; ipſi ſic, ſed ſimul *damnata coniuge*. Quinto, prætermiſerunt totum illud, *In qua inobedientiæ pœna ſimilis tributa eſt, naſceretur*, quia verbum illud, *naſceretur*, impedimentum erat ſuæ machinæ. Sexto, eadem malitia prætermiſerunt totum illud, *Quo traheretur per errores, &c.* id eſt, quinque lineas. Septimo, addiderũt ad illud, *Propter hoc vinculum*, cauſalem illam, *Sed quia præter* hoc vinculum, Octauo, abſtulerunt illud, *ſine maſculo*. Nono, malitiosè ſatis abſtulerunt totum illud, *Ex Virgine concipiente de Spiritu Sancto. Non poteſt dici iſte*, quia hic conſiſtebat tota Auguſtini ſententia, qui loquitur de prima Conceptione, in qua mater concipit ex maſculo cum iniquitate delectationis, & cum peccato libidinis, & concupiſcentiæ, à quibus ſolus Chriſtus fuit exemptus, & in hoc modo loquendi Auguſtini, licèt expreſsis verbis diceret hanc propoſitionem: Virgo Maria cum aliis poteſt, & debet dicere: In iniquitate concepta ſum, & in peccatis mater

ter mea in vtero me aluit, nihil diceret contra immaculatam Conceptionem. Decimo, vbi Tripolitanus, seu potiùs Augustinus, *Non potest dici iste*; ipsi sic, *Ideò non est ipse*. Vndecimo, vbi textus, *Nec potest dici, in peccatis*; ipsi iterum de relinquentes illud, *Nec potest dici*, apposuerunt, *In delictis eum*. Duodecimo, prætermiserūt illas quatuordecim lineas, vbi Augustinus suā mentē explicat, dicens: *Pœna enim carnis mors, & inest vtique ipsa mortalitas. Vndè Apostolus non moriturum corpus dixit, sed mortuum, corpus quidém mortuum est propter peccatum: spiritus autem vita est, propter iustitiam: quomodo ergo sine vinculo peccati nascitur qui concrescit, & seminatur de corpore mortuo propter peccatum? Opus hoc casta in coniuge non habet culpam, sed origo peccati trahit secum debitam pœnam. Non enim maritus, quia maritus est, mortalis non est. Aut aliundè, nisi peccato mortalis est; erat enim & Dominus mortalis, sed non de peccato suscepit pœnam nostram, soluit culpam nostram. Meritò ergo in Adam omnes moriuntur, &c.* Ex quibus patet, quòd hic agitur de mortalitate corporis contracta, quia seminantes maritus, & fœmina sunt mortales ex peccato Adami, à quibus licèt Christus assumpsit mortalitatem, hanc non suscepit de peccato, quia in sua generatione nulla fuit matris culpa. Ecce, ò Lector! solutio illius argumenti Aduersariorum, quòd si Virgo Maria mortua fuit: ergo habuit peccatum originale. Ad quod dicimus cum Augustino hic, quòd habuit peccatum seminantis; ab hoc enim procedit mortalitas, & illa origo peccati trahit secum hanc debitam pœnam; cùm ergo Virgo Maria fuerit seminata de corpore mortuo, hinc & mortale corpus habuit, non quia contraxit, vel non contraxit originale, *pœna enim carnis mors*, à carne enim propagata ab Adamo mors etiam propagatur in filios: sed quare Adam mortalem habuit carnem, & ipsam mortalem propagauit in filios? A peccato; quare suppositio iam illo Adami peccato actuali, nec casta coniux, nec maritus, quia maritus aliter generare possunt, licèt fuerint sanctissimi, quia cùm seminant carnem ab Adam propagatam, seu descendentem, necessariò seminant mortalem, & moriturā, nisi Deus velit speciali priuilegio ab actuali morte ipsam præseruare, & sic consequenter seminant carnem peccatricē, nisi Deus speciali priuilegio velit ipsam præseruare à peccato, & hanc carnem peccatricem, & mortalē non solū seminant in ordine ad conceptionē, sed etiā ad natiuitatem, imò etiam pro tota vita vsq; ad mortem, nisi Dei misericordia, & speciali priuilegio ipsam præseruet in cōceptione, vt in Maria, vel ipsam sanctificet antè natiuitatem, vt in Ioanne, & Hieremia, vel post natiuitatem in Baptismo: nam hoc etiā est singularissima Dei misericordia, & speciale priuilegium cōcessum Christianis. Dico ergo secundū hanc Augustini doctrinam, quòd post peccatum Adæ, omnes filii eius, & filiæ seminant carnem peccatricem, & mortalem, quorum primum est culpa, secūdum pœna, ab hac vniuersali regula exēpta fuit Virgo Maria in Incarnatione Verbi, quæ in ipsamet seminatione actuali, ex vi, & gratia superuenientis Spiritus S. non seminauit carnem peccatricem, & sic illa Verbi ex dispensatione fuit mortalis, quia non de peccato matris suscepit pœnam nostram, Anna verò, & Ioachim seminarunt carnē peccatricem, & mortalem in sua actuali seminatione, & sic fuit fortè per quadraginta, vel octoginta dies, sed in illomet puncto, & instanti, quando semen illud pululare debuit intra viscera terræ ex singulari priuilegio fuit purgatū, ac purificatū ab illa seminantiū iniquitate, culpa, peccato, macula, fomite, &c. (vōca, quomodo volueris) sed mansit cum mortalitate, non ex dispensatione, vt Christus, sed ex vi suæ generationis, quia ex viro, & fœmina genita, quia pura creatura, ac denique, & præcipuè quia seminata in peccato. Zacharias autem, & Elizabeth, seminarunt, sicut & cæteri, carnem peccatricem, & mortalem, sed semen ipsorum natum intra terram cum peccato, & mortale, antequam à visceribus terræ exiret in lucem, est sanctificatum. Aliæ verò mulieres, ac viri si sunt Christiani seminant carnē peccatricē, & mortalem, sic nascitur in vtero, & sic exit de vtero, & in Baptismo purgatur, & sanctificatur, quoad peccatum, nō quoad mortalitatē. Ethnici verò, Gentiles seminant carnē peccatricem, & mortalem, & seminata nascitur intra terram, & extra peccatrix, & mortalis, & vsque ad vitæ extremū, & sic iterum sepelitur in terra corpus, & anima in limbo, vel in inferno. Decimotertio, vt Aduersarii totam suprapositā corrumperent auctoritatē, vbi Augustinus dixit: *Qui de opere Adā non est natus*; ipsi addiderūt absque vllo timore, qui de opere Adā *conceptus non fuit*, vt sic totā auctoritatē suprapositam reducerent ad Conceptionē, & in hoc non solùm peccarunt contra Virginem Mariam, sed etiā contra doctrinam Augustini, quia ipse protendit Mariæ priuilegium, seu priuilegia vsque ad Natiuitatem; ipsi verò coarctarunt ad Conceptionem, quia Christus nō solū fuit conceptus extra opus Adam, sed etiam natus, qui enim seruauit claustrum virginitatis ad Conceptionem, etiam salua virginitate natus est. Si ergo opus fuit tredecim vitiis, & adulterationibus, vt saltē apparenter inducerēt Pseudo Tripolitanū ad suā Areā, signum est, quòd ipsimet iudicabant verba ista non esse pro ipsis.

Tertiam auctoritatem sic adducunt: Item idē super eodem capite (& ad marginē habet Corrector Bandelli, capite 31.) *Illud*, inquit, *vbi*

vel

vel maximè fides Chriſtiana conſiſtit, eſt, vt teneamus, quia per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & ita in omnes pertranſiit, in quo omnes peccauerunt. Et ſi quæ alia teſtimonia declarant neminem naſci ex Adã, niſi vinculo delicti, & damnationis obſtrictum, neminemque indè liberari, niſi per Chriſtum, qui ſolus ſine peccato venit; tam inconcuſſe tenere debemus, vt ſciamus, eum, qui hoc negauerit, nullo modo ad Chriſti fidem pertinere. Hæc ille. Et ſunt verba Auguſtini ad Optatum de origine animæ. Et ad marginem addidit Continuator Bandelli hæc verba. *Nota regulam fidei.* Videamus ergo, quomodo Aduerſarii venerati ſunt Regulas fidei in Auguſtino. Et in primis illa remiſsio marginalis Aduerſariorum ad capit. 31. mendoſa eſt, quia hæc verba extant in cap. 5. in Tripolitano immediatè poſt verba ſuprà poſita, auctoritate antecedenti, ita vt poſsit dici vna continua, quam diuiſerunt, vt multiplicarent auctoritates contra immaculatã Virginis Conceptionem. In Auguſtino verò extat tom. 2. epiſtol. 157. fol. 270. nouiſsimæ impreſsionis, epiſtola ad Optatum de origine animarum, quę incipit *Quamvis tuæ ſanctitatis*, quæ nulla habet capita: vndè ex omni parte falſa eſt illa citatio capitis 31. Auctoritas verò ſic ſe habet: *Illud enim, vbi vel maximè fides Chriſtiana cõfiſtit, quòd per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum; ſicut enim in Adam omnes moriuntur, ità & in Chriſto omnes viuificãtur, & quod per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccauerunt · & quòd iudicium quidem ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem; & quòd per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem, & per vnius iuſtificationem in omnes homines ad iuſtificationem vitæ, & ſi qua alia teſtimonia declarant, neminem naſci ex Adam niſi vinculo delicti, & dãnationis obſtrictũ, neminẽque indè liberari, niſi renaſcendo per Chriſtum: tam inconcuſſè tenere debemus, vt ſciamus, eum, qui hoc negauerit, nullo modo ad Chriſti fidem, & ad eam quæ per Chriſtum datur puſillis, & magnis Dei gratiam pertinere.* Hæc ſunt Auguſtini verba, quæ in hoc Ventilabro iam ſunt ab Aduerſariis duplicata, ſcilicèt num. 146. & hic, & etiam ipſa inuenies triplicata num. 280. auctoritate 31. Deindè omnia, præcipuè illa, quæ ad rem præſentem de Conceptione pertinere videntur, ſunt vitiata. Nam cùm mens, & finis Auguſtini ſit, demonſtrare, quod ſicut per hominem Adã mors, ità per hominem Ieſum Chriſtum reſurrectio, per Adam peccatum, per Chriſtum gratia, & quòd ſicut iudicium, & condemnatio per Adam, ſic per Chriſtum omnis emanauit iuſtificatio, & redemptio, & quòd maximè, ac præcipuè ad fidem Chriſtianã pertinet, &c. Aduerſarii autem, vt ſuum intentum ſtabilirent, omnia confundentes, coniunxerunt principiũ cum fine, dicentes: *Illud vbi, vel maximè fides Chriſtiana conſiſtit, eſt, vt teneamus, quia per vnũ hominem peccatum intrauit in mundum, & ita in omnes pertranſiit, in quo omnes peccauerunt,* conſtituentes ſic propoſitionem relatiuam in ordine ad Chriſtum, & noſtram ſalutem ſolùm abſolutam in ordine ad Adamum, & noſtram damnationem. Si ergo ad numerum eſſent reducenda verba particularia, & eſſentialia in hac auctoritate vitiata, ſequentia eſſent aſsignanda. Primo addiderunt illud, *eſt vt teneamus.* Secundo, malitiosè prætermiſerunt illam præcipuam clauſulam: *Quod per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum.* Tertio, eadem intentione illam: *Sicut enim in Adam omnes moriuntur,* ita & in Chriſto omnes viuificantur. Quarto, vbi Auguſtinus relatiuè ad antecedentia, & ſubſequentia, *Et quòd per vnum, &c.* ipſi abſolutè, & cauſaliter, *quia per vnum, &c.* Quinto, execrabili intentione prætermiſerũt totum illud: *Et quod iudicium quidèm ex vno in damnationem, gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem, & quòd per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem, & quòd per vnius iuſtificationem in omnes homines ad iuſtificationem vitæ,* & ſic abſtulerunt ſenſum verborum: *Et ſi quæ alia teſtimonia, &c.* quia ſuprà poſita ſunt teſtimonia Pauli. Sexto, prætermiſerũt illam vocem, *renaſcendo.* Septimo, abſque vllo timore, non recta intentione, addiderunt illam clauſulam, *Qui ſolus ſine peccato venit,* vt ſic introducerent ſuam vniuerſalem contra Virginis puritatẽ, & vt poſito hoc fundamento ſequentia verba: *Tam inconcuſſè tenere debemus, vt ſciamus, eum, qui hoc negauerit, nullo modo ad Chriſti fidem pertinere,* damnarent vt hæreticos, & infideles, ſeu contra fidem dimicantes, tenẽtes, atque aſſerentes, Virginem Mariam fuiſſe conceptam abſque originali peccato; quia ſi Maria venit ſine peccato: ergo non ſolus Chriſtus venit ſine peccato. Septimo illud, *pertinere,* coniunxerunt cum antecedentibus, prætermittendo omnia illa: *Et ad ea, quæ per Chriſtum datur puſillis, & magnis Dei gratiam pertinere.* Dũ ergo hæc, & alia lego, & video contenta in hac Ventilatione, miror, obſtupeſco, & dubito, an hæc potuerint fieri, quia excedunt omnem captum humani intellectus.

Quartam auctoritatem ſic adducunt: Item idem vbi ſuprà cap. 8. *Miſit,* inquit, *Deus Filium ſuum in ſimilitudine carnis peccati, & non in carne peccati. Cætera ergo omnium hominum caro, eſt caro peccati. Sola illius non eſt caro peccati, quam mater non concupiſcentia, ſed gratia cõcepit. Et ſunt verba Auguſtini in libro contra Iulianum.* In cap. 8. quod quidèm latiſsimum eſt

CO-

colum. mihi 140. sic inquit Augustinus, seu Tripolitanus ex ipso: *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne. Dicet aliquis: Si hæc natura pura non est, sed vitiosa primordia, quia talis non est creatus Adam, cur Christus longè excellentiùs, & certè sine vllo peccato natus ex Virgine, in hac tamen infirmitate, atque ætate procreatus apparuit? Huic propositioni respondemus. Adam propterea non talem creatum, quia nullius parentis procedente peccato, non est creatus in carne peccati. Christus idèo talis, quia vt de peccato damnaret peccatum natus est in similitudinẽ carnis peccati, &c.* Et post 28. lineas sic prosequitur: *Quid dicit Pelagiani ista? Audite quid dicit: Videtur cõfiteri Christũ in carne venisse; sed discussus inuenitur. Christus enim in carne venit, quæ similitudo esset carnis peccati, non esset caro peccati. Apostoli verba sunt: Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati, non in similitudinem carnis, quasi caro non esset caro, sed in similitudinem carnis peccati, quia caro erat, sed peccati caro non erat. Iste autem Pelagius, & cæteram carnem omnis infantis, Christi carni conatur æquare. Non ita est, &c.* Et post 22. lineas inquit iterum: *Natus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine. Nunquid nos sic? Nos de Adam, & Eua illa per concupiscentiam carnis, ille autem non per ipsam. Maria enim Virgo sine virili amplexu, sine concupiscentiæ æstu, quoniam nè pateretur hunc æstũ idèo ei dictum est. Spiritus Sanctus superueniet in te, &c.* Hæc sunt omnia verba, quæ extant in illo capite 8. vbi primo notare licèt, quod est falsum, & ab omni veritate alienum, quod dicunt Aduersarii: *Et sunt verba Augustini in libro contra Iulianum*, quia hæc citationis verba non extant in Tripolitano, nam primæ clausulæ desumpsit Tripolitanus, vt ipsemet dicit, ibidem, ex libro 1. de Baptismo paruulorum, secundæ verò clausulæ ex tractatu Euangelii secundùm Ioannem, & verba tertiæ clausulæ desumpsit ex Sermone de Resurrectione Christi, quæ omnia constat ex ipso textu Tripolitani, & sic sine fundamento, & veritate dixerunt esse Tripolitani. cùm non sint. Sed adhuc ventilemus illud: *Et sunt verba Augustini in libro contra Iulianum.* Et secundo, cita ipsa indicat malitiam, & falsitatem. In quo libro Patres? Nam Augustinus non scripsit vnum, sed sex libros contra Iulianum, sed hæc omnia essent parui momenti, si aliàs fideliter transcripsissent verba: nam cùm clausulam illam primam, præcipuam, ac principalem: *Cætera ergo omnium hominum caro, est caro peccati, sola illius nõ est caro peccati, quam mater non concupiscentia, sed gratia concepit*, non inuenirent in Tripolitani textu, & ipsis videretur esse alicuius momenti pro sua opinione, vt illam introducerent, addiderunt illud, *Et sunt verba Augustini in libro contra Iulianum.* Sed iam videamus, quomodo extant in Augustino. Libro enim 1. contra Iulianum, cap. 7. colum. 2. litt. D. fol. 372. nouissimæ impressionis, inquit sic: Sanctus Hylarius dicit: *Ex peccato esse omnem carnem, præter illius, qui venit in similitudinem carnis peccati, sine peccato. Dicit sub peccati origine, & sub peccati lege natum esse, cuius vox est. Ego in iniquitatibus conceptus sum.* Et nihil amplius, sed hic, vt patet, loquitur ex sententia S. Hylarii. Libro verò 5. contra Iulianum, cap. 15. col. 2. litt. B. fol. 427. sic inquit ex propria sententia: *Quod si dementis est dicere, & sine dubio, caro Christi non est caro peccati, sed similis carni peccati: quid restat vt intelligamus, nisi ea excepta, omnem reliquam humanam carnem esse peccati? Et hinc apparet, illam concupiscentiam, per quam Christus concipi noluit, fuisse in genere humano propaginem mali: quia Mariæ corpus, quamvis indè venerit, tamen eũ non traiecit in corpus, quod non indè concepit. Cæterum corpus Christi indè dictum esse in similitudine carnis peccati, quia omnis alia hominũ caro peccati est, vt asserat, vtramque esse puritatis æqualis, deteſtãdus hæreticus inuenitur, &c.* Hæc sunt omnia Augustini verba in libro, vel libris contra Iulianum. Sed quis adeò cœcus esse potest, quòd non videat, hic Augustinum loquutum fuisse de generatione parentum, de cõcupiscentia generationis, ac de carne per illam genita, à quibus caro Mariæ venit per concupiscentiam naturalem, vitiosam, vel ordinatã: potuit enim concipi *ex*, sed non *in* concupiscẽtia, siue actualiter, siue habitualiter (de quo modo non curamus) sed caro Christi nec indè venit, nec indè illam recepit, nec Maria indè illam dedit, quia illam nunquam habuit, nec genuit cum concupiscentia, sicut cæteri patres, ac matres generant, generarunt, & generabunt. Sed, Patres mei, quantum distat generatio hæc ab animatione? Quantum interest inter carnem, & animam? Ac tandèm, quantum differt concupiscentia parentum à peccato originali filiorum? O quam benè diceretur hìc illud Ecclesiastici! Non vidit Solem, neque cognouit distantiam boni, & mali, &c. Insuper hæc auctoritas multiplicata est: nam illam adduxerunt in Augustino, auctoritate 19. Vide ibi.

Quintam auctoritatem sic adducunt: Item idem vbi suprà: *Omnes*, inquit, *ciues illius ciuitatis Syon, qui indè peregrinantur, captiui fuerunt, & venumdati sub peccato, nati de propagine Adæ, qui impleuit terras captiuitatis Syon. Sanguis autem innocens Christi datus est pro nobis, vt redimeremur à captiuitate. Quemcumq; sanguinem diabolus fudit persequendo iustos; iustorum quidèm sanguinem fudit; tamen quia omnes erant de propagine peccati vententes, nõ fuit sanguis ille innocens. Vnum autem solum sanguinem*

guinem innocentem fudit, eius videlicét, qui non iuſtificatus, ſed iuſtus natus eſt, quo fuſo perdidit omnes, quos tenebat, omnes enim, pro quibus datus eſt innocens ille ſanguis, redempti ſunt à captiuitate. Tripolitani verò verba, capit. 8. colum. 129. in principio extracta ab Auguſtino ex Tractatu in Pſalm. Pſalmo 125. ſic ſe habent: *Ecce vndè facti ſumus captiui, quia venumdati ſumus ſub peccato. Quis nos vendidit? Nos ipſi qui conſenſimus ſeductori. Vendere nos potuimus, redimere nos non poſſumus, vendidimus nos conſenſione peccati, redimimur in fide iuſtitiæ. Sanguis enim innocens datus eſt pro nobis, vt redimeremur. Non quemcumque ſanguinem diabolus fudit perſequendo iuſtos. Qualem ſanguinem fudit? Iuſtorum quidèm ſanguinem fudit Prophetarum, Patrum noſtrorum, iuſtorum ſanguinem fudit, & Martyrum, tamen omnes de propagine venientes peccati, vnum ſanguinem fudit eius, qui non iuſtificatus, ſed iuſtus natus eſt. Illo ſanguine fuſo perdidit, quos tenebat. Pro quibus enim datus eſt innocens ſanguis, redempti ſunt, & conuerſi à captiuitate cantãt iſtum Pſalmum: Cùm conuerterit Dominus captiuitatem Syon, facti ſumus ſicut conſolati, &c.* Confer ergo, ò Lector! vnam auctoritatem cum alia, & inuenies tot vitia, quot verba, nam ſi in aliis auctoritatibus aliqua addiderunt, & aliqua prætermiſerunt, hanc à primo verbo vſque ad vltimum penitùs vitiarunt, anteponendo, poſtponendo, addendo, & detrahendo, ac tandèm ex proprio cerebro fingendo, quod neque Auguſtinus dixit, nec Tripolitanus ſomniauit, & ad quid tota hæc machina falſitatum, ſolùm vt macularent Dei Matrem, Angelorum, & hominum Reginam! Sed poſt veſtrum laborem, ex quibus verbis ex prælallegatis deducitis, Virginem Mariam contraxiſſe originale peccatum? Credo, quòd ex illis: *Tamen omnes de propagine venientes peccati*, ſed quis negat, vel negare poteſt, Mariam de propagine veniſſe peccati? Vel ex illis: *Vnum ſanguinem fudit eius, qui non iuſtificatus, ſed iuſtus natus eſt*, quam clauſulam vos ſic tranſcripſiſtis: *Vnum autem ſolùm ſanguinem innocentem fudit, eius videlicét, qui non iuſtificatus, ſed iuſtus natus eſt*: notate, quàm fideliter translata ſunt? Sed admiſſa veſtra vniuerſali excluſiua, Maria non eſt nata innocens? Mariæ ſanguis fuit effuſus? Et ſi fuit effuſus, hoc fuit in filio, & ſic iam etiam excipitis ſanguinem Virginis. Quouſque deciperis vaga filia Syon? De intelligentia omnium auctoritatum Auguſtini, lege eius Enucleatorem eximium R.P. Matthiam Hauzeur in Anatomia, & in collatione totius Theologiæ tomo 1. quæſt. 15. à fol. 428.

Sextam auctoritatem ſic adducunt: Item idem ſuper Epiſtolã 2. ad Corinth. cap. 5. *Omnes*, inquit, *mortui ſunt in peccatis, nemine prorſus excepto, vel originalibus, vel etiam voluntate additis; & pro omnibus mortuis vnus mortuus eſt, viuus, id eſt. nullum habens omnino peccatum. Hæc ille.* Auctoritas autem vera ſic ſe habet, extracta à Tripolitano col. 475. ex lib. 20. de Ciuit. Dei, vbi Auguſtinus explicat illa Pauli verba: *Æſtimantes hoc, quoniam ſi vnus pro omnibus mortuus eſt, &c.* Vbi ſic inquit: *Omnes itaque mortui ſunt in peccatis, nemine prorſus excepto, ſiuè originalibus, ſiuè etiam voluntate additis, vel ignorando, vel ſciendo, nec faciendo quod iuſtum eſt; & pro omnibus mortuis, viuus mortuus eſt. viuus, id eſt, nullum habens omninò peccatum, vt qui per remiſsionem peccatorum viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro omnibus mortuus eſt, &c.* In hac auctoritate ſolam vnam commiſerunt adulterationem, ſed illa vnica, & ſolemnis eſt, nam prætermiſerunt illa verba, *vel ignorando, vel ſciendo, nec faciendo quod iuſtum eſt*, in quibus Auguſtinus ſuam mentem declarat, demonſtrando in illis, quòd loquitur de peccatis actualibus, ſiuè in parentibus, aut prole. Deindè, ſi velis ſumere illam propoſitionem Auguſtini: *Nemine prorſus excepto*, ſecundùm totum rigorem, tantùm valebit, ac illa Pauli: *Omnes in Adam peccauerunt*, & hi hæc Pauli habet exceptionem in Virgine, quãtò magis illa Auguſtini? Si ergo Tripolitanus in ſex adductis auctoritatibus, nec ſaltem nominat Virgem Mariam, nec de eius Conceptione habet minimum verbum, quomodo dicit expreſsè, & nominatim, fuiſſe conceptam in peccato originali? Opportet, Fratres, ſchiſmata eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant. Et ſi Tripolitanus in his ſex auctoritatibus nec vnicum habet verbum proprium, aut litteram, qua intentione, & fine fuit adductus?

PHILIPPVS De Monte Calerio, Ordinis Minorum, in Poſtilla ſuper Euangelia totius anni, ad illud: Aue gratia plena: *Bandell. cap. 24. Dezafol. 48. Vincent. & Gryſald.*

VERITAS 255.

AVCTOR Iſte notus, & communis eſt inter Concionatores antiquos, & ſic de ipſo omnes Nomenclatores mentionem faciunt: floruit ad ann. 1344. quem ſic adducũt Aduerſarii: *Idem tenet Magiſter Philippus de Monte Calerio, Ord. Minorũ, in Poſtilla ſuper Euangelia totius anni, ſuper illud Luc. 1. Aue gratia plena, & Spiritus S. ſuperueniet in te.* Et nullã adducũt auctoritatẽ,

ex quo ſolo (iuxta regulam milliesverificatam) poterat deprehendi Philippum de Monte-Calerio gratis, ſine fundamento, & veritate eſſe adductum, ac tantummodo ad augendum numerum Fratrum Minorum fuiſſe hic relatum. Quod euidenter demonſtratur, nam Poſtillæ huius Auctoris ſuper Euangelia excuſſæ fuerunt Lugduni anno 1501. apud Balthaſarem à Gauiano, & anno 1515. apud Iacobum Myt, & nouiſsimè anno 1541. apud Benedictum Bonnyn, ſed talis Poſtilla in ipſo non reperitur, nec extat, & licèt in aliquibus Sermonibus agat de Beata Virgine Maria, nihil tamen expreſſum habet pro eius Conceptione, vel Sanctificatione, & ſolum Sermone 1. part. 2. hæc dicit: *Vbi ſciendum, quod per nubem roridam, & candidam intelligitur Virgo Beata, quæ fuit rorida per plenitudinem gratiæ, cui Angelus, Lucæ 1. Aue gratia plena, dominus tecum, fuit candida propter nitorem pudicitiæ, &c.* In Poſtilla vero Euangelii 5. part. 1. vocat Mariam immaculatam, & Euangelio 15. part. 4. dicit de Chriſto Domino: *Nam ipſe purus, & innocens fuit abſque vllo peccato, vt ſic dicat illud: Hieremiæ 2. abſque peccato, & innocens ego ſum.* Hæc, & nihil amplius reperiuntur in illa Poſtilla typis mandata. Si hoc eſt dicere, Virginem Mariam fuiſſe conceptam in peccato originali, ipſi videant.

In Bibliotheca autem Sancti Ioannis Regum Toletan. littera Z. numero 97. extat manuſcripta altera Poſtilla, ſeu Expoſitio Euangeliorum eiuſdem Montis Caleri, à prima Dominicana Aduentus ad Dominicam Palmarũ, in membranis, cuius initium eſt: *Vidi alterum Angelum volantem*, & adducit Poſtillam, ſeu Expoſitionem Euangelii. Miſſus eſt Angelus, & incipit: *Ex varijs ſententijs Sancti Auguſtini, & Anſelmi, &c.* & in hac Poſtilla, ſeu Sermone late agit de illis verbis ciratis ab Aduerſariis: Aue gratia plena, & incipit illa Poſtilla ſic: *Colloquium gratioſum, quia ait: Gratia plena, &c.* Sed hic de Conceptione Virginis, vel eius ſanctificatione in vtero, nec minimum habet verbum; vnde euidenter deducitur, Auctorem iſtum mendaciter fuiſſe adductum, niſi velint dicere, quod huius Auctoris eſt aliud tertium opus, ſeu Poſtilla occulta, & recondita, de qua ſolùm Patres Dominicani habent notitiam, & non Fratres Minores, ſed hoc nimis difficile, & improbabile videtur, & eſt, & ſic iudicet Lector, quid ſentiendum ſit de Philipp. de Monte-Calerio.

PHISIOLOCVS, In libro, quem metricè compoſuit de Chriſto Saluatore noſtro. *Ita Bandell. capit. 21. Dexa folio 37. Gryſaldus.*

VERITAS 256.

PRIMO Suppono, hunc Auctorem fuiſſe in rerum natura. Nam Vvelnenerus Abbas Nigræſiluæ, Auctor antiquus, in ſuo libro dicto: Defloratio Doctorum, Sermone in octaua Paſchæ, quaterno 10. littera E. loquens de Phenice, citat hunc Phiſiologum. Auctor ergo fuit, & de ipſo non dubitamus. Secundo ſuppono, quod cum ille fuerit Auctor antiquiſsimus, nec Turrecremata, nec Petrus de Vincentia, nec Anonymus, ſed ſolus Bandellus, & eius continuator (nam de Gryſaldo nihil eſt curandum) adducunt Phiſiologum pro ſua ſententia: cum autem Bandellus ſemper, & vbique deuiet a veritate, fabricando Auctores, & fingendo auctoritates; nimis dubito de illo libro metricè compoſito de Chriſto Saluatore noſtro, quia nullus Nomenclator antiquus, vel modernus de tali libro mentionem facit. Tertio ſuppono, quod Bandellus in illa claſſi Theologorũ antiquorũ clariſsimorum ad finẽ, adducit tredecim Doctores abſque vlla auctoritate, ſcilicèt, Ioannem de Alba-Villa, Ioannem de Villa-Abbatis, Paulum Burgenſem, Alanum, Polidophorum, Abelem, Gilbertum, Petrum Capuanum, Richardum, Michaelem de Furno, Dominicanũ de Dominicis, Lorharium, & hunc Phiſiologũ, omnes primi duodecim abſque auctoritate adducti, vel ſunt ficti, vel ſine veritate citati, vt ſuis in locis demonſtramus: ergo idem eſt credendum de hoc incognito Phiſiologo, qui inter illos vltimus eſt, & de quo nullam adducunt auctoritatẽ, quia ſolùm dicunt: *Idem tenet Dominus Phiſiologus in libro ſuo, quem metricè cõpoſuit de Chriſto Saluatore noſtro*: Et nihil amplius. Quarto ſuppono, quod inter Scriptores Eccleſiaſticos, ſolùm inuenio Iuuencum Preſbyterum, de quo dicit S. Hieronymus, & poſt illum alii Nomenclatores: *Iuuencus Presbyter ſub Conſtantino, Hiſtoriam Domini Saluatoris verſibus explicauit.* Cuius opus Hexametro heroyco ſcholiis Iodoci Badi Aſcenſii illuſtratum prodiit Pariſiis, & Salmanticæ ann. 1517. in 4. & reperitur etiã in omnibus Bibliothecis VV. PP. ſed licèt hic compoſuerit librum metricè de Chriſto Saluatore noſtro, non fuit vocatus Phiſiologus (niſi fortè fuerit æquiuocatio Bandelli, nam hunc Iuuencũ communiter vocant Nomenclatores Philoſophum, & errore, vel malitia nomen *Philoſophus*, tranſmutauerit in nomen *Phiſiologus*, ſed nec hic Iuuencus Philoſophus in toto illo ſuo libro metrico de Saluatore noſtro adducit aliquod verbum, ex quo directè, vel indirectè poſsit aliquis colligere, Virginẽ Mariam fuiſſe conceptã in peccato originali, vel ſaltem ſanctificatam in vtero.

Vide.

Vide infrà numero 218. insuper fuit quidam Doctor antiquus, vocatus Iacobus Magnus, qui scripsit librum appellatum, *Sophologium sapientiæ*, impress. Parisiis anno 1506. in 4. sed hic nec fuit Poeta, nec habet verbum vilum pro hac materia, agit enim solùm de sapientia, & virtutibus, & fuit Augustinianus, non sæcularis. Ex his suppositis secundùm veritatem, ego dicerem, & affirmarem, Auctorem illum Philologum, quoad tractatum esse fictum, quia non est excussus, quod vt certissimum affirmo, nec manuscriptus inuenitur: vel si est verum, quod extet in aliqua mundi Bibliotheca, in ipso nullam esse auctoritatem contra immaculatam Virginis Conceptionem, quia si esset, absque dubio Aduersarii illam adducerent, sicut faciunt in aliis, & si hæc est (quod dubito millies) illam ostendant.

PICTANVS, vel Pictauus Dominus, in Summa sua. *Ita Vincent. Bandell. cap. 20. Deza folio 35. Paulus Gryſaldus Alphab. 3.*

VERITAS 257.

INTER Celeberrimos Theologos antiquos adducunt hunc Pictanum sic: Idem tenet Dominus Pictanus in Summa sua sic dicens: *Dicimus, vt ait Gregorius, omnes homines ab Adam per libidinosam propagationem deriuatos originale contraxisse peccatum; filius autem Virginis, qui non per libidinosam propagationem fuit conceptus, immunis ab originali peccato extitit. Spiritus autem Sanctus superueniens in Virginem, eam à fomite peccati mundauit. Hæc ille.* Quis autem fuerit iste Pictanus, hucusque reperire non potui, quia nullus Nomenclator de ipso mentionem facit, & ex hac parte videtur Auctor suppositus, auctoritas etiam videtur ficta, quia à primo vsque ad vltimum verbum habet stylum Bandellianum. Insuper dispositio, & artificium citationis indicat aliquod latere mendacium: nam dicere: *Pictanus in Summa sua est suspectum.* Deindè quæritur, vtrum *Pictanus* sit nomen proprium, vel cognomē? Quæritur etiam, quo tempore vixerit, quia si fuit antiquus, quomodo illum non adducunt Turrecremata, Anonymus, nec Vincentia? Quæritur insuper, an hic *Pictanus* sit Iacobus Pictauiensis, Ordinis Minorum, de quo suprà num. 138. vel Ioannes Gallicus, de quo num. 174. quem etiam citant in Summario, nam si est ille, nō solùm erit multiplicatus, sed etiam fictus, vt ibidèm dixi. Item si *Pictanus* fuit celeberrimus Theologus, quomodo saltem nomen ipsius non reperitur in Nomenclatura Theologica, nec non Theologica? Et hæc dē nomine. Quoad citationem verò, *in Summa sua*, quæritur in qua parte, & loco Summæ? Illa *Summa sua*, vel erat Theologica, vel Prædicabilis, vel Moralis? Quia Bādellus sępissimè citat Doctores incognitos, quorū nulla extat minima notitia: *in Summa sua*, v.g. Ioannem de Galliciis, *in Summa sua*. Petrum Capuanum, *in Summa sua*. Polidophorum, *in 4. part. suæ Summæ*. de quo nos num. sequenti. Robertum Mediolanēsem, *in 2. lib. suæ Summæ*. Sichardum Cremonensem, *in Summa sua*. Et denique hunc Pictanum, *in Summa sua*; & etiam idem Bandellus citat alios Doctores cognitos, & classicos, *in Summa sua*, & hæc Sūma aliquando est Theologica, super libros Sententiarum, aliquando Prædicabilis, continens Sermones, & aliquādo Summa Moralis; quis ergo in hac confusa latitudine poterit indagare veritatem? Cùm ergo Auctor Pictanus sit incognitus, non solū apud Theologos, & Summistas, sed etiam apud omnes Nomenclatores: & Summa illa non fuerit typis mandata, nec manuscripta inueniatur, & auctoritas videatur ficta, & composita; ego dicerem, quòd ostendant Pictanum, vel Pictauū, Summam, & auctoritatem, & interim Pictanus, Summa, & auctoritas, vt falsæ, fictæ, & suppositæ, repellantur ab Area ad aera.

POLIDOPHORVS Dominus, in 4. part. suæ Summæ. *Ita Band. cap. 21. Deza fol. 36. à tergo. Paul. Gryſald. Alph. 3.*

VERITAS. 258.

PRIMO Dico, quòd hic Auctor est vnus ex illis tredecim, de quibus diximus num. 256. & etiam citatur in Summa, sicut & antecedens, ex his capitibus videtur fictus, ac fantasticus, sicut ille: potissimè verò hoc probatur, quia cum hunc Polidophorum adducant inter Theologos clarissimos, talis Polidophori clarissimi, vel obscurissimi, apud Scriptores Ecclesiasticos nulla extat memoria. Gryſaldus vocat eum Polydorum, sed de hoc Scriptore non est curandum, quia nec transcribere scivit. Quibus adde, quod de ipso nullam adducunt auctoritatem, solùm enim dicunt: *Idem tenet Dominus Polidophorus in 4. part, suæ Summæ*, & nihil amplius. Et sic ex omni parte videtur, quod nō videtur, apparet quod non appareat, & est, quod non est.

Secundo dicit veritas, quod iam in hoc fantastico nomine Polidophoro adduxit Bandellus aliquod, licèt minimum signum, ex quo studium posit inuestigare talem Auctorem, & est illud: *In 4. part, suæ Summæ*. Pro assequenda ergo veritate huius Polidophori, & quartæ partis suæ Sūmæ, reuolui ferè omnes Sūmas hucusq; editas,

editas, & tãdem inueni, quòd ann. à Natiuitate D. 1429. quidam Fabrilignarii filius edidit quãdam Summam, magnam materialiter, & formaliter, quia ingentis voluminis est, & doctissima, & fuit Nurẽbergæ apud Antoniũ Koberg, anno 1496. in fol. excusa. Cuius titulus est: *Summa, quæ dẽstructorum vitiorum appellatur.* Hic ergo Anonymus Fabrifilius, in 4. parte suæ Summæ, vt citatur ab Aduersariis, agit de Conceptione Virginis. Potuit ergo esse, quòd hic qui in prædicta Summa solùm vocatur Fabrifilius, eius proprium nomen esset Polidophorus, & hoc sciens Bandellus, qui parum post vixit, ipsum citauerit ex proprio nomine, & hoc modo saluatur à fictione Auctoris, sed non liberatur à falsitate auctoritatis: nam prædictus Summæ Auctor in præallegata 4. parte suæ Summæ, capit. 28. quod incipit: *Pro eo quod commendabilis est*, clarè, & expressè tenet, Virginem Mariam fuisse absque originali peccato conceptam. Hæc sunt verba ipsius: *Vndè Maria secundùm vnam interpretationem, idem est quòd illuminatrix, vel stella maris; & certè illa illuminata erat à Christo tanquam Luna, & stellæ à Sole, per quam illuminationem præseruata erat à peccato originali, actuali, & veniali, & ideò meritò potest illa dicere illud Iudith 13. capit. Custodiuit me Angelus Domini, & hinc euntem, id est, in hunc mundum venientem, à peccato originali, & ibi commorantem, id est, à peccato actuali; & indè reuertentem, id est, de mundo ad Patriam venientem, à peccato veniali; & non permisit Dominus ancillam suam coinquinari, scilicèt à peccato originali, actuali, vel veniali: & pro eo quòd hæc Virgo gloriosa taliter à Christo erat illuminata, sicut Luna à Sole, & ab omni peccato præseruata, &c.* Hæc sunt verba illius Auctoris Fabrifilii, seu Polidophori, in 4. parte suæ Summæ, qui etiam in 1. parte, cap. 3. idem fatetur dicens: *Et quamvis parentes elapsi generare possunt innocentem simpliciter de Dei potentia absoluta, sicut de Beata Virgine Maria, tamen nisi fuerit in aliqua tali singulari persona singularis præseruatio diuina, omnes filij Adæ per propaginem communem geniti contrahunt culpam originalem à suis parentibus, &c.* Hæc, & alia habentur in illa Summa de immunitate Virginis à peccato originali. Si ergo hic est suus adductus Polidophorus, non erit fictus Auctor, sed citatio est iniqua, & mendaciter adducta, & ob hoc prætermiserunt auctoritatem huius Auctoris; si verò non est hic, sed alius suus Polidophorus, ipsum adducant, & demonstrent, sed exiltimo, quòd ipsum extrahere debeant ex concauo Lunæ, vel ex spatiis imaginariis.

Tertio dico, quòd etiam fuit quidam Ioannes Richardus, vel Rigaldus, qui edidit Summam, seu Compendium Theologiæ, & in quarta parte illius Summæ agit latè de sanctificatione Virginis à peccato originali, vbi se expressè inclinat in opinionem Aduersariorum, sed si iste est suus citatus Polidophorus, nomen hoc fuit fictum, ad multiplicandum Auctorem, non quomodocumque, sed septies, vel octies, vel fortè duodecies, vel quindecies, de quo vide suprà numero 185. & infrà numero 299. Et sic ex omni parte hic Polidophorus vel est fictus, vel mendaciter adductus.

PORCHÆTVS De Saluaticis, Ianuensis, in lib. contra perfidiam Iudaicam, capite 17. *Ita Anonym. via 3. rat. 9. Auctore* 167.

VERITAS 259.

HVNC Auctorem, vt vides, solùm adducit Anonymus, nam Bandellus, Vincentia, & alii, qui scripserunt post Anonymum, videntes, ipsum fuisse mendaciter adductum, prudenter illum prætermiserunt. Anonymus illum collocat inter Doctores Presbyteros sæculares, ex quo patet, quòd adduxit Auctorem, quem nec vidit, nec saltem illius principium legit, nam ex ipsamet sui libri inscriptione constat, ipsum fuisse non sæcularem, sed Regularem, ex sacro scilicilicèt Ordine Carthusianorũ. Deindè nullam ipsius adducit auctoritatem, solùm enim inquit: *Idem tenet Dominus Porchætus de Saluaticis, Ianuen. in libro contra perfidiam Iudaicam, capit. 17.* sed omnia, quæ ipse tacuit, veritas sic proponit: Porchætus de Saluaticis Genuensis, Monachus Carthusiensis, edidit librum de victoria aduersus impios Hæbreos, in quo tàm ex sacris litteris, quàm ex dictis Talmud, ac Caballistarum, & aliorum omnium suorum Doctorum, monstratur veritas Catholicæ fidei ex recognitione R. P. D. Augustini Iustiniani, Ordinis Prædicatorum, Episcopi Nebiensis; opus impressum Parisiis, apud Ægidium Bourmontii, & Franciscum Regnaul, anno 1520. secundo Idus Iulii in fol.

In hoc ergo libro, fol. 44. part. 1. cap. 17. cuius titulus est: *Quod Adam, & Eua fuerunt Deo culpabiles, qua propter totum humanum genus est corruptum*, habet sequentia solùm, quæ directè, vel indirectè possunt ad presentem pertinere materiam Conceptionis, incipiẽdo a primis capituli verbis: *Quoniam ad effectum est deductũ capitulũ de Passione, & morte Christi. Idcircò vt nostram intentionem assequamur. Dicemus in hoc loco principaliter de originali peccato, quo Adã, & Eua Prothoplasti, Diuinæ maiestati culpabiles extiterunt, quæ quidẽm culpa originaliter propagatur ad filios. Qua de re omnes vsque ad Christum in infernum, tanquam exterminati, & exules descendebant, &c. Notandum etiam est id, quod dicit Rabbi Abraham Benaazra, super illud*

illud Pſalm. 50. Ecce in peccato, vel cum peccato, holaſti, id eſt, genitus ſum, & in culpa calefecit, vel concepit me mater mea. Quaſi diceret: Ecce propter concupiſcentiam complantatam in corde Adam, quaſi cum peccato genitus ſum, &c. Ecce tu Deus, ſcilicèt dicit Propheta in totius generis humani perſona, iratus es primis parentibus, & non ſolùm eis, ſed etiam mihibus nobis eius filijs, & id eſt, quia nos peccauimus in ipſis, non ſolùm vt in exemplo, ſed etiam tanquam in materia, oolam, id eſt, ſemper, vel à ſæculo, id eſt, ex quo Adam peccauit, & ideò omnes naſcimur peccatores, ſicut mortales, & iræ Dei filij. Ad Epheſ. 2. excepto Chriſto, vndè benè dicit Propheta hic: Et nos peccauimus in ipſis oolam, id eſt, ſemper, vt dictum eſt, &c. Nullus de inuocantibus nomen tuum, non eſt ſufficiens ſe ſaluare, vel perſe ſurgere, vel præualere contra fomitem ſuum, vt dicit paulò ſuperiùs Rabbi, Se, id eſt, contra culpam originalis peccati ad retinendum te, ne mittas, ſcilicèt in infernum totum genus humanum. Hoc eſt autem quod dicitur Pſalm. 142. A. Et non venias, vel non intres in iudicio cum ſerao tuo, quia non iuſtificabitur coram te omnis viuens; quia perſequutus eſt inimicus animam meam, contriuit ad terram vitam meam, collocauit me, vel morari me fecit in obſcuris, vel in tenebris, ſicut mortuos ſæculi, & compaßus eſt, vel anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus. Gloſſa Rabbi: Se in perſona totius Iſrael dixit Dauid Pſalm. Iſtum ſequimur, fuimuſque vt immundus, qui ſecundùm legem excludebatur de caſtris, omnes nos nullo excepto, vſque ad Redemptoris aduentum, &c. Hucuſque ſolùm habet Porchætus illam vniuerſalem: omnes naſcimur peccatores, ſicut mortales, excepto Chriſto, & fortè propter hanc illum adduxit Anonymus: ſed attendat Lector, ad vltimam clauſulam illius capitis, quæ ſic ſe habet.

Porrò quòd non ſolùm originaliter, ſed etiam actualiter omnes homines fuerunt peccatores, non tantum ex prædictis habetur, ſed etiam ex eo quòd per Salomonem dictum eſt, in Eccleſ. 7. D. Quoniam homo non eſt iuſtus in terra, qui faciat bonum, & nō peccet. Idem quoque Salomonem dicit in 2. Paralip. 6. E. Non eſt homo qui non peccat, vel non peccet. Sanè intelligendum eſt, quòd ex hoc B. Virgo excluditur, quæ plena Spiritus Sancti gratia fuit ſemper à Deo ab omni peccato reſeruata. In fine verò capituli huius, &c. Hucuſque ſunt verba Porchæti de Saluatice: ex his ergo vltimis capituli verbis colligenda eſt mens, & ſententia Auctoris, egerat de peccato originali, & actuali, & adduxerat auctoritates ad comprobandum omnes homines in vtroque æqualiter deliquiſſe; concludit capitulum excipiendo Beatiſsimam Virginem Mariam illis verbis: *Sanè intelligendum eſt, quòd ex hoc B. Virgo excluditur, quæ plena Spiritus Sancti gratia, fuit ſemper à Deo ab omni peccato reſeruata.* Quid clariùs dici poterat? Nam ſi ſolùm loqueretur de peccatis actualibus, non diceret ad hoc, ſed ex his, ex hoc enim ſonat neutraliter, ex hoc ſcilicèt, quòd dictum eſt vniuerſaliter in hoc capitulo, ſola Virgo Maria fuit exempta, *ſemper*, id eſt, pro omni tempore, & inſtanti, *ab omni peccato*, originali, & actuali: hoc enim indicant illæ duæ dictiones, *ſemper*, & *ab omni*, quarum vim præſentiens Anonymus, timuit in lucem dare verba Porchæti, cōtentus ſolùm citatione ad multiplicationem Auctorum; exiſtimans fortè, quòd nullus inuenire poſſet librum de victoria cōtra Hebræos. Sed repertus eſt inter mortuos liber, & liberans Virginem Mariam ab omni peccato.

PRÆPOSITVS, vel Prepoſitiuus, Doctor Pariſienſis antiquus, in Sum. ſua circa materiam, aut capit. de Sanctificatione Virginis. *Turrec, par. 6. cap. 18. fol. 111. à tergo. Anonym. Auctore 158. Bandel. cap. 21. Deza fol. 35. Vincent. & Gryſald.*

VERITAS 260.

TRE Simenio huius nominis Scriptores. Primus eſt quidā clariſsimus Doctor Ioan. Antonius, Præpoſitus Eccleſiæ Mediolan. & Cardinalis Alexādrinus, vtriuſque Iuris Doctor, qui ſcripſit ſuper Decretū, cuius opera fuerunt typis mandata Lugduni ann. 1522. in fol. magno, & hic cōmuniter inter Iuriſtas vocatur Præpoſitus. Sed iſte non eſt, de quo modo inquirimus, quia neque ſcripſit Sūmā, nec de ſanctificatione Virginis. Secūdus eſt quidam Præpoſitus, Doctor Theologus, de quo Ioan. Vitalis S. R. E. Cardinalis, & Ioan. Alanus Doctor Pariſ. in ſuis Tract. de Concept. Virginis lib. 4. cap. 7. Anci. 7. Decad. 2. Auct. 3. citant, & adducunt pro noſtra ſentētia dicentes: *Tertius teſtis eſt Præpoſitiuus, qui in 2. par. ſuæ Sūmæ, titulo de originali peccato, ponit ad hoc fuiſſe mundatā ſacræ Virginis carnē, ne anima eius haberet peccatū à carne.* Cùm ergo iſte Præpoſitiuus expreſsè fuerit pro nobis, quærēdus eſt alter. Tertius eſt alius Theologus, vocatus Petrus Prepoſitus (vt benè Turrecremata, & Anonymus, nō Præpoſitiuus, vt malè Bādellus, & alii ſui ſequaces) qui ſcripſit quæſtiones abbreuiatas ſuper 4. lib. Sēt. & incipit opus: *Cupientes aliquid de penuria, &c.* & extat manuſc. characteribus Gallicis in Biblioth. S. E. Toletanæ in fol. capſ. 14. nu. 7. Hoc opus nunquā fuit typis mandatū, & parui momenti in qualitate, & quantitate eſt, & licèt hic Pet. Præpoſitus non ſcribat per capita, nec habeat ſpecialem titulum de ſanctificatione Virginis, vt citant Aduerſarii, exiſtimo tamen hunc eſſe ab

ipſis citatum pro ſua opinione, quia in 3. Sent. diſt. 3. Ipſam expreſsè tenet, & ſequitur, vt mox videbimus.

Auctoritatem ergo huius ſic adducit Turrecremata: *Item idem eſt in ſententia Præpoſitus, Doctor antiquus eiuſdem Vniuerſitatis, in Summa ſua, circa materiam Sanctificationis B. Virginis, aſſignans cauſam, quare in Conceptione Filij Dei Virginis caro mundabatur.* Hæc ſunt Turrecrematæ verba. Bandellus verò, & Vincentia ſic illum adducunt: Idem tenet Dominus Præpoſitiuus, Doctor Pariſiēſis antiquus, in Sūma ſua, capite de Sanctificatione Virginis, ſic dicens: *B. Virgo contraxit in ſui Conceptione originale peccatum, à quo fuit in vtero matris per ſanctificationem mundata. Hæc ille.* Ex his intellige, Lector, quod Turrecremata vidit Præpoſiti opus, ſed Bandellus, & Vincentia, minimè; quia iſti ſumpta occaſione à Turrecrematæ verbis, à primò vſque ad vltimum verbum finxerunt totam auctoritatem. Et hoc ipſum fecerunt in aliis, quam plurimis in hac Ventilatione adductis. Auctoritas verò, & legitima Petri Præpoſiti, in 3. Senten. diſt. 3. ſic inquit: *Primò quæritur, vtrum Beata Virgo ſanctificata fuerit antequam conceptio carnis eius finiretur? Dicendum, quòd non; quia ſanctificatio eſt emundatio à malo, quod ſine gratia fieri non poteſt, & quia anima rationalis eſt proprium ſubiectum gratiæ. Ideò antè infuſionnem rationalis animæ ſanctificari non potuit. Secundò quæritur, vtrū fuerit ſanctificata antè animationem? Dicendum ſicut ſuprà, iuxta prædicta in præcedenti quæſtione... quòd non. Sed ſi aliquis dicit, quòd oportuit ſanctificari in parentibus, non eſt verum, quia nulla perfectio pertinens ad patrem tranſit in prolem. Sed ſi iterum dicat aliquis, quòd in ipſo inſtanti, in quo anima infunditur, ſanctificata fuit, non eſt verum; quia tunc non contraxiſſet originale, & non indiguiſſet redemptione facta per Chriſtum, quod falſum eſt, hoc autem ſoli Chriſto competit; nos autem omnes naſcimur filij iræ.* Hæc ſunt Præpoſiti verba, non autem illa ficta, & falſificata à Bandello, & Vincentia, ſemper, & vbique fabricatores mendaciorum, Ex quibus omnibus colligitur. Primo, quod Aduerſarii cum ſufficienti fundamento adducunt pro ſua ſententia Petrum Præpoſitum. Secundo, quòd excepto Turrecremata, omnes alii contra veritatem adduxerunt verba, & auctoritatem ab ipſiſmet fictam, & à primo vſque ad vltimum verbum falſam. Tertio, quòd malè citant eum inter Doctores clariſsimos, quia huius Auctoris nullus Nomenclator mentionem facit, nec aliquis Theologus, aut Scriptor Eccleſiaſticus; imo opus ipſum eſt contemptibile, & nullius momenti: eſt enim quaſi quædam Summa, ſeu Epitome concluſionum S. Thomæ Aquinatis. Vndè verè, & realiter exiſtimo, fuiſſe aliquem Patrem Dominicanum qui recolligebat in vnum ſui Præceptoris concluſiones, & ſi fuit Dominicanus, giro vallabat abyſſos.

PROSPER Regienſis, Epiſcopus, ac Sanctus, in lib. 2. de vita contemplatiua, cap. 21. *Ita Bandel. cap. 15. Deza fol. 23. Gryſal. Alphabet. 2.*

VERITAS. 261.

SANCTVS Proſper Aquitanus notiſſimus eſt, de quo vide latè Aubertum Myræum in ſua Biblioth. fol. 198. Poſſeuinum fol. 302. & omnes alios Nomenclatores, Geſnerū fol. 709. &c. Eius opera excuſſa fuerūt Colon. 1536. & 1540. & 1609. in 8. Lugd. 1539. Duaci 1577. Louanii 1566. in 8. Regali, & alibi. Cuius auctoritatem ſic adducunt Aduerſarii: Idem tenet B. Proſper, Epiſcopus Regienſis, ſanctitate, & doctrina præclarus: in ſeptem libris de vita contemplatiua, lib. 2. cap. 21. *Quia*, inquit, *Adam illud graue peccatum commiſit, totum humanum genus damnauit; ille enim in omnibus poſteris culpam, tranſmiſit, & pœnam. Chriſtus autem ſolus ſine peccato conceptus, culpam noſtram ſuſcipere non potuit, ſed de ſuſceptione pœnæ noſtræ culpam noſtram aboleuit, & pœnam. Ille enim mortuus eſt, & peccato non ſuo, ſed noſtro. Vnuſquiſque autem noſtrum non alieno, ſed ſuo moritur peccato. Hæc ille.* Et hæc Aduerſarii ex S. Proſpero. Incipiat ergo, Lector, enumerare vitia, & adulterationes in hac breui auctoritate commiſſas. Primò in vtroque originali Bandelli, & Dezæ dicitur: In ſeptem libris: at S. Proſper non habet niſi tantum tres libros de vita contemplatiua, & ſic quatuor addiderunt ex proprio cerebro. Secundò, in præallegato lib. de vita contemplatiua, cap. 19. non extant omnia verba adducta ab Aduerſariis. Solùm enim in illo capite 19. Vbi S. Proſper loquitur de peccato primi hominis, ſic inquit: *Sed iam videamus, ſi placet, qualiter illi homines primi commiſerunt tam grande peccatum, quod & ipſos de Paradiſo proiecit in hoc vitæ pœnalis exilium, & in eis originaliter totum damnauit genus humanum, &c.* Ex quibus Aduerſarii fabricarunt primam ſuæ auctoritatis clauſulam ſic: *Quia Adam illud graue peccatum commiſit, totum humanum genus damnauit.* Ex qua tertiò, cauillosè abſtulerunt totum initium Proſperi: *Sed iam videamus, &c.* vſque illud, *exilium.* Quarto, addiderunt illam cauſalem, *quia.* Quintò addiderunt ly, *Adam*, quod in Proſpero non extat. Sexto, abſtulerunt illud, *Originaliter*, quam vocem ſemper, & vbique expungunt; quia

quia ſolùm querunt originale. Septimo, eadem intentione addiderunt totũ illud, *graue peccatũ commiſit*, quod in Proſpero non extat, ſed, *grande*, quia magnum, & filiis nocuit, vt his vitiis, & adulterationibus celarent Proſperi mẽtem, vt infrà dicam. Octauo, continuarunt verba cap. 19. cum verbis cap. 20.

Nã S. Proſper cap. 20. cuius titulus eſt: Quòd omnia bona, quæ in Adam corrupti perdidimus, in Chriſto reparati recepimus, ſic inquit: *Adam nos ſub noxa habuit malis omnibus propriam culpam, à quibus nos liberauit aduentus Chriſti per gratiam: ille in nos culpam ſuã tranſmiſit, & pœnam; hic qui culpam noſtram ſuſcipere, vtpotè conceptus, & natus ſine peccato nõ potuit, de ſuſceptione pœnæ noſtræ culpam noſtram ſimul abolere potuit, & pœnam, & totum dicam, Adam nobis eripuit paradiſum, Chriſtus donauit cœlum, &c.* Continuando ergo ſua vitia. Nono, prætermittentes verba Proſperi, quæ ſuam mentem declarabant, tranſierunt ex abrupto ad illa: *Ille enim in omnibus poſteris culpã, tranſmiſit, & pœnam.* Decimo, non recta intentione addiderunt illas vniuerſales, *in omnibus poſteris*, nam S. Proſper ſolùm dicit, *ille in nos culpam tranſmiſit.* Vndecimo, abſque vllo timore addiderunt totam illam clauſulam; *Chriſtus autem ſolus ſine peccato*; quæ fundamentum, & cardo eſt totius controuerſiæ, & auctoritatis. Duodecimo, vbi S. Proſper, *vtpotè conceptus, & natus ſine peccato*; illi abſtulerunt ly, *natus*, & ſolùm appoſuerunt ly, *cõceptus*, vt ſic verba Proſperi non prodeſſent Virgini Mariæ, quæ nata fuit ſine peccato, videntes, quod exemptio Natiuitatis ipſi præſtolabatur etiam ad Conceptionem. Decimotertio, dereliquerunt concluſionem Proſperi, ſcilicèt illud, *Adam nobis eripuit paradiſum, Chriſtus donauit cœlum, &c.*

Deindè. Decimoquarto, vitiarunt Proſperum, quia continuarunt ſequentia verba deſumpta ex alio capite ſcilicèt 21. cum illis ex 19. & ex 20. in illo enim cap. 21. cuius titulus eſt: Qualiter viuere debeant, qui Chriſtum imitari deſiderant, ſic inquit Proſper: *Illi reſurgũt cum Chriſto, qui moriuntur, ſicut ille peccato; ea tamen diſtinctione ſeruata, quòd ille mortuus eſt peccato non ſuo, ſed noſtro; vnuſquiſque autem noſtrum non omnium moritur peccato, ſed ſuo, &c.* Decimoquinto, prætermiſerunt omnia illa verba Proſperi, *illi reſurgunt cum Chriſto, qui moriuntur, ſicut ille peccato, ea tamen diſtinctione ſeruata*, quæ verba ſunt Proſperi aſſumptum. Decimoſexto, eadem malitia abſtulerunt ly, *quod*, vt relatiuam clauſulam facerent abſolutam. Decimoſeptimo, addiderunt illud emphaticum, *&*. Decimooctauo, vbi Proſper argutè ſatis, *vnuſquiſque autem noſtrum non omnium moritur, &c.* Ipſi cauillosè prætermiſerunt ly, *omnium*. Hæc eſt veritas pura, ac ſincera. Quomodo ergo poteſt eſſe auctoritas Proſperi ad probandam hanc concluſionem expreſsè, & nominatim, vt Aduerſarii dicunt, & proponunt: Virgo Maria contraxit peccatum originale, quando auctoritas Proſperi eſt deſumpta ex tribus diuerſis capitulis 19. & 20. & 21. & ex libro de vita contemplatiua, in quibus nec nominatur Virgo Maria, nec peccatum originale, & inſuper fuerunt necenariæ decem & octo adulterationes, ac vitia, vt ſaltem apparenter reducerent S. Proſperum ad ſuum propoſitum?

De mente autem S. Proſperi breuiter dico, quòd in primo capitulo, ſcilicèt, 19. agit de peccato Adami, quod omnes maculauit originaliter, id eſt, in ſua origine, quo expulſi fuimus à Paradiſo. In ſecundo, ſcilicèt, cap. 20. intendit S. Doctor probare, quòd ſicut in Adam cecidimus, ſic in Chriſto reſurreximus, & per ipſum redempti, & liberati ſumus. Vnde antè adducta verba ab Aduerſariis, inquit S. Proſper: *Quapropter ſicut in Adam fuimus omnes, ipſo cadente cecidimus; ita quia in Chriſto iam eſſe cœpimus, qui pro nobis omnibus dignatus eſt mori, vt nos peccatis noſtris illi cõmortui, cum illo ſpiritualiter reſurgamus, &c.* In 3. capite ſcilicèt 21. loquitur Proſper de peccatis actualibus, vt volenti illud legere patebit. Videat ergo Lector, & iudicet, qua veritate, & fundamento adduxerunt S. Proſperum.

RABANVS Fuldenſis Abbas, Beatus ſuper Matthæum. *Ita Bandell. cap. 16. Deza folio 24. à tergo. Paul. Gryſaldus Alphab. 3.*

VERITAS 262.

RABANVS Maurus, Ordinis Sancti Benedicti, primum Abbas Fuldenſis, deindè Archiepiſcopus Maguntinus, celeberrimus Auctor eſt, ſed nunquam appellatus, ſeu veneratus, vt Beatus, ſed Aduerſarii, vt ſuam opinionem beatificarent, etiam hunc ſicut & alios quàm plures in Cathalogo ſuorum librorum beatificarunt, ſeu canonizarunt. Huius Auctoris opera ſparſim fuerunt pluribus in locis typis mandata, ſed nouiſsimè omnia prodierunt correcta Coloniæ anno 1626. in fol. magno. Eius verò auctoritas ſic adducitur ab Aduerſariis: Idem tenet Beatus Rabanus, Abbas Fuldenſis, qui doctrina, & ſanctitate floruit, ſuper Matthæum: *Hic eſt*, inquit, *filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. In primo homine mihi diſplicui,*

in

in hoc ſolo mihi complacui, quia illum ſolùm ſine peccato reperi. Auctoritas verò vt extat in Rabano tom. 5. Commentariorum in Matthæum lib. 1. cap. 3. ad finem fol. 21. littera D. ſic ſe habet: *Quod autem ait vox paterna. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ad comparationem terreni hominis dicit, in quo peccāte quodammodo ſè ſibi diſplicuiſſe Deus conditor inſinuat, cum ait: Pœnitet me hominem feciſſe in terra: pœnitentia quidem in Deum nulla cadit, ſed noſtro more loquens, qui compungi pœnitentia ſolemus, quando contra votum noſtra opera verti videmus, pœnitere ſe dixit hominem feciſſe, quem à rectitudine ſuæ factu-rę, peccando degenerare conſpexit. In filio autem ſuo vnigenito ſibi ſingulariter complacuit, quia hunc hominem, quem induerat, à peccato immunem ſeruare cognouit, &c.* Tota ergo auctoritas ab Aduerſariis adducta ficta eſt, quia nec ſolùm vnum verbum ab ipſis adductum extat in Rabano (vel Hrabano, vt nunc dicitur) præcipuè ex eſſentialibus: non enim prima clauſula: *In primo homine mihi diſplicui,* neque ſecunda: *quia in hoc ſolo mihi complacui,* neque tertia: *quia illum ſolum ſine peccato reperi.* His ergo tribus clauſulis demptis, totius auctoritatis nec vngula quidèm remanebit.

Sed reſtat aliud myſterium in hac auctoritate, ſcilicèt, quòd non ſolùm eſt duplicata, ſed quadruplicata, nam eandem adducunt in Venerabili Beda, vt videre eſt numero 41. auctoritate 4. & iterum in Sancto Gregorio Magno, numero 95. auctoritate 5. & in Zacharia Chryſopolitano numero 314. auctoritate 2. Fatemur igitur, quòd hæc auctoritas reperitur in illis tribus, Gregorio, Beda, & Zacharia, nam hic illam tranſcripſit à Beda, & iſte à Sancto Gregorio, & ſi erat in tribus, quod multiplicaretur in tribus, de hoc non miror, ſed vehemẽter, & extra omnem modum obſtupeſco, quòd cum clauſula principalis, propter quam hæc auctoritas adducitur ab Aduerſariis, extet in Sancto Gregorio ſic: *In ſolo ergo ſibi Redemptore noſtro complacuit Pater, quia in ſolo non inuenit culpam, in qua ſe reprehendat quaſi per pœnitentiam.* In Beda verò ſic: *In filio autem ſuo vnigenito ſibi ſingulariter complacuit, quia hunc hominem, quem induerat, à peccato immunem ſeruare cognouit.* Et eodem modo nulla dempta ſyllaba, vel mutata in Rabano, in Zacharia ſic: *In ſolo autem Chriſto ſibi complacuit, quia non ſe eum creaſſe hominem pœnituit, quandoquidèm nullum in eo peccatum fuit,* Aduerſarii abſque vllo timore ſic tranſcripſerunt Bedam: *Quia hunc inter homines, hominem creaſſe non pœnituit, in quo ſolo peccatum nullum inuenit.* Rabanum verò ſic: *In hoc ſolo mihi complacui, quia illum ſolum ſine peccato reperi.* Quomodo hæc fieri, imo neque excogitari potuerunt abſque ingenti malitia? Quia iſti ſic enormiter tranſcribentes, & adulterantes verba Bedæ, & Rabani, vel ipſos viderunt, vel non? Ego pro ipſorum honore dicerem, quòd non viderunt, ſed loquuti fuerunt ex fantaſia.

Quantum autem ad ſenſum iſtius auctoritatis dico, iſtos tres Doctores locutos in ea fuiſſe de peccatis actualibus: hoc conſtat. Primo, ex ipſorum verbis. Secundo, ex occaſione, loco, ac circumſtantiis quando, quomodo, & propter quid illa verba fuerunt prolata à Patre æterno. Tertio, dato quòd expreſsè, & formaliter loquerentur Beda, ac Rabanus de peccato originali, exprimentes ſic ſuam intentionem: *In filio autem ſuo vnigenito ſibi ſingulariter complacuit, quia hunc hominem, quem induerat, à peccato originali immunem ſeruare cognouit.* Deſideratis, quòd Beda, & Rabanus dicerent hoc? Et ob illud verbum, *originali*, tot, ac tantas machinatis adulterationes? Ecce iam admittimus illud, *à peccato originali.* Quid indè? Ex hoc antecedenti: Chriſtus fuit immunis à peccato originali, infertur rectè hæc conſequentia: ergo Maria non eſt immunis à peccato originali? Certè & in rei veritate non deducitur, niſi in antecedenti etiam addatis illud, *ſolus*, quod ſemper addidiſtis in Beda, & Rabano, ſcientes, quòd niſi antecedens formaretur hoc modo: Chriſtus ſolus fuit immunis à peccato originali, non deducebatur rectè veſtra concluſio: igitur iam in auctoritate Bedæ, & Rabani, deſunt duo termini eſſentialiſsimi, ſine quibus nihil probatis. Quo ergo fundamento, & veritate, adduxiſtis hanc Bedæ, & Rabani auctoritatem contra immaculatam Virginis Conceptionem? Quando ex tribus terminis huius propoſitionis: *Chriſtus ſolus ſine originali fuit*, deſunt duo? Sed amplius progrediamur in hac materia, triturando auctoritatem hanc vſque ad vltimos apices. Concedamus, quòd Gregorius, Beda, Zacharias, & Rabanus dixerint: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, quia ipſum ſolum inter omnes homines ſine originali peccato inueni, adhuc hæc propoſitio additis illis tribus terminis, *ſolus*, & *omnes*, atque *originale*, iuxta ſubiectam materiam, & verba à Patre prolata poſſunt, & debent diſtingui ſic: vt filius naturalis, concedo, ex vi ſuæ generationis, & per naturam, concedo, ex ſibi innata, ac debita connaturalitate, ex vnione Hypoſtatica, ac Diuinitate, ſeu perſonalitate diuina ſuppoſitante, concedo, ex priuilegio, gratia, & miſericordia, nego. Vides, quomodo hæc Rabani auctoritas nihil dicit contra immaculatam Virginis Cõceptionem, poſt tot additiones, & adulterationes? Quid

ergo

ergo dicendum esset sine illis? De mente autem Rabani aliqua dicimus in nostra Militia, vbi videbis, quomodo in magis piam se inclinat sententiam.

RAPHAEL De Parnasio, Ianuensis, Ordinis Prædicatorum, & Doctor Parisiensis, in Tractatu de Conceptione, seu prærogatiua Saluatoris. *Ita Anonym. Auctore 94. Bandel. cap. 22. Deza folio 42. à tergo. Vincent. & Gryfald.*

VERITAS 263.

HVNC Auctorem cum aliquali diuersitate adducunt Aduersarii; nam Anonymus inquit: *Idem tenet Magister Raphael de Parnasio, Doctor Parisiensis, in Tractatu de prærogatiua Saluatoris.* Bandellus verò, & Vincentia sic: *Idem tenet Magister Raphael de Parnasio, Ianuensis, in Tractatu de Conceptione.* Sed hæc parua differentia est. Dico ergo Primo, quod de hoc Auctore mentionem faciunt Nomēclatores Dominicani, Antonius Senensis fol. 206. Albertus lib. 4. fol. 140. Placentinus fol. 417. Possevinus etiam ex ipsis fol. 213. qui omnes affirmant, scripsisse prælegatum Tractatum de Conceptione, & aliqui dicunt seruari in Conuentu Ianuensi Ordinis Prædicatorum. Secundo dico, quod Aduersarii nullam adducunt auctoritatem, vndè valdè dubito de tali Tractatu: tum quia hic Auctor vixit ad annum 1465. ex quo videtur, quod fuerit modernus: tū quia nulla alia notitia habetur de tali Tractatu, nisi illa diuinata ab Anonymo Bandelliano, qui in multis deuiauit à veritate, à quo postea Leāder Albertus. Tertio, admissa certitudine tractatus, Auctor nō est classicus, imò nullius opinionis, aut famæ, opus illud nunquam fuit typis mandatum, & fortè scripsit eadem quæ Anonymus, Bandellus, & Vincentia postea transcripserunt, quod si ita est, Patres mei, melius erit, vt pro tantæ Religionis opinione, & honore, æterna sepeliatur obliuione. Et si velis addere, quod est ex Ordine Prædicatorum, & sic suspectus. Vale.

RAYMVNDVS, Compilator Decretalium, & D. Papæ Gregorii IX. Pœnitentiarius, in Summa sua titulo de Feriis. *Turrecrem. part. 6. cap. 34. folio 125. à tergo. Anonym. Auctore 83. Bandel. cap. 19. Deza fol. 29. à. tergo. Vincent. Gryfald. Capreol. Soncin. Sanctus Antoninus, Arpalleg. fol. 32.*

VERITAS 264.

QVOD Raymundus de Penafort Barchinonēsis, Ordinis Prædicatorum, fuerit Sanctus, ac multis claruerit miraculis, res ita per se nota est, & communiter repetita, vt nec ipsi paruuli hoc ignorent. Item quod hic fuerit Capellanus, ac Pœnitentiarius Gregorii IX. Summi Pontificis, cuius iussu Decretales, quæ iparīæ erant, in vnū recollegit volumen, anno Christi 1234. mense Nouembri. Sciunt adhuc ipsi Nouitii scholastici, tum quia sic dicitur in Prooemio Decretalium, & referunt omnes Nomenclatores, tam Ordinis Prædicatorum, quàm alii Scriptores Ecclesiastici, de quo vide Balthasarem Pachecum, Ordinis Minorum, in Libello exhortatorio ad studium Iuris Canonici, Maluendam in Annal. ad annum 1234. fol. 537. Franc. Diagum in Histor. Aragonen. latissimè lib. 2. in principio. Denique nullus ignorat, habens saltem minimam cognitionem litterarum, nec ignorare potest, quod hic S. Raymundus Compilator Decretalium, ac Ordinis Prædicatorū composuit Opusculum ad impiorum perfidiā iugulandam, sed maximè Iudæorum, quæ incipit: Cum iuxta Beatum Paulum, &c. quam vidi in conuentu S. Ioann. Regum Toletan. littera X. num. 61. sed præcipue, ac principaliter scripsit communissimam Summam Moralem, seu de casibus conscientiæ, quæ talis semel, & iterum fuit excusa, & passim citatur inter Summistas. Hæc ergo omnia, quæ nullus ignorat, existimo, quod Turrecremata, Bandellus, Deza, Vincentia, Gryfaldus, penitùs ignorarunt; quia nullus ipsorum hunc S. Raymūdum enumerat inter suos fratres Prædicatores, sed inter Canonistas vocando ipsum Dominum, & quod plus est, quod nullus saltem incidenter dicit, vel insinuat ipsum fuisse ex Ordine Prædicatorum: si hoc fecerunt ex ignorantia, vel ex alia causa, alii iudicent; quia mihi solùm competit demonstrare veritatem.

Turrecremata par. 6. cap. 29. refert omnes Doctores Ordinis Predicatorum, & ibi nullam facit mentionem de Sancto Raymundo capite verò 36. vbi ponit Doctores Iuris Canonici, sic inquit: *Item ad idem est Raymundus Compillator Decretalium, qui Barchinone sepultus claruisse dicitur miraculis* (nota hoc dictum Hispani de Hispano, Dominicani de Dominicano, ac Canonistæ de Canonista: *Claruisse dicitur*, qui hæc dixit paruam, vel nullam notitiam habebat de suo Raymundo) *in titulo de Ferijs, dicit sic: De Conceptione Virginis non fit mentio: quia illud non debet celebrari, eo quod cōcepta fuerit in peccatis, sicut & cæteri sancti,*

ex-

excepta vnica persona Christi, qui non ex virili semine, sed mystico spiramine conceptus est. Hæc ille. Bandellus autem, & Vincentia sic inter Canonistas: Idem tenet Dominus Magister Raymundus Compillator Decretalium, Pœnitentiarius Domini Gregorii IX. in 1. lib. suæ Summæ, titulo de Feriis, sic dicens: *Non enim hic fit mentio de festo Conceptionis B. Virginis, quia non debet celebrari, eo quod in peccato concepta fuit, sicut cæteri homines, excepta vnica persona Christi, quæ non ex virili semine, sed mystico spiramine concepta est. Hæc ille.* Nota illud, *Dominus*, quia sic citat Bandellus omnes sæculares, vndè vel non cognouerunt, vel calidè affectarunt non fuisse suæ Religionis Auctorem. Etiam Gryfaldus ipsum adducit inter Canonistas, quarè autem hoc fecerint, ipsi videāt: Auctoritas verò Raymundi, lib. 1. titulo de Feriis, & festis, & diebus ieiuniorum, in antiquis originalibus, & manuscriptis sic se habet: *Et nota, quòd non fit hic mentio de Annuntiatione S. Mariæ, cùm tamen sit celebre festum, nec de Conceptione eiusdem, quia illud non debet celebrari, eo quòd concepta sit in peccatis, sicut & cæteri Sancti excepta vnica persona Christi, quæ non ex virili semine, sed mystico spiramine concepta est, &c.* Extat manuscrip. in Bibliotheca Regia Scorialis V I. D. 25. in membranis, & in principio habet: *Raymundi Ordinis Prædicatorum Summa cum declaratione, & Additionibus Fr. Ioannis Lectoris eiusdem Ordinis.* Et in Biblioth. Sanctæ Ecclesiæ Toletanæ. At in impressione facta Romæ anno 1603. ab ipsismet PP. Dominicanis, dicata Clementi VIII. Sum. Pont. & Philippo III. Hispaniarum Regi, sic se habet: *Et nota, quòd non fit ibi mentio Annūtiationis Sanctæ Mariæ, cùm tamen sit celebre festum, nec de Conceptione eiusdem.* Et nihil amplius: quare autem reliqua verba ablata fuerint, inuestigare non potui, fortè ita iussit Summus Pontifex Clemens, est etiam alia Summa collecta ex Raymundi Summa impress. ann. 1538. in 8. ligato sermone, quæ incipit: *Summa de Summa Raymundi prodyt ista, &c.* Interprete Ioanne de Cappus, & in hac etiam desunt supraposita verba: ex quibus patet, quod Turrecremata benè transcripsit; Bādellus verò more suo adulterauit. Primo, addendo illud, *festo.* Secundo, illud, *in peccatis*, transtulit in singulari, *in peccato*, quo totam auctoritatem vitiauit: Videns enim, quòd illud, *in peccatis*, non poterat verificari de propria Conceptione, seu animatione, quia in illa non potuit Maria cōcipi in peccatis, sed in peccato in singulari, scilicet originali, & quòd illud, *in peccatis*, respiciebat generationem parentum, seu Conceptionem carnis, & quòd sic verba non erant ad suum propositum, nec probabant suam conclusionem, siquidèm respiciebant peccata patris, ac matris in generatione communiter patrata, prout respiciebant Conceptionem illam primam factam die 8. Decembris; ideò adulterauit illam vocem, *peccatis*, in *peccato*. Tertio, & principaliter, vbi Raymundus, & etiam Turrecremata dicunt: *Sicut cæteri Sancti*, Bandellus, Deza, Vincentia, & Gryfaldus transcripserunt, absque vllo timore, nec Virginis Mariæ reuerentia: *Sicut cæteri homines*, vt sic eius sacratissimam Conceptionem, non cum Conceptione Sanctorum, sed cum Conceptione hominum compararent, & illam deprimerēt, ac, vt ita dicam, vilipenderent, dum illam cum Conceptionibus, non *Sanctorum*, sed cæterorum hominum, etiam peccatorum, & damnatorum computabant, atque enumerabant; ad contrapositionem illorum qui clamabant, & dicebant, quòd puritas Conceptionis Marianæ, non cum Conceptione hominum, nec *Sanctorum*, sed cum Conceptione filii Dei fors illius erat. O Raymunde cum Sanctis Sanctus fuisti, & eris, &c.

RAYNERVS De Pisis, Ordinis Prædicatorum, in 2. part. suæ Summæ. *Anonym. via 3. ratione 9. Auctore 87. Bandell. cap. 23. Deza folio 42. Petrus de Vincent. & Gryfald.*

VERITAS 265.

HVNC Cum sufficientissimo fundamento citant Aduersarii pro sua opinione (licèt nullam adducāt auctoritatem; solùm enim dicunt: *Idē tenet Magister Raynerus de Pisis in 2. par. Summæ suæ*) rationem à priori quare non adduxerunt huius notissimi scriptoris, atque communissimæ Summę auctoritatem, ad finem videbimus; nam Raynerus de Pisis, qui vixit circu annum 1414. in Summa sua, quam Pantheologiam vocant non part. 2. vt dicunt Aduersarii, sed par. 1. cap. 5. imp. Lugd. antiquæ fol. 258. & nouissimæ tom. 3. fol. 507. suam sequitur sanctificationem post contractionem peccati originalis sic loquendo de Verbo diuino Incarnato: *Primo enim fuit Beata Virgo in vtero sanctificata, non enim Beata Virgo fuit sanctificata antequam eius caro in vtero matris suæ conciperetur: quod probo duplici ratione. Prima est talis; quod non est, non potest sanctificari; sed Beata Virgo antequam in vtero matris suæ conciperetur, non fuit: ergo sanctificari non potuit. Secunda ratio est talis: sanctificatio fit per gratiam: ergo quod non est susceptiuum gratiæ, sanctificari non potest, sed antequam caro concipiatur, est sine anima, quæ est susceptiua gratiæ: ergo similiter, caro Virginis ante infusio-*

nem

nem animæ ſanctificata nõ fuit: quod probo duplici ratione, ſcilicèt, ordinis, & contrarietatis. Primo, ratione ordinis, ſic; in partibus hominis eſt talis ordo, quod anima eſt Deo propinquior, quàm corpus: Cùm ergo virtus agentis priùs perueniat ad id quod eſt propinquum, quàm ad id quod eſt remotum, gratia ſanctificationis venit ad corpus per animam; at non è conuerſo, & ideò antequam caro Virginis animaretur, ſanctificari non potuit. Secundo, hoc idem probo ratione contrarietatis, ſic: contraria habent fieri circa idem, ſed gratia ſanctificationis præcipuè opponitur peccato originali: cùm ergo in carne ante infuſionem animæ peccatum originale eſſe non potuit, quia proprium animæ rationalis eſt, quòd ſit ſubiectum culpæ: ergo ante animationem caro B. Virginis ſanctificata non fuit, quia nondum gratiæ capax erat. Similiter B. Virgo in ipſo inſtanti infuſionis animæ ſanctificata non fuit, vt ſcilicèt, per gratiam tunc ſuperinfuſam conſeruaretur, nè culpam originalem incurreret, cuius ratio eſt, quia tunc redemptione non eguiſſet, ſed hoc ſingulare, ſcilicèt redemptione non indigere, in toto humano genere conuenit ſoli Chriſto, quia ipſe eſt caput noſtrum: ergo nec B. Virgini, nec alicui præter Chriſtum, conceſſum eſt non eſſe infectum originali macula, & per conſequens non indigere redemptione, & ideò B. Virgo fuit ſanctificata ante Natiuitatẽ ſuam ex vtero matris eius: quod tripliciter probo, ſcilicèt ratione, cõparatione, & celebratione, &c. Et adducta ratione, & comparatione concludit ſic: *Tertio, hoc idem probo celebrationeſic: Eccleſia non ſolemnizat niſi pro aliquo Sãcto, celebrat autem, & ſolemnizat Natiuitatem B. Virginis: ergo B. Virgo, antequam ex vtero naſceretur, ſanctificata fuit, & ſic ſanctificata fuit, antequam nata fuit. Sed forte argues in oppoſitum ſic: Beatus Hieronymus dicit: Non mihi credas, ſi aliquid tibi dixero, quod tibi non tradidero ex nouo, vel veteri Teſtamento; ſed de ſanctificatione B. Virginis in vtero nihil dicitur in veteri, vel nouo Teſtamento: ergo non eſt credendum eam in vtero ſanctificatam fuiſſe. Reſpondeo, & dico, quòd ſicut in Scriptura ſacra veteris, & noui Teſtamenti, non traditur de Aſſumptione, vel Natiuitate B. Virginis, ita nec de eius ſanctificatione, ſcilicèt, quod fuerit ſanctificata, &c.* Hæc ſunt omnia Rayneri verba, quæ tranſcripſi ad litteram, quia aliqua notatione digniſſima erunt deducenda.

Deducitur primo; quòd hæc Rayneri Summa fuit antiquitùs in pretio habita, & Auctor illius, vt claſsicus receptus, & magnæ auctoritatis, vndè opus illius fuit typis mandatum Venetiis anno 1486. & Lugduni 1519. recognitum à Fratre Lamberto Campenſi, & Nurimbergæ anno 1473. nouiſsimè verò Lugduni anno 1655. in tribus tomis reperitur etiam manuſcripta in aliquibus Bibliothecis, in conuentu S. Hieronymi Toletan. extat in tribus libris Magnis, quorum vnus eſt recognitus à Fr. Iacobo Florentino, Ordin. Minorum, & tom. 2. fol. 169. extat auctoritas ſuprà poſita ad litteram nullo mutato verbo eſſentiali, & in Toletana S. Ioannis Regum extat primus tomus cum Indice, vbi littera M. verbo Maria, extant hæc verba: *Mariæ Conceptio præſeruata part. 2. fol. 192.* Hæc autẽ verba non extant in originalibus impreſsis, vndè exiſtimo, Summam hanc in aliquibus fuiſſe alteratam in prælo, & confirmatur ex infra dicendis ad finem huius numeri, & quia ad marginem ſuprapoſitæ auctoritatis appoſita eſt hæc notula: *Auctor hic ſequitur opinionem Doctorum antiquorum, qui ſuo tempore clarebant.* Cùm ergo hæc verba nõ ſint Auctoris, ſed alterius, videtur ſequi intentum de variatione originalium.

Vndè non multa præſtanda eſt fides originalibus huius Doctoris, & confirmatur, quia in impreſſ. nouiſſ. Lugdun. ann. 1655. in tribus tomis, titulo ſuprà allegato de Incarnatione cap. 5. habet omnia ſuprapoſita, & infrà cap. 8. pag. 542. extat inſertum aliud caput, ſub hoc titulo: *Conceptionem Deiparæ Virginis, qua primum in vtero materno formata eſt, immaculatã piè credi, ſed non ab Eccleſia certo aſſeri, vel credendum proponi.* Cùm ergo quæ in hoc capite dicuntur, non ſint in originalibus antiquis, ſed ſit quæſtio ſuperaddita à R. P. Ioanne Nicolao recognitore illorum operum, ita ſimulatè, vt niſi ab oculatis diſcerni non poſsint, ſic fortè aliqua fuerunt addita in primis impreſsionibus, & alia extracta. Vide de hoc infrà. Secundo deducimus, quòd tempore Rayneri inter ſcholaſticos, & Summiſtas, generatio, ſeu materiæ in matris vterum depoſitio vocabatur abſolutè, & ſimpliciter conceptio; quod ſemper noto, & notare debes, quia ex hac antiquorum æquiuocatione, ſeu loquendi modo, pendet multarum ipſorum auctoritatum vera, ac ſana intelligentia. Tertio etiam deducitur, quòd adhuc ad ann. 1414. erant reliquiæ illius controuerſiæ antiquæ, an ſcilicèt Virgo Maria fuiſſet, nec nè ſanctificata in vtero, & hoc etiam notatione eſt dignum, quia Aduerſarii, omnes Auctores, & Doctores dimicantes pro hac veritate, ad ſuam Aream connantur adducere, & de facto adducunt, reputantes, idem eſſe, & exprimi in hac propoſitione: Maria eſt ſanctificata in vtero, ac ſi dicerent: Maria contraxit culpam originalem, quod eſt manifeſtus error procedens ex ignorantia antiquarum controuerſiarum, & vocis ſanctificationis, & hæc de ſanctificatione Mariæ fuit celebris, cuius fundamentum vnicum, & totale fuit adductum à Raynero: *Sed de ſanctificatione B. Virginis in vtero nihil dicitur in veteri, vel nouo Teſtamento:*

to: ergo non eſt credendum eam in vtero ſanctificatam fuiſſe. Explicauit tamen ſuam mentem in illis: *Similiter B. Virgo in ipſo inſtanti infuſionis animæ ſanctificata non fuit.* Quarto, notare etiam licèt, quòd Raynerus hic fatetur, ſcilicèt quòd de ſanctificatione in vtero, de Natiuitate, ac de Aſſumptione, nihil traditur in Scripturis: ſi ergo omnis Eccleſia fidelium, & vos cum illa dicitis, fatemini, ac creditis, hæc tria Virginis encomia, ſeu prærogatiuas, & excellentias, ſcilicèt fuiſſe ſanctificatam in vtero, fuiſſe natam ſanctam, puram, ac beatam, ac denique aſſumptam fuiſſe in cœlis corpore, & animam glorioſam, abſque eo quòd in his tribus myſteriis, vel de illis expreſsè dicatur, aut tradatur in Scripturis noui, vel veteris Teſtamenti, quod dicit veſter Raynerus, & exiſtimo eſſe veriſsimum: quo fundamento dixerunt quidam ex veſtris, de quibus in Trituratione, quod auſu temerario protulit etiam quidam Hæreticus ex Proteſtantibus, ſcilicèt oſtendant Fratres Minores in Scripturis priuilegium immaculatæ Conceptionis Mariæ? Et vbi eſt priuilegiũ ſanctificationis in vtero, & Aſſumptionis in corpore? Vltimo deducitur, quòd Raynerus ſaltem in voto noſtram tenuit ſententiam, vel eius vltima ratio nihil probat, dicit enim ſic: *Eccleſia non ſolemnizat niſi pro aliquo Sancto: celebrat autem, & ſolemnizat Natiuitatem B. Virginis: ergo B. Virgo, antequam ex vtero naſceretur, ſanctificata fuit.* Vide, an in aliquo verbo differat ſequens argumentum: *Eccleſia non ſolemnizat niſi pro aliquo Sancto: celebrat autem, & ſolemnizat Conceptionem B. Virginis: ergo B. Virgo in ipſa Conceptione ſanctificata fuit?* Si hoc argumentum concludit ad hominem? Tu iudica, & reſponde pro Raynero. Aduerſarii ergo videntes omnia ſuprà poſita deduci euidenter ex verbis Rayneri, noluerunt ſuam auctoritatem in medium adducere: vel fortè quia eſt hæc illa Summa, quam ſuprà nu. 241. citarunt ſub ficto nomine Petri Capnani, vel Capuani, quia hæc auctoritas eſt etiam in cap. de Incarnatione Verbi: ſiquidèm tacendo verba vtriuſque, celabant multiplicationẽ, ſeu fictionem illius, quia omnia ſunt poſsibilia mentienti.

Hucuſque loquuti ſumus ſecundùm originalia impreſſa, & aliqua manuſcripta à nobis viſa, ſed reſtat quidã ſcrupulus, quia in Bibliotheca Sancti Ioannis Regum Toletan. littera X. num. 85. extat huius Summæ Rayneri prima pars manuſcripta, & fol. 89. *§. Secũdo principaliter, &c.* præcipua verba, & quæ directè militant pro opinione ſanctificationis videlicèt, illa: *Similiter Beata Virgo in ipſo inſtanti infuſionis animæ ſanctificata non fuit, vt ſcilicèt per gratiam tunc ſuperinfuſam conſeruaretur ne culpam originalem incurreret.* In illo originali Toletano extant ſic: *Ergo antè animationem caro B. Virginis ſanctificata non fuit, vt ſcilicèt per gratiam infuſam tunc conſeruaretur. Similiter B. Virgo tunc ſanctificata non fuit, quia nondum gratiæ capax erat, nec culpam originalem incurrerat: Ratio autem, quare tunc ſanctificari non debuit, ſcilicèt ante infuſionem, eſt, quia tunc redemptione non eguiſſet.* Iſtæ auctoritates ſunt primò, diuerſę, quia hæc non eſt ad rem, ſiquidèm ſolùm loquitur de ſanctificatione antè animationem; illa verò formaliter, & expreſsè negat ſanctificationem in ipſo inſtanti animationis, quod eſt principale noſtræ controuerſiæ punctum, quæ autem ex his duabus auctoritatibus fuerit à Raynero prolata, & ſcripta in ſuo primo originali, Deus ſcit, nec ego aliquid pro certo affirmare audeo, quia pro vtraque parte poſſunt eſſe rationes, pro prima eſt vna, & efficax, ſcilicèt, quod ſic extat auctoritas in omnibus originalibus impreſsis, & aliquibus manuſcriptis; ſed pro ſecunda militant ſequentes.

Prima, quòd totum aſſumptum Rayneri in illo cap. 5. eſt, probare, Virginem Mariam non fuiſſe ſanctificatam ante infuſionem animæ, vt conſtat ex integro ipſius diſcurſu ſuprà poſito. Cùm ergo nec ante, nec poſt habeat aliquid circa ſanctificationem in ipſo inſtanti infuſionis animæ, videtur intruſa illa clauſula: *Similiter B. Virgo in ipſo inſtãti infuſionis animæ ſanctificata non fuit, vt ſcilicèt per gratiam tunc ſuperinfuſam conſeruaretur, ne culpam originalem incurreret, &c.* Secũda, quia verbum illud, *conſeruaretur*, facit ſenſum loquendo de ſanctificatione antè animationem, non autem loquendo de ſanctificatione in ipſo inſtanti animationis, vt latè dicemus infrà in S. Thoma num. 296. auctor. 2. Tertia, & potiſsima, quia hæc eadem clauſula fuit intruſa in textu S. Thomæ in 3. Sentent. diſt. 3. art. 1. quæſt. 2. ſic: *Sanctificatio B. Virginis non potuit eſſe decenter antè infuſionem animæ, quia gratiæ capax nondum erat, nec etiam in ipſo inſtanti infuſionis, vt ſcilicèt, per gratiã tunc ſibi infuſam conſeruaretur, ne culpam originalem incurret.* Vt vides, verba ſunt ipſiſsima in Raynero, & S. Thoma, & vtrobique adducuntur loquendo de ſanctificatione antè animationem, & ſi in Raynero fuerunt ab aliquo introducta, vt ex allegato originali manuſcripto videtur, etiam fuerunt intruſa in Sancto Thoma, & viceuerſa; ſi in Angelico Doctore fuerunt addita, vt latiſsimè probo in auctoritate 2. præallegati num. 296. idem eſt affirmandum de hac Rayneri de Piſis. Quarta ratio ſit, quòd Raynerus ſcripſit antè Concilium Baſilienſe in Italia propè Florentiam, cuius Summa fuit communiſsima, & magno pretio habita non ſolùm inter Patres Prædicatores, ſed etiam inter extraneos, & tamen,

men nec Turrecremata, nec S. Antoninus Florentinus, nec Barelete de ipſo in ſuis Cathalogis vllam paruam, vel magnam fecerunt mentionem: ergo hoc etiam eſt ſignum, quòd verba illa: *Similiter Beata Virgo in ipſo inſtanti infuſionis animæ ſanctificata non fuit, &c.* non erant in prædicta Summa, & totum hoc confirmatur ex eo quod nullus Aduerſariorũ Anonymus, Bandellus, Vincentia, &c. auſus fuit in medium adducere Rayneri auctoritatem. Hæc dixi propter veritatem, & vt adiuncta ſuperioribus cognoſcatur, qualiter originalia inter Patres Prædicatores in Conceptionis materia nõ ſunt pura: non autem, vt excluderem Rayneruum ab opinione ſanctificationis, quem ſemper, & vbique enumeraui inter expreſſos pro minus pia ſententia, vt videre eſt in Ventilabro claſſe 8. & alibi.

REGINALDVS, Rothomagenſis Archiepiſcopus, Ordinis Minorum, in 3. Sentent. diſtinct. 3. *Turrecrem. part. 6. capit. 30. fol. 121. à tergo. Anonym. Auctore 100. Bandel. cap. 24. Dezafol. 45. Vincent. Gryſald. & Barelet.*

VERITAS. 266.

HIC Celebris Doctor fuit, nam de illo ferè omnes Nomenclatores mẽtionem faciunt, & vnanimiter dicunt ſcripſiſſe ſuper quatuor libros Sententiarum; ſolùm diſſentiunt in eo quòd aliqui affirmant, ipſum fuiſſe Magiſtrum ſacri Palatii, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem Portuenſem, quod negat Vvadingus, tàm in Annalibus, quàm in Cathalogo Scriptorum Seraphicæ Religionis, folio 304. de quo nos infrà. Huius ergo auctoritatem ſic adducit Turrecremata: Itẽ ad idem eſt eiuſdẽ Ordinis Dominus Magiſter Reginaldus, Archiepiſcopus Rotomagen. qui in ſuo 3. ſuper Sententias ita dicit: *Sicut impuritas, ſi non fuiſſet ſanctificata, derogaſſet ipſi Virgini; cuius priuilegium eſt, quòd ſola ſine viro concepit, vt dicit Bernardus, & ideò originale non traduxit in prolem, ita ſi Virgo ſine originali concepta fuiſſet peccato, derogaſſet ipſi filio. Hæc ille.* Clara ergo, & expreſſa videbatur hæc auctoritas, ſed non ita, vt deſiderabat Anonymus; ideò illam trãſcripſit ſic: Idem tenet Dominus Reginaldus, Epiſcopus Rothomagenſis, in 3. Sentent. diſtinct. 3. ſic dicens: *Si Beata Virgo ſine originali peccato concepta fuiſſet, hoc derogaret dignitati Chriſti Filij ſui, & ideò non eſt ei hic honor attribuendus, quia in veritate non eſt honor, nec decentia. Hæc ille.* Vide, & nota, ò Lector! quot, & quanta addidit Anonymus? Sed Bandellus, cuius genium ad fingendum erat profundius, ex his duabus auctoritatibus tertiam aliam fabricauit ſuo modo dicens ſic: Idem tenet Dominus Reginaldus, Archiepiſcopus Rothomagenſis, Doctor Pariſienſis, Ordinis Minorum in 3. Sentent. diſtinct. 3. ſic dicens: *Sicut impuritas derogaret Virgini, ſi non fuiſſet in vtero Matris ſanctificata: ita ſi Virgo Maria ſine originali peccato concepta fuiſſet derogaret Chriſto, cuius priuilegium eſt, vt ſolus ipſe ſit ſine peccato cõceptus, & ideò nõ eſt hic honor Virgini attribuendus, quia in veritate non eſt honor, nec decentia. Hæc ille.* Venit poſt iſtos tres Pet. de Vincẽtia, & omittens auctoritates Turrecrematæ, & Anonymi, tranſcripſit ad litteram nulla mutata ſyllaba hanc Bandelli, fortè quia illam præuidit plus vitiatam, & minus veram, & ſic propagato vitio, ipſi domeſtici ſeducti, & hallucinati, eiuſque voluerunt ſeducere, atque hallucinare totum mundum. Sed iam veritas, quæ priùs erat in nubilo, incepit radiare.

Admittamus pro nunc auctoritatem Reginaldi adductam à Turrecremata, eſſe veram, & legitimam, à qua ſuas tranſcripſerunt Anonymus, Bandellus, & Vincentia (quia iſti nec viderunt Reginaldum, nec opus eius ſuper Sẽtentias, vt infrà dicetur) & ventilemus qua veritate, ac legalitate, hæc translatio Reginalda facta fuerit. Et primo Anonymus prætermiſit totum principium auctoritatis ſcilicèt: *Sicut impuritas, ſi non fuiſſet, &c.* quod non caruit malitia. Secundo, vbi Turrecremata: *Ita ſi Virgo ſine originali concepta fuiſſet peccato, derogaret ipſi filio*; Anonymus ſic: *Si Beata Virgo ſine originali peccato concepta fuiſſet, hoc derogaret dignitati Chriſti filij ſui*, abſtulit ly, *ita*, addidit ly, *Beata*, alterauit anteponendo ly, *peccato*, addidit, *dignitati*, & etiam ly, *Chriſti*, mutando textum. Tertio, ſuperaddidit totam illam clauſulam: *Et ideò non eſt ei hic honor attribuendus, quia in veritate non eſt honor, nec decentia.* O fidelitas! &c. & interrogo, eſt honor, & decentia ſic adulterare Doctores Seraphicæ Religionis? Eſt honor, & decentia contra mentem Doctorum maculare Dei Matrem? Quarto, vbi Turrecremata: *Sicut impuritas, ſi non fuiſſet ſanctificata, derogaret ipſi Virgini*: Bandellus ſic, *ſicut impuritas derogaret Virgini, ſi non fuiſſet in vtero Matris ſanctificata*, finxit, & addidit illud, *in vtero Matris*, vt ſententia, quæ in Turrecremata erat abſoluta, & communis ad omnem impuritatem, contraheret ad Conceptionem *in vtero matris*, factam. Quinto, vbi Turrecremata, ſi non fuiſſet *ſanctificata, derogaret ipſi Virgini*; ipſi ſic, *derogaret Virgini, ſi non fuiſſet ſanctificata*, quæ verborum tranſmuta-

tio facit diuerſum ſenſum. Sexto, addiderunt illud, *ita ſi Virgo*, nam illud Aduerbium, & ſimilitudinis notam, *ita*, vt maiorem haberet efficaciam ſuprà collocarunt extra ſuum locum. Septimo, videntes Aduerſarii, quòd Turrecremata dicebat ſic: *ſine originali concepta fuiſſet peccato*, & quòd ly, *originali*, multum diſtabat à ly, *peccato*, ſiquidem erant interpoſita duo verba, coniunxerunt originali, cum peccato, ſic: *ſine originali peccato concepta fuiſſet*, vt adadhuc in verbis peccatum præcederet Conceptionem, & illud *concepta* non eſſet antè peccatum. Octauo, clauſula illa, quæ eſt ad finem auctoritatis Turrecrematæ, *derogaret ipſi filio*, apposuerunt ſuprà, & ipſam non fideliter; nam tranſcripſerunt, *derogaret Chriſto*; nec hoc exiſtimo factum fuiſſe ſine ſpeciali intentione, ſed tranſeat, non omnia triturem us, quia ex his, & aliis adulterationibus Aduerſariorum, reſultarent aliquæ indecentiæ, quæ neque à peruerſiſſimis hæreticis hucuſque ſomniatæ fuerunt. Nono, vbi Turrecremata, *derogaret ipſi Virgini, cuius priuilegium eſt, quòd ſola ſine viro concepit*; Bandellus, Deza, & Vincentia ſe ſe in barathrum iniquitatis præcipitando ſcripſerunt, *Derogaret Chriſto, cuius priuilegium eſt, vt ſolus ipſe ſit ſine peccato conceptus*, vbi ergo in textu dicebat, *ipſi Virgini*, Aduerſarii tranſtulerunt, *Chriſto*, nota differentiam. Item, vbi in textu, *quod ſola ſine viro concepit*; Aduerſarii, *vt ſolus ipſe ſit ſine peccato conceptus*. Exclama, ò veritas! & quaſi tuba exalta vocem tuam, & dic quòd à principio naſcentis Eccleſiæ nunquam excogitata fuit adeo enormis adulteratio; quis hoc videns, & legens, tacere poterit? Vide, ac perpende, Lector, quouſque peruenerit deteſtanda malitia? Turrecremata inquit (repeto iterum verba) *derogaret ipſi Virgini, cuius priuilegium eſt, quòd ſola ſine viro concepit*. Et ipſi ſic: *Derogaret Chriſto, cuius priuilegium eſt, vt ſolus ipſe ſit ſine peccato conceptus*. Fratres, quid eſt hoc? Perpendite rem, conſiderate offenſam factam ſacratiſsimæ Virgini Mariæ, & Chriſto filio eius, atque in ipſis Eccleſiæ Catholicæ, Cardinali Turrecrematæ, & in ipſo Archiepiſcopo Reginaldo, & in illo Religioni Seraphicæ. Eſt ne idem Maria quòd Chriſtus: creatura quod creator: fœmina quod Deus? Priuilegium denique, quod Virgo concipiat abſque viro, eſt ne idem cum priuilegio, quod Chriſtus ſit ſine peccato conceptus? In tota hac clauſula ſolùm intacta reliquiſtis illa duo, *derogaret*, & *cuius priuilegium eſt*, ſi mutaſtis omnia alia, perſonam, vocem, ſenſum, excellentiam, &c. quare dereliquiſtis illud, *cuius priuilegium eſt*? An fortè vt in omnibus, & vndique, à dextris, & à ſiniſtris eſſet error damnabilis, & duplicatus, dum auferebatur à Matre conceſſum ſibi priuilegium verũ, & atribueretur filio, quod priuilegium non eſt? An neſcitis, quòd Chriſtus Dominus non fuit ex priuilegio cõceptus abſque originali peccato, ſed ex natura, & eſſentia? Patres mei, Deus habuit, vel potuit habere priuilegium? Priuilegium fuit Virginis, quod ſola ſine viro conceperit, & quod ſola etiã ſine viro peccati originalis conciperetur, (loquor ſic propter occaſionem, licèt virus pro veneno indeclinabile ſit) ſed non fuit in Chriſto ſic concipi, priuilegiũ. Excogitata ergo fuit hæc veſtra peſsima adulteratio, vt *derogaret ipſi Virgini, & ipſi filio Chriſto*: eſt ne hic honor, & decẽtia? Decimo, prætermiſerunt illud, *vt dicit Bernardus*, fortè vt ex his verbis non deueniremus in cognitionem Auctoris. Vndecimo, etiam prætermiſerunt illud, *& ideò originale non traduxit in prolem*. Duodecimo, addiderunt illud, *& ideò non eſt hic honor Virgini attribuẽdus, quia in veritate nõ eſt honor, nec decentia*. Neque in hac clauſula ab ipſis ficta, omnimodè conueniunt Anonymus, Bandellus, & Vincẽtia, quia vnus dicit, *ei*, id eſt, Virgini, alter, *hic*, id eſt, honor, & alius ſuperaddit ly, *Virgini*, eſt ne hic *honor, & decentia*, in vna auctoritate habẽte quatuor lineas introducere duodecim capitales, imo in ſuperlatiuo gradu capitaliſsimas adulterationes? Cui eſt *hic honor attribuendus*? Sed benè contra vos metipſos protuliſtis ſententiã, quia *in veritate non eſt honor, nec decentia*.

Hucuſque locuti ſumus ad hominem ex veſtris verbis, ore, & ſcriptis, vos iudicando: reſtat nunc propalare veritatem de Auctore, & auctoritate, quia ille, vt exiſtimo, eſt non ſolùm duplicatus, ſed quindecieſplicatus, & illa falſa, & ficta etiam vt adducitur à Turrecremata. In Religione ergo Seraphica fuit vnicus ſolus Reginaldus, Epiſcopus Rothomagẽſis, cuius proprium nomen fuit Oddo Reginaldus, vel Gallicè Rigaut, vel Rigault, de quo Annaliſta Ordinis Vvadingus in ſuis Annalibus ad annum 1236. num. 9. & 1276. num. 4. & 1298. num. 4. & 1320. num. 5. & in Cathalogo fol. 304. Sed cùm hic nihil ſcripſerit ſuper Sententias, nec aliquid aliud, non pertinet ad rem. Fuit ſecundo alius Reginaldus, de quo Rodulphus Toſignianus in Hiſtoria Seraphica lib. 2. fol. 220. inquit: *Frater Reginaldus, Archiepiſcopus Rothomagenſis, Lector ſacri Palatij, à Bonifacio VIII. Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & S. Ruſinæ, ſcripſit ſuper 4. Sent. Poſt dignitatem acceptam non diu vixit*. De quo etiam mentionem facit infrà, fol. 333. Sed Lucas Vvadingus tom. 3. Annal. anno 1302. numero 5. fol. 7. negat talem Reginaldum Vmbrum, Magiſtrum ſacri Palatii, fuiſſe Archiepiſcopum Rothomagenſem, nec Cardinalem dicens: *Inter Archiepiſcopos Rothomagenſes à nullo recenſetur, neque à Ioanne Chenu, neque á Claudio Roberti, neque eius mentio occurrit in tabulis Democharis, imò*

iux-

iuxta Chronologiam Claudi Roberti, neque fuit, neque potuit esse illius Ecclesiæ Præsul, &c. Et hoc idem repetit in Cathalogo fol. supràallegato. Fuit tertiò alius Petrus Reginaldus, de quo Gonçaga fol. 89. & Vvadingus in Cathalogo inquit fol. 288. Petrus Reginaldus Gallus, &c. scripsit Commentaria in 4. lib. Sententiarum, extant apud me manuscr. Primus incipit: *Veteris, ac nouæ legis continentiam, &c.* Quarto, fuit alius Raymudus Rigaldus, de quo Vvillotus in suis Athenis folio 213. sic inquit: *Raymundus Rigaldus, Gallus, scripsit super Sententias, &c. Puto, hunc esse, qui Gallicè dicitur Rigault, qui charus fuit Philippo Francorum Regi, ab eoque electus in Episcopum Rothomagensem.* De hoc etiam mentionem faciunt Tolignianus, & Vvadingus, vbi supra. Quintò, fuit alius Ioannes Richardus, Rigaldus, Episcopus Draconensis, seu Diaconensis, qui scripsit Summam super 4. libros Sententiarum, cuius initiū est: *Veteris, ac nouæ legis continentiam Magister Sententiarum, &c.* Opus impressum anno 1501. in 4. cuius etiam originale manuscriptum extat Romæ in Bibliotheca P. Vvadingi, in illa parua, quæ est ex Regione Bibliothecæ principalis, ac maioris Sancti Isidori. Ex his sic statutis secundùm veritatem indaganda est veritas Auctoris, & auctoritatis.

Dico ergo primo, quòd circa annum Domini 1316. tempore Ioannis XXII. fuit quidam Scriptor Ordinis Minorum, natione Gallus, Doctor Parisiensis, cognomento Gallicè Rigaut, vel Rigault, quam vocem volentes latinizare, aliqui dixerunt, Rigaldus, aliqui, Reginaldus, ex qua orta est tota æquiuocatio in hoc Auctore, quia similiter aliqui fecerunt eum Episcopum Draconensem, vel Diaconensem, vel Rothomagensem, ex quo sequuta est altera confusio. Hic ergo, siuè Regaldus, siuè Reginaldus Episcopus, vel Archiepiscopus, Draconensis, vel Rothomagensis, scripsit Commentaria, seu Summam super 4. libros Sententiarū, cuius initium est: *Veteris, ac nouæ legis*, opus, quod nos manuscriptum, & impressum anno 1401. in 4. vidimus, & habemus, & in ipso in 3. Sentent. tenet, & sequitur clarè, & expressè opinionem Aduersariorum, licèt aliquando videatur loqui dubitatiuè. Secundo dico, quòd hic Auctor est ille, de quo Vvadingus in Cathalogo, fol. 288. inquit: Petrus *Reginaldus*, siuè Reginaldetus, Gallus Prouinciæ Franciæ, sacræ Theologiæ Magister scripsit Speculum finalis retributionis, &c. *Commentaria in 4. lib. Sententiarum*, extant apud me in primum, & secundum, manusc. in quorum calce ita habetur: Explicit primus, & secundus Magistri Petri Reginaldeti scriptus per F. Andræam Gouyrin in parua Conuentu Metensi, ann. 1470. hac die, scilicèt translationis B. P. N. Francisci: Deo gratias: primus incipit: *Veteris, ac nouæ legis continentiam.* Secundus: *Creationem rerum insinuans Scriptura.* Hucusque Vvadingus: constat ergo ex principio libri, quòd opus hoc est illud Compēdium sæpè in hoc Ventilabro repetitum. Tertio dico, quòd in hoc Regaldo, siuè Reginaldo, extant ferè omnia verba adducta à Turrecremata, non tamen eo ordine, ac dispositione ab ipso proposita in sua auctoritate, sed sparsa per totam quæstionem. Littera enim H. post multa alia de sanctificatione Virginis Mariæ in vtero, inquit: *Sed Beata Virgo in prima sanctificatione, quæ fuit in vtero, mundata fuit ab originali peccato.* Et infra littera I. *Circa septimum, vt videtur quoad puritatem Virginis, nulla creatura attingit; aduertendum, quòd puritas fuit quadruplex Matris Dei, &c.* Et agit latè de puritate ipsius Matris Dei. Et infrà: *Si enim habuit originale, ab eo fuit in vtero, vt dictum est, per gratiam sanctificationis purgata, & ideò dicit Bernardus, &c.* Videtur ergo, quòd Turrecremata ex his verbis suam cōposuerit auctoritatem, quod si ita est, auctoritas licèt non quoad substantiam sententiæ, tamen quoad substantiam auctoritatis, dispositionem, & artificium verborum, tota est chimerica, ficta, & falsa, atque Auctor multiplicatus hoc modo ter in propria persona. Primo, sub nomine Ioannis Richardi Draconensis, de quo num. 185. Secundo, sub nomine Ioannis Rigaldi, de quo num. 186. & tertio hic sub nomine Reginaldi, & ob hoc fortè tacuerunt nomen proprium. Item etiam ter est adductus, & multiplicatus in eius opere, quia illud Compendium, seu Summam Theologiæ adscribūt Hugoni de Argentina, vt videre est num. 124. atque etiam Thomæ de Suetonia, de quo infrà num. 299. ac denique Vvlrico de Argentina, de quo etiam infrà numero 312. & sic iam sunt sex multiplicationes. Septimo, hoc Compendium tribuunt S. Thomæ Aquinati, vt suo loco videbimus num. 296. ad finem. Octauo, existimo, quòd Summa illa est, quam citant sub nomine Polidophori, de quo dixi numero 258. ad finem. Nono, Compendium illud Theologiæ adscribunt Ægidio Romano, vt videre est in numeris citatis; cùm ergo hic adducatur pro contraria opinione, vt constat ex nu. 4. etiam est multiplicatio. Decimo, etiam ab Aduersariis tribuitur hoc opus Alberto Magno, quem etiam adducunt pro se numero 8. Vndecimo, item pariter dicunt esse Sancti Bonauenturæ, qui etiam hic est adductus numero 49. Duodecimo, in vita Hugonis de Sancto Caro, vel de S. Theodorico dicitur fuisse Auctorem huius Compendii, qui etiam in hoc Ventilabro est adductus nu. 127. Tandem decimotertio, hoc compendium secundùm Aduersarios, est Petri de Tarantasia, vt vidi-

mus num. 253. ad finem, & iſte eſt multiplicatus cum Innocentio V. cum quo erunt quatuordecim, & ſi hæc eſt Summa illa Ioannis de Litemberg, de qua num. 179. iam erunt quindecim multiplicationes. O Area! quis te ventilare poterit, ſi pro vno grano, quatuordecim paleæ ſunt ſeparandæ? Iſtæ ergo ſunt omnes adulterationes, & multiplicationes huius Auctoris, ex quibus aliquæ ſunt abſolutè, & ſimpliciter, aliæ ſolùm ſecundùm quid, ſed adulterationes auctoritatis omnes peſsimæ, ac deteſtandæ. Concludo ergo, Patres mei, hunc Auctorem dicendo ſic: vel veſter Cardinalis Turrecremata dixit veritatem quoad Auctorem, & auctoritatem, vel non; ſi dixit veritatem, oſtēdite hunc Reginaldum Rothomagenſem Archiepiſcopum, Minoritam, quia non comparet, niſi Reginaldetus in rerum natura; ſi dixit veritatem quoad auctoritatem: ergo omnes alii ſcribentes poſt ipſum fuerunt mendaces, & falſarii, excepto Sancto Antonino, qui inter Fratres Minores ſolùm citat, & adducit Rigaldum, nullam faciens mentionem de Reginaldo: ſi verò Turrecremata non dixit veritatem, cecidit Babylon magna confuſionis.

REMIGIVS Remenſis, Beatus Archiepiſcopus, ſuper Pſalm. Deus, Deus meus reſpice in me, &c. & ſuper Iſaiam capit. 2. & ſuper Cantic. Cantic. & ſuper Epiſtol. ad Roman. cap. 8. & in 2. Epiſtol. ad Corinth. cap. 2. & in Epiſt. ad Hæbreos cap. 7. *Anonym. Auctore 35. Bandel. cap. 15. Dexa folio 23. Vincent. Capreolus, Soncinas, Caietanus capit. 3. folio 72. Gryſald. & Melch. Canus.*

VERITAS 267.

CVM tot, tantique Doctores graues, inſignes, atque peritiſsimi Ordinis Prædicatorum citent, & adducant pro ſua opinione Sanctum Remigiū Rhemenſem Epiſcopum, & Francorum Apoſtolum, qui floruit ab anno 496. vſque ad annum 523. non ſolùm hic in auctoritatibus, ſed etiam in rationibus, vt vidimus in Ventilabro faſciculo 1. pag. 181. Quis non crederet tota fide, Sanctum Remigium apertè, & clarè eſſe pro ipſis? Ego aliquando ita eſſe exiſtimaui, ſed re examinata, & oculariter viſa, res aliter ſe habet; quia Sanctus Remigius neque vnum ſolùm verbum habet de hac materia, ſed totum fuit quoddam figmentum Aduerſariorū. Sanctus enim Remigius ſolùm ſcripſit quandam Epiſtolam ad Epiſcopos Galliæ, quæ extat tomo 1. Conciliorum. Scripſit etiam ſecundùm aliquos explanationes in Epiſtolas Pauli, & nihil ampliùs. Vndè omnia illa quæ citant Aduerſarii, & adducunt ſuper Iſaiam, Cantica, & Pſalmos, ex Sancto Remigio Archiepiſcopo Rhemenſi, ſunt falſa, & ſine fundamento dicta, quia talia non ſcripſit. Benè verum eſt, quòd fuit alius Remigius Altiſiodorenſis dictus, Ordinis Sancti Benedicti, de quo Arnoldus de Vvion in Ligno vitæ part. 1. lib. 2. cap. 76. fol. 456. *Nonus, Remigius Gallus, Monachus Antiſiodorenſis (non autem Epiſcopus, vt quidam malè putarunt) Congregationis Luxonienſis, qui claruit anno 880. ſcripſit multa opera, quorum maxima pars excuſſa eſt Antuerpiæ, & Coloniæ anno 1545. videlicèt in Cantica Canticorum, in totum Pſalterium, quod incipit: Prophetia eſt diuina inſpiratio. In Euangelium Matthæi, in Epiſtolas Pauli, qui bis reperitur manuſcriptus in Bibliotheca Caſinenſi, &c. Liber ſuper Pſalmos*, prodiit Coloniæ anno 1536. in fol. ſub hoc titulo: *Remigij Epiſcopi Altiſiodorenſis, viri ſuo tempore facilè doctiſsimi enarrationum in Pſalmos Dauidis liber vnus, &c.* Liber verò expoſitionis ſuper Epiſtolas Pauli prodiit Maguntiæ anno 1514. in fol. ſub hoc titulo: *Sancti Remigij Epiſcopi Rhemenſis explanationes Beati Pauli Apoſtoli, ex veteri manuſc. Monaſterij S. Cæciliæ Romæ trans Tyberim, &c. A R. P. Ioanne Baptiſta Villalpando Cordubenſi recognitus, &c.* Ex his conſtat, quòd licèt poſsit eſſe aliqua controuerſia circa explanationem Epiſtolarum, an fuerint S. Remigii Rhemenſis, vel Remigii Altiſiodorenſis, de qua conſule Miræum fol. 207. tamen expoſitio ſuper Pſalmos, & alia abſque vlla dubitatione, vel controuerſia, fuerunt Remigii Altiſiodorenſis, Angelus Rocca in Biblioth. fol. 169. omnia opera relata tribuit Remigio Altiſiodorenſi, Monacho Benedictino, & loquitur ſecundùm veritatem. Aduerſarii ergo confundētes hos duos Remigios, tribuerunt vni opera, quæ fuerunt alterius, & ſic Sanctus Rhemenſis Archiepiſcopus, penitùs eſt excludendus ab Area, quia adductus ſine vlla veritate, & ſolùm ſuper Epiſtolas cum aliquali fundamento, neque ab his diſſentit aliquis Nomēclator, & hæc de Auctore.

Primam auctoritatem ſic adducunt: Idem tenet B. Remigius Archiepiſcopus Remēſis in doctrina clariſsimus, qui eodem tempore floruit in Gallia, quo Fulgentius in Africa, videlicèt anno D. 467. hic ſuper Pſalm. Deus, Deus meus reſpice in me, ſic dicit: *Beata Virgo Maria fuit ab omni macula peccati mundata, ita vt ex ea conciperetur ſine peccato homo Chriſtus Ieſus. Sicut enim peccatum originale ad nos venit ſtatim in ipſa conceptione, & in principio Conceptionis diuinitas Verbi eſt vnita homini, per quod mundus ab omni peccato conceptus eſt. Hæc ille.* Et immediatè addunt

hæc

hæc verba: *Multa enim alia pulchra habet in eodem loco.* Gryſaldus ad compendium redigens hanc auctoritatẽ, ſic inquit: *Beata Virgo fuit ab omni macula peccati mundata.* Videamus ergo, quomodo hæc auctoritas ſit in ſuo originali, & omnia quæ notatione digna eſſe poſſunt pro hac materia in toto illo Pſalmo, vt pariter experiamus, quæ, & qualia ſint illa *multa alia pulchra*, hic tranſcribo. Inquit igitur Remigius ille Monachus Benedictinus Altiſiodorenſis (non vt Aduerſarii ſine fundamento, & veritate dixerunt, Sanctus ille antiquus Rhemenſis Epiſcopus) in Prælegato Pſalmo 21. fol. 55. *Deus, qui eſt omnium Deus per naturam, Deus meus ſpecialiter per gratiam, vel per ſingularem obedientiam; reſpice in me, id eſt, in auxilium meorum, qui vſque modo deſpexiſti me. Hic apparet, quod Chriſtus non in ſui perſona hic rogat, qui immunis eſt à peccato, ſed ſuſcepit delicta noſtra, vt nobis tribueret iuſtificationem ſuam, &c.* Hæc ſunt prima verba, quæ Remigius habet in illo Pſalmo, in quibus ſolũ inuenies illud, *qui immunis eſt à peccato*, quæ verba, ſeu in illis contenta ſunt de fide, ſi in illis contineatur tota auctoritas adducta ab Aduerſariis perpende, ac conſidera, quia fortè nõ inueniemus alia in toto Remigio, nec *pulchra*, nec nõ *pulcha*: nã infrà inquit: *Quaſi diceret hæc verba quòd dico: reſpice, & dereliquiſti: Quæ ſunt longè à ſalute mea, id eſt, à me, qui ſum immunis ab omni peccato, non ſunt mea, id eſt, pro me, quæ nunquam deſpexiſti, nunquam dereliquiſti, ſed ſunt verba delictorum meorum, id eſt, pro delictis meorum, quæ ego porto, vt illud: Et iniquitates noſtras ipſe portauit, & languores noſtros ipſe abſtulit, &c.* In hac clauſula iterum repetit illud, *qui ſum immunis ab omni peccato.* Et nihil amplius. Hoc pulchrum fuit in Chriſto, ſed neſcio, quomodo contradicant, vel non ſint *pulchra* Conceptioni Mariæ? Infrà ſic proſequitur Remigius: *Omnes illi, quia in te ſperauerunt, non ſunt à te derelicti, ego autem, ſcilicèt, videor derelictus, cùm tamen ſim illis omnibus maior, quia ſum vermis, ſcilicèt, natus de Virgine Matre, ſine Patre, quemadmodum vermis de ſolo ligno, vel terra, ſcilicèt ſum homo ſuprà homines quia immunis à peccato; & quãquam homo ſuprà homines, tamen non homo tantũ, quia Deus, &c.* Ecce iterum proponit Remigius illa pulchra: *ſum homo ſuprà homines quia immunis à peccato.* Deindè infrà inquit: *Et merito tu es ſpes mea, quia in te proiectus ſum ex vtero, id eſt, ab alijs omnibus longè remotus, qui conjecti ſunt in Adam. Porrò iactus ſum in te, quia natus ſum ad imaginem, & ſimilitudinem tuam, vt ait Apoſtolus. Induite nouum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt. Et reuera in te, quia tu es Deus meus, non ego, vt infelix Adam; & quòd te Deum habeo, de ventre matris meæ eſt hoc, id eſt, ex illa natura, quam accepi in vtero matris. Nam de te non es tu Deus meus, ſed Pater meus.* Ac tandèm concludit: *Erue à framea, id eſt, à morte: cauſam per effectũ, vel ad damnationem Iudæorum. Vndè illud: lingua eorum gladius acutus, animam meam, vitam meam, & de manu canis, id eſt, de poteſtate Iudaici populi cæco more latrantis, vnicam meam, id eſt, ſolam ſine peccato, vel tibi vnicam, vel de manu inferni, qui canino more omnes auidè deuorat, &c.* Hæc ſunt omnia *pulchra*, & non *pulchra*, quæ extant in toto illo Pſalmo à vobis citato. Primo ergo oſtendite, ô Fratres amantiſsimi! vbi ſunt illa verba à vobis citata, & ſine fundamento, ac veritate adducta: *Beata Maria fuit ab omni macula peccati mundata, &c.* quæ illius ſunt qualitatis, vt nec poſſunt dici vitiata, nec adulterata, ſed mendaciter ficta; quia neque verbum, nec ſyllaba, nec littera, aut iota reperitur ex veſtra auctoritate in toto illo Pſalmo Remigii. Secũdo, qua veritate adſcripſiſtis hæc ficta verba ſanctiſsimo Remigio, Rhemenſi Archiepiſcopo, quando in originali impreſſo dicitur hanc expoſitionem Pſalmorum eſſe Remigii Altiſiodorenſis & hoc ipſum dicunt omnia originalia manuſcripta, & pariter omnes Nomenclatores? Tertio, vbi ſunt illa *pulchra* Remigii pro veſtra opinione, ſiuè pro confirmatione illorum verborum: *Beata Virgo Maria fuit ab omni macula peccati mundata, &c.* Niſi ſint *pulchra*, quia à vobis fuerunt ficta ad auferendam ſacratiſsimæ Virginis Mariæ pulchritudinem.

Secundam auctoritatem ſic adducunt: *Idem tenet ſuper Iſaiam capite ſecundo*, & nihil amplius. Cùm ergo nec Sanctus Remigius Rhemenſis, nec Remigius Altiſiodorenſis ſcripſerint ſuper Iſaiam, & quod plus eſt, hucuſque nullus Auctor vocatus Remigius ſcripſerit ſuper talem Prophetam (quod aſſertiuè dico, & affirmo) ſequitur, quòd hæc cita non ſolùm ſit falſa, & ficta quoad Auctorem, ſed etiam quoad librum: quoad auctoritatem verò, & verba ex ſe patet, quia noluerunt aliqua adducere, vt nihil agerent ſine ſui, & aliorum confuſione, quia ſi adducerent verba, ſaltim ex illis aliqua indagaret noſter Sol veritatis. Vndè abſolutè affirmo, hanc fuiſſe Bandelianam fictionem.

Tertiam ſic adducunt: *Et ſuper Epiſtolas Pauli ad Romanos 8.* Et ſicut in præcedenti nullam adducunt auctoritatem. Legi totam expoſitionem Remigii ſuper illud 8. caput, quod extat fol. 51. & ſolùm ibi inueni ſequentia verba, explanando illud Pauli: *Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati*, tenoris ſequentis: *Quare autem dicit in ſimilitudinem carnis peccati illum miſſum, cum in veritate credendum ſit, cum verum corpus*

assumpſiſſe ex carne, & oſsibus? Corpus noſtrum, siuè caro noſtra, caro peccati eſt, quia libidinoſo vſu procreatur · ideòque cum peccato concipitur, cum peccato originali naſcitur, & in hoc ſæculo ſine peccato non poteſt conuerſari. Corpus verò Chriſti non libidinoſo vſu maris, & fœminæ eſt procreatum, ſed opere Spiritus Sancti, de ſemine mulieris ſine ſemine viri, ideòque ſine peccato conceptus, ſine peccato eſt natus, & ſine peccato ab hoc mundo tranſiuit, & in hoc fuit caro illius in ſimilitudinem carnis peccati, quia veram carnem habuit, ſed ſine peccato, quod nos habemus, &c. Hæc tunt omnia pertinentia ad hanc materiam, quæ habet Remigius in illo 8. capitulo, circa quæ multa poſſent dici, ſcilicèt, quod ibi loquitur vniuerſaliter, & de lege communi, quod verba illa directè, nec indirectè loquuntur de Maria, quod non ex virtute illa prærermiſerunt Aduerſarii, & alia huiuſmodi, ſed pro nunc dico, quod illa verba potiùs ſunt pro nobis, quàm contra nos: & ratio eſt meo iudicio clara, & cuidēs · nam Remigius dicit, quod ex eo quod caro libidinoſo vſu procreatur, cauſaliter, ſeu neceſſario naturaliter ſequuntur tria in quocumque homine ſic genito, ſcilicèt primum, concipi cum peccato. Secundum, naſci cum originali. Tertium, quòd cum peccato in hoc ſæculo conuerſetur. Ex his tribus malis, quæ neceſſario, & naturaliter ſequuntur ex carne libidinoſo vſu procreata, fuit in omnium ſentētia Beatiſsima Virgo Maria à duobus vltimis exempta, & priuilegiata ex ſpeciali gratia, nam conuerſata eſt in hoc mundo abſque peccato, & nata eſt abſque originali: ergo etiam fuit exempta, & priuilegiata à primo, vel ottē · de cauſam, quare cum ex nullo horum trium malorum excipiat Remigius in propoſitis verbis Virginem Mariam, vos, & nos, & tota Eccleſia illam excipiat à duobus vltimis, & ſolū non excipiatur à primo? An quia nō placet ſatrapis veſtris? Præcipuè quando vos conceditis hoc fuiſſe poſsibile? Vel ergo hæc auctoritas Remigii nihil probat contra Virginis puritatem in Conceptione, vel ſimul, & ſemel tenemini concedere, Mariam cum peccato fuiſſe conceptam, cum originali natam, & cum peccato vixiſſe in hoc mundo, quod nullus catholicus, nec vos conceditis quoad duas vltimas clauſulas.

Quartam auctoritatem citant, *Ex Epiſt. 2. ad Corinth. cap. 2.* nullam tamen adducendo auctoritatem, ſed in Expoſitione illius capitis, quod incipit: *Si ergo contriſto vos, &c.* & extat fol. 202. ſemel, & iterum, atque etiam ter lecta, nec verbum inuenire potui quod loquatur de Conceptione, vel ſanctificatione, nec de Virgine Maria, imo neque de impeccabilitate Chriſti: legi ſimiliter antecedentia, & ſubſequentia capita, ſed in vanum laboraui, quia nihil extat in tali Epiſtola pro præſenti materia, niſi illa auctoritas, quæ extat cap. 5. de qua nos ſupra in Ventilabro, Faſcicul. 1. pag. 182. col. 2. vide illam ibi, quia vel fuit error typographiæ, quæ loco capitis ſecundi dicere debuerat quinti, vel hæc citatio ſolùm fuit adducta ad multiplicandas paleas.

Quintam auctoritatem adducunt, *ex cap. 7. Epiſtolæ ad Hebreos.* Sed etiam ſine auctoritate, verba autem, quæ ibi reperiuntur fol. 442. ſic ſe habent: *Sed neceſsè erat nobis, vt talem haberemus Pontificem, qui eſſet Sanctus in interiori homine, innocens manibus, impolluto corpore, ſegregatus à peccatoribus, id eſt, ab omni peccato immunis, & conuerſatione peccatorum ſeparatus: in hoc enim fuit à peccatoribus, quia alij homines cum peccato concipiuntur, & naſcuntur, atque ab hoc ſæculo cum peccato tranſeunt. Hic autem ſine peccato cōceptus, ſine peccato eſt natus, & ſine peccato ab hoc mundo trāſiuit. Quoniam peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius, &c.* Et infra: *Quærebatur Pontifex ſine peccato, & hoſtia rationabilis, nec inueniebatur, inuentus eſt vnus ſine peccato, Deus, & homo, & obtulit ſè ipſum rationabile ſacrificium pro ſalute hominis rationalis, &c.* Hæc auctoritas coincidit cum tertia auctoritate ſuprapoſita: cùm ergo illa nihil probet contra noſtram ſententiam, imo ſit pro ipſa, vt ibi dixi, idem dicendum eſt de ilta.

Sextam auctoritatem adducit ſolus Anonymus: *Idem tenet B. Remigius ſuper Cantica.* Cùm ergo dicat ſic abſolutè: ſuper Cantica, ſine citatione capituli, & nullam adducat auctoritatem, & nullus alius ex Aduerſariis citet B. Remigium ſuper Cantica, exiſtimo hoc eſſe falſum, & fictum, quouſque oſtendat ſuam citatam expoſitionem in Cantica, & inſuper etiā auctoritatem. Quod ego in hac parte poſſum in rei veritate affirmare eſt, quod poſtquam per plures Bibliothecas totius Europæ inquirerem hanc Remigii expoſitionem in Cantica, illam inuenire non potui. Licèt in inſigni Bibliotheca D. D. Cardinalis Franciſci Barberini, viderim manuſcriptum antiquum in membranis, cuius titulus erat: Incipit Expoſitio S. Remigii Epiſcopi, in Euangelium ſecundùm Matthæū, &c. Et in Apocalypſim ibidem extat alter Tomus etiam in folio. Si autē opera iſta ſunt Rhemenſis Remigii, vel Altiſiodorenſis, ignoro. Scio tamen quòd in ipſis nihil reperi contra immaculatam Virginis Conceptionem, ſed potiùs aliqua pro ipſa, vt in noſtra Militia dicimus. Aduerſarii ergo ex his dictis videant, quo fundamento, ac veritate adduxerint Remigium, quando ex maiori parte libri non ſunt, nec auctoritates reperiuntur.

RETHICIVS, Siuè Reticus Beatus in lib. contra Nouatianos, vt citatur à S. Auguſtino, in 1. & 2. contra Iulianum. *Turrecremata part. 6. cap. 14. fol. 107. Anonym. Auctore 12. Bandell. cap. 13. Deza fol. 19. à tergo, Capreol. Barelet.*

VERITAS 268.

HIC Fuit vnus ex primis Eccleſiæ Patribus, & magnæ auctoritatis vir, de quo honorificam faciunt mentionem S. Hieronymus, & non ſemel S. Auguſtinus, præcipuè lib. 1. contra Iulianum cap. 2. fol. 203. colum. 1. littera A. & alibi. Vixit, vt communiter dicitur, ad annum 320. Aliqua ſcripſit Opuſcula, & præcipuè librum ingentem cõtra Nouatianum, vt videre eſt apud Trithemium fol. 11. Sixtum Senenſem folio 295. Geſnerum fol. 723. Myræum fol. 26. &c. Sed omnia eius Opuſcula penitùs perierunt, vt dicit Marginator Auguſtini, & alii. Fuit Epiſcopus Auguſtodunenſis, natione Gallus, & colitur vt Sanctus. Hac ergo breui ſuppoſita notitia de Auctore, & operibus eius, auctoritatem ſic adducit Anonymus: *Idem tenet B. Reticus, vt Auguſtinus dicit in 2. contra Iulianum.* Et nil ampliùs. Bandellus autem ſumpta ex his ſiccis verbis occaſione, finxit, vt ſemper, ſic dicens: Idem tenet S. Rethicius, vir illuſtris, Auguſtudunenſis Epiſcopus in libro contra Nouatianos, vt dicit Auguſtinus in 1. & 2. contra Iulianum dicens: *Omnes homines, excepto Chriſto, antiqui criminis tenentur obnoxij.* Floruit anno 312. ſub Conſtantino. Hucuſque Bandellus. Qua autem veritate hoc dixerit, ex ſequentibus cognoſcetis.

Sanctus Auguſtinus ſcribens contra Iulianũ Pelagianum lib. 1. in principio, inter alios Eccleſiæ Patres, hunc etiam adducit ſic: Reticium ab Auguſtuduno Epiſcopũ, magnæ fuiſſe auctoritatis in Eccleſia, tempore Epiſcopatus ſui geſta illa Eccleſiaſtica nobis indicant, quando in vrbe Romana Melchiade Apoſtolicæ Sedis Epiſcopo præſidente cum aliis index interfuit, Donatumque damnauit, qui prior Auctor Donatiſtarum ſchiſmatis fuit, & Cæciliianum, Epiſcopum Eccleſiæ Carthaginenſis abſoluit. Is, cùm de Baptiſmo ageret, ita locutus eſt: *Hanc igitur eſſe principalem in Eccleſia indulgentiam, neminem præterit, in qua antiqui criminis omne pondus exponimus, & ignorantiæ noſtræ facinora priſca delemus, vbi & veterem hominem cum ingenitis ſcelerimus diluimus.* Hæc ſunt Rethicii, quibus addit ex ſe Auguſtinus contra Iulianum: *Audis antiqui criminis pondus, audis priſca facinora, audis cum ſceleribus ingenitis hominem veterem: & audes aduerſus hæc ruinoſam conſtruere nouitatem?* Ex his colligitur primo, quod tàm Anonymus, quàm Bandellus malè citant Rethicium ex Auguſtino, *in 2. lib. contra Iulianum*, nam S. Auguſtinus in 2. lib. contra Iulianum ad finem fol. 213. col. 1. littera C. ſolùm citat Rethicium cum aliis, recapitulando Doctores in antecedentibus adductos dicens: *Clariſſimi Sacerdotes, Iræneus, Cyprianus, Reticius, Olympius, Hilarius, &c.* Sed nulla adducit ibi verba Rethicii, neque aliorum; ad multiplicanda ni: ergo paleam dixerunt illud: *Et 2. contra Iulianũ.* Tertio, gratis, & abſque fundamento dixit Bãdellus illud: *In libro contra Nouatianos*, quia licèt Rethicius ſcripſerit contra Nouatianos, tamen hæc verba ex Auguſtino non conſtat, quod fuerint ſcripta contra Nouatianos, ſed agens de Baptiſmo contra Donatiſtas, quando in Cõcilio Romano anno Domini 313. & Octauo Conſtantini Imperatoris fuit abſolutus Cæcilianus Epiſcopus, in qua cauſa fuerunt iudices, Maternus Agripinenſis, Rethicius Auguſtudunenſis, & Marinus Arelatenſis, de quo vide tomo 1. Concil. part. 1. fol. 212. Ista ſunt vitia quantum ad Auctoris citationem.

Quantum ad auctoritatem dico, adductam à Bandello continere ſolùm hæc verba: *Omnes homines, excepto Chriſto, antiqui criminis, tenentur obnoxij.* Ex his octo verbis, tantùm duo reperiuntur in auctoritate Rethicii, ſcilicèt, *antiqui*, & *criminis*, reliqua ſex, quæ principaliora ſunt, ex proprio cerebro finxit Bandellus: Si ergo in octo verbis addiderũt ipſe, & ſuus Corrector, ſeu Continuator ſex mendacia, adulterando duos Sanctos, Auguſtinũ, & Rethiciũ, & commiſerunt alios duos errores contra citationem, & librum, vt ſic in octo verbis eſſent etiam octo vitia, & fictiones: ſi hac minutiſſima calculatione eſſent numerandi omnes alii Doctores in hac ventilatione contenti, nõ iam triginta tria millia mendacia in ipſis deprehẽſa numeraremus, ſed quadringenta millia, & ampliùs poſſent computari. De auctoritatis Rethicii ſenſu nihil dico, quia ex ipſa conſtat, quòd totaliter ſit extra materiam Conceptionis Virginis, etiam ex ipſo Auguſtino, qui eam adducit, vt probet, contra Iulianum eſſe peccatum originale maculans animas paruulorũ, & hoc non prouenire à nuptiis, id eſt, quia nuptiæ erant malæ, vt dicebat Iulianus, ſed à primo peccato, & antiquo crimine Adæ. Idem Auguſtinus repetit illa verba, & in illis hæret: *Audis antiqui criminis pondus, audis priſca facinora, audis cum ſceleribus ingenitis hominem veterem*, & quando hæc omnia verba clamant apertè, & clarè contra antiquum Adæ peccatum, tu Iuliane, *audes Aduerſus hæc ruinoſam conſtruere nouitatem?* Id eſt, quòd à nuptiis pro-

proueniant paruulorum maculæ? Si ampliùs de hoc scire desideras, lege ipsum Augustinum in primo illo libro contra Iulianum: nam ibi latè inuenies, quod hic succinctè dico; quia tædet animam meam in hoc consumere tempus.

RICHARDVS Anglicus, Episcopus Cantuariensis, in 2. Sentent. distinct. 31. & in 3. distinct. 3. in expositione litteræ. *Bandel. cap. 21. Dezza fol. 36. à tergo, Gryfald.*

VERITAS. 269.

AVCTOR Hic fictus est, & multiplicatus: quod probatur ex sequentibus principiis. Primo, quia huius nullam adducunt auctoritatem, solùm enim dicunt: *Idem tenet Dominus Richardus Anglicus, Episcopus Cantuariensis, in 2. Sent. dist. 31. qu. est. 1. & in 3. dist. 3. in expositione litteræ.* Et vbicumque Aduersarii tacent auctoritatem, sine aliquo scrupulo credere, & sine temeritate affirmare poteris, ibi aliquam esse fictionem, & præcipuè in isto, quem adducit Bandellus inter alios tredecim fictos absque vlla cõtrouersia. Secũdo, quia inter Scriptores Anglicos solus inuenitur vnus Richardus Anglicus, & ille fuit Medicus, de quo Balleus fol. 196. & Pitseus fol. 305. Tertio, quia vocati Richardi solũ fuerunt Archiepiscopi Cantuarienses, quidam Richardus, cognominatus Magnus, qui scripsit ad annum 1231. sed hic non scripsit super Sententias, sed solùm quædam Moriala, de quo Pitseus folio 307. fuit etiam alius Richardus Theologus, Anglus ad annum 1240. sed hic non scripsit super Sententias, quinpotiùs edidit tractatum, seu librum pro immaculata Virginis Conceptione, vt dicunt Pitseus fol. 314. Marracius in Biblioth. fol. 326. & in Cathalogo pag. 2. fuit & alius antiquior, scilicèt, ad annum 1184. Richardus Douerensis, qui post S. Thomam Martyrem Cantuariensem, factus fuit Cantuariensis Archiepiscopus, sed nec hic scripsit super Sententias; fuit enim contemporaneus Magistri Sententiarum Petri Lombardi, vide sup. allegatum Pitseum, fol. 250. In Biblioth. S. Ioann. Regum AA. 68. extat manuscript. in folio, cuius titulus est: *Sermones Richardi quadragesimales.* Et incipiunt: *Cùm ieiunatis, &c.* Et nè immoremur, quia totum hoc est terere tempus; pro certo, ac infallibili principio statue, quod talis Richardus Anglicus, Archiepiscopus Cantuariensis, scriptor super Sententias, nullus fuit, & sic ex hac parte iste est fictus.

Quòd autem fuerit multiplicatus, penè euidenter ostẽditur, quia vt videbimus infrà num. 273. fuit quidam Robertus Anglicus, vel de Anglia, Ordinis Prædicatorum, qui ad annum 1280. fuit Archiepiscopus Cantuariensis, & postea Cardinalis, vt ibi latè dicam: hic scripsit super Sententias, & illum citant, & adducunt Aduersarii sub eadem numero citatione, scilicèt, *in 2. Sentent. dist. 31. artic. 1. & in 3. Sent. distinct. 3. in expositione litteræ.* Aduersarii ergo, vt alterum multiplicarent Auctorem contra immaculatam Virginis Conceptionem, ex vno Cantuariẽsi Archiepiscopo fecerũt duos, & vt eorum cauillosa multiplicatio celaretur, vnum vocarunt Richardum Anglicum, alterũ verò dereliquerunt sub proprio nomine Roberti de Anglia, & sicut in nominibus, etiam in dignitate esset aliqua distinctio, Richardum fecerunt Episcopum Cantuariensem, & suum Robertum Dominicanum dereliquerunt cum dignitate Archiepiscopali: etiam in statu quæsierunt distinctionem, nam Richardum collocarunt inter Theologos antiquos clarissimos, & Robertum inter scriptores Ordinis Prædicatorum: itidem præuiderunt, vt essent distantes loco, & sit apposuerunt Richardum cap. 21. & Robertum cap. 23. Quid vltra? Robertum fecerunt purpuratum Cardinalem, & Richardum solùm Episcopum, quasi illum derelinquentes in albis, vt sic disgregaret vìsum legentium. In citatione verò addiderunt solùm illud, *Articulo* 1. Hanc iudico esse veritatem, iuxta allegata, & probata. Si autem aliquis Cõmẽtaria huius Richardi Anglici Episcopi Cantuariensis, & in illo sententiam contra immaculatam Virginis Conceptionẽ inuenerit, ego Petrus, qui hæc scribo, paratus sum retractare suprà dicta, & si etiam dicere licèt: In carcerẽ, & in mortem ire pro veritate.

RICHARDVS De Media-Villa, Ordinis Minorum, in 3. Sentent. distinct. 3. & in 4. distinct. 43. *Turrecrem. part. 6. cap. 30. fol. 121. à tergo. Anonym. Auctore* 101. *Bandel. cap. 24. Dezza fol. 45. Spina par. 6. cap. 4. Vincent. Gryfald. Capreol. Soncin. Brixien. S. Antonin. Barele.*

VERITAS 270.

RICHARDVM Mildetonum, siuè de Media-Villa, Ordinis Minorum, qui floruit ad ann. 1300. cuius opera fuerunt typis mãdata Brixiæ 1591 Venetiis 1589. & 1509. & manuscripta in pluribus locis, cum sufficientissimo fundamento citant Aduersarii: nam in locis ab ipsis allegatis expressè suam videtur sequi opinionem; primam eius auctoritatem fideliter transcripsit Turrecremata, Bandellus variauit in aliquibus par-

parui momenti, dicit enim ſic: Idem tenet Richardus de Mediavilla, Doctor Pariſiēſis, eiuſdem Ordinis in 3. Sent. diſt. 3. ſic dicens: *Anima B. Virginis ex ſui vnione ad carnem peccatum originale contraxit, ſicut dicit Auguſtinus in* 10. *ſuper Geneſim, & Anſelmus in libro Cur Deus homo? Hæc ille.* Richardi verò verba in illa diſt. 3. quæſt. 1. in concluſione ſic ſe habent: *Anima Virginis ex ſua vnione ad illam carnem peccatum originale contraxit. Vndè Anſelmus 2. lib. Cur Deus homo? Quaſi in medio libri dicit de B. Virgine, quod in iniquitate cōcepta eſt, & in peccatis concepit eam Mater eius, & cum peccato originali nata eſt, quod de natiuitate in vtero intelligendum eſt. Auguſtinus etiam ſupra Geneſ. vltra medium dicit de carne Virginis, quòd fuit concepta de propagine carnis peccati, &c.* Ex quibus colligitur, quòd Bandellus adhuc hunc vitiauit Auctorem, addens illud: *Sicut dicit Auguſtinus in* 10. *ſuper Geneſ. & Anſelmus, &c.* Quod Richardus non dicit, nam Bandelli verba ſonant, quòd Auguſtinus, & Anſelmus dixerint illam propoſitionem: *Anima B. Virginis ex ſui vnione ad carnem peccatum originale contraxit.* Quod autem eſt falſum: nam Richardus ibi exprimit verba S. Auguſtini, & Anſelmi, quæ longè diuerſiſsima ſunt, vt intuenti eius textum patebit: Bandellus vero, & illius ſequaces cauillosè tacuerunt verba Auguſtini, Anſelmi, & Ricardi.

Secundam auctoritatem ſic adducunt: *Idem dicit in 4. Sentent. diſt. 4.* ſed non adducunt auctoritatem. Richardi autem verba in 4. diſt. 43. quæſt. 2. fol. 564. ſic inquit: *Concluſio: Reſpondeo, quòd omnia corpora incinerabuntur, excepto corpore Chriſti, & corpore Matris ſuæ, quæ incinerata non fuerunt, quod de corpore Chriſti certiſsimum eſt, & de corpore Matris ſuæ credere pium eſt: Sicut enim culpa originalis in anima inducunt debitum ſeparationis animæ à ſuo corpore, propter ſeparationem ſui à Deo per culpam; ita vitium fomitis in carne inducit debitum incinerationis eiuſdem. Vndè ſicut omnes ex debito, præter Chriſtum, mortui ſunt, vel morientur, ita omnibus corporibus humanis, præter corpus Chriſti, & Matris ſuæ incineratio debetur. Quamuis enim B. Virgo peccatum originale contraxerit, quapropter in ea fuit debitū mortis id, tamen fomes in ea numquam actum habuit, per ſecundam ſanctificationem totaliter ſublatus ab ea, &c.* Ita ſunt Richardi verba, quæ Bādellus noluit adducere, vel propterea, quia diſtinguebant debitum ab actu; profitendo, quòd Maria habuit debitum contrahendi incinerationem, ſed non actum, quam doctrinam abhorrebat Bandellus, vt ſuam penitùs ſubuertētem, vel prætermiſit hæc verba, quia dicendo: *Idem dicit in 4. Sentent.* inſinuabat ibidem etiā dicere illud: *Anima B. Virginis in ſui vnione ad carnem peccatum originale contraxit*: Vt ſic quantum poſſet, falleret legentes. Vel denique illa prætermiſit, quia cùm ipſe paſsim dicat, atque repetat, quòd æquare Mariam Chriſto, & Matrem Filio in aliquo æquiparare, erat iniquum, blaſphemum, & vt hæreticum prorſus à Fide Catholica alienum, &c. Videns, quod hic Richardus eos æquabat quoad actum in corruptionis, ſeu præſeruationis corporis ab incineratione, & quod ſolùm eos diſtinguebat, quod Chriſtus non habuit debitum: Maria verò ſic, quæ doctrina communiter docetur vt vera à noſtris in materia de peccato originali: cernens ergo, quòd ſi adducebat auctoritatem, miniſtrabat arma contra ſe ipſum, ideo in hac auctoritate obmutuit.

Ex ſupra dictis affirmo, Richardum de Mediavilla in Sententiariis clarè, & expreſsè ſuſtinuiſſe opinionem Aduerſariorū, ſiuè hoc fuerit ob Decretum, vel Statutū Mauritii Epiſcopi Pariſienſis; vel quia tunc cùm eſſet iuuenis ita ſenſerit. At cùm factus fuit vir, & prouectæ ætatis mutauit ſententiam, & ſcripſit librum integrum ſatis eruditum pro Immaculata Virginis Conceptione, vt affirmant Doctores ſequentes: Henricus Vvillotus fol. 315. Poſſeuinus fol. 325. Vvading. fol. 306. Ioannes Balleus fol. 124. Ioannes Pitſeus in principio Ætatis 14. fol. 386. Hypol. Marraccius in Bibliotheca part. 2. fol. 329. & in Indice ad an. 1300. Frāciſcus Gonçaga in Hiſtoria Seraph. part. 1. fol. 90. Petrus Rodulphus Toſignianus lib. 3. fol. 333. à tergo Ioannes Baptiſta de Lezana in Apologetico pro Conceptione cap. 2. Bernardinus de Buſtis Serm. 4. de Concept. fol. 48. Anton. Daza de Concept. cap. 6. fol. 47. Conrad. Geſnerus fol. 725. Cornelius Sehultingius in Biblioth. lib. 2. fol. 44. & alii quamplurimi. Sed vt res hæc maneat inconcuſſa, proponimus Auctores duos omni exceptione maiores, quia vixerunt parum poſt Richardum, & ex libro ſupra allegato adducunt verba ipſa Ricardi, ſcilicèt Ioannem Vitalem, & Ioannem Alanum, Doctorem Pariſienſem, qui vnanimiter in ſuis Defenſoriis pro Immaculata Virginis Conceptione lib. 4. Ancill. 5. ad finem inquiunt: *Decimo, argumētatur, quia ſacra Virgo fuit quædā lux ſpiritualis ab omni obſcuritate diſtincta: ergo ab omni macula ſeparata: conſequentia patet; & antecedens per Richardum de Mediavilla, ſuper Aue Maria, ſic dicentem.*

Aue gaudens in proſperis
Lux diſtincta præ cæteris
A rebus obſcuris.
Aue cordis, & operis
Originalis vulneris,
In rigore iuris
Væ, quod eſt ignominiæ,

Vel

Vel labes innocentiæ
Te non maculauit,
Te cum primum principium,
Ne contraheres vitium,
Iustè dispensauit.
Ave Mater, & filia
Regis, qui per testa omnia,
Peccatum secerno,
Hæc est summa decentia,
Derogant contraria
Honori Materno.

Nec Richardi librum, nec prælegata ignorare potuerunt Aduersarii; tum quia liber cōmunis antiquitus erat; tum quia saltem Turrecremata, qui vidit librum Ioannis Vitalis, & hanc auctoritatem necessario vidit, ac legit: ergo in hac materia nullus veritatem quæsiuit.

RICHARDVS Rodulphi de Hysbernia, Cancellarius Oxomensis, in Summa sua Theologica, quæ incipit: Principium omnium, &c. Et in 3. lib. Sent. & in 2. Senten. quæst. 7. artic. 2. *Anonym. Auctore* 173. *Bādel. cap.* 21. *Dezafol.* 35. *Vincent. Gryfal.*

VERITAS 271.

AVCTOR Iste absque vlla controuersia triplicatus est ab Aduersariis in hoc Ventilabro, & licèt supra num. 29. de ipso locuti fuerimus, tamen quia hic illum adducunt sub eius proprio nomine, ac cognomine aliqua de illo iterum recapitulabimus. Quare supponendum est primo, quòd Richardus Radulphus, natione Anglus, Lychefeldensis Archidiaconus, & Oxoniensis Cancellarius, Archiepiscopus Ardmacensis, siuè Armachanus, Primas Hyberniæ, fuit Ordinum Mendicantium acerrimus impugnator, & sic contra ipsos anno Domini 1357. die 8. mensis Nouembris, Auinione coram Innocentio VI. Summo Ecclesiæ Pontifice, & Cardinalium cœtu, publicè protulit nouem conclusiones, quæ postea fuerunt damnatæ sicut & aliæ eiusdē Armachani temeritates. Secundo suppono, quod hic scripsit plura, præcipuè lecturam, seu Summam Theologiæ, quæ incipit: *Principium omnium rerum*. Item Sermones varios, de laudibus Virginis Mariæ librum vnum: de quæstionibus Armenorum librum alterum, diuisum in 19. libris: nec non etiam contra Mendicantes, &c. Ex quibus solus liber de quæstionibus Armenorum est typis mandatus, nam alia opera nunquam lucem viderunt, sed latent in aliquibus Bibliothecis, ex quibus nonnulli Auctores aliqua verba, & auctoritates transcripserunt, præcipuè ex illo libro de laudibus Virginis Mariæ, & de Sermonariis.

Deindè nota, quòd Ioann. de Turrecremata part. 6. cap. 28. fol. 112. loquendo de Armathario Hyberniæ Primate, clarè fatetur, se non vidisse Summam, seu lecturam super quatuor libros Sententiarum Armachani, cuius verba nos dedimus num. 29. At idem met Turrecremata, eodem cap. 28. loquens de Anonymo, de quo nos suprà num. 21. sic inquit: *Item ad idem est alius antiquus Doctor Parisiensis sequens Magistrum Sententiarum, & Hugonem, cuius nomen non exprimitur in libro qui apud nos est, qui in Summa, sua quæ incipit: Primum principium omnium, siuè Deum esse sic ostendimus, in 3. libro quæstionem mouens, &c.* Viderat ergo Turrecremata, & apud se habebat (licèt absque nomine Auctoris) Summam illam in quatuor libros Sententiarum, quæ incipiebat: *Primum principium*, vel: *Principium omnium, &c.* Hanc autem Summam esse Armatharii, de quo Aduersarii suprà num. 29. seu Richardi Rodulphi Armachani, de quo hic patet euidenter ex ipsismet Anonymi verbis sic dicentis: *Idem tenet Magister Richardus Rodulphi de Hysbernia, Cancellarius Vniuersitatis Ceronensis, in Summa sua Theologica, quæ sic incipit: Principium omnium rerum, 3. libro dicit: Quod caro, &c.* Ex hac ergo vna Summa Theologica, quæ incipiebat: *Primum principium, &c.* Aduersarii tres finxerunt, seu adduxerunt ad suam Aream Doctores distinctos, scilicèt Anonymum antiquum, de quo num. 21. Armatharium, Primatem Hyberniæ, de quo num. 29. & Richardum Rodulphum, de quo hic. Et hæc de multiplicatione Auctoris.

Sed iam gradum faciamus ad auctoritatem, quam Turrecremata sic trāscripsit ex suo libro. In 3. libro, quæstionem mouens: vtrum caro Christi, antequam vniretur Verbo, peccato in B. Virgine fuerit obnoxia? sic respondit: *Dicendum quòd sic, sed non in quantum caro Christi, sed priùs quam vniretur Verbo, abomni contagione Spiritus Sancti operatione purgata fuit.* Ex hac auctoritate à Turrecremata adducta, suas transcripserunt post illum scribentes, sed notate, quomodo? Anonymus sic: *Quòd caro Christi in B. Virgine fuit obligata peccato originali, sed antequàm vniretur Verbo, fuit ab omni contagione peccati purgata.* Ecce in primo gressu quasi transmutata est tota auctoritas; nam prætermisit illud: *Sed non in quantum caro Christi*, & addidit ly, *originali*, quæ fuit pessima adulteratio, nam aliud est esse obligatum peccato sic absolutè, & simpliciter, & aliud est esse obligatum peccato originali singulariter, & præcisè, quia si caro illa erat obligata peccato, tā actuali, quàm originali, & hac non obstante obligatione æquali ad vtrumque, fuit præseruata ab actua-

actuali, quaſi neceſſaria conſequentia ſequi videbatur, ipſam fuiſſe etiam ab originali præſeruatam: quare Bandellus, vt ab his, & aliis difficultatibus ſe expediret, finxit auctoritatem; ita vt in ea nulla reperiretur ambiguitas, ſic: Idem tenet Magiſter Richardus Rodulphi de Hyſbernia, Cancellarius Vniuerſitatis Oxomenſis, in 2. Sentent. quæſt. 7. artic. 2. ſic dicens: *Beata Virgo fuit concepta in peccato originali, & ab eo ante Natiuitatem liberata, vt tenent Sancti, nec hoc derogat eius dignitati, quia pariformiter derogaret, quòd fuerit concepta cum libidine parẽtum, quod nullus dicit.* Vide, an excogitari poterat adeò enormis adulteratio, in qua nec ſolùm vnum tranſcripſit verbum, ſed omnia, & ſingula ex proprio finxit cerebro, & etiam trãſmutauit citã: *In 2. Sent. quæſt. 7. artic. 2.* tacendo, ex qua diſtinctione, vt ſic maneret penitùs occultum mẽdacium. Sed expecta, quia adhuc maiora videbis. Petrus de Vincentia in claſſi de antiquis, clariſsimiſque Theologis ſic inquit: Dominus Armachanus, Epiſcopus Hysberniæ, in 3. Sentent. diſt. 3. ſic dicit: *Beata Virgo poſt animationem fuit à peccato originali per primã ſanctificationem in vtero Matris mundata, ſed in Cõceptione filij fuit fomes peccati ab ea totaliter extirpatus,* & continuò immediatè poſt, nullo interpoſito Auctore, ſic proſequitur: Magiſter Richardus Rodulphi de Hybernia, Cancellarius Vniuerſitatis Oxomenſis in 2. Sent. quæſt. 7. articul. 2. ſic dicit: *Beata Virgo fuit concepta in peccato originali, & ab eo antè Natiuitatem liberata, vt tenent Sancti, nec hoc derogat eius dignitati, quia pariformiter derogaret eius dignitati, quòd fuerit concepta cum libidine parentum, quod nullus dicit.* Hucuſque ſunt Petri de Vincentia verba. Gryſaldus verò ſic dicit: Richardus de Hybernia 2. quæſt. 7. artic. 2. *Beata Virgo fuit concepta in peccato originali.* Hæc ſunt omnia adducta ab Aduerſariis. Ex quibus omnibus colligitur parua Aduerſariorum peritia in hoc Auctore, quia ignorarunt Richardũ Rodulphum ex nomine, primo Cancellarium Oxonienſem fuiſſe: Deindè Archiepiſcopum (non Epiſcopum) Armachanum (non Armatharium) Primatem Hyberniæ (non Hysberniæ) quod non ſolùm dicunt, & affirmant omnes Nomenclatores, nullo dempto, ſed & opera eius impreſſa, & omnes Hiſtoriographi: nam notiſsimus Auctor fuit, & eſt, propter illam celebrem controuerſiam Auinione habitam coram Patribus Eccleſiæ, in pleno Conſiſtorio cum Mendicantibus; & hoc quod omnes ſciebant, & ſciunt, hìc ignorarunt, Anonymus, Bãdellus, Deza, Gryſaldus, & præcipuè Vincentia, qui non ſolùm in eadem claſſi, ſed in eodem loco ſucceſsiuè, vnum poſt alium ponit Armathanum, Epiſcopum Hysberniæ, & Richardum Rodulphum de Hybernia. Hanc Petri de Vincentia ſimplicitatem malitia aliorum emendauit, nam Bandellus qui hũc Richardum Rodulphũ collocauit, cap. 20. Armachanũ proiecit ad cap. 21. Anonymus ſimiliter Richardum conſtituit Auctore 152. & Armachanum tranſtulit ad num. 162. Idem etiam obtenuauit Gryſaldus, vt ſic ſeparati apparerent diſtincti, & non ita facilè deprehenderetur mendacium conſequenterque finxerunt titulos, & epitheta diuerſa: nam ſuprà num. 29. vocarunt Armathanum, ſeu Armachanum, hic appellarunt Richardum Rodulphum, quem ibi condecorarunt titulo Epiſcopatus Hysberniæ, hic cognominant Cancellariũ Oxomienſem, vel Ceronenſem, & cùm ibi eum citaſſent, in 3. Sent. diſt. 3. hic excogitarunt aliam cotam in 2. Sentent. quæſt. 7. artic. 1. ac denique ibi finxerunt vnam auctoritatem, & hìc alteram ab illa penitùs diuerſam. Si ergo poteſt Lector enumerare has fictiones, & cauillationes commiſſas, ſolùm vt multiplicarent vnum Auctorem contra Immaculatam Virginis Conceptionem, enumeret: nam hìc deficit ſpiritus meus.

His ergo ſic examinatis, veritatis reſolutio eſt, quòd Auctor iſte abſque vlla controuerſia eſt triplicatus, & poſitus in hac Ventilatione num. 21. ſub nomine Anonymi, & nu. 29. ſub nomine Armachani, & hic ſub titulo Richardi Rodulphi. Atq; inſuper in operibus Alberti Magni nouiſsimè impreſsion. tom. 17. fol. 487. extat Summa Theologica, quæ incipit: *Quod autem principium vnum ſit omnium.* Et procedit per tractatus; & quæſtiones. Ego abſolutè dicerem, atque aſſertiuè affirmarem, tractatum iſtũ non fuiſſe Alberti Magni, quia nec operis diſpoſitio, nec ſtilus eſt Alberti: nec dicere auderem abſolutè eſſe Armachani, licèt titulus, Sũma, & initium id indicant, ſed cùm ibi non inueniantur verba ſuprà relata à Turrecremata, quid circa hoc pro certo tenendum ſit, penitùs ignoro. Et hæc de Auctore.

De auctoritatibus verò dico, quòd adducta à Turrecremata num. 21. ſub nomine Anonymi, tranſcripta ab illa Summa, quæ incipit: *Primum principium omnium, &c.* Claritatis cauſa iterum tranſcripta, ſic ſe habet: Quæſtionem mouens, Armachanus, vtrum caro Chriſti, antequam vniretur Verbo, peccato in B. Virgine fuerit obnoxia? Sic reſpondet: *Dicendum quòd ſic, ſed non in quãtum caro Chriſti, ſed priuſquam vniretur Verbo, ab omni contagione Spiritus Sancti operatione purgata fuit.* Et infrà: *Corruptio vitij fuit in carne Virginis, quando Angelus venit ad eam, ſecundùm quam peccare poterat, ſed in aduentu Spiritus Sancti, gratia, caro repleta eſt, & ab hac corruptione purgata, & ita bis ſanctificata fuit.* Hæc ſolùm inuenit, & tranſcripſit Turrecremata ex illa Anonyma Summa ſuper Sententias, ignorans cuius illa

Sum-

Summa eſſet. Deindè cum in allegatione Ioānis de Segouia, ac Defenſorio Ioannis Vitalis lib. 4. c. 7. legiſſet hæc verba: *Quintus teſtis eſt Dominus Richardus Syrac, Armachanus Hyberniæ, qui primò Aduerſarius exiſtens 3. diſt. 3. Archiepiſcopus factus id retractauit publicè, in Sermone, qui incipit: Sapiẽtia ædificauit ſibi domum, oſtendens, in Conceptione Virginis nullam fuiſſe culpæ originalis ruinã, quia nullus ſapiẽs Architectus in domo ruinoſa fundamentũ iacit ruinoſum.* Ex his verbis occaſionẽ ſumens Turrecremata, poſtquã citauit ſuũ Anonymũ cap. 28. in principio, in eodẽmet cap. circa mediũ adduxit pro ſua ſententiã Armatharij; nullã tamen adducens auctoritatẽ, ſed ſic dicens: *Itẽ ad idem eſt D. Armatharius Primas Iberniæ, in 3. Sent. diſt. 3. ſicut teſtimonio patet quorumdam tenentium aſſertionem contrariam, de hoc expreſsè refert in ſermone ſuo de Conceptione Magiſter, qui hanc materiam ſtudiosè ſolicitauit in hoc ſacro Concilio, videlicèt Magiſter Ioãnes, quod verò dicitur, quòd ipſe Armathetanus retractauerit in ſermone, qui incipit: Sapientia ædificauit ſibi domum, quouſque hoc condigna atteſtatione, quæ fidem faciat ſufficientem in iudicio vniuerſalis Synodi demonſtretur, nullo modo eſt credendum, in eo potiſsimè, quia Ioannes Vitalis, qui hoc primo poſuit in tractatulo ſuo de hac materia, in multis ſimilibus, quæ dixit de aliis Doctoribus, ſicut de Alexandro de Ales, & de S. Thoma, & de Alexandro Nequã, falſum dixiſſe certiſsimum eſt.* Et part. 13. cap. 2. fol. 263. à tergo, reſpondens ad noſtra argumenta, inquit: *Decimò, allegatus eſt Dominus Armachanus, de quo dicitur, quòd in principio fuerit Aduerſarius ſuper 3. Sentent. diſt. 3. ſed poſtmodum factus Epiſcopus, publicè retractauit in ſermone, qui incipit: Sapientia ædificauit ſibi domum, &c.* Ex quibus euidenter patet, quòd Turrecremata non vidit Armatharium, imò nec nomen illius ſciebat, ſi quidèm vocat eum Armathetanũ; citauit tamen eũ propter illum ſermonem adductum à Ioanne de Segouia, ex teſtimonio ſuprapoſito Ioannis Vitalis, & ſic Turrecremata ſuppoſito quod ignorauit Auctorem illius Summæ, in nullo peccauit, citando Anonymum ex illo à ſe viſo manuſcrip. & Armathanũ, ex dictis Ioannis de Segouia, & Vitalis. Vtrũ autem Vitalis verum dixerit, vel falſum infra examinabitur.

Deindè hæc eadem Summa, quæ incipiebat: *Primum principium, &c.* quam Turrecremata viderat abſque Auctoris nomine, peruenit ad manus Anonymi, ſubſcriptam ſuo proprio Auctore, ſcilicèt ſub nomine Richardi Rodulphi, Cancellarii Oxonienſis, & ipſam legens, tranſcripſit verba ſic: Idem tenet Magiſter Richardus Rodulphi de Hysbernia, Cancellarius Vniuerſitatis Cironenſis, in Summa ſua Theologica, quæ ſic incipit: *Principium omnium, &c.* in 3. libro dicẽs *Quòd caro Chriſti in B. Virgine fuit obligata peccato originali, ſed antequã vniretur Verbo, fuit ab omni contagione peccati purgata. Hæc ille.* En ipſiſsima verba adducta à Turrecremata ex Summa Anonyma, ſolũ differunt in vno verbo, quia Anonymus Dominicanus addidit illud, *originali.* Manet ergo ex his comprobatum, quòd Auctor illius ſummæ Theologicæ incipientis: *Principiũ omniũ, &c.* erat Richardus Rodulphus de Hybernia, ſed cùm Anonymus Domin. ignoraret, an hic Rodulphus fuerit, nec nè dictus etiam Armachanus Epiſcopus Hysberniæ, videns illum citatum in Turrecremata, dixit iterum etiam ipſe: *Idem tenet Armachanus, Epiſcopus Hyberniæ, in 3. Sentent. diſtinct. 3. & in ſermone Beatæ Virginis.* Sed nullam adduxit auctoritatem, quia Turrecremata nullam adduxerat, ſicque citauit hunc Armachanum in fide Turrecrematæ, ſicut Turrecremata in fide Vitalis, & in hoc ſuppoſito quòd Anonymus ignorabat, an Richardus Rodulphus fuerit idem quòd Armachanus Epiſcopus Hyberniæ, neque peccauit Anonymus in hac multiplicatione; errauit verò ſolùm in hoc, quia citauit Sermonem pro ſua opinione, quando Turrecremata dicit expreſsè, Sermonem illum Armachani eſſe pro nobis, vt eſt, & infrà videbimus, & quantum ad hoc peſsimè errauit. Venerunt ergo poſt iſtos duos alii tres, ſcilicèt Bandellus, eius Continuator, & Vincentia, & videntes, quòd Anonymus citabat ex vna parte Richardum Rodulphum in Summa ſua, quæ incipit: *Principium omnium, &c.* Sed quòd auctoritas nihil expreſsè probabat finxerũt ex proprio cerebro ſuprapoſitam auctoritatem: *Beata Virgo fuit concepta in peccato originali, &c.* Et vna cum auctoritate finxerunt etiam citam, ſcilicèt, *in 2. Sentent. quæſt. 7. art. 2.* videntes inſuper, quòd Anonymus non adducebat auctoritatem ex Armachano in 3. Sentent. diſtinct. 3. finxerunt etiam ſimiliter aliam auctoritatem pro Armachano in 3. dicentes: *Beata Virgo poſt animationem, &c.* Et ſic vt macularent ſanctiſsimam Dei Matrem, à planta pedis vſque ad verticem capitis comminuerunt omnia oſſa Richardi Rodulphi Armachani, quoad Auctorem, & plus quoad auctoritatem.

Solùm reſtat nunc inquirere de mente Richardi Rodulphi Armachani, & an auctoritas, prout adducitur à Turrecremata, habeat aliquid expreſſum contra Virginis Conceptionem. Et in primis exiſtimo eſſe fictum illud, quod dicit Turrecremata, *peccato in Virgine fuerit obnoxia*, addens ex proprio cerebro illud, *in Virgine*: Nam Magiſter Sentent. quẽ ſecutus eſt Armachanus, ſolùm dicit de carne: *Ipſam priùs peccato fuiſſe obnoxiam, ſicut reliqua*

Vir-

Virginis caro, &c. Et ſic nō eſt illud, *in Virgine*: aliud enim eſt quærere, an caro Verbi priùs fuerit obnoxia peccato, ſicut fuit reliqua Virginis caro? Aut quærere, vel dicere fuiſſe obnoxiam peccato in Virgine: primum poteſt abſolutè cōcedi abſq; præiudicio Immaculatæ Cōceptionis, nō ſic ſecundū: ideo Turrecremata non adduxit integra verba Armachani. Dicimus enim explicando ipſius mentem iuxta totū rigorem verborū auctoritatis, quòd caro Chriſti fuit obnoxia, id eſt, obligata peccato, non in Chriſto, ſed in Virgine, cuius caro tota fuerat obnoxia & obligata peccato, vel in Adā, vel in Ioachimo, vel adhuc in Anna, per illos 40. vel 80. dies ſuæ formationis in vtero: cōcedētes enim in Virgine debitum proximum, vel remotum, nō negarent illa prima Armachani verba: caro Verbi obnoxia fuit peccato in Virgine: alia autem quæ dicit Armachanus, ſcilicèt, quod caro Virginis fuit purgata à contagione in aduentu Spiritus Sancti, & quod corruptio vitii erat in carne Virginis, quando Angelus venit ad eam, & quod in aduentu Spiritus Sancti fuit ab hac corruptione purgata, æqualiter militant cōtra veſtram ſanctificationē, quàm cōtra præſeruationem: Suppoſita enim præſeruatione noſtra, vel ſanctificatione veſtra, illa ſunt falſa, ſi Armachanus intelligit, quod caro Virginis per aduentū Spiritus Sancti fuit purgata ab aliquo actuali cōtagio, vel ab aliqua in ipſa exiſtente corruptione vitii, hoc enim nō ſolùm in noſtra ſentētia, ſed etiā in veſtra, & ſecundū Fidē falſiſsimū eſt. Et ſic per illud repetitū verbū, *purgata*, debet intelligi, quòd fuerit præſeruata ab omni contagione, & corruptionis vitio, quod in inſtāti deciſionis ſeminis poterat eſſe ſenſualitatis, vel delectationis, &c. Sed quidquid ſit de hoc, ſaltem notate vltima Armachani verba: *Et ita bis ſanctificata fuit*, id eſt, ſemel in anima, in vtero Matris ſuæ, & iterū in carne in Incarnatione Verbi: in prima, ſecundū veſtram interpretationē, fuit purgata à peccato originali: in ſecunda à vitio, & contagione ſenſualitatis; quia caro illa Virginis ad vtrumq; æqualiter erat obnoxia in Maria: deſideratis ne ampliùs pro veſtra ſentētia ex verbis Armachani? Tūc ſic ex duabus ſanctificationibus æqualiter poſitis, ſecūda carnis nō fuit ſanctificatio, aut purgatio ab aliquo vitio, & contagione actuali, ſeu corruptione, ſed imminenti, & futura: ergo pariformiter dicēdū erit de prima ſanctificatione, & purgatione in anima. Vel oſtēdite diſparitatē, quia ego nullā inuenio, imò ex his duabus ratio, & cōueniētia ſtant pro prima; quia ſecundū vitiū, contagiū, & corruptio carnis, poterant eſſe abſque Dei offenſa, & damnatione æterna, non autem primum.

Illud Turrecrematæ circa mutationē ſentētiæ Armachani, ac de Sermone illo incipiente: *Sapiētia ædificauit ſibi domū, quouſque hoc cōdigna atteſtatione, quæ fidē faciat ſufficientē, in iudicio vniuerſalis Synodi demōſtretur, nullomodo eſt credēdū*; ex ore tuo te condēnas, & ſimul omnes tuos, ò doctiſsime Turrecremata! vnde habetis pro Auctoribus à vobis adductis, & in hac Ventilatione examinatis, cōdignam, & ſufficientē atteſtationem, quæ fidē faciat in iudicio vniuerſalis Synodi? Quomodo ergo allegaſti in Synodo Baſilienſi tot, tantoſque Auctores fictos, & vitiatos, vt in hoc libro vidimus? Liber iſte ad hoc prodiit in lucē, vt ſit quædam cōdigna atteſtatio, & fidem faciat ſufficientem in iudicio vniuerſalis Synodi, quo demōſtretur vobis, nullomodo eſſe credendū. Quod Armatharius mutauerit ſententiam, ego no poſſum euidenti atteſtatione demōſtrare, benè tamen probabiliſsima, ac ſufficienti, vt in iudicio vniuerſalis Synodi fidem faciat. Primo, quia hoc dicit, & affirmat Ioannes Vitalis, qui floruit parum poſt Armachanum, in ſuo Defenſorio, in quo nec minimum verbum hucuſque inueni à veritate alienum. Secundo, quia idem dicit Ioannes Alanus, Doctor Pariſienſis, qui vixit ad annum 1390. lib. 4. cap. 3. Tertio, quia Ioannes de Segouia, Canonicus Toletanus, idem dixit, & affirmauit coram Patribus Concilii Baſilienſis. Quarto, quia Ionnes Paleonidorus, Ordinis Carmelitarum, in libro de antiquitate, & ſanctimonia Eremitarum Mōtis Carmeli lib. 1. c. 1. fol. 2. dicit, Armachanum prædicaſſe Sermonem de Cōceptione Virginis glorioſæ coram venerabili cœtu Cardinalium in ipſo die Cōceptionis, in Cōuentu Carmelitarum Auinionen. Et ex ipſo adducit aliqua verba, de quo nos in noſtra malitia. Quinto, Simo. Choelus, in Cōpendio Chronicæ, Ordinis Carmelitarū lib. 1. cap. 14. de eodem Sermone mentionem facit. Sexto, quia hoc affirmāt ferè 50. Auctores moderni ſcribētes de Cōceptione Virginis, Caſaneus, Cartagena tom. 4. col. 419. Marraccius, Leon, &c. Septimo, & potiſsimè, quia apud nos extat Sermo de Cōceptione, ex antiquo codice, in Anglia reperto, qui non habet thema, ſed ex toto contextu Sermonis colligitur euidenter fuiſſe elaboratum ſuper illa verba: *Sapiētia ædificauit ſibi domum, &c.* quia ſemper loquitur de ædificio Domus Dei, & in principio, inquit: *Fūdamenta fecit, locauit mœnia, &c. Opportuit ergo cū ab ipſo fundamenti primordio, præ cæteris aliquid dignitatis ſortiri priuilegium, &c. Hāc namq; domū fundauit altiſsimus, & ædificauit ſapientia.* Et infrà: *Sanctificauit à fundamento, operā dans ædificio, alioquin ſi corruptū eſſet fundamentū, omne ſuperpoſitū nutaret ædificiū, &c. Ipſe fundauit eā, ipſe, non alius, non vetus Adā, ſed nouus nouū iacens fundamētū, &c. Alioquin ſi veteris ruinæ manſere veſtigia, ſi veteri ſuper ædificatū eſt vetus Adam, & non ipſe fundauit eam Altiſsimus, &c.* Et alia infinita habet huiuſmodi, ex quo colligo, quòd thema illius

Sermonis erat illud: *Sapiẽtia ædificauit sibi domũ*, atq; in ipso extant illa verba de sapiẽte Architecto, & fundamẽto ruinoso, vel æquiualẽtia, scilicèt hæc: *Intellige, quòd ait: ipse fundauit, eã ipse, non alius, nõ vetus Adã, sed nouus nouum tacens fundamẽtum, super quod tã præclarum, tã insigne surgeret ædificium; alioqui si veteris ruinæ mãsere vestigia, si veteri superædificatum est, vetus Adã, & nõ ipse fundauit eã, &c.* Alia vide nu. 249. cũ autem Sermo fuerit repertus in Anglia, & Armachanus fuerit Anglus, & thema illius Sermonis sit illud: Sapiẽtia ædificauit sibi domum. Ac denique verba ipsa adducta à Vitale, Alano, & Segouia reperiatur in ipso, nõ esset absre dicere, & affirmare, illũ fuisse Armachani Sermonẽ. Si ergo est iste, fratres mei apud nos extat manuscriptus, & inuenitur impressus sub nomine Petri Comestoris Mechiliniæ anno 1536. in 8. paruo, cuius totũ assumptũ est probare, Virginẽ Mariã fuisse sine originali peccato cõceptã. Hæc omnia habet Armachanus pro mea sententia, acingitè lumbos vestros, & assumite lucernas in manibus vestris, & quærite alia similia pro vestra.

RICHARDVS De S. Victore, exponẽs illud: Spiritus Sãctus superueniet in te, & super illud Isaiæ: Ecce Virgo, & in aliis capitibus, & super Cantic. Can. *Turrec. p. 6. c. 26. fol. 116. á tergo. Anonym. Auctor. 152. Bãdel. cap. 20. Deza fol. 33. Vincẽt. Castellan. Gryfald. Barelet. Lud. de Sotomaior in Cant. fol. 951.*

VERITAS 272.

NOTISSIMI, Ac celeberrimi Richardi de S. Victore, cuius opera extãt excusa Venetiis anno 1592. in fol. Parisiis 1518. in fol. & hæc vt ibi dicitur, fuit prima impressio, & nouissimè Coloniæ 1621. in 4. Primã auctoritatem sic adducit Turrecremata: Item quarto, ad idẽ Richardus de S. Victore, qui, vt testatur Auctor illius copiosi, ac famosissimi libri, qui Mariale de laudibus sacratissimæ Virginis nominatur; qui Auctor dicitur fuisse quidã Religiosus magnæ sapientiæ vir Ordinis Cisterciẽsis, dicit sic: *Superueniente Spiritu Sancto in Mariã, & obũbrante ei virtute altissimi, illud solùm remansit in ea, quod erat ad pœnã; illud totũ recessit, quod erat ad culpã, vitiositas omnis recessit, pœnalitas remansit, carnalitas omninò tollebatur, calamitas non amouebatur. Hæc ille.* Dico ergo primo, quòd hanc auctoritatẽ fideliter transcripsit Turrecremata ex Auctore Marialis de laudibus Virginis lib. 3. in principio primæ impressionis Anonymæ. In secunda verò impressione sub nomine Richardi à S. Laurentio extat fol. 176. & inuenitur etiã ad literã in ipso Richardo à S. Victore lib. 2. de Emanuele cap. 28. vt infrà videbimus. Ex his Turrecrematæ verbis constat, quod Auctor illius libri nõ fuerit Albertus Magnus vt nuper sine vllo fundamento in vltima impressione volunt Patres Dominicani. Dico secundo, quod Anonymus hãc adducit, auctoritate 58. & in Auctore 152. sic dicẽs: *Idẽ tenet Richardus de S. Victore exponens illud: Spiritus Sãctus superueniet in te.* Dico tertio, quòd ex his colligitur euidenter, neque Turrecrematã, neq; Anonymũ, vidisse Richardũ, quia Richardus in illo passu nõ explicat, neque exponit illud *Spiritus Sanctus superueniet in te*, sed quemdã Isaiæ locũ, vt infrà videbitur. inconsideratè ergo, & in rẽ tã graui citabant hos Ecclesiæ Patres, quos non videbant. Quarto, Albertus Castellanus citat hanc eadẽ auctoritatẽ sic: *Richardus à S. Victore in 3. Sent. dist. 3. superueniẽte, &c.* O fratres mei! Richardus de S. Victore non scripsit super Sententias, sed Richardus de Mediavilla; nec iste dixit illa verba: *Superueniente, &c.* sed ille. O confusio confusionũ! Sed iam plus mirandum est, quomodo Turrecremata alioquin doctus, adducat hanc auctoritatem, ad probandum ex ea, Virginẽ Mariam fuisse conceptã in peccato originali, nam hic loquitur Richardus de tempore Incarnationis Verbi Diuini, tunc enim superueniens Spiritus Sanctus in Virginem, abstulit quidquid carnale erat, vt in illa sacratissima Cõceptione nulla interuenerit carnalis delectatio, titillatio, seu inordinatus motus, sed omnia in illa supernaturali generatione essent purissima, ac sanctissima. Quid ergo hæc cum Conceptione passiua Mariæ, quando ipsa fuit genita in vtero Annæ? Igitur hæc auctoritas disparata est, & totaliter extra rem, solũque fuit adducta, vt tantus Doctor, ac celebris Richardus Victorinus non deesset ab hoc maculato congressu Patrũ, & Doctorum. Hoc benè notarunt Bandellus, Deza, & ex parte Vincentia, ideòque super hunc primũ lapidem positum à Turrecremata, & Anonymo excogitarunt erigere alterã Turrim, & ædificare sub nomine Richardi à S. Victore auctoritatẽ, quæ pertingeret ad cœlos, vt celebraret nomẽ eorũ in terris, sed fabricarunt illã cũ maiori confusione, quàm fuerat Babylonica. Attende Lector, lege sequentia.

Dicunt enim sic: Idem tenet D. Richardus de S. Victore in tractatu deuotissimo, quẽ fecit super illud Isaiæ: Ecce Virgo, & pariet Filium; sic dicens: *Tanta enim huius Emanuelis Conceptio valuit, vt concupiscentiæ fomitem, totiusq; corruptionis radicẽ de Matre deleret. Puer itaque iste, qui factus est nobis Emanuel in ipso ingressu mortalis vitæ, butyrũ, & mel comedit, quia ab ipsa hora Conceptionis suæ plenitudinẽ sanctitatis accepit. Sed constat profectò; quòd nisi B. Virgo ad plenũ purgata fuisset, fructũ tam sublimem facere nõ potuisset. Quod diximus, dicamus apertius, nisi ab omni vitiorum contagione purgata*

fuis-

fuiſſe, Dei Filiũ nõ generaſſet. Et hoc eſt quod fuit prophetatum: quia antequã puer ſciat reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, quæ tu deteſtaris, à facie duorũ Regũ: ac ſi apertiùs dicat: Antequã Emanuel concipiatur, terra conditionis noſtræ in Matre eius à gemina omnium peccatorum radice liberabitur. Illud enim remanſit in Virgine, quod erat ad pœnã: illud receſſit, quod erat ad culpam, vitioſitas receſſit, pœnalitas remanſit. Quàm mirum, quàm ſtupendum, quòd Matrem ſuam, quæ per Spiritum Sanctum ab omni vitio ad plenum purgata fuit, fons ipſe pietatis Filius eius ſub iugo captiuitatis noſtræ laborare permiſit. In ipſa enim B. Virgine ab omni vitiorum impugnatione, ſuperueniente Spiritu Sancto, terra conditionis noſtræ plenã pacẽ obtinuit, & ab omnium peccatorum radice derelicta fuit. Emanuel autẽ Filius eius nihil vnquã in ſe habuit, quod purgari oportuerit, quia ab hora Conceptionis ſuæ omnẽ Sanctitatis plenitudinẽ accipiendo in omni bono cõfirmatus, & conſummatus fuit. Hæc ille. Et ad hanc auctoritatẽ adducunt ſequentia verba: *Et in toto illo ferè tractatu, videlicèt, ſeptimo, & octauo, & nono, & decimo cap. loquitur clarè de hac materia.* Hæc eſt, vt vides, vnica, ac cõtinua auctoritas, quã ex Richardo de S. Victore proponunt Aduerſarii. Ad enucleandã ergo veritatẽ illius, & falſitates, in illa incluſas, detegẽdas ipſam per partes examinabimus, vt ſic ex mathematica demonſtratione oſtendamus, quòd in vna ſola, ac indiuiſibi auctoritate huius claſſici, ac cõmuniſſimi Doctoris, inueniuntur aliqua mendacia, pauciſſimæ adulterationes, ac nonulla vitia, quæ exercitii cauſa enumerata aſcẽdũt tantũmodo ad 68. Quod ſi credere nolueris, quia forrè tibi videbitur impoſsibile, Lector demonſtratio non eſt procul.

Scias ergo, quòd Richardus à S. Victore edidit tractatu de Emanuele, contra quedã Iudæũ, appellatũ Andræam, quẽ diuiſit in duos libros, quorum primus habet capita 21. Secundus verò 31. & primo tractatus iſte non eſt deuotiſsimus, vt dicunt Aduerſarii, ſed cuiuſdam Iſaiæ Prophetiæ obſcuriſsima interpretatio, & expoſitio vndique obtruſa. Secundo, cauillosè citarunt tractatũ, non verò librũ, neq; caput vllum, quia ex toto illo integro tractatu, & 52. capitibus in ipſo exiſtentibus, intendebant conglutinare vnam indiuiſibilẽ, & continuã auctoritatẽ ſicut fecerunt. Tertio, non fideliter tranſcripſerũt librũ, ſeu tractatus thema, quod ſic ſe habet: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filiũ, &c.* de reliquerunt ergo verbum illud, *concipiet*, quia ſicut in re, & in voce periclitaretur apud ipſos Conceptio. Quarto, illa prima auctoritatis clauſula, quæ baſis, & fundamentũ eſt aliarũ: *Tanta enim huius Emanuelis Conceptionis valuit, vt concupiſcentiæ fomitem totius q; corruptionis radicẽ de Matre deleret.* Hæc inquã prima clauſula à primo vſque ad vltimũ verbum falſa eſt, & ficta; at iniquè excogitata contra Dei Matrẽ, quia in toto illo tractatu de Emanuele non extat, imò neque in aliis operibus Richardi; niſi velint dicere, quod hæc verba deſumpſerunt ex lib. 2. cap. 21. vbi loquens de Verbi Incarnatione, ſeu Chriſti aduentu, inquit: *Teſtimonium conſcientiæ in illo corde nullã concupiſcentiã ſentire! Quid in illo corde dulcius fuit, quod nulla malitia tetigit, quod nihil felis, nihil amaritudinis, vel habuit, vel habere potuit, &c.* Si ex hac ſuã cõpoſuerunt Aduerſarii (non enim inuenio alia verba, quæ maiorẽ ſimilitudinẽ habeant cũ præallegatis, quã iſta) auctoritatẽ, vide quanta finxerũt, & adulterarunt: nam ex tredecim verbis, quæ ſunt in auctoritate, duodecim ſunt ficta, & mendaciter introducta, vndè ſi ex toto rigore iuſtitiæ numeranda ſunt vitia iam hucuſque patrata erunt 15.

Aliã clauſulã ſic adducunt: *Puer itaq; iſte, qui factus eſt nobis Emanuel in ipſo ingreſſu mortalis vitæ butyrũ, & mel comedit, quia ab ipſa hora Cõceptionis ſuæ plenitudinẽ ſanctitatis accepit.* Verba autem Richardi cap. 23. ad finem ſic ſe habent: *Quando enim putas, primũ cœpit Emanuel noſter butyrum, & mel comedere? Certè ex quo cœpit homo eſſe, certè ab ipſa hora Cõceptionis ſuæ repletus eſt totius dulcedinis, totius ſuauitatis plenitudine.* In hac clauſula primo peccarunt, quia ipſam deſumpſerunt ex altero capite diuerſo, prætermittendo totũ caput 22. Secundo, fabricarunt ex proprio cerebro omnia illa verba: *Puer itaq; iſte, qui factus eſt nobis Emanuel, in ipſo ingreſſu mortalis vitæ.* Tertio, interrogatiuã propoſitionem fecerũt affirmatiuã. Quarto cõſequenter, vbi Ricardus: *Butyrũ, & mel comedere*; ipſi ſic, *Butyrũ, & mel comedit.* Quinto vbi Richardus, *certè ab ipſa hora* ipſi *quia ab ipſa hora*, tranſmutãtes proteſtatiuã in cauſalem. Sexto, prætermiſerũt illud, *repletus eſt totius dulcedinis.* Septimo, vbi Richardus, *totius ſuauitatis plenitudine*: Aduerſarii ſic, *plenitudinẽ ſanctitatis accepit*, vitiarũt ly, *plenitudine*, & antepoſuerũt, & ly, *ſuauitatis*, trãſmutarunt in, *ſãctitatis*, & addiderunt verbũ illud, *accepit*, ſicque hìc fuerunt nouẽ vitia, quibus ſi adiungas 15. antecedentia, erũt 24.

Sequentẽ clauſulã, ſic adducunt: *Sed conſtat profectò, quòd niſi B. Virgo ad plenũ purgata fuiſſet, fructũ tã ſublimẽ facere non potuiſſet, Quod diximus, dicamus apertiùs, niſi ab omni vitiorũ cõtagione purgata fuiſſet, Dei Filium non generaſſet.* In Richardo ſic extãt verba c. 26. in princip. *Certè & ipſa B. Virgo Maria etiam tunc ſecũdùm carnẽ terra erat: quãdo ab Angelo audiebat: Aue gratia plena. Ecce cõcipies, & paries Filium. Abſq; dubio etiam tunc ſecundùm carnem terra erat, & in terram ibat, terra erat per mortalitatem, & in terram ibat per mortem. Vndè hoc ergo illa tali terræ talem fructum facere*

posse? Sed constat profectò, quia nisi ad plenum purgata fuisset, fructum talem itaque sublimem facere non posset. Quod diximus, dicamus apertiùs. Nisi ab omni vitiorum contagione penitùs purgata fuisset, Deum Dei Filium generare non posset, &c. In hac auctoritatis parte commiserunt etiam aliqua vitia, nam primò desumpserunt illam ex alio capite, scilicèt 26. prætermittendo duo integra capita, scilicet 24. & 25. Secundò, de reliquerunt illa prima, ac præcipua Richardi verba: *Certè & ipsa Beata Virgo Maria etiam nunc secundùm carnem terra erat, quando ab Angelo audiebat: Ave gratia plena, ecce concipies, & paries Filium, &c.* In quibus Richardus suam mentem aperit, loquendo de carne virginea Mariæ sub metaphora terræ, in qua seminandum erat granum Verbi Diuini: quod autem caro Mariæ fuisset terra, probat Richardus, quia in terram ibat per mortalitatem; hæc ergo terra, & caro Virginea, nisi ad plenum purgata fuisset, talem, ac tam sublimem fructum facere non posset, quod euidens, ac Catholicum dogma est. Aduersarii ergo videntes, quòd hic Richardus clarè, & expressè loquebatur de carne Virginea, tempore Incarnationis, & quod ipsa tunc non fuerat purgata ab aliquo contagio, seu vitio, quod erat, sed quod inesse poterat, & quod ibi purgatio sonabat idem quod præseruatio, & purgata ab omni vitiorum contagione, idē quod præseruata, aut præuenta ab omni vitio, & contagio; quæ quidèm omnia erant contra ipsorum intentum, & fluebant nostræ doctrinæ; ideo malitiosè satis prætermiserunt totam illam clausulam. Tertio, consequenter ad prædicta, ex abrupto prætermittentes interrogationem, & dubitationis causam transierunt ad illa verba: *Sed constat profectò, quia nisi ad plenum purgata fuisset*, vt sic saltem apparenter reducerent Richardi verba de Conceptione Verbi, ad Conceptionem passiuam Virginis. Quarto, addiderunt illud, *B. Virgo*, vt illa quæ dicit Richardus de terra, seu carne Virginea, sub symbolo terræ, intelligerentur absolutè dicta de Beatissima Maria. Quinto, mutarunt illas quatuor dictiones, *quod*, atque illam, *tam* (vt consideranti patebit) & ly, *talem itaque*, & illam, *potuisset*, quæ omnia, quia parui momēti sunt, ex charitate fraternali computamus pro solo vno vitio. Sexto, vbi Richardus, *Deum Dei Filiū generare non posset*; ipsi sic, *Dei Filium non generasset*. Verba enim de possibili determinarunt ad factum. Malitia verò magna extitit in ablatione illius dictionis, *penitus*, quia sonabat plus quam ipsi desiderabant: nam si caro illa remāsit cum fomite in animæ introductione: ergo non *penitus*, purgata diceretur. Hæc sex vitia adiunctis præcedentibus 24. erunt 30.

Deindè sic prosequuntur: *Et hoc est quod fuit Prophetatum: quia antequam puer sciat reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris à facie duorum Regnū.* Verba autem Ricardi sic se habent: *Vt enim Virgo conciperet, Virgo pareret, summa sanctitate, summa puritate opus habebat. Quo itaque ordine, quave ratione ad tantæ sublimatis gratiam Virgo gloriosa promouetur, mystico eloquio describitur, cùm per Prophetam ad Achaz dicitur: Quia antequam puer sciat reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris à facie duorum Regum suorum, &c.* In quibus verbis prætermiserunt primò septem lineas ex Richardo, quia in illis expressè loquebatur de puritate, ac sanctitate necessaria in Virgine ad concipiendum, & pariēdum Deum, quæ ipsi desiderabant occultare. Secundò, malitiosè satis ad illud: *Nisi ab omni vitiorum contagione penitùs purgata fuisset, Dei Filium generasset*, adiunxerunt auctoritatē Isaiæ, adulterando verba, & dicentes: *Et hoc est, quod fuit Prophetatum, &c.* Vt sic inducerēt Isaiæ Prophetiam ad purgationem Virginis à contagione vitiorum, quando Isaiæ verba nec de hoc loquuntur, neque in ordine ad hoc explicat illa Richardus, sed de corruptibilitate, passibilitate, ac mortalitate naturæ humanæ. Si mihi non credis, lege Richardum. Alia autē verba, quia parui momēti erāt pro suo assumpto, optimè, & nulla mutata syllaba transcripserunt; sunt ergo iam 32. vitia.

Deindè sic prosequūtur: *Ac si apertiùs dicat: antequam Emanuel concipiatur, terra conditionis nostræ in Matre eius a gemina omnium peccatorū radice liberabitur.* Verba autem Richardi cap. 27. sic se habent: *Terra itaque mortalitatis, & passibilitatis nostræ, à facie duorū Regum suorum derelinquitur; quādo natura mortalis, atque passibilis tam à vitio cōcupiscētiæ, quàm à vitio ignorātiæ penitùs emundatur.* Primò, igitur in hac clausula prætermittentes maiorem partem capituli 26. vt continuarent suā auctoritatem, & intentionem, transierunt ad cap. 27. Secundò, ex proprio marte addiderunt illud: *Ac si apertius dicat*, quæ verba non extant in Richardo. Tertio, addiderunt etiam illud: *Antequam Emanuel concipiatur.* Quarto, vbi Richardus: *Terra vtique mortalitatis, & passibilitatis nostræ*, ipsi auferēdo principaliora verba, solùm dixerunt: Terra, *conditionis* nostræ, vt sic celarent illas conditiones mortalitatis, ac passibilitatis nostræ, & reducerent auctoritatē ad illam primam, ac præcipuā conditionē peccati originalis. Quinto, addiderunt totum illud *In Matre eius à gemina omnium peccatorum radice liberabitur*, quorum nec minimum Iota, aut apex extat in Richado! Vos qui mēdaciter finxistis hanc auctoritatē; dicite mihi, quæ, vel qualis est illa gemina peccatorum radix, à qua no-

noſter Emanuel liberauit Matrē ſuam, antequā ipſe conciperetur? Sanctificata fuit in vtero Maria, ſecundùm veſtram opinionem, ab illa radice vitiata in Adamo: quæ ergo alia radix peccati remanſit in Virgine, à qua fuit liberata, antequam Emanuel conciperetur? Itē ſi in Conceptione Emanuelis fuit æqualiter liberata à gemina illa radice, non quomodocumque, ſed *gemina omnium peccatorum*, nota illud, *omniū*: ergo gemina omnium peccatorum radix erat in Virgine, quando venit Angelus ad eam? Cogita, & recogita, o Lector! quia vſque ad vltimum ludicii diem non peruenies ad finem, & intentionem, neq; ſanā intelligentiam in Fide huius magnæ adulterationis: nā ego prætermittēdo Theologiam, hic officium facio Arithmetici; ſunt ergo iam 37. adulterationes.

Proſequitur Bandellus ſic: *Illud enim remanſit in Virgine, quod erat ad pœnam, illud receſſit, quod erat ad culpā; vitioſitas receſsit, pœnalitas remanſit.* At Richardi verba ſunt in principio capitis 28. *Derelinquetur, inquit, terra à facie duorū regum ſuorum. Notandū valdè, quod dicitur: derelinquetur terra, nec qualiſcūq; ſed qualem impietas deteſtatur: nihil hic agitur de miſeræ huius terræ noſtræ innouatione, ſed tātūmodò de eius liberatione. Libertas redditur, ſed immortalitatis gloria non reformatur. Videtis certè, quia illud remanſit in Virgine, quod erat ad pœnā, illud receſsit, quod erat ad culpā: Vitioſitas receſsit, pœnalitas remanſit, carnalitas tollitur, ſed calamitas non amouetur.* Peruenimus iam ad auctoritatis partem, quam adduxit Turrecremata ex illo Auctore ſibi incognito Ciſtercienſi de laudibus Virginis. Cùm ergo iſta Richardi verba ſint vera, iuxta illa ſunt omnia regulanda. Primo ergo peccauit Turrecremata in eo, quòd ad Concilium detulit hanc auctoritatē ſub nomine Richardi de S. Victore, ablq; eo quòd ipſam vidiſſet in ſuo originali: quomodo enim ſciebat, Ciſtercienſem illū incognitum verè, & legaliter trāſcripſiſſe? Secundò, errauit Anonymus, dicēdo, quod hæc verba ſcripſerat Richardus, *Exponēs illud: Spiritus Sāctus ſuperueniet in te*, quia, vt viſum eſt, Richardus exponit illud Iſaiæ: *Derelinquetur terra, &c.* Vidè quāta ſit inter vtrūque differentia? Tertio, Bandellus, & alii cōtinuando ſuā auctoritatē, à cap. 27. trāſierunt ad 28. Quarto, prætermiſerūt omnia prima auctoritatis verba, à quibus pendent ſenſus, & intelligētia Richardi. Quinto, vbi Richardus, *Pœnalitas remāſit, carnalitas tollitur*, tacuerunt illud, *carnalitas tollitur*, vt ſic occultarēt totaliter finē, & ſcopū verborū, nā hic agit Victorinus de carne Mariæ, quæ in Incarnatione Verbi purgata, & purificata fuit (loquor eiſdē terminis, quibus Richardus, & omnes antiqui) vt in illa ſeminis deciſione, ac carnis admiſtratione nihil remaneret, quod poſſet eſſe ad culpam, ſed ob hoc non fuerūt ſublata illa, quæ in ipſa carne poterant eſſe ad pœnalitatem. Si ergo hæc quinque vitia addas ſuprà exiſtentibus, iam ſunt quadraginta duo.

Sic igitur proſequuntur Aduerſarii ſuā auctoritatem: *Quàm mirū, quàm ſtupendū, quòd Matrē ſuam, quæ per Spiritū Sanctū ab omni vitio ad plenū purgata fuit, fōs ipſe pietatis Filius eius ſub iugo captiuitatis noſtræ laborare permiſit.* Verba autem Richardi ad finem cap. 28. ſic ſe habent: *Quàm mirū, quàm ſtupendū, quòd Matrē ſuam, quæ ab omni vitio ad plenum purgata fuit, fons ipſe pietatis Filius eius ſub iugo captiuitatis noſtræ laborare permiſit. E cōtra verò, quid quæſo, miraculi, quid prodigij fuit, quòd terra maledictioni addicta, miſeriis expoſita, ab omni vitiorū exactione, & inquietudine liberrima plenā pro hac parte pacē obtinere potuit?* Primo ergo peccarūt, quòd cùm hæc verba ſint Richardi ad finem capituli, & antecedenter adducta ad principiū, prætermittendo triginta lineas, ipſa cōtinuò, ac ſucceſsiue concatenarunt. Secundo, quòd non ex ſimplicitate, ſed ex mera cauillatione prætermiſerunt omnia illa, quia ibi declarat Richardus ſuā mentem, vt volenti illū legere conſtabit. Tertio, addiderunt illud: Quæ *per Spiritum Sanctū*, vt ſic inſinuarent, quòd Spiritus Sanctus purgauit Virginem ab omni vitio ante Incarnationem, cùm filius eius eā ſub iugo captiuitatis noſtræ laborare permiſerit: quæ adulteratio, ſi benè perpendatur, enormis eſt. Quarto, prætermiſerunt verba illa, quibus totū clauditur capitulum, quia exprimebāt quidquid nos deſiderare poteramus pro noſtra ſentētia, ſcilicèt, quòd licèt Virgo Maria laborauerit ſub iugo pœnalitatis, fuit tamen liberrima ab omni vitiorū axactione, ac maledictione, atq; culpæ miſeria: Laborabat enim natura humana ſecundùm Ricardū, ac veritatem, ex duplici parte, culpa, ſcilicèt, & pœna; Maria autem, licèt fuerit ſub iugo pœnalitatis, tamen ex parte culpæ liberrima fuit. Ex hoc patet, quòd peccarūt. Quinto, in eo quòd iugum pœnæ tranſtulerunt ad iugum culpæ. Additis ergo his quinque vitiis, iam ſunt omnia cum ſuprà poſitis quadraginta ſeptem.

Sic Aduerſarii ſuam cōtinuant auctoritatem: *In ipſa enim B. Virgine ab omni vitiorū impugnatione (ſuperueniēte Spiritu Sācto) terra cōditionis noſtræ plenā pacē obtinuit, & ab omni peccatorū radice derelicta fuit.* Verba autē Richardi cap. 30. ad finē ſunt hæc: *Dicta ergo Prophetia, intelligenda videtur de ſola Virgine Maria in ipſa ſanè ab omni vitiorum impugnatione, terra miſeræ conditionis noſtræ plenam pacē obtinuit, quantum ad ipſam, terra, qualem Achaz deteſtabilem habebat, &c.* Primo, ergo peccarunt in eo, quoad verba præcedētia, quæ extant cap. 28. adiunxerunt continuato cala-

mo hæc, quæ inueniuntur ad finem cap. 30. prætermittendo totum cap. 29. & ferè 30. Secundò abstulerunt illa Richardi dubitatiua verba: *Dicta ergo intelligenda videntur.* Tertio, vbi Richardus: *De sola Virgine Maria*; ipsi sic, *in ipsa enim* Virgine Maria, auferentes illam exceptiuam vniuersalem, *sola*, quia erat contra eorũ doctrinam, & Virginis priuilegium, quo excipiebatur ab omnibus vitiis terræ conditionis humanæ supra positis. Quarto, addiderunt illud, *superueniente Spiritu Sancto*, vt hoc Virginis priuilegium concessum, ipsi secundùm Richardum indifinitè, & absque vlla temporis differentia coarctarent solùm adsuperuentionem Spiritus Sancti tempore Incarnationis. Quinto, prætermiserunt illam vocem, *miserè*. Sexto, cauillosè satis addiderunt illam clausulam, *Et ab omni peccatorum radice de relicta fuit*, quæ addita fuit, nescio, quo deprauato fine, vt denotarent vsque ad Incarnationem Verbi fuisse in Maria omnium peccatorum radicem, quod dubito, an fuerit fomes, vel concupiscentia, vel aliquid aliud. Septimo, maiori falatia prætermiserunt illam clausulam: *Quantũ ad ipsam terra, qualem Achaz detestabilem habebat*, in quibus verbis indicat Richardus, quod nostra misera conditio, quoad culpam (de hac enim agit Richardus in omnibus illis capitulis) in sola persona Mariæ plenam pacem obtinuit: Si ergo contraxisset originale, non esset plena pax, & si B. Maria plenam pacem obtinuit, quia fuit sanctificata in vtero: ergo iam non fuit *sola* Maria, quia etiam Ioannes fuit sanctificatus. Si ergo addas hæc septem vitia, iam sunt quinquaginta quatuor.

Deindè sic prosequuntur Aduersarii: *Emanuel autem filius eius nihil vnquam in se habuit quod purgari opportuerit, quia ab hora Conceptionis suæ omnem Sanctitatis plenitudinem accipiendo, in omni bono confirmatus, & consummatus fuit.* Verba autem Richardi hæc sunt: *Emanuel itaque noster quid in se, quæso, vnquã habuit, quod comburi opportuit, vel potuit, qui ab hora Conceptionis suæ omnem plenitudinem accipiendo, in omni bono consummatus, & confirmatus fuit?* In hac auctoritate primo peccarunt, quia illam postposuerunt: est enim in Richardo antesuprà posita in §. antecedenti, & hoc absque dubio malitiosè egerunt, vt sic demonstrarent, quòd omnia verba antecedentia loquebantur de Conceptione Virginis, per contrapositionem ad Conceptionem Verbi. Secundo, addiderunt illud, *Emanuel filius eius.* Tertio, illa Richardi verba interrogatiua, *Quid in se quæso, &c.* fecerunt affirmatiua. Quarto, prætermiserunt, & adulterarunt illud, *Quod comburi opportuit, vel potuit.* Quinto, ex relatiuo, *qui*, fecerunt causalem, *quia.* Sexto, astutè addiderunt illud, *Sanctitatis.* Septimo, transmutarunt verba illa, *Consummatus, & cõfirmatus.* Hæc ergo septem vitia cum aliis 54. prædicti faciunt 61.

Tandèm sic concludunt Aduersarii: *Et in toto illo ferè tractatu, videlicèt septimo, & octauo, & nono, & decimo Capitulo, loquitur clarè de hac materia.* Primo, in his vltimis verbis cauillosè processerunt, nam cùm de Emanuele habeat Richardus duos libros, non signarunt, an capita ista fuerint ex primo, vel posteriori libro? Secundo, falso, & mendaciter affirmant, quòd in cap. septimo agat Richardus de hac materia clarè, quia in cap. 7. primi libri, quod incipit: *Hucusque contra Iudeos*, nec minimum verbum habet clarum, vel obscurum pro hac materia, & idem dico de cap. septimo secundi libri, quod incipit: *Sicut supràdictus.* Tertio, etiam est falsum, quod dicunt de cap. 8. quod in libro 1. incipit: *Restat nunc*, nec in octauo secũdi libri quod incipit: *Video certè.* Quarto, in cap. 9. primi libri, quod incipit: *Sed antequam*, nec in Nono 2. libri, incipiente: *Fateor*, nec verbum inuenire potui de materia, secundi quod incipit: *Sed illam*, nullum verbum extat, quod directè, vel indirectè agat pro ipsorum sententia. Sexto, etiam malitiosè fuerunt posita illa verba: *Loquitur clarè de hac materia*, quia ibi Richardus de nulla materia loquitur *clarè*, sed obscurissimè, nec explicant, quæ materia sit ista, de qua Richardus loquitur clarè, an de Conceptione Verbi, vel de Conceptione passiua Mariæ, sed de prima loquitur solùm, sed obscurissimè, vt dixi, & de secunda nec clarè, nec obscurè. Si ergo hæc sex vitia adiungas precedentibus, iam sunt sexaginta septem falsitates, vitia, ac mendacia, commissa in vna sola auctoritate Richardi: quod si ad hæc addas alterum primum, ac præcipuum, scilicèt, quod in illo tractatu de Emanuele, & in aliquibus capitibus secundi libri, quàm plura sunt Ricardi verba malitiosè ab Aduersariis prætermissa, quæ de omnimoda puritate, & carentia culpæ Virginis Mariæ loquuntur absolutè, & simpliciter, absque eo quod necesse sit confarcinare vnam auctoritatem ex decem capitibus, de quibus nos latè in nostra Militia Immaculatæ Conceptionis, erunt sexaginta octo. Ex hoc ergo vno solo Richardo de Sancto Victore, & auctoritate eius ex libro de Emanuele, omnia dicta, ac dicenda in hoc Ventilabro credibilia facta sunt nimis. Quis enim videns in solo vno Auctore, & vnica indiuisibili auctoritate sexaginta octo errores contra veritatem, dubitabit, quod demonstrare intẽdimus, scilicèt, per omnes Auctores ex omni populo, ac natione, esse triginta tria millia, & si verbatim essẽt vitia coputanda, absque dubio à proposito numero ascenderent vsque ad centum viginti sex millia.

Se

Secundam auctoritatem adducit Ludouic. de Sotomayor: ſic: Commentario Richardi de Sancto Victore in expoſitione Cantic. cap. 4. ſuper his verbis ſponſi cum ait: Tota pulchra es amica mea, & macula non es in te; ita enim ſcribit, & cenſet: *Beata Maria Virgo tota pulchra fuit, quia ſanctificata in vtero, ab vtero quoque egreſſa, nec mortale vnquam, nec veniale commiſit. Et ante Conceptionem quidem Filij Dei priùs per gratiam cuſtodita eſt à peccatis, poſt hanc verò ita confirmata eſt ex virtute Altiſſimi, obumbrata, & roborata, vt peccatum omnino committere non potuerit, &c. Tota ergo fuit pulchra, quia mundata in vtero, & deinde in ſanctitate, munditia confirmata, fomite peccati primo in ea ſopito, vt non peccauerit, & tandem extincto, vt peccare deinceps non potuerit, &c.* Hæc Richardus de Sancto Victore, quem in hac re ſecutus adamuſsim eſt D. Thomas, vbi ſupra. Hucuſque ſunt verba Ludouici à Sotomaiore. Sed vt videas, quod in tranſcribendis auctoritatibus Patrum non ſolùm fuit falſitas in antiquis Aduerſariis, ſed etiam in modernioribus, nota, quot, quantaque vitia commiſit Sotomaior in hac breui auctoritate. Fatemur ergo, quod Richardus ſcripſit ſuper Cantica Canticorum, vt videre eſt tom. 2. fol. 141. cuius Prologus incipit: *Poſtquam à Paradiſi gaudijs, &c.* Caput verò primum operis: *In lectulo meo per noctem,* & cap. 26. incipit, ſicut à Sotomaiore proponitur, cuius prima clauſula fideliter eſt extracta, ſed vbi ille malitioſè truncauit auctoritatem dicens: *Committere nō potuerit, &c.* immediatè nullo interpoſito verbo, proſequitur Richardus ſic: *Ex quo templū Dei facta eſt, ita priuilegiata eſt, vt nullatenùs aliqua macula potuerit deturpari.* Ecce Lector, quare ſcidit Sotomaior auctoritatem apponēdo illud, *&c.* Videns enim hunc expreſſum textum contra ſuam opinionem, malitioſè, & falso pertranſiens triginta integras lineas, deſumpſit ſecundam clauſulam ſuæ propoſitæ auctoritatis. Quod autem hic ſit textus expreſſus pro immaculata Virginis Conceptione, patet: quia Maria ab inſtanti ſuæ Conceptionis fuit facta Templum Dei; imò ideo facta, & ideo concepta, vt eſſet Dei Templum: ſi ergo ex tunc fuit *priuilegiata* (nota verba) *vt nullatenus* (quid poteſt eſſe vniuerſalius?) *aliqua macula potuerit deturpari.* Originalis, Patres mei, eſt aliqua macula? Deturpat necne animam? Igitur ex omni parte excludit Richardus originale à Virgine Maria. Sed progrediamur vltra, quia non ſiſtit hic illa Sotomaioris cauilloſa ſciſsio auctoritatis, quia inter illas trigintа lineas à ſe prætermiſſas extat etiam hęc clauſula in Richardo: *Tota ergo fuit pulchra, quam totam poſſedit gratia, quia nullum in ea locū habuit peccatū,* ſi nullum vniuerſaliter in B. Maria locum habuit peccatum, quomodo vos locum datis originali? Ni forte dicatis non eſſe peccatum? Sed progrediamur vltrà: prætermiſit triginta lineas, & continuauit ſecundam clauſulam cum prima, quaſi tota eſſet vnica oratio, & concludit etiam cum ly, *&c.* Sed nota, quid dereliquerit ſub illo ſuo, *&c.* nam ſtatim, & continuo proſequitur Richardus ſic: *Angelicam denique in terra adepta eſt puritatem, & Dei ſimilitudinem in virtutibus, & ſanctitate, &c. Merito ergo prædicatur pulchra, quæ & diuinam, & Angelicam ſimilitudinem in terris eſt adepta, &c. Tota quoque lucida fuit opere, nil tenebroſum habens, vel ſiniſtrum, ſed totum lucidum, & perfectum, &c.* Et infrà loquendo de Dæmonibus, inquit: *Stupebant immunem à peccatis: Nemo enim tam Sanctus, qui maculam non habuerit, & defectum præter ipſam, &c. Pulchra confeſsionis laude, & cæteris omnibus pulchrior, qui ſanctè vixerunt, pulchra Martyrij palma, & ſine omni macula, &c.* Vide quot, quantaque prætermiſit Sotomaior, ſub illo ſuo palliato, *&c.* quæ militant vniuerſaliter, ſed clarè, & expreſsè pro immaculata Conceptione? Ipſe ſolum tria Richardi verba poteſt nobis opponere. Primò, illud *ſanctificata in vtero,* hoc nos nō negamus, nec negare poſſumus, conuenimus omnes in hoc, quòd fuerit ſanctificata, ſolùmque eſt diſſenſio, an fuerit ſanctificata in vtero, in animatione, vel poſt animationem, in primo, vel in ſecundo, aut tertio inſtanti ſui eſſe? Et ſic hoc eſt, *&c.* Secundo, obiicere poteſt illud, *quia mundata in vtero:* mundare enim videtur ſupponere immunditiam in mundato; ſed hoc nihil contra nos, ſicut nec Tertium: *Fomite peccati primo in ea ſopito;* quia fomes eſt in ſemine, & carne, & hæc fomitis, & carnis immunditia, à qua reſultat peccatum in anima, priùs, vel vt dicit Richardus, primo fuit ſopita, & mundata ſaltem prioritate naturæ ad introductionem animæ in organizato corpore Mariæ. Iſta ergo potiùs ſunt pro noſtra ſententia, quàm contra illam. Quare auctoritas hæc, & veſtra, *&c.* ſunt ſicut alia cætera. Nota ergo, ò Lector! qua veritate, fidelitate, ac fundamēto adduxerunt pro ſua opinione Richardum à Sancto Victore.

ROBERTVS Anglicus, vel de Anglia, Cardinalis, Ordinis Prædicatorum, in 2. Sentent. diſtinct. 31. quæſt. 1. articulo 1. & in 3. Sentent. diſtinct. 3. in expoſitione litteræ. *Bandellus capit. 23. Deza fol. 39. Gryſaldus.*

VERI-

VERITAS 273.

IN Sacra Prædicatorum Familia ad annũ 1277. vel ſecundùm alios 1288. fuit quidam Robertus Kilvvarbius, vel Kamuil-Vertim, natione Anglus, Doctor Oxonienſis, atque Pariſienſis, qui ob inſignes eius virtutes factus Archiepiſcopus Cantuarienſis, poſteà à Nicolao III. creatus fuit S.R.E. Cardinalis, tituli S. Rufinæ, & Epiſcopus Portuenſis (non Hoſtienſis, vt dicunt Aduerſarii) qui multa ſcripſit, quorum Cathalogum recenſet Balleus, in principio centuriæ 3. fol. 109. ſed latiùs Pitſeus ætate 13. fol. 357. Antonius Senenſis fol. 212. Franciſcus Maria Turigius, in Bibliotheca Cardinalitia folio 48. Placentinus inter Scriptores fol. 419. & inter Cardinales folio 445. S. Antonin. etiam inter Cardinales 3. par. fol. 679. Poſſeuinus fol. 343. & alii: qui omnes affirmant ſcripſiſſe inter alia ſuper quatuor libros Sententiarum, opus, quod extat Oxonii, in Collegio Mertonenſi, & incipit: *Sapientia ædificauit ſibi domum, &c.* Excipiendus eſt ab his Leander Albert. præcipuus, ac primus Nomenclator Dominicanus, qui licèt lib. 3. agat de hoc Richardo Anglico, nihil dicit de eius ſcriptis. Ego huius Auctoris ſolùm inuenire potui tractatum de Philoſophia, qui extat manuſ. in Biblioth. S. Ioann. Reg. AA. num. 84. Sed quidquid ſit de Auctore, & opere ſuper Senten. multiplicatio eſt per ſe nota, quia hic eſt quem ſuprà num. 269. adduxerunt Aduerſarii inter Doctores clariſsimos ſæculares, ſub nomine Richardi Anglici, Epiſcopi Cantuarienſis, in eodem 2. *Sent. diſt.* 31. *& in* 3. *diſt.* 3. *& etiam cum illa circunſtantia in expoſitione litteræ.* Hic verò eundẽ adducunt ſub propio nomine Roberti, prætermittendo titulum Epiſcopi, vel Archiepiſcopi Cantuarienſis; appellando ipſum ſolùm Cardinalem Hoſtienſem, ibi ſubticuerunt, quòd eſſet Ordinis Prædicatorum, quod hîc palàm fatentur, his, & aliis artificiis vſi ſunt, vt hunc multiplicarent contra immaculatam Virginis Conceptionem. Ibi nullam adduxerunt auctoritatem, vt melius occultaretur mendacium, hic illam adducunt, ſed exiſtimo, quòd fuerit ficta, & ſuppoſita.

Auctoritas ergo talis eſt: Idem tenet Dominus Robertus Anglicus, Cardinalis Hoſtienſis, in 2. Sentent. diſtinct. 31. quæſt. 1. artic. 1. & in 3. Sentent. diſtinct. 3. in expoſitione litteræ, ſic dicens: *Beata Virgo fuit in originali peccato concepta, ſicut cæteri qui ex coitu concipiuntur, ſed fuit poſteà in vtero matris ſanctificata. Hæc ille.* Hanc auctoritatem exiſtimo abſolutè fuiſſe fictam à Bandello. Primo, quia ipſe ſolus illam adducit: nam cùm Robertus fuerit grauiſsimus Auctor, & magnæ auctoritatis vir, & præceſſerit Capreolum, Turrecrematatam, Sanctum Antoninum, Anonymum, Vincentiam, quomodo nullus iſtorum adducit Robertum, niſi vnus ſolus Bandellus (nam de eius Continuatore, Deza, & Gryſaldo nihil eſt curandum, quia in omnibus, & per omnia cœca fide ſunt ſecuti Bandelli veſtigia) ferè ſemper mendax, vt in hoc Ventilabro millies oſtenſum eſt? Secundo, quia verba in auctoritate poſita ſapiunt ſtyllum Bandelli, ipſe enim ſolùm inquirebat in ſua Religione ſcriptores ſuper Sententias, de operibus autem, vel eorum ſcriptis non curabat, quia ille depingebat auctoritates ad proprium palatum. Tertio, quia ex hoc Auctore Roberto finxit alterum Richardum, vt vidimus num. 269. & ſic quid mirum, quòd in hoc fingeret etiam auctoritatem? Quarto, dato, quòd Robertus dixerit hanc, vel ſimilem ſententiam contra immaculatam Virginis Conceptionem, vndè Bandellus potuit habere illud manuſcriptum, quod ſolùm, & vnicè obſeruabatur in Anglia, in Collegio Mertonenſi, quando ipſe ſcripſit in Lombardia? Quinto, dato etiam, quòd Robertus Anglicus ſubſtinuerit opinionem de maculata Virginis Conceptione, cùm fuerit Dominicanus, fortè locutus eſt propoſitiones ab initio.

ROBERTVS Contton, Ordinis Minorum, in 3. Sentent. quæſt. 9. *Ita Turrecrem. part. 6. cap. 32. fol. 123. Anonym. fol. 114. Bandel. cap. 24. Deza fol. 46. à tergo. Vincent. Gryſald. Barelet.*

VERITAS 274.

HIC Notiſsimus Auctor eſt apud Nomenclatores antiquos, quem communiter vocant Contonus, vel Cothon: aliqui dicunt vixiſſe ad annum 1240. ſed fortè fuit error Typographiæ, nam ſecundùm rei veritatem vixit ad annum 1340. inter alia ſcripſit ſuper Magiſtrum Sententiarum, opus incipit: *Sicut dicit Beatus Ambroſius*, quod manuſcript. ſeruari dicitur Oxonii in Collegio nouo Balliol Mentonenſi, & Cãtabrigiæ in Collegio S. Petri, & Pembroch, cuius auctoritatem ſic adducit Turrecremata: Item ad idem eſt eiuſdem Ordinis Pater Magiſter Robertus Conton, qui in 9. quæſt. 3. libri, quærens, vtrum Beata Virgo contraxit originale peccatum? Vbi recitata cum aliquibus argumentis opinione tenentium partem negatiuam, dicit ſic in forma: *Sed licèt hæc opinio ſit rationabilis, quia tamen opinio contraria videtur eſſe de mente Sanctorum, ideò eam teneo, & dico, quòd argumenta facta magis*

co

concludunt de Beata Virgine, quàm de quocumque alio; & benè concedo, quòd si aliquis fuisset præseruatus, maior congruentia fuisset de Matre Christi, quàm de alijs. Hæcille. Si hæc sunt verba formalia, ac secundùm litteram: Vide, o Lector! quomodo illa transcribunt Bandellus, ac Vincentia: Idem tenet Magister Robertus Concio, Doctor Parisiẽsis, Ordinis Minorum, in 3. Sentent. distinct. 3. quæst. 9. sic dicens: *Beata Virgo secundùm mentem Sanctorum Doctorum contraxit in sui Conceptione originale peccatum, sed postea fuit per sanctificationem ab eodem mundata. Hæcille.* Gryfaldus illum adducit sic: *Repertus 3. dist. 3. quæst. 1. Secundùm mentem Doctorum, in sui Conceptione contraxit originale peccatum.* Conferat ergo, Lector, hæc verba Bandelli, & aliorum cum illis formalibus adductis à Turrecremata, & inueniet, quod Bandellus finxit totam auctoritatem à primo vsque ad vltimũ verbum, & quando de hoc non haberemus ad oculum tam euidentem, ac mathematicam demonstrationẽ, ipsummet auctoritatis artificium dicit, & clamat esse Bandelli, & hæc cum auctoritate adducta in Auctore antecedenti eiusdem farinæ est, vt conferenti vtramque patebit. Supposito ergo, quòd auctoritas adducta à Bandello est penitùs ficta, pro illa adducta à Turrecremata pro nunc solùm dicere possum.

Primo, quòd Ioannes Balleus pessimus Hæreticus, centuria 3. folio 140. loquens de hoc Roberto Cavvton sic inquit: *Claruit ab incarnato Messia 1340. istum solebant plerique scriptores in testem aduocare præcipuum, quòd Maria originalem in Conceptione contraxerit maculam.* Hoc existimo fuisse ironicè dictum ab illo detestando Hæretico, propter Turrecrematam, Anonymum, Bandellũ, & alios Scriptores Ordinis Prædicatorum. Nam Ioannes Pitseus etiam Anglus, & Liuerdini in Lotharingia Decanus in relationibus Historiarum de rebus Anglicis Ætate 13. ad annum 1340. folio 443 loquens de hoc Roberto Contono, sic inquit: *Doctor amœnus vulgò vocatus est. Acriter defendere solebat, Beatissimæ Mariæ Virginis conceptum fuisse ab omni originalis peccati labe alienum, quod illi gratissimarum disputationũ frequentes præbuit occasiones cum ijs, qui vel certam, vel magis probabilem existimabant contrariam sententiam, &c.* Eadem verba ad litteram habet Vvadingus in Cathalogo fol. 308. Secundo dico, quod Nomenclatores Ordinis Minorum, præter istum Robertum Contonũ, faciunt mentionem de alio Roberto Concio dicto, qui etiam scripsit super Sentẽtias, de quo Henricus Vvillotus fol. 317. Vvading. vbi supra, Posseuin. fol. 341. si isti fuerunt inter se distincti (quod dubito) vnus fuit acerrimus Immaculatæ Conceptionis defensor, & alius dubius, vt refert Turrecremata. Si autem non fuit nisi solus vnus (quod iudico esse magis certum; quia Conton, vel Concio, idem apud latinos videtur) cùm hic fuerit acerrimus Conceptionis defensor, sub magna suspicione remanet auctoritas Turrecrematæ, nam in hac parum est curandum de Bandello, & aliis, quia sine dubio transcripserunt Auctorem istum, & auctoritatem à Turrecremata.

ROBERTVS Holchot, vel Holcolth, vel Olcoth, Ordinis Prædicatorum in lib. Sapientiæ, cap. 14. Lectione 160. vel 161. vel 169. *Turrecrem. part. 6. capit. 29. folio* 120. *Anonym. Auctore* 68. *Bandel. capit.* 23. *Dezafolio* 41. *Vincent. Barelet. & Gryfaldus.*

VERITAS 275.

AVCTOR Iste natione Anglus, qui floruit ad annum 1349. notissimus est ob eximiam eius eruditionem. Inter alia quam plura scripsit in librum Sapientiæ, & in Prouerbia Salomonis, &c. Huius auctoritatem sic adducit Turrecremata: Itẽ ad idem est eiusdem Ordinis Pater Magister Robertus Olcoth super librum Sapientiæ, Lectione 169. qui tractans illud Sapientiç 14. Exiguo ligno credunt homines animas suas, & prosequentes (ita est in originali) quomodo Christus est lignum vitæ, dicit. *Sicut lignum plantatum in terra solidat terram ex omni parte, & per radices suas colligat, & constringit, nè defluat: ita Christus plantatus in Virgine Maria Matre sua: nam solidauit virtutibus, & gratijs sic constrinxit quod nunquam defluere potuit per peccatũ. Fuit enim sic sanctificata in vtero, quod emundata à peccato originali fuit, & in ea fomes ligatus sic, quòd nunquam eam ad peccandũ inclinauit. Et hæc fuit prima sanctificatio in vtero matris suæ. Sed secunda fuit in Conceptione filij, in qua fomes ablatus fuit secundùm essentiam: & gratia superaddita, & inflexibilitatem libero arbitrio determinauit ad bonum, sic quòd ex tunc nullo modo potuit in malum flecti: vndè tunc confirmata fuit, sicut in via potuit. Hæcille.* Bandellus illam adducit sic: Itẽ tenet Magister Robertus Olcoth Anglicus, Doctor Parisiensis super lib. Sapient. capit. 14. lect. 161. sic dicens: *Beata Virgo sic sanctificata fuit in vtero matris, quòd emundata fuit à peccato originali, & in ea fomes fuit sic ligatus, quòd nunquam eam in aliquod actuale peccatum impegit. In secunda verò sanctificatione, quando concepit filium Dei, fuit fomes peccati totaliter sublatus, & in bonum confirmata, vt de cætero non posset peccare. Hæcille.* Eandem

auctoritatem nullo mutato verbo adducit Pet. de Vinceatia, ſed citat Lectionem 160. Anonymus nullam adducit auctoritatem, ſed citat Lectionem 163. Continuator autem Bandelli, ſiuè Deza videns, quòd poſt hanc auctoritatem erant alia verba in HolKoto, ab omnibus ſuprapoſitis Patribus Dominicanis conſultò prętermiſſa, in quibus apertè, & clarè, noſtrã profitebatur ſententiã de immaculata Virginis Cõceptione, reſarcire volens inſanabile damnum, addidit notulam tenoris ſequentis: *Aduerte tamen, quòd iſte Doctor in iſto paſſu eſt ab Impreſſoribus falſificatus, & inter hoc quod dicit de prima ſanctificatione, & ſecũda eſt addita huic Doctori quaſi vna columna, vnam continens diſtinctionem expreſsè contradicentem ijs, quæ immediatè antecedenter, & ſubſequenter dicuntur, vidi autẽ ſex antiquiſsimos libros calamo exaratos, nihil penitùs de illa Additione continentes. Et perſpicuum eſt, quod ſic vniformiter reperitur in omnibus.* Hæc ſunt omnia, quæ adducunt Aduerſarii pro ſuo HolKot.

Veritas autem eſt, quòd hic Auctor ſcripſit in librum Sapientiæ eruditam quidèm expoſitionem, & cap. 14. Lectione 160. quæ incipit: *Iterum alius cogitans, &c.* ſic inquit: *Et erit tãquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. Illud lignum plantatum fuit in terra, in benedicta Incarnatione, hoc eſt in Virgine glorioſa, de qua dicitur in Pſalmo: Benedixiſti Domine terram tuam. Iſta terra eſt bona, quæ benè culta reddidit fructum trigeſimum, ſexageſimum, vel centeſimum; ſed iſta eſt multum melior, & magis benedicta, quæ ſine labore, vel cultura producit optimum fructum, & infinitæ bonitatis. Talis fuit Virgo benedicta, quæ ſine naturæ ſubſidio genuit Chriſtum mundo, & ideò benè dicitur: Benedixiſti Domine, terram tuam: Nam ſpecialiter, ſingulariter, & appropriatè fuit benedicta. Et ſicut lignum plantatum in terra ſolidat terrã ex omni parte, & per radices ſuas colligit, & conſtringit nè defluat: Ita Chriſtus plantatus in Virgine benedicta matre ſua, eam ſolidauit virtutibus, & gratijs ſic aſtrinxit, quod nunquam defluere potuit per peccatum mortale, vel veniale, fuit enim ſanctificata in vtero, ita quòd mũdata à peccato originali, & in ea fomes ligatus ſic, quod nunquam eam ad peccandum impegit. Et hæc fuit prima ſanctificatio in vtero matris ſuæ. Et iſta ſanctificatio fuit eius vera Conceptio. Namquàm citò Virgo Beata habuit eſſe in vtero, tàm citò fuit ſancta, non enim potuit eſſe ſancta, antequam eſſet vera. Ergo Conceptio B. Virginis attenditur, & ſumitur penes inſtans infuſionis animæ in corpus ſufficienter, & debito modo organizatum, nec non ab omni qualitate inordinata, quam contraxerat ratione propagationis ſeminalis purgatum, & emundatum. Et ſic patet, quòd iſto modo capiendo nomen Cõceptionis ſtrictè, & propriè B. Virgo non fuit concepta in peccato originali. Alio modo capitur multum impropriè, & largè pro infuſione ſeminis in matricem, ex quo ſemine corpus debuit formari in vtero matris ſuæ, & iuxta hoc multum impropriè dicunt quidam ipſam fuiſſe conceptam in peccato originali. Quod non eſt aliud, niſi quòd anima B. Virginis fuiſset corpori ſuo ex illo ſemine formato abſque vnita purificatione, & emundatione illius corporis, à qualitate morbida contracta ratione propagationis ſeminalis. Tunc certè quã citò B. Virgo eſſe habuiſſet, tam citò habuiſset peccatũ originale, quia fuiſſet ſibi imputatũ ſicut B. Ioanni Baptiſtæ, & Hieremiæ, qui tamen fuerunt ſanctificati in vtero matris. Sic ergo patet, &c. Sed ſanctificatio ſecunda fuit in Conceptione filij ſui benedicti, quando fomes ablatus fuit, ſecundum eſſentiam, & gratiã ſuperadditam, quæ flexibilitatem liberi arbitrij determinauit ad bonum: Sic quòd ex tunc nullo modo potuit in malum flecti. Vndè tunc confirmata fuit, ſicut in via potuit. In prima namque ſanctificatione ligatus fuit fomes, & gratia ſibi collata fuit inclinans efficaciter liberum arbitrium in bonum: tamen non fuit tanta quòd flexibilitatem liberi arbitrij in malum auferebat, ſicut nec gratia collata primo homini in ſtatu innocentiæ; ſed per prouidentiam diuinam fuit cõtinuè præſeruata, & conſeruata, vt eſſet immunis à peccato, quamuis antè Conceptionem Filij Dei peccare potuiſſet, niſi fuiſſet præſeruata. Sed in ſecunda ſanctificatione ſic ſanctificata fuit, quod deinceps peccare nõ potuit. Vndè iſtud lignum perfectè ſolidauit iſtam terram, & eam ſibi conſtrinxit, &c.* Iſta ſunt Roberti HolKot verba, ex quibus colligo ſequentia.

Primum, verè, & realiter exiſtimo, ſolùm vnum ex Aduerſariis vidiſſe librum iſtum HolKot ſuper Sapientiam. Aliàs quomodo Turrecremata citaſſet Lectionem 169. Bandellus verò 161. & Anonymus 163. quando in omnibus originalibus Lectio illa eſt 160. Secundò, quòd Auctor iſte expreſsiſsimè noſtram ſequitur ſententiam. Tertio, quòd Aduerſarii totam auctoritatem vitiarunt, prætermittendo præcipua, non ſolùm verba, ſed clauſulas integras. Quarto, quòd videns hoc Continuator Bandelli, volens omnes prædeceſſorum ſuorum adulterationes excuſare, in aliud incidit, meo iudicio, execrabilius mendacium: Inquit enim: *Vidi autẽ ſex antiquiſsimos libros calamo exaratos, nihil penitùs de illa Additione continentes; & perſpicuum eſt, quod ſic vniformiter reperitur in omnibus.* Vide ergo, ò Lector! ſi ſic, *vniformiter reperitur in omnibus*, vt vnicus, & ſolus Bandelli Corrector dicit, & miror, quomodo in angulo Hiſpaniæ potuerit reperire ſex manuſcripta, quando ego in inſignioribus Bi-

blio

bliotheeis totius Europæ saltem vnum inuenire non potui, ex impressis verò vidi sequentia originalia, in quibus extat HolKoti auctoritas, vt à nobis manet transcripta nullo mutato verbo, aut syllaba? Primo, in originali impresso Venetiis anno 1500. fol. 137. Secundo, in impress. Basileæ anno 1506. fol. 147. Tertio, Parisiis ann. 1511. fol. 239. Quarto, ibidem 1518. Quinto, iterum Venetiis, anno 1509. Sexto, Agenaw anno 1494. in folio. Septimo, Reuthingiæ anno 1489. in fol. Octauo, etiam Venetiis anno 1586. Nono, ibidem anno 1483. Decimo, iterum ibidem 1515. Vndecimo adde, quod Ambros. Catharinus antiquus scriptor Dominicanus in 2. opere ad Patres sui Ordinis lib. 3. fol. 56. adducit Olchothi verba, vt à nobis manent relata. Videtur ergo ridiculum dicere, *quòd iste Doctor in isto passu est ab impressoribus falsificatus*! Quomodo enim in diuersis, & adeo inter se distantibus ciuitatibus, Parisiis, Basileæ, Venetiis, & Reuthingiæ, poterant impressores adeo vniformiter falsificare HolKotum, quod nec in syllaba discrepent? Quomodo ita consentaneo, ac vniformi stylo, quod nullus leget supropositam auctoritatem, quod non dicat, esse eiusdem Auctoris, numinis, & calami? Nisi hoc factum fuerit virtute diuina, mouente æqualiter pro honore Matris suæ, corda, & manus Impressorum? Præcipuè quando opera HolKoti fuerunt typis mandata, cura, & solicitudine FF. Prædicatorũ. Quinto dicit Continuator Bandelli, quòd *inter hoc quod dicit de prima sanctificatione, & secunda, est addita huic Doctori quasi vna columna, &c.* Ergo illa, quæ extant extra illam columnam, & primam, & secundam sanctificationem non fuerunt addita, & falsificata ab Impressoribus? Ergo illud quod *Virgini fuit collata gratia in prima sanctificatione, sicut fuerat collata primo homini in statu innocentiæ*, & quòd *per prouidẽtiam diuinam fuit continuò præseruata, & conseruata, vt esset immunis à peccato, &c.* non fuerunt falsificata ab Impressoribus? Cùm ergo hęc correspondeant antecedentibus, & antecedentia nihil aliud exprimant, quàm ista: ergo si ista non fuerunt vitiata ab Impressoribus, vt fatemini: ergo nec illa. Imò meo iudicio argumentum concludit sic: Turrecremata, Bandellus, & alii prætermiserunt illa, quæ extant inter primam, & secundam sanctificationem, quia erant pro præseruatione Virginis, & immunitate eius à peccato in eadem prima sanctificatione: & sic melius diceret Continuator Bandelli: *Aduerte tamen, quòd iste Doctor in isto passu est ab, &c. &c. &c. falsificatus, & inter hoc quod dicit de prima sanctificatione, est dempta huic Doctori quasi vna columna, &c.* Sexto, vis videre in omnibus fidelis Continuator Bandelli, vtinam Corrector! & non corruptor, quomodo non Impressores, sed Messores falsificarunt HolKotum? Attende: Ioannes Vitalis de Furno, & Ioannes Alanus Parisiensis Doctor, scripserunt ad annum 1380. quando nec erant impressores in mundo, nec somniabant esse, quia Typographia cępit ab anno 3442. & tamẽ isti Doctores citant, & adducunt HolKotum pro nostra sententia de immaculata Virginis Conceptione: ergo non fuerunt impressores, qui falsificarunt Doctorem tuum in isto passu, sed Auctores tui. Quis ergo cõdemnat innocentes Impressores, vt saluet reos?

Sed prætermittamus totum hoc, & videamus, an alia opera Roberti HolKoti sint etiam falsificata ab impressoribus? HolKotus, vt dicunt omnes Nomenclatores, præcipuè Pitseus fol. supràcitato scripsit super Prouerbia Salomonis, eodem stylo, dispositione, ac methodo, quo scripserat in Sapientiam, & opus fuit impressum Parisiis anno 1515. in 4. sub hoc titulo: *Prouerbia Salomonis Roberti HolKot, seu Thomæ Gualesi viri*, siuè hic, siuè ille fuerit Auctor, *explanationes luculentissimæ, &c.* Et incipit opus: *In abscondito Parabolarum conuersabitur, &c.* Et hoc opus est etiam adscriptũ Thomæ Vvalensi, vt videbimus num. 301. In hac ergo expositione Lectione 140. fol. 168. ad illa verba: *Quis potest dicere: mundũ est cor meum?* Inquit HolKot: *Quantum ad secundũ dicit sapiens: Quis potest dicere mundum est cor meum? Et potest copulari præsens parabola ad præcedentem, quia non est inuentus nisi vnus iudex inter omnes, cuius aspectus esset verè mũdus, & cor generali charitate plenũ, quoad omnem charitatem, & gratiam. Et ideò nullus vnquam verè potest dicere (de viris loquor) mundum est cor meum, nisi ipse solus. Quod pulchrè mihi apparet, ex intentione Scripturæ probat Alexãder super Psalmos pertractans illud, quod in passione Christus dixit: Erue à framea, &c. Vnica enim fuit hæc anima benedicta (de animabus virorum loquor) quoad gratiæ plenitudinẽ, quoad gratiæ infusionem in Conceptione, quoad à labe peccati originalis præseruationem; & nisi intelligatur petitio sua de tertia vnitate, non esset ad propositum, quod peteret eam saluari ab vnitate infusionis gratiæ, quia vterque istorum intellectuum esset friuolus. Vndè nunquam aliquis Sanctus, nec B. Virgo Maria dicere potuit, nisi ex priuilegio singulari; mundum est cor meũ à labe peccati originalis in mea Conceptione, nisi solus Christus. Et hoc similiter alia ratione probatur: Nam secundùm iura, priuilegia dignitatis suæ meretur amittere, qui sibi commissa abutitur potestate. Constat autem, quòd diabolus non potest aliter priuilegium suum, quod dicitur super humanum genus habuisse, perdere de iure, nisi ex hoc quòd vsurparet sibi dominium talis,*

seu

seu illius, qui suæ non subfuit potestati; sed si B. Virgo fuisset totaliter ab originali mundata de iure, diabolus priuilegiū suum, quod habuit super hominem ratione peccati originalis, ipse perdidisset. Et vltra sequitur, quod in casu, quòd Christus non fuisset passus, vel incarnatus, potuisset B. Virgo genus humanum à diabolo liberasse, si in anima sua diaboli dominium vindicasset, quod est hæreticum, & nefas & dicere, & credere. Hoc secundùm opinionem impugnantiū Conceptionem Virginis immaculatam est dictū. Cōcluditur finaliter, quòd solus Christus (de viris loquendo) & de omnibus de iure (secus de priuilegio singulari) potuit dicere: Mundum est cor meum, & purus sum à peccato. Hæc Robertus HolKot. Cùm ergo etiam hic expressè affirmet, Virginem Mariam fuisse præseruatam à peccato originali, non ex iure, sed ex priuilegio, consequenter debet etiam Continuator Bandelli dicere, vt excuset suos, quòd Impressores, qui falsificarunt Lectionem 160. libri Sapientiæ, falsificarunt similiter Lectionem hanc 140. libri Prouerbiorum, quod certè ridiculum esset.

Item scripsit HolKot super libros Sententiarum, opus impressum Lugduni in 4. & etiam in fol. ibidem anno 1497. Sed in 3. lib. nihil agit de distinct. 3. in qua hæc quæstio de Virginea Conceptione ventilatur, sed in quæstione de imputabilitate peccati agit latè de peccato originali, & quomodo traducatur in posteros per foeditatem libidinis, & quòd Christus Dominus fuit absque hac genitus, & sic absque peccato originali. De Beatissima autem Virgine Maria, vel eius Conceptione nihil dicit, nec saltem obiter. Ex quibus omnibus sequitur. Primo, Robertum HolKot pro nostra fuisse sententia. Secundo, quod ipsum pessimè vitiarunt Aduersarii. Tertio, quòd Continuator Bandelli sine vlla veritate, aut fundamento attribuit Impressoribus, quod debuerat adscribere suis. Quarto, quòd expositio in Psalmos, quam attribuunt PP. Prædicatores sto Hugoni de Sancto Charo Cardinali, & sub illius nomine extat impressa cum operibus Hugonis, est nostri Alexādri de Ales, vt hic fatetur Robertus HolKot illius temporis Auctor. Quinto, quòd Doctores antiqui vocabant Conceptionem, effusionem seminis in matricem, & hanc dicebant fuisse in Virgine vitiatam.

Pro vltimo complemento huius antiqui, atque doctissimi Doctoris decreui hic transcribere, quæ refert de peccato originali in prælegata quæstione de imputabilitate peccati, quæ incipit: *Vtrum omne peccatum sit imputabile, &c.* impress. Lugdun. ann. 1518. in quarto; loquens de peccato originali, circa principium inquit: *Aliqui dixerunt non esse culpam, sed pœnam tantùm, vel obligationem ad pœnam; sed istam opinionem improbat Magister, &c. Alij verò, qui concedunt peccatum originale esse culpam, diuisi sunt inter se, dicentibus quibusdam, quod peccatum originale non est aliud, quàm peccatum actuale primi parentis, quod omnibus ab ipsis descendentibus imputatur, quod improbare videtur Anselmus, &c. Alij dicunt peccatum originale non esse peccatum alterius, sed illius tantùm, qui eo reus est, siue paruulus, siue adultus. Adhuc inter se opinantes, quidam dicunt, peccatum originale esse puram priuationem iustitiæ originalis, siue iniustitiam, quæ nihil est in rerum natura nisi pura priuatio, & carentia iustitiæ in subiecto apto nato: sic videtur velle Anselmus, &c. Ideò videtur mihi dicendum, sicut dicit Magister, quòd peccatum originale est habitus malus, cum quo nati sumus, & quem ab ipso natiuitatis exordio trahimus, &c.* Hæc habet HolKot de natura peccati originalis, & statim adducit opinionem cuiusdam Magistri asserentis, quòd tale vitium non contrahitur, nisi ex feruore libidinis in actu propagationis. Et infrà affirmat, quòd si Deus mundaret carnē ab omni macula, & infunderet ei animam de nouo creatam, necessario illa anima haberet iustitiam originalem, &c. Ex quibus omnibus euidenter colligitur, quòd antiqui, vt in plurimum constituebant originale in infectione carnis.

ROBERTVS, Mediolanensis Episcopus in 2. libro suæ Summæ. *Ita Bandellus, cap. 20. Deza fol. 35. Petrus de Vincent. classe 4.*

VERITAS 276.

AVCTOREM Istum existimo esse fictum, & multiplicatum; fictus, quia de illo nulla parua, vel magna notitia inuenitur apud Nomenclatores, atque scriptores Ecclesiasticos, imò neque in Theathro triumphali Mediolanensis ciuitatis, edito à R. P. Fr. Saluatore Vitali, neque inter Episcopos, neque inter Scriptores, de quibus latè agit à fol. 14. vsque 28. vlla extat talis Roberti memoria. Cùm autem Auctor iste non compareat, existimo esse fictum à Bandello. Deindè indico, etiam fuisse multiplicatum: & ratio est, quia huius auctoritatem sic adducunt: Idem tenet D. Robertus, Mediolanensis Episcopus, Doctor clarissimus, in secundo libro suæ Summæ, sic dicens: *Beata Virgo Maria, & Ioannes Baptista fuerunt in originali peccato cōcepti, sed postea fuerunt per gratiam sanctificati. Hæc ille.* Cùm ergo hæc auctoritas sapiat stylum Bandelli, depositā omni temeritate, dico, & affirmo esse falsam, ac suppositam, & sicut

ſicut finxit auctoritatem, finxit etiam Auctorẽ, quoad nomen Roberti, vt ſic multiplicaret aliũm teſtem contra immaculatam Virginis Conceptionem, quia ſuprà, vt vidimus numero 247. adducunt Petrum Mediolanenſem Canonicum in Apparatu, ſeu Summa iuris Canonici cum hac auctoritate: *Quòd B. Virgo, Ioannes Baptiſta, & Hieremias ſunt cum peccato originali nati.* Et concludit ſic de Maria: *Quia fuit in peccato originali concepta, ſed poſt fuit ſanctificata in vtero.* Hæc auctoritas Petri Mediolanenſis eadem eſt cum allegata Roberti Mediolanenſis, exiſtimandum ergo eſt, & quaſi pro certo tenendum, quod ex vno ſolo Mediolanenſi adducto à Turrecremata, Bandellus, & Vincentia duos fecerunt diſtinctos, alium Petrum, & alium Robertum. Si ergo ita eſt, iam Robertus quindecies hic eſt multiplicatus; nam auctoritas Petri Mediolanenſis eſt illa exiſtens ad marginem in Decreto, in cap. 3. Firmiſsimè, vt videre eſt num. 125. & 192. & hanc eandem auctoritatem adducunt ſub nomine Hugonis, & Ioann. Theutonici, & aliorum. Videbi, ne iterum eadem reperiamus, & non ſolùm quindecim vicibus eſt hic multiplicatus, ſed fortè etiam ſexdecim, nam infrà num. 285. adducunt Sicharduũ, quem Gryſaldus vocat Richarduũ, etiam in Summa ſua, vt ibi dicemus. Cùm ergo Auctor iſte adducatur *in Summa ſua*, ſicut alii relati num. 255. Et ſub hac confuſa citatione: *in Summa ſua*, adducat Bandellus duodecim Auctores fictos, abſque vlla hæſitatione, dico, & affirmo hunc etiam eſſe fictum in Summa, quia Bandellus ſine ſumma multiplicauit Summas, vt ſummam Dei Matrem macularet.

ROBERTVS De Tornaco, ſic abſolutè abſque alia notitia, vel titulo hunc citant inter Fratres Minores. *Ioannes Capreol. fol. 15. & Paul. Soncin. in 3. diſt. 3.*

VERITAS 277.

TVRRECREMATA, Bandellus, & alii ſcribentes poſt Capreolum, optimè cognouerunt, hunc Auctorem eſſe quoad nomen fictum, quoad auctoritatẽ verò mendaciter adductum, ideo omnes vnanimiter illum prætermiſerunt. Capreolus ergo, & Soncinas ſit ipſum adducunt: *Nicolaus de Lyra, Bonauentura, Robertus de Tornaco, Adã, Okam*, &c. Ex hoc citationis modo indicant, illum fuiſſe ex Ordine Minorum, ſi quidem illam adducunt inter Minoritas. Sed talis Robertus de Tornaco, nec illius vmbra inuenitur in Nomenclatoribus Religionis Seraphicæ. Richardus de S. Laurentio Ciſtercienſis in lib. de Laudibus B. Mariæ lib. 1. fol. 32. adducit in margine quemdam Nicolaum Tornacenſem, qui, vt ait Poſſeuinus, fol. 260. ſcripſit Lectiones in D. Lucæ Euangelium. Sed quid immoramur? Capreolus deceptus fuit ex ſuo Guillielmo de Gannaco, & Socinas a Capreolo, nã loco, *Robertus*, dicere debuerat: Gilbertus, nam in Religione Minorum ſolùm fuit quidã inſignis Doctor, vocatus Gilbertus de Tornaco, vel Tornacenſis, qui vixit ad ann. 1270. de quo vide Myræum fol. 173. Vvading. in Cathalogo fol. 146. Valeriũ Andræam fol. 303. & alios, quorũ aliqui vocant Guibertum, alii Gilbertum, alii Vvibertum, ac alii Vvilibertũ, nullus tamen appellat Robertum, ſcripſit plura, & aliqua extant in Biblioth. VV. PP. tom. 15. editionis Colonienſis, ſcripſit etiam Sermones varios, & eruditos, quorum initium eſt, *Ite, prædicate Euangelium omni creaturæ*, excuſi Lugduni per Ioann. de Vingle ann. 1511. in 8. & Pariſiis 1513. in 8. Quarta pars Sermonum Dominicalium extat MS. in Biblioth. S. Ioan. Reg. Tolet. AA. 83. & incipit à Dominica in Albis, & in Monaſterio S. Hieronymi de la Sisla propè Toletum extat ſub eodem expreſſo nomine Guilberti de Tornaco in fol. lib. MS. Sermonuum de diuerſis generibus ſtatuum, & incipit opus: *Elegi Dauid ſeruum meum*, &c. Et hæc de Auctore, & opere.

Auctoritatẽ nullam adducunt Aduerſarii, & hæc non fuit malitia, ſed conſuetudo, quia Capreolus, nec Soncinas ſolũ adducunt nomina Auctorum, quia nullum viderunt Soncinas, vel verius Iſidorus de Iſolanis, tranſcripſit à Capreolo, & hic à Guillielmo de Gannaco; ego verò tantũ inuenio in Gilberto fol. 76. Sermonem de Virgine Maria, qui incipit: *Gloriosa dicta ſunt de te*, vbi hæc habet verba: *Fuit etiam ſanctificata ab omni crimine. Zachar. 1. vocabitur Hieruſalẽ ciuitas veritatis, & mons Domini exercituũ, mons ſanctificatus: Ciuitas veritatis ſine duplicitate, & dolo; mons ſanctificationis ab originali iniquitate, & actuali peccato. Decebat enim, vt illa quæ pro nobis intercederet, à peccato pura eſſet. Eccl. 36. Miſerere ciuitatis ſanctificationis tuæ Hieruſalẽ, ciuitatis requiei tuæ: inhabitata autẽ Diuinitatis plenitudine. Vndè Sapientia Incarnata dicit Eccleſ. 24. In ciuitate ſanctificata ſimiliter requieui, vbi nunquã Dei Filius per peccatũ inquietatus, &c.* Hæc ſunt omnia Gilberti verba pertinentia ad hanc materiam, & fortè ex eo quod Gilbertus vocat Mariã ſanctificatam ab originali, ideo illum citarunt pro ſua opinione; ſed cũ Gilbertus affirmet, eodẽ modo fuiſſe ſanctificatã ab originali, ſicut ab actuali, & ab actuali fuit Maria ſanctificata ante lapſum, ſeu ab actuali præſeruata: ergo eodem modo fuit ſanctificata ab originali; ex hac ergo parte Gilbertus pro nobis eſt. Item dicit, quod Virgo fuit ſanctificata ab omni crimine. Si ſanctificatio eſt poſt ma-

culam, quomodo Maria ſanctificata ab omni crimine? cùm illa nullum habuerit niſi originale? Ergo ſanctificari ab omni crimine ſonat in Gilberto præſeruari: igitur ſi præſeruata ab omni, etiam originali, quia originale crimen eſt. Item dicit Gilbertus, quòd fuit à peccato pura: ſi à peccato indiffinitè, ergo & originali, niſi velis dicere, quòd originale non eſt peccatum. Ac denique ſi pura indeterminatè: ergo pura pro omni tempore, & pura in omni materia, tam in corpore, quàm in anima. Videtur ergo, quòd Gilbertus noſtram potiùs, quàm veſtram tueatur ſententiam, vel ſaltem, quod ſine ſufficienti fundamento adductus fuerit.

ROMANVS Magiſter, Ordinis Prædicatorum, in 3. Sentent. diſtinct. 3. *Ita Bandel. cap. 23. Dexa fol. 41. Petr. de Vincent. & Gryſald.*

VERITAS 278.

EX Solo citationis modo cognoſcitur in hoc Auctore aliquod latere myſteriũ, niſi fortè ſint in plurali myſteria, & magna. Primo ergo ſupponendum eſt, quòd ſub hoc titulo, ſeu cognomine *Romanus*, fuit quidam antiquus Doctor Pariſienſis, qui ſcripſit Poemata, & Epithalamium Virginis Mariæ, & in vtroque Tractatu affirmat ipſam Deiparam fuiſſe abſque originali peccato conceptam; vt teſtantur vnanimiter Ioannes Alanus Doctor Pariſienſis, & Ioannes Vitalis, Ordinis Minorum, in ſuis Defenſoriis lib. 4. cap. 5. Ancilla 5. Hic ergo non poteſt eſſe præallegatus *Romanus Magiſter*, quia nec fuit ex Ordine Prædicatorum, nec ſcripſit ſuper Sententias, ac denique iſte fuit pro nobis. Sic enim cecinit:

Auctor honeſtatis ſic libra ſuſpendit eorum,
Ne fex infectum fœdam parentis eat,
Ne radix ramum vitiet, ne plantula robur,
Ne riuum damnet fontis inepta lues,
Fabricata, omni nota fœditatis ſemota.

Suppono ſecundo, quòd ſupra citarunt Aduerſarii pro ſua ſententia Guillielmum de Roma, in Sermonibus, ſed nec hic; quia non ſcripſit ſuper Sententias, nec anthonomaſticè fuit vocatus Romanus. Nec quidam Romanus Vincentinus, qui ſolùm ſcripſit Sermones, de quo Anton. Senen. fol. 216. Placent. pag. 418. nec alii, quia non fuerunt ex Ordine Prædicatorum, fuerunt, vel fuit ille, de quo nunc inquirimus. Tertio ſuppono, quod in religioſo Ordine Prædicatorum fuit quidam dictus Annibaldus Romanus, qui poſtea fuit S.R.E. Cardinalis, hic, dum erat intra clauſtra in minoribus conſtitutus, communiter appellabatur Magiſter Romanus: Magiſter, quia fuit Magiſter ſacri Palatii, Romanus verò, quia fuit ex Procoſulibus Romanorum, vt dicit Sanctus Antoninus part. 3. ſuæ Hiſtoriæ, titulo 23. cap. 11. §. 1. fol. 679. cardin. 2. vel quia fuit eius proprium cognomen, vt indicare videntur omnes alii. Ciaconius fol. 584. Anton. Senen. fol. 22. Placent. folio 327. Poſſeuinus, & omnes alii Nomenclatores nullo dempto. Imò & ipſemet S. Thomas, in quodam Opuſculo ipſi dicato, vocat eum Annibaldum Romanum. Quarto ſuppono, quòd huius Magiſtri Romani, Ordinis Prædicatorum auctoritatem ſic adducunt Aduerſarii: Idem tenet Magiſter Romanus, in 3. Sentent. diſtinct. 3. ſic dicens: *Beata Virgo per primam ſanctificationem fuit in vtero matris à peccato originali mundata; in ſecunda verò ſanctificatione fuit à fomite peccati libera. Hæc ille.* Cùm ergo hæc auctoritas, licèt non ſub formalibus verbis, vt hic adducitur ab Aduerſariis, quoad ſubſtantiam tamen reperiantur in illo 3. Sententiarum adſcripto Annibaldo diſt. 3. art. 2. cuius titulus eſt: *Ad ſecundũ ſic proceditur, & videtur, quòd per ſanctificationem in vtero non fuerit à fomite liberata, &c.* Ex his ergo patet, quomodo Annibaldus Romanus, Magiſter ſacri Palatii, eſt, quem hic citant ſub nomine Romani Magiſtri? Quinto ſuppono, quòd Leander Alber. mentionẽ facit de duobus Magiſtris Romanis; vno ſocio S. Dominici, ſed hic nihil ſcripſit; altero comite S. Thomæ Aquinatis, qui ſcripſit ſuper Sententias; ſed huius opera Aduerſarii minimè oſtendent. Ex quibus præſuppoſitis deduco ſequentem, vel ſequentes veritates.

Concluſio prima. Magiſter Romanus in hoc Ventilabro eſt ſepties multiplicatus. Primo, quia eſt quem ſuprà adduxerunt ſub nomine Annibaldi Ciſtercienſis, vt videre eſt numero 19. Secundo, eundem adducunt ſub nomine Annibaldi Romani, Ordinis Prædicatorum, de quo numero 20. Tertio, hunc adducunt ſunt nomine Ioannis Sernigatii, Ordinis Prædicatorum, de quo vide num. 189. Quarto, etiam eſt adductus ſub nomine Ioannis Srerigatii, Ordinis Sancti Auguſtini, de quo egimus numero 190. Quinto, hic ſub hoc confuſo nomine: *Romanus Magiſter, &c.* Sexto, infrà ſub alio cognomine, ſcilicèt Sinibaldi Cardinalis, de quo numero 285. Septimo, ſub nomine Thomaſini, vt videre eſt num. 297. Octauo, adde, quòd opus hoc eſt Sancti Thomæ Aquinatis, nam in operibus eiuſdem Angelici Doctoris, tom. 17. ad finem, extat præallegatum Opuſculum ſuper quatuor libros Sẽtentiarum, ex quo deſumpſerunt Aduerſarii auctoritates pro enumeratis ſeptem Auctoribus. Et quid ſi Nono, opus illud ſuper Sententias non eſſet Sancti Thomæ Angelici, ſed Fr. Tho-

Thomæ Anglici, seu de Vvaleis, vt probabilissimè creditur, qui etiam hìc est adductus numero 301?

Conclusio secunda. Verba adducta ab Aduersariis, licèt quoad sensum sint in Romano Magistro, tamen quoad dispositionem, & formam, & vt sunt ab Aduersariis proposita, sunt ficta, & supposita, quia ibi non extant, nisi desumantur verba singula hinc inde, nam duo simul iuncta non inueniuntur.

Tertia conclusio. Nimis durum mihi videtur, quòd opus illud, seu Epitome sit Angelici Doctoris, nec Annibaldi (vt iam dixi) sed alicuius discipuli illius, quod multis, & efficacibus rationibus probare poteram, sed abiit quod ex propriis aliquid dicam; audiant tamen suum Antonium Senensem in sua Bibliotheca folio 22. loquentem de Annibaldo, ac dicentem: *Scripsit Commentaria super quatuor libros Sententiarum, in quibus Diui Thomæ, & Petri de Tarantasia doctrinam fuit in omnibus secutus, & quorum quasi Abbreuiator. Ad hunc Annibaldum fuit directũ breue scriptum super quatuor libros Sententiarum, quod sub titulo Diui Thomæ circũfertur, claruit anno Domini 1270.* Cùm ergo opus illud existens in operibus Sancti Thomæ, sit abbreuiatio eiusdem Angelici Doctoris, & Tarantasiæ, & nullum aliud huiusmodi opus reperiatur, videtur esse hoc. At ex alia Annibaldus fuit creatus Cardinalis ab Vrbano IV. (qui assumptus extitit ad summam Petri Sedem anno 1261.) anno 1265. & anno 1274. Angelicus Doctor à vita emigrauit, Annibaldus vero mortuus est anno 1272. Quomodo hoc Compendium erit Annibaldi, vel quomodo compatiuntur hæc omnia? scilicèt, quòd Cardinalis Annibaldus abbreuiaret Sanctum Thomã, cùm antea mortuus fuerit Cardinalis, quàm ipsemet S. Thomas, vel quomodo opus illud, cùm sit abbreuiatio Sancti Thomæ, potuit esse ab ipsomet S. Thoma? Et si hoc non videatur impossibile, quomodo Angelicus Doctor suam propriam doctrinam, & Petri de Tarãtasia est securus? Item nota illud: *Quod sub titulo Diui Thomæ circumfertur*, in quibus verbis videtur ipsemet Senensis dubitare de Auctore illius Summæ Sententiarum. Insuper cũ viderim innumerabilia opera Sancti Thomæ manuscripta, nunquam vidi Summã illam sub nomine eiusdem. Quare existimo opus illud, neque esse Sancti Thomæ, neque Annibaldi, sed alterius incogniti Auctoris ex Ordine Prædicatorum, & fortè fuit Thomæ Anglici, qui parum post Sanctum Thomam de Aquino floruit, id est, ad annum 1300. qui etiam scripsit Summam Theologiæ, vt dicit Gesnerus, folio 791. & alii Nomenclatores, & si hoc ita esset (quod non affirmo; dubito autem cum multis aliis, quia plura huius Thomæ Anglici opera adscripta sunt Sancti Thomæ Angelico, sumpta æquiuocatione ex nominum similitudine) vel Ioannis de Lindimbere, de quo dicunt Nomenclatores Dominicani, quod scripsit Summam Theologiæ, vt vidimus nu. 179. iam Magister Romanus erit decies plicatus.

RVPERTVS, Tuitiensis Abbas in Cant. Cantic. cap. 1. *Arpalleg. disput. 2. art 1. fol. 31. Iustin. Miechouien. Discurs. 136. folio 298.*

VERITAS 279.

HVIVS Præclarissimi Auctoris Germani, Ordinis Sancti Benedicti, qui vitere desiit anno 1135. quarto Nonas Martias, de quo agunt latè omnes Nomenclatores, cuius opera prodierunt Coloniæ 1533. & 1577. & 1568. & 1582. Antuerpiæ 1565. & Maguntiæ 1571. auctoritatem sic adducit Arpallegus, ad illa verba: *Meliora sunt vbera tua vino*, vbi sic ait: *Tu veraciter dicere poteras: Ecce enim in iniquitatibus concepta sum, & in peccatis cõcepit me mater mea, cùm enim esses de massa, quæ in Adam concepta est, hæreditaria peccati originalis labe non carebas.* Hæc Arpallegus ex Ruperto, & addit, quod Vazquez ingenuè fatetur, Rupertum sententiam oppositam tradidisse. Iustinus Miechouiensis nullam adducit auctoritatem, sed solùm nudam citationẽ Ruperti. Antiqui verò Scriptores Ordinis Prædicatorum nullam de ipso fecerunt mentionem: Pro veritate verò indagãda scias, quòd eius auctoritas, tomo 1. lib. 1. in Cantic. Canticorum pag. mihi 1056. colum. 2. circa medium, & in alia impress. est tom. 2. in principio, explicans illa verba: *Quia meliora sunt vbera tua vino, &c.* sic se habet: *Vtrorumque huiusmodi vberum lætificata dulcedine ineffabili, dum incipis, ô Virgo Beata! Dum tibi fit secundum hoc verbum Angeli: Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, quibus duabus clausulis iam dicta significabantur duo data eiusdem Spiritus Sancti, quid aliud diceres, nisi: Meliora sunt vbera tua vino fragrantia vnguentis optimis? Non fueras experta vitium huius sæculi, vis num voluptatis carnalis, sine cuius ebrietate nulla vnquam mulier (præterte) concipere potuit, aut poterit, & tamen diiudicare nosti, quàm melior, aut vehementior, dulcior, atque fortior esset voluptas, siue amor Dei, in quo concepisti sine dubio potata es illius torrente voluptatis. Et tu quidèm veraciter dicere potueras: Ecce enim in iniquitatibus concepta sum, & in peccatis concepit me mater mea. Cùm enim esses de massa, quæ in Adam corrupta est, hæreditaria*

peccati originalis labe non carebas: sed ante faciem huius amoris peccatum, nec illud, nec aliud stare potuit, ante faciem huius ignis stipula omnis interyt, vt totum sanctum fieret habitaculum, in quo Deus totis nouem mensibus habitaret, tota omninò munda materia, de qua sancta Dei Sapientia domum æternam sibimet ædificaret. Et quia cùm tanta dulcedine amoris pretiosa plenæ gratiæ simul infusa sunt charismata, quæ cæteris ab eodem Spiritu dispartiuntur Sanctis, & electis, rectè vbera illa diceris, fragrantia vnguentis optimis, &c. Forte ergo propter ista verba citauit Iustinus Rupertum, quia alia nec inuenio, neque existimo quod sint in eius operibus, imo his similia clara, & expressa, in nullo alio antiquo Ecclesiæ Patre inueniuntur, nec adducunt, neque adducere possunt Aduersarii, sed iste euanuit ab oculis eorum.

Attende ergo Lector, quia similiter ex nullo colligere poteris, qualis fuerit antiquorum mens circa peccatū originale, clariùs, & apertiùs, quàm ex isto Ruperti loco. Loquitur igitur de vitio, ac voluptate carnali, siue de vino illo luxuriæ, quo inebriantur omnes mulieres (nulla excepta) tēpore generationis, coitus feminis, & carnis conceptione, hoc vitiū, hoc vinū sola Virgo Maria nō fuit experta in Incarnatione, seu Cōceptione Filii Dei. Quod ita fuit rarum, singulare, ac vnicum priuilegium Deiparæ, quod solus filius eius non potuit dicere illud: Ecce enim in iniquitatibus cōceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea, &c. Hoc quod dicere non potuit Christus in sua generatione, poteras tu dicere, o Maria! in tua Conceptione veraciter, & debebas: Ecce enim in iniquitatibus concepta sum, & in peccatis concepit me mater mea: *Cùm enim esses de massa, quæ in Adam corrupta est, hæreditaria peccati originalis labe non carebas.* Et sic, nisi Spiritus Sanctus superueniret in te, & virtus Altissimi obumbraret tibi, in illo Incarnationis puncto, quando facienda, vel facta es habitaculum sapientiæ Dei, etiam concepisses cum illo vino, ac vitio voluptatis, ac sensualitatis ex corrupta illa Adami massa, & peccati originalis labe proueniente, qua tu non carebas, sed ante faciem amoris Spiritus Sancti, nec illud, nec aliud peccatum vllum stare potuit. Quia ignis ille diuinus consumpsit, ac tanquam stipulam combusit, & interemit illud vinum, vitium, massam corruptam, voluptatem, delectationem, ebrietatem sensualitatis, peccatum, & originalem labem, quibus non carebas hæreditario iure in illa generatione, seu Conceptione, vt sic omninò, & totaliter munda esset materia, & semen illud virgineum, de quo Verbum Diuinum sibi in humana assumpta natura, in vtero tuo assumenda, sibi æternum præparabat habitaculum. Iste est sensus genuinus, & grammaticalis verborum Ruperti, ex quibus patet, quòd antiqui vocabant labem peccati originalis vinum, & vitium illud voluptatis carnalis, quo inebriati parētes generant filios, & in hoc sensu solus Christus vnicè, ac singulariter fuit genitus, & conceptus absque illa labe originalis peccati. Maria autem genita fuit, & concepta in sententia Ruperti, cum hac labe originalis peccati, quia parentes eius habuerunt delectationem carnalem, sed hoc nihil ad rem pro nostra controuersia, & animationis puncto. Confirmatur hæc intelligentia euidenter ex ipsis Ruperti verbis: *Cùm enim esses de massa, quæ in Adam corrupta est, hæreditaria peccati originalis labe non carebas.* Prima propositio vera est: nam Maria tempore Incarnationis, erat de massa, quæ in Adam corrupta fuerat. Sed secunda: quomodo tunc non carebat hæreditaria peccati originalis labe? Fuerat saltem sanctificata in vtero matris suæ: Quomodo ergo tempore Incarnationis non carebat hac hæreditaria peccati originalis labe? Igitur non loquitur de illa peccati originalis labe, cōtracta in animatione, sed de vino, & ebrietate sensualitatis, quam propinat natura, ex eo quòd erat natura Adæ, in generatione; siue mater sit præseruata, siue sanctificata, vel baptizata, & libera à peccato originali. Item confirmatur ex illo, *tota omnino munda materia.* Hic est totus scopus Ruperti, probare Christum fuisse genitum à Maria *tota omninò munda materia*: nota illud duo vniuersalia, *tota*, & *omninò*, quia admisso, quòd materia, ex qua Maria fuit genita, fuerit munda, sed non tota, & si tota, adhuc non omnino, quia omninò comprehendit à principio vsque ad finem, id est, à primo parentum motu ad generationem vsque ad animationem, & sic Maria non caruit illa suæ generationis hæreditaria peccati originalis labe, & hoc intelligebant antiqui, & dicebant originalem labem. Item si Maria fuit dispartita ab omnibus aliis Sanctis: ergo non sanctificata, vt Ioannes, & Hieremias, sed præseruata.

Ruperti verba pro nostra sententia damus in nostra Militia: solùm hic notatione dignum existimo esse, quod Rupertus, quem aliqui, & meritò, vocant Doctorem illuminatum, & à Virgine Maria sæpèsæpiùs visitatū, in eisdē Cāticis lib. 3. ad illa verba: *Et macula non est in te*, quasi prophetizando dixerit ad Virginē: *Hoc prædicabitur gentibus, quod adeò macula non sit in te.* Sed quidquid sit de Propheta, ipse dixit, & factum est ità.

***

SCRIP-

SCRIPTVRA Sacra, veteris, ac noui Teſtamenti, in multis locis. *Turrecrem. part.3. cap. 1. fol.40. & part.5. cap. 1. & 8. &c. Anonym. via 3. rat. 12. Bandel. cap.20. Deza fol. 50. à tergo. Spina in multis locis illius lib. vniuerſalis corruptionis, 4. part. cap.1. S. Antoninus, &c.*

VERITAS 280.

VIDIMVS, Quo fundamento, ac veritate adduxerint Aduerſarii Santos Eccleſiæ Patres, ac alios clariſsimos Doctores, & non clariſsimos, imò neque claros Scriptores, iam vero peruenimus ad deſideratum ſacræ Scripturæ fontem, à quo præteriti, ac futuri riuuli emanarunt. Hoc eſt illud mare magnum, à quo exierunt tot, tantaque flumina, magna, ac parua, cuius Auctor fuit ipſemet Spiritus Dei, iuxta illud: Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas; examinabimus ergo, an huius perennis fontis aquæ ſint etiam turbidæ, vel clarę? Vel in hoc mari introducta fuerint reptilia contra puriſsimam Mariam, ac nitidam, atque immaculatam eius Conceptionem. Et ante omnia notare debes, ò Lector! quod Sanctus Thomas 3. part. queſt. 27. artic. 1. in reſolutione inquit: *Dicendum, quòd de ſanctificatione Beatæ Mariæ, quoad foliciet, fuerit ſanctificata in vtero, nihil in Scriptura Canonica traditur, quæ etiam nec de eius Natiuitate mentionem facit, &c. Quod tamen Scriptura non tradit, etiam rationabiliter argumentari poſſumus, &c.* Fatetur ergo Angelicus Præceptor, & poſt eum alii quam plures in hac Ventilatione relati, quòd de Natiuitate Virginis Mariæ, vel de eius ſanctificatione in vtero matris ſuę *nihil in Scriptura Canonica traditur*, & vbi ipſe nihil inuenit, inuenerunt Turrecremata, Anonymus, & Bandellus, &c. decem & octo auctoritates claras, expreſſas, euidentes, & ita efficaces; vt eas negare ſit impium, prophanum, & hæreticum. O vigilantiſsimi diſcipuli ſuprà veſtrum Angelicum Magiſtrum!

Turrecremata ſic introducit ſuum aſſumptum: *Incipit tertia pars operis, in qua ponuntur auctoritates ſacræ Scripturæ, iuxta Gloſſas Sanctorum Patrum dicentes: Omnem hominem ab Adam ſeminaliter propagatum in originali peccato eſſe conceptum, cum pluribus auctoritatibus Sanctorum plurimorum Eccleſiæ Sanctæ luminum, idem etiam ex neceſsitate fidei aſſerentium, & confutantur modi reſpondendi ex aduerſo. Auctoritates veteris Teſtamenti, cum Gloſsis, & declarationibus ſuis, quibus conuincitur, omnes alios à Chriſto incurriſſe peccatum originale, &c.* Et infrà cap. 2. inquit: *Item quòd ſuprà probatur auctoritatibus noui Teſtamenti, cum Gloſsis, & declarationibus ſuis, &c.* Infrà verò fol. 84. inquit: *Incipit 5. pars, in qua ponũtur auctoritates ſacræ Scripturæ, ex quibus iuxta Gloſſas, & expoſitiones, tàm Sanctorũ, quam Doctorum aliorum, colligitur inſpeciali, quòd B. Virgo Maria de facto incurrit originale peccatum, & primò per auctoritates veteris Teſtamenti, &c. Idem deducitur per auctoritates noui Teſtamẽti, &c.* Eho Lector! quomodo Turrecremata in 3. par. proponit auctoritates ſacræ Scripturæ probantes, *omnem hominem ab Adam ſeminaliter propagatum, in originali peccato eſſe conceptum.* Deinde par. 5. adducit auctoritates ex quibus colligitur *in ſpeciali, quòd B. Virgo Maria de facto incurrit originale peccatum.* Diſtinguit ergo Turrecremata, & optimè auctoritates vniuerſales, loquentes de omnibus hominibus, ab ſpecialibus loquentibus de B. Virgine Maria in ſingulari. De primis vniuerſalibus pro nunc non curamus: has enim ſupponimus tanquam certas, & indubitatas: de ſecundis loquentibus de Beata Virgine Maria in particulari inquirimus, ac ventilamus, qua veritate, ac fundamento adducantur ex nouo, ac veteri Teſtamento, vt à Turrecremata proponuntur in hac auctoritate: *in ſpeciali, quòd Beata Virgo Maria de facto incurrit originale peccatum.*

Anonymus verò ſic inquit in principio ſui libri: *Dicere, B. Virginẽ ſine peccato fuiſſe conceptam, eſt contradicere ſacræ Scripturæ, & fundatiſsimæ fidei.* Et infrà: *Illud quod clarè, apertè, euidenter, & efficaciter poteſt concludi ex auctoritatibus ſacræ Scripturæ, impium, prophanum, & hæreticum eſt negare: ſed dicere, B. Virginem non fuiſſe conceptam in originali peccato, eſt negare, quod clarè, & efficaciter poteſt concludi ex auctoritatibus ſacræ Scripturæ: ergo dicere B. Virginem non fuiſſe in peccato conceptam, eſt impium. Conſequentia patet cum maiori, quia qui negat concluſionem, qua ſequitur ex auctoritate Scripturæ ſacræ, negat conſequenter auctoritatẽ Scripturæ: quia qui negat concluſionem, negat præmiſſam, ex qua ſequitur, &c. Minor verò probatur inductiuè per nouem auctoritates ſacræ Scripturæ.* Et ſic adducit nouem auctoritates ſacræ Scripturæ, & ſunt ex illis, quas alias Turrecremata appellauerat vniuerſales, ſicque illæ nouem auctoritates in Turrecremata cõmunes pro omnibus hominibus profunda ſua ſcientia Anonymus inuenit eſſe particulares contra immaculatam Virginis Conceptionem, *clarè, & apertè, euidenter*, atque *efficaciter*, ità vt contrarium aſſerere ſit *impium, prophanum*, & *hæreticum*. Item argumentum Anonymi ſic erat, vel eſt coaptandum

in forma ſyllogiſtica: Illud quod clarè, apertè, euidenter, & efficaciter poteſt concludi ex auctoritatibus ſacræ Scripturæ, impium, prophanum, & hæreticum eſt negare: ſed Virginem Mariam fuiſſe conceptam in peccato originali, clarè, apertè, euidenter, & efficaciter poteſt concludi ex auctoritatibus ſacræ Scripturæ: ergo impium, prophanum, & hæreticum eſt, negare, Virginem Mariam fuiſſe conceptam in peccato originali: quare autem ſuppoſita maiori Anonymus aliter diſpoſuerit Minorem, & conſequentiam, videtur ignorantia; ſed ego exiſtimo fuiſſe aliquid aliud, vt ſic ſuam palliaret intentionem.

Bandellus, qui parum poſt Anonymum ſcripſit: Poſt Iudices omnium Doctorum, de quibus dicit: *Tenuiſſe, atque prædicaſſe, Beatam Virginem in originali peccato fuiſſe conceptam: ſed antequam ex vtero naſceretur, per ſanctificationis gratiam, gloriosè, atque excellentiſsimè, citiſsimè fuiſſe mundatam*, immediatè, & continuo ſic proſequitur: *Poteſt etiam idem elici ex multis auctoritatibus ſacræ Scripturæ*; & adducit duodecim. Continuator verò Bandelli interpoſuit hæc verba: *Auctoritas ſacræ Scripturæ, cum Gloſsis ſuis*, & addidit ex propriis alteram ex cap. 1. Euangelii S. Lucæ, de qua infrà. Deindè poſt prædictos ſcripſit Bartholomæus de Spina, qui hoc ipſum vult deducere ex ſacra Scriptura, cuius auctoritatem dabimus infrà num. 291. verbo Synodus, de aliis iam diximus in Triturationc. Hæc ſunt omnia, quæ proponunt Aduerſarii circa auctoritates ſacræ Scripturæ, ex quibus prætermittendo ſolùm illas adductas à Turrecremata in 3. & 4. part. quia, vt ipſemet fatetur, ſunt vniuerſales, & communes, accipe, o Lector! Ventilationem aliarum, quæ ſecundùm Aduerſarios loquuntur, clarè, & expreſsè in in diuiduo, ac nominatim de peccato originali contracto de facto in ſua animatione, ſeu Conceptione ſecunda.

1. AVTORITAS SCRIPTVRÆ eſt ex Epiſtola ad Roman. 3. *Iuſtitia Dei eſt per fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes qui credunt in eum: omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei, iuſtificati gratis per gratiam ipſius, & per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem poſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius, vt ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eum, qui eſt ex fide Ieſu Chriſti.* Hæc eſt prima auctoritas propoſita à Turrecremata. Et ipſam primo loco adducunt Anonymus, & Bandellus. Anonymus ait: Ex hac auctoritate poteſt concludi propoſitum dupliciter. Primo ſic: *Omnes homines, qui crediderunt in Chriſto, peccauerunt, quia dicit Apoſtolus: non enim eſt diſtinctio eorum, ſcilicet, qui crediderunt; omnes enim peccauerunt. Sed Beata Virgo credidit in Chriſto, Lucæ 2. Beata quæ credidiſti ergo Beata Virgo eſt de numero eorum qui peccauerunt, non peccato actuali ergo peccato originali, quod in ſua cõceptione cõtraxit.* Secundo ſic: *Omnes homines iuſtificati per gratiam Chriſti, & per ſanguinem ſuum redempti peccauerunt. Hæc propoſitio patet: quia cùm Apoſtolus præmiſiſſet: omnes peccauerunt, ſtatim ſubiungit: iuſtificati gratis per gratiam ipſius, &c. Sed Beata Virgo fuit iuſtificata per gratiam Chriſti, & redempta per ipſum*, quia Venerabilis Beda in Homilia de Aſſumptione loquens ad Beatam Virginem, ſic dicit: *Qui creauit te, ipſe eſt qui iuſtificauit te, & redemit te, & carnem aſſumpſit ex te. Hæc ille. Ergo B. Virgo fuit aliquando ſub peccato.* Hanc autem auctoritatem exponit Auguſtinus in lib. Hypon. contra ſecundã blaſphemiam, ſic dicens: *Omnes enim homines vulneratos eſſe peccato Prothoplauſti, Vas electionis probat, cùm dicit: Non eſt diſtinctio, omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei: dicendo omnes, nullum excipit, quinimò totum declarauit genus humanum. Peccauerunt enim omnes, cùm ex vno peccatore omnes naſcantur peccatores, & egent gloria Dei, id eſt, gratia Dei per Chriſtum, qui eſt gloria Dei, qui venit à ſede Patris quærere, & ſaluum facere quod perierat. Hæc ille.* Item idem in lib. de Natura, & Gratia: *Omnes, inquit Apoſtolus, peccauerunt, & egent gloria, iuſtificati gratis per ſanguinem ipſius. Quicumque autem non putantur pertinere ad omnes hos qui peccauerunt, & egent gloria Dei, profectò nullam neceſsitatem habent, vt Chriſtiani fiant, quia non eſt opus ſanis Medicus, ſed ægrotantibus, vndè non venit vocare iuſtos, ſed peccatores: ergo humana natura iuſtificari, & redimi ab ira Dei iuſtiſsima, hoc eſt, à vindicta nullo modo poteſt, niſi per fidem, & ſacramentum ſanguinis Ieſu-Chriſti. Natura quippè hominis primitùs inculpata, & ſine vllo vitio eſt creata. Natura verò iſta hominis, qua vnuſquiſque ex Adam carnaliter naſceretur, iam medico indiget, quia ſana non eſt. Deus autem qui diues eſt in miſericordia, per multam dilectionem ſuam, qua dilexit nos, cùm eſſemus mortui delictis, conuiuificauit nos in Chriſto, cuius gratia ſumus ſanati, & ſalui facti. Hæc igitur Chriſti gratia, ſine qua nec infantes, nec ætate grandes ſalui fieri poſſunt, non meritis redditur, ſed gratis datur, propter quod gratia nominatur. Vnde illi qui non per illam gratiam, qua gratis iuſtificamur, liberantur, ſalui non fiunt à peccato, vel quod originaliter traxerunt, vel quod malis moribus addiderunt: omnes enim peccauerunt ſiuè in Adam, ſiuè in ſeipſis, & egent gloria Dei. Hæc ille.* Item idem in 13. de Trinitate: *Omnes*

enim

enim peccauerunt, & egent gloria Dei, iuſtificati per ſanguinem ipſius: iuſtificamur enim in Chriſti ſanguine, cùm per remiſſionem peccatorum eruimur de poteſtate diaboli. Iuſtificati planè in eo, quòd ſimus à peccatis omnibus, liberati autem ſumus á peccatis omnibus, quoniã pro nobis eſt Dei Filius, qui nullum habebat peccatum, occiſus. Hæc ille. Item Gloſſa ordinaria Magiſtri Sententiarum ſic dicit: *Omnes enim homines peccauerunt, vel in ſe ipſis, vel Adam, quia ſine peccato non ſunt, vel quod originaliter attraxerunt, vel quod malis operibus addiderunt. Peccatum enim primi hominis non ſolùm ipſum, ſed & omne genus infecit humanum, & egent gloria Dei, quia omnes peccatores indigent gratia Chriſti, qui ſolus ſine peccato venit, ſine qua nec infantes, nec ætate grandes, ſaluifieri poſſunt. Omnes ergo peccauerunt, & indigerent gloria Dei, id eſt, indigent omnes indulgentia, & venia peccatorum. Vndè glorioſus apparet Dominus, iuſtificati gratis, id eſt, non meritis noſtris, ſed ſola gratia iuſtificati facti, qui priùs impij fueramus, per redẽptionẽ, id eſt, per precium pro nobis datum à Chriſto Ieſu, de quo Petrus Apoſtolus dicit: Non corruptibili auro, vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine Agni immaculati. Hæc ille.* Ex quibus concluditur, quod B. Virgo ſit concepta in peccato originali. Hæc Aduerſarii pro prima auctoritate Scripturæ ſacræ.

Regulando ergo textũ adductum cum Gloſſis ad ipſam puram veritatem, inuenio in ipſis commiſſa fuiſſe vitia ſequentia. Primo, prætermiſit Turrecremata illud, *Non enim eſt diſtinctio*: quo autem fine, & intentione, ipſe videat, fortè quia in hac vniuerſali negatiua inueniebat in Virgine Maria diſtinctionem. Secundo, prætermiſit omnia illa: *Ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorũ in ſuſtentatione Dei, ad oſtenſionẽ iuſtitiæ eius in hoc tempore.* Tertio, quoad ſenſum grammaticalem, ſeu litteralem (quem hic, & in omnibus locis ſacræ Scripturæ ſequentibus vnicè inueſtigamus) conſequentiæ deductæ ab Aduerſariis: *Ergo Virgo Maria eſt de numero eorũ qui peccauerunt peccato originali*, vel illa: *Ex quibus concluditur, quòd B. Virgo ſit concepta in peccato originali*; nec concluduntur ex illo textu, neque ex toto capite: tum quia ibi loquitur Paulus de diſtinctione inter Iudæos, & Græcos, vt denotant illæ clauſulæ: *Quid ergo amplius Iudæo eſt? Aut quæ vtilitas circunciſionis? Multum per omnem modum, &c.* Et illa: *Cauſati enim ſumus Iudæos, & Græcos, omnes ſub peccato eſſe, &c.* Tum quia loquitur expreſsè de peccatis actualibus, & incredulitate adultorum, vt denotant illæ clauſulæ: *Quid enim ſi quidam illorum non crediderunt?* Et infrà: *Si enim veritas Dei in meo mendacio abundauit.* Et infrà: *Faciamus mala, vt veniat bona.* Et infrà: *Quia non eſt iuſtus quiſquam, non eſt intelligens, non requirens Deum, omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum, ſepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis dolosè agebant, venenum aſpidum ſub labijs eorum. Quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt, veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem. Contritio, & infœlicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt, non eſt timor Dei ante oculos eorũ, &c.* Ad hæc verba ſubſequuntur in Paulo illa ſuprà allegata ab Aduerſariis: ergo illa vniuerſalis, *omnes enim peccauerunt*, connotat peccata illa immediatè antea à Paulo relata. Item quod nec vnum minimum verbum eſt in toto illo cap, quod loquatur de Adamo, de prima præuaricatione, de ſucceſsione, hominum generatione, Conceptione, Natiuitate Mariæ, originali macula, nec ſaltem verba iſta: contrahere, propagari, habere. Vndè ergo concluditur, vt vos dicitis, in ſpeciali, clarè, & expreſsè, apertè, euidenter, & efficaciter, Virginẽ Mariã cõtraxiſſe originale peccatũ? Vbi ſunt præmiſſæ in textu, de Maria, Conceptione, generatione, Adamo, & originali peccato, vt ex his terminis deducatur concluſio? Dicetis, quòd omnia iſta, licèt in rei veritate non ſint expreſſa in textu cõtinentur, in vniuerſali, *omnes enim peccauerũt*: ſi omnes: ergo Virgo Maria. Attẽde, ò Lector! amore Dei. In hoc capite adducit S. Paulus ſequentes propoſitiones vniuerſales, à quibus omnibus Aduerſarii velint, nolint, cum Catholica Eccleſia excipere debent, & de facto excipiunt ſacratiſsimam Virginem Mariam, ſcilicèt primo, *omis homo mendax*, ſed non Maria. Secundo, Iudæos, & Græcos, *omnes ſub peccato eſſe*, ſed non ſic Maria. Tertio, *Non eſt iuſtus quiſquam*, excipitur Maria. Quarto, *omnes declinauerunt*, ſed non Maria. Quinto, *ſimul inutiles facti ſunt*, id eſt, omnes homines, non Maria. Sexto, *non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum*, excepta vna, & vnica Maria. Septimo, *omne os obſtruatur*, ſed nõ Mariæ. Octauo, *quia ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo*, à qua ſuo modo excipitur caro illa Virginea Mariæ, quia ſine operibus legis fuit iuſtificata in vtero Matris ſuæ, ſiuè per ſanctificationem, ſiuè præſeruationem ante circunciſionis legales ceremonias, ſiuè ſacrificia oblata pro paruulis ad abolendum peccatum originale. Nono, *In omnes, & ſuper omnes qui crediderunt in eum, non eſt diſtinctio*, in ſola autem Virgine Maria, in omnes, & ſuper omnes, qui crederũt, fuit diſtinctio in modo credendi. Decimo, *omnes enim peccauerunt*, peccato actuali, ex illis qui crediderunt in Chriſtum, à quibus omnibus excipitur ſola, & vnica Virgo Maria, etiam ſecundùm vos dicentes: *Non peccato actuali*, vt omnes alii: *ergo originali*: Si ergo, ò Patres

mei

mei! in illo Pauli capitulo à vobis citato ſunt vndecim propoſitiones vniuerſales, & in illis rebus, de quibus apertè, clarè, & expreſsè loquitur Paulus; tota Eccleſia, & vos cum illa, & in illis excipitis ſacratiſsimam Virginem Mariam, quo fundamento, vel veritate vultis illā includere in vna Conceptione, ac peccato originali, de quibus non loquitur Paulus? Et inſuper addidiſtis, quod hoc in ſpeciali concluditur de Maria, de facto, clarè, apertè, euidenter, & efficaciter, & quod contrarium dicere, eſt impium, prophanum, & hæreticum? Quando nec Paulus loquitur de Conceptione, peccato originali, nec Maria? Iudicate ergo amore Dei, de poſita omni paſsione, an totum à vobis propoſitum in hac auctoritate ſit verum, vel falſum, certum, vel fictum, ſaltem, vt non etiam dicamus & nos: omnes enim peccauerunt.

Sed fortè inſtabitis, quod licèt hoc nō cōſtet ex textu Scripturæ, deducitur tamen ex Gloſsis Bedæ, Auguſtini, & Magiſtri Sententiarum, optimè! Ergo ſi non conſtat veſtra concluſio ex textu Scripturæ, quo fine, & intentione adduxiſtis textum iſtum S. Pauli? Dicite quòd ex auctoritatibus Bedæ, Auguſtini, & Magiſtri Sētent. concluditur veſtrum intentum, & relinquinte in hac parte S. Paulum, & Scripturā ſacram. Sed iam videamus, qua veritate adduxiſtis Gloſſas ſuprà poſitas, vt anguſtiæ ſint vobis vndique?

Et primo illa venerabilis Bedæ à primo vſque ad vltimum verbum eſt penitùs ficta, & falſa, & mendaciter adducta, quia Beda ſolùm habet vnam Homiliam de Aſſumptione Virginis, quæ extat in operibus eius tom. 7. fol. 124. & incipit: *Duæ iſtæ Domino dilectæ*, & fol. 364. adducit etiam Serm. de S. Maria, qui incipit: *Hodie fratres chariſsimi*, ſed in nullo iſtorū extant à vobis adducta verba, legi omnes Sermones antiquorum Patrum de Aſſumptione Virginis, ſcilicèt S. Melitonis Epiſcopi, S. Athanaſii, S. Ephrem, D Epiphanii, S. Hieronymi, Hæſichii Presbyteri duos, Chryſipi Hieroſolymitani, S. Auguſtini quatuor, S. Hildephonſi nouem, S. Andreæ Cretenſis duos, S. Ioannis Damaſceni, S. Bernardi quinque, Anſelmi, Euſebii Emiſſeni, Guerrici Abbatis quatuor, & in 3. qui incipit: *In omnibus requiem, &c.* habet aliqua verba ſimilia, inquit enim: *Conuertere anima in requiem tuam, quia Dominus bene fecit tibi: qui creauit me, creatus eſt ex me, requieuit in tabernaculo corporis mei, negare non poterit mihi requiem cœliſui:* iſta affinitatem habere videntur cum illis: *Qui creauit te, ipſe eſt qui iuſtificauit te, & redemit te, & carnem aſſūpſit ex te*, ſed non ſunt eadem verba formaliter, nec materialiter, & Guerricus Abbas non eſt Beda venerabilis. Vidi etiam Sermonem Petri Damiani, & Zachariæ Chryſopolitani, qui incipit: *Multa filiæ cōgregauerunt, &c.* qui extat in operibus eius fol. 378. Rabanū Mauru, Sermone de Aſſumptione, qui incipit: *Cùm omniū Sanctorum*, tom. 5. fol. 197. & ſolùm inquit: *Initiator omnium rerum abs te initiatus eſt, & profundendum pro mundi vita ſanguinem, de corpore tuo accepit, &c.* Niſi fortè hæc verba fuerint deſumpta ex S. Auguſtino Serm. 2. in Pſalm. 7. tom. 8. fol. 269. vbi inquit. *Suſcepit à te, in quo moreretur pro te, ſuſcepit à te, quod offerret pro te.* Si ſunt iſta, ipſa ſunt penitus adulterata. Ergo ex omni parte hæc Bedæ Gloſſa ficta fuit, & falſa? Vel illam oſtendant, quia tūc dicemus quod nihil probat, quia nos non negamus Mariam fuiſſe iuſtificatam, ac redemptam, imo excellentiori modo quàm omnes alii, ſcilicèt, quia fuit præteruata, & quod Chriſtus ſuſcepit a Virgine carnem, in qua mortuus eſt pro Virgine.

Auctoritas S. Auguſtini deſumpta ex libro Hypognoſticon contra Pelagianos, ad artic. 2. fol. 295. colum. 3. litt. H. tom. 7. habet vitia ſequentia. Primo, falſum eſt illud quod dicunt Aduerſarii: *Hanc auctoritatem exponit Auguſtinus*, quia ibi Auguſtinus non exponit illam auctoritatem, ſed incidenter illam adducit, ſicut alias quam plures. Sunt enim res inter ſe diuerſæ, quia in expoſitione exprimit Auctor ex profeſsò ſuam mentem, & declarat loci ſecundùm ſuum genuinum ſenſum litteralem, quando autem incidenter adducitur tantum propter vnum, vel aliud verbum ſuum propoſitum confirmans non eſt, nec poteſt dici Gloſſa. Secundo, tota ferè auctoritas eſt vitiata: nā in Auguſtino ſic extat: *Omnis enim carnaliter naſcens, natura filius iræ rectè dicitur: quia natura eſt Prothoplaſti, quæ prior in illo propter delictum iram iudicis Dei iuſtè ſuſcepit. Si enim delictum eius, per quod, vt dixi, ad iram Dominum prouocauit, non traheremus, nunquam naturæ filij iræ diceremur. Et ideo peccatum eius non ſolùm ipſum, ſed omne nocuit genus humanum, cum eius damnatione ſimul & culpā ſuſcepimus. Eius enim nos vulneratos eſſe delicto, vas probat electionis, cùm dicit: Non enim eſt diſtinctio: omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Dicendo, omnes, nullum excipit, quinmò totum declarauit genus humanum. Peccauerunt enim omnes, cùm ex vno peccatore omnes naſcimur peccatores. Propter quod iterum idem dicit Apoſtolus: Nam iudicium ex vno in condemnationem. Ex quo, vno niſi ex Adam, vel eius vno peccato? In qua condemnatione, niſi in culpa eius, qua ille eſt condemnatus? Quid eſt autem, & egent gloria Dei: niſi gratia Dei Patris per Ieſum Chriſtum, qui eſt gloria Dei Patris? Et quid eſt, egent, id eſt, nemo idoneus per ſe, quod naſcitur carnaliter, vel operibus meritorum, vitam recipit perditam, niſi per Dominum noſtrum*

ſtrum Ieſum Chriſtum ſpiritualiter renaſcatur, qui venit Patris, & ſua, Sanctique Spiritus indebita miſericordia ſaluare, & quærere quod perierat, &c. Ex hac Auguſtini auctoritate ſuā cōpoſuerūt Aduerſarii, ſumētes aliqua, & derelin quētes alia, prout ipſis placuit, ſicut etiā fecerūt ſuprà in Auguſtino, vbi ipſam iterūt adduxerūt. Pro noſtra verò quæſtione, ſolum faciūt illa Auguſtini verba: *Omnis carnaliter naſcens natura eſt filius iræ, quòd Adā omne nocuit genus humanū, & ita nocuit omnes, vt Paulus nullū excipiat.* Hæc omnia vniuerſalia verba ſunt pro opinione Aduerſariorum, ſed pro nobis illa eſt exceptio, quam aſſutè prætermiſerunt Aduerſarii: *Id eſt, nemo idoneus per ſe quod naſcitur carnaliter.* Vndè ſecundùm hanc Gloſſam Auguſtini ſolùm dicit Paulus, quod omnis carnaliter naſcens, *per ſe*, id eſt, *natura*, & ex vi ſuæ generationis eſt *natura* filius iræ, quod quidèm nos libentiſsimè non ſolùm cū Auguſtino, & Paulo, ſed etiam cum fide cōcedimus: *per ſe*, enim & ex natura ſua, nec ipſa Virgo Maria idonea erat, vt naſceretur ſine peccato originali, quia carnaliter fuerat genita; ſecus ex gratiæ priuilegio; nam ſicut ex illo nata fuit, ita & cōcepta. Vndè hæc Gloſſa Auguſtini noſtram potius confirmat ſententiam.

Auctoritas deſumpta ex libro de Natura, & Gratia circa principium tom. 7. fol. 157. col. 3. littera H. habet ſequentia vitia. Primum, quod non eſt Gloſſa ſicut nec præcedens. Secundo, quòd ex vno loco deſumpta eſt vna clauſula vſque ad illud, *peccatores*, & poſt 32. lineas deſumpſerunt aliam, ſcilicèt à verbo illo: *ergo humana natura.* Tertio, quia vbi Aduerſarii dicūt: *Quia vnuſquiſque ex Adam carnaliter naſceretur*, in originalibus Auguſtini ſic extant: Quia vnuſquiſque *ex Adam naſcitur*; addiderunt enim illud, *carnaliter*, & tranſmutarunt, *naſcitur* in, *naſceretur.* Quarto, ab illo verbo: *quia ſana non eſt*, prætermiſerunt vndecim lineas. Quinto, vbi Aduerſarii, *Vndè illi qui nō per illā gratiā qua gratis iuſtificamur, liberātur ſalui nō fiunt à peccato, vel quod originale traxerūt, vel quod malis moribus addiderūt: omnes enim peccauerūt, ſiuè in Adam, ſiuè in ſe ipſis, & egent gloria Dei*, in Auguſtino ſic extant: *Vndè hi qui non per illam liberantur, ſiuè qui audire nōdum potuerunt, ſiuè quia obedire noluerunt, ſiuè etiā cùm per ætatem audire non poſſunt, lauacrum regenerationis quod accipere poſſent, per quod ſalui fierent, non acceperunt, iuſtè vtique damnantur: quia ſine peccato non ſunt, vel quod originale, &c.* iā vides, quāta hic prætermiſerunt, quia ex illis colligebatur mens Auguſtini, ſcilicet, quòd cùm nullus eſſet iuſtus ex ſe, ſiuè per originale, ſiuè per actuale, omnes indigebant lauacro Bauptiſmi. Sexto, quod hæc vltima verba, quæ videntur aliquomodo pertinere ad rē, propter illud, *omnes enim peccauerunt, ſiuè in Adam ſiuè in ſeipſis*, ex quibus Aduerſarii rationabiliter poterant deducere: ergo Maria peccauit in Adam, vel in ſeipſa, non ſunt Gloſſæ illorum verborum; *omnes peccauerunt*, propoſitorum ab Aduerſariis, quia diſtāt taliter, quod prima clauſula extat in capite primo, deindè prætermiſerunt totum caput ſecundum, & ſumentes aliqua verba ex capite tertio concluſerunt auctoritatem cum hac vltima clauſula, quæ extat in capite quarto: quomodo ergo, o Lector! verba exiſtentia cap. quarto, poſſunt dici Gloſſa illius auctoritatis ſacræ Scripturæ exiſtentis cap. primo? Aduerſarii autem prætermittentes lineas, ita illa coniunxerunt interſe, vt dum voluerunt efficere Gloſſam, fabricarunt monſtri gloſſam, à capite primo vſque ad quartum: O auctoritas habens quatuor capita! quid diceremus de te, ſi hāberes ſeptem?

Auctoritas ex lib. 13. de Trinitate, primo falſa, & ficta eſt quoad hoc, quod dicunt S. Auguſtinum ibi explicaſſe propoſitum ab ipſis textum Pauli ex cap. 3. ad Roman. *Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei, iuſtificati, &c.* Quia S. Auguſtinus nec in illo libro 13. de Trinitate, nec in aliis quindecim libris de hoc Myſterio ab ipſo elaboratis, vt videre eſt tom. 3. à fol. 54. aliquid habet de hac auctoritate. Locū autem ab Auguſtino explicatum, diuerſiſsimū eſſe, patet ex ipſis verbis Auguſtini, quæ ſic ſe habent in prædicto lib. 13. cap. 16. fol. 95. colum. 2. litt. E. *Tantum valuit ſanguis ille, vt neminem Chriſto indutum in æterna morte debita detinere debuerit, qui Chriſtum morte indebita, vel ad tempus occidit. Commendat ergo charitatem ſuam Deus in nobis. Quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt: Multò magis iuſtificati nunc in ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira per ipſum. Iuſtificati, inquit, in ſanguine ipſius, iuſtificati planè, in eo quòd à peccatis omnibus liberati: Liberati autem à peccatis omnibus, quoniam pro nobis eſt Dei Filius, qui nullum habebat occiſus. Salui ergo erimus ab ira per ipſum. Ab ira vtique Dei, quæ nihil eſt aliud, quam iuſta vindicta, &c.* Patet ergo ſecundo ex his, quod verba adducta ab Aduerſariis non extant in Auguſtino exponendo cap. 3. ad Roman. & verba illa: *Omnes enim peccauerunt*, ſed cap. 5. & verba illa: *Commendat ergo charitatem ſuam Deus in nobis.* Tertio colligitur, penè omnem auctoritatem fuiſſe vitiatam, nam prætermiſerunt illa verba: *Quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Multò magis iuſtificati nunc in ſanguine ipſius ſalui erimus ab ira per ipſum*, quia videbant hæc omnia loqui de peccatis actualibus. Quarto, vbi Auguſtinus: *Iuſtificati in ſanguine ipſius, iuſtificati planè in eo, quòd à peccatis omnibus liberati*; ipſā ſic, *iuſti-*

ſtificamur enim in Chriſti ſanguine, cùm per remiſſionem peccatorũ eruimur de poteſtate diaboli, alterarunt illud, *iuſtificamur*; & addiderunt ly, *Chriſti*, & illud, *cum per remiſſionem peccatorum eruimur de poteſtate diaboli*. Quinto, in ſequenti clauſula addiderunt ly, *ſumus*, & in ſequenti addiderunt ly, *peccatum*, Et ſic hæc auctoritas, nec eſt Gloſſa, nec explicat locum ab ipſis adductum, & tota, vt demonſtrauimus, eſt adulterata, & nihil concludit.

Auctoritas autem vltima Magiſtri Sententiarum Petri Lombardi, vt extat in ſua expoſitione, ſeu collectanea ex Auguſtino, Ambroſio & Hieronymo, &c. impret. Pariſiis anno 1537 in fol. & elaborata ab ipſo Auctore, vt ibidem dicitur anno 1140. & etiam ibidẽ in 4. licèt dicat elaboratum fuiſſe hoc opus à Magiſtro anno 1111. certum eſt, quod Magiſter obiit anno 1159. decimotertio Kal. Auguſti. Hic ergo fol. 17. pag. 1. litt. B. §. *per legem*, ſic ſe habet: *Et verè in omnes. Non enim eſt diſtinctio Iudæi, & Gentilis; omnes enim tàm Iudæi, quàm Gentiles peccauerunt, vel in ſe ipſis, vel in Adam, quia ſine peccato non ſunt; vel quod originaliter traxerunt; vel quod malis moribus addiderunt. Peccatum enim primi hominis non ſolùm ipſum ſed etiam omne vitiauit genus humanum; quia ex eo omnes dãnationẽ ſimul, & culpam ſuſcepimus. Peccauerũt ergo omnes, cũ ex vno peccatore omnes naſcuntur peccatores, & egent adhuc quotidiè gloria Dei, id eſt, iuſtitia Dei, nõ ſua; quæ ideò dicitur gloria Dei, quia per hoc Deus glorioſus apparet. Omnes igitur peccatores inuenit gratia Chriſti, qui ſolus ſine peccato venit. Et omnes egent gloria Dei, id eſt, vt ipſe liberet, qui poteſt, nõ tu, qui liberatore indiges. Hæc igitur Chriſti gratia ſine qua neq; infantes, nec grãdes ſalui fieri poſſũt, nõ meritis redditur, ſed gratis datur, propter quod & gratia nominatur. Vniuerſa enim maſſa pœnas debet, & ſi omnibus debitũ dãnationis ſupplicium redderetur, non iniuſtè procul dubio redderetur, qui ergo indè per gratiam liberantur, non vaſa meritorum ſuorum, ſed vaſa miſericordiæ nominantur rectè. Quiſquis ergo agat gratias miſericordiæ Dei, quos voluit liberantis, quia rectè nullus poſſet iuſtitiam, culpare vniuerſos, ſi vellet, damnatis. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei, id eſt, indulgentia & venia peccatorum, vndè glorioſus apparet Deus; & quia omnes peccauerunt, ergo iuſtificati ſunt gratis, id eſt, ſine meritis præcedentibus, & hoc per gratiam ipſius, &c. Ergo iuſtificati ſunt gratis, quia nihil operati erant. Per gratiã ipſius, quia fide iuſtificati ſunt, & præcipuè per redemptionem, quæ eſt nobis in Chriſto Ieſu, de quo Petrus ait: Quia non corruptibili argento, & auro redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine Vnigeniti Filij Dei. Nempe vt iuſtificarentur homines diuina gratia, veritas de Maria nata eſt, vt poſſet pro illis iuſtificandis offerri ſacrificium paſſionis, & Crucis, &c.* Hæc eſt integra auctoritas Magiſtri Sententiarum, vbi notare libet. Primo, quod licèt hæc ſit Gloſſa, ſed non ordinaria, vt Aduerſarii dicunt, ſed pluſquam extraordinaria, & à paucis nota, nè dicam pauciſſimis. Secundo, prætermiſerunt illud: *Non eſt diſtinctio Iudæi, & Gentilis, omnes enim tam Iudæi, quã Gentiles*, quorum loco appoſuerũt: *Omnes homines*, vt ſic propoſitio ſic eſſet determinata, ſed vniuerſaliſſima. Tertio, vbi Magiſter: vel *malis moribus*, ipſi: malis *operibus*, quod nõ caret intẽtione. Quarto, vbi Magiſter: *vitiauit*, ipſi peſſima corruptione poſuerunt: *infecit*, eſt enim maxima diſtinctio inter vitiare, & inficere, quia vitiauit importat inclinationem ad malũ; infectio verò dicit culpã, & maculã contractã. Quinto, prætermiſerunt omnia illa: *Quia ex eo omnes damnationem ſimul, & culpam ſuſcepimus, peccauerunt ergo omnes, cum ex vno peccatore omnes naſcuntur peccatores, &c.* Et prætermiſerunt illa, quia multa timuerunt, præcipuè verba iſta: *Omnes naſcuntur peccatores*, quia cũ ab hac vniuerſali (æquali illi: *Omne vitiauit genus humanum*) exempta fuerit Virgo, ſecundũ ipſos & vniuerſalem Eccleſiam, timuerunt paritatem, & illationem ab exemplo euidentem, quod ſicut à Natiuitate, etiam à Conceptione Maria fuerat exempta. Sexto, vbi Magiſter: *Et egent adhuc quotidiè gloria Dei, id eſt, iuſtitia Dei, non ſua, quæ ideò dicitur gloria Dei, quia per hoc Deus glorioſus apparet: omnes igitur peccatores inuenit gratia Chriſti, qui ſolus ſine peccato venit*, hic multa ca uillosè prætermiſerunt, ſcilicèt ly: *adhuc quotidie*, quia connotabat peccata actualia. Item ly, *non ſua*, item ly, *inuenit*, vt ſic verba illa: *qui ſolus ſine peccato venit* loquerentur de peccatis abſolutè, & ſimpliciter; & non tantum de inuentis, ſiuè actualibus. Septimo, vbi Magiſter: *Et omnes egent gloria Dei, vt ipſe liberet, qui poteſt, non tu qui liberatore indiges. Hæc igitur Chriſti gratia, ſine qua neque infantes, neque grãdes ſalui fieri poſſunt*, omnia non recta intentione prætermiſerunt, vt efficerent illam propoſitionẽ continuam: *Peccatores indigent gratia Chriſti qui ſolus ſine peccato venit, ſine qua nec infantes, nec ætate grãdes ſalui fieri poſſunt*, & conficit ſic diſpoſita hunc ſenſum, Chriſtus ex gratia venit ſine peccato illo quo infantes in conceptione, & ætate grandes ex operatione maculantur: quod quidem facit diuerſiſſimum ſenſum ab illo Magiſtri. Sed quidquid ſit de intentione, vel interpretatione, hoc ſaltem non poſſunt negare, quod tota clauſula eſt enormiter vitiata. Octauo, prætermiſerunt totam ſequentem clauſulam ab illo verbo: *Non meritis redditur, &c.* vſque illud: *Omnes, &c.* & hæc fuit ex omnibus deteſtabilior corruptio,

quia

quia fugerũt ab illis verbis: *Vniuersa enim massa pœnas debet, &c. Qui ergo inde per gratiam liberantur*, vbi instabat Magister, quod ab illa massa, seu debito pœnarum, aliqui per gratiam liberari poterant. Nono, penitùs vitiarunt sequẽtem clausulam, à primo vsque ad vltimum verbum. Decimo, prætermiserunt alias sex lineas post illa verba: *gratiam ipsius, &c.* Vndecimo, aliqua etiam vitiarunt in auctoritate S. Petri. Duodecimo, nescio quo fine, vel intentione, vbi Magister dixit. *Sed pretioso sanguine vnigeniti Filij Dei, nempe vt iustificaretur homines, diuina gratia, veritas de Maria nata est*; ipsi sic, *Pretioso sanguine Agni immaculati*. Patres mei, Agnus immaculatus est Christus, sed cum verba ista non extent in Magistro Sentẽtiarum, quo fundamento illa adduxistis? Vbi erant, *veritas* &, *Maria* apposuistis, *Agni* & *immaculati*, fortè ita factum, vt nec veritas, nec Maria essent immaculatæ in hac prima auctoritate à vobis adducta? An fortè quia contra vtramque ist æqualis pugna? *Non enim est distinctio? Omnes enim peccauerunt*, Maria, & veritas? Turrecremata adducit Glossas Nicolai Gorram, & Henrici, in quibus nihil speciale, notatione dignum inuenio, sunt enim vniuersales propositiones, & parui momenti.

2. AVCTORITAS SCRIPTVRÆ. Hæc adducta à Turrecremata, Anonymo, & Bandello, sic se habet: Ad Roman, 5. *Per vnum hominem in hunc mundum peccatum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Pro hac auctoritate addidit Anonymus sequentia: Ex qua auctoritate arguitur sic: *Omnes homines ab Adam seminaliter propagati peccauerunt in ipso Adam sed B. Virgo fuit ab Adam seminaliter propagata, vt dicunt Doctores: ergo & ipsa peccauit in Adam, in quo omnes peccauerunt.* Hanc auctoritatem exponit Augustinus in 2. lib. de Baptismo paruulorum, sic dicens: *Ex quo per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertrãsijt vsque in finem carnalis generationis, & corruptibilis sæculi, cuius filij generant, & generãtur, nullus extitit homo, de quo in hac vita cõstituto veraciter dici posit, quod nullum habuerit peccatum, excepto vno mediatore, qui nos creatori nostro per remissionem reconciliauit, peccatorum. Hæc ille.* Item idem in Enchiridion cap. 34. *Hic enim Adam post peccatum exul factus stirpem quoque suam, quàm peccando in se tanquam in radice vitiauerat, pœnam mortis ac damnationis abstrinxit, vt quidquid prolis ex illo, & simul damnata coniuge per carnalẽ concupiscentiam nasceretur, traheret originale peccatum. Per vnum hominem, inquit Apostolus, peccatum intrauit in mundum, per mundum intelligens totum genus humanum. Hæc ille.* Et sic prosequitur Anonymus: *Ecce quòd dicit: Quidquid prolis ex Adam, & Eua carnaliter propagatur, contrahit originale peccatum: Beata autem Virgo est ab Adã carnaliter propagata, igitur, &c.* Item idem in libro de Natura, & Gratia: *Per vnum hominem, inquit Apostolus, peccatum intrauit in mundum, & ita in omnes pertransiit, in quo omnes pecauerunt, & antiquos, & recentiores, & nos, & posteros nostros sententia ista cõplectitur: peccauerunt enim omnes, quia ex vno peccatore omnes nascũtur peccatores. Hæc ille.* Itẽ in lib. de Nuptiis, & cõcupiscentia: *Per vnũ hominẽ peccatũ intrauit in mũdum, & in omnes pertransiit, in quo omnes peccauerunt per vnius illius volũtate mala omnes in illo peccauerunt, quando omnes homines ille vnus fuerunt, ideò dico homines expertes nõ esse delicti, quia de illa cõmixtione sunt nati, quæ sine pudẽda libidine non potest etiã quod honestũ est operari. Dixit enim beatissimæ memoriæ Ambrosius Episcopus ideò Christũ expertem esse delicti, quia conceptus eius vtriusque sexus cõmixtionis est expers. Nullũ autem hominũ esse sine delicto, qui de illa commixtione conceptus est. Hæc ille.* Hucusque sunt verba Anonymi, quo autem fundamento, aut veritate, fuerit adductus locus iste Pauli cum Glossis suis, ex iam dicendis patebit.

Auctoritas adducta ex Augustino extat in libro 2. de peccatorum meritis, ac remissione, & de Baptismo paruulorum ad Marcellinum tom. 7. cap. 29. fol. 153. col. 3. litt. G. & in illa aliqua prætermiserunt verba, scilicèt ly, *huius*, item vbi Augustinus, *nullo existẽte homine, &c.* ipsi, *nullus existit homo.* Item vbi Augustinus, *quod nullum habeat omninò peccatum*; ipsi cauillosè, *quod nullum habuerit peccatum*, etenim diuersum sensum facit: *habuerit*, de præterito, quam *habeat*, de præsenti, item omiserunt ly, *omninò*, consequenter sub eadem intẽtione, vbi Augustinus dicit, *reconciliat*, de præsenti; ipsi apposuerunt, *reconciliauit*, de præterito, vt sic auctoritatẽ, quæ loquitur de peccatis actualibus, facerẽt vniuersaliorẽ, etiam ad originale peccatum; fatemur ergo, quod verba Augustini sunt vniuersalia, ideò Marginator Augustini apposuit ad marginem hæc duo verba, sub interrogatione: *vbi Maria?* Quasi diceret: O Augustine, in hac tua regula generali, quomodo non recordaris Mariæ? sicut fecisti in libro de natura, & gratia?

Alia auctoritas ex eodẽ Augustino desumpta fuit ex Enchiridione, non cap. 34. vt dicunt Aduersarii, sed ex cap. 26. tom. 3. fol. 37. col. 1. litt. B. & habet sequentia viria. Primo, addiderunt illud, *Hic enim Adam*, nam Augustinus incipit illud caput sic absolutè: *Hinc post peccatum*. Secundo, non dicit, *abstrinxit*, sed *obstrin-*

ſtrinxit. Tertio, prætermiſerunt illud, *per quam peccauerat.* Quarto, etiam illud, *In qua inobedientiæ pœnâ ſimilis retributa eſt.* Quinto, prætermiſerunt totam hanc clauſulam, *Quo traheretur per errores, doloreſque diuerſos ad illud extremum cum deſſertoribus Angelis vitiatoribus, & poſſeſſoribus, & conſortibus ſuis ſine fine ſupplicium. Sic per vnum hominem peccatũ intrauit, &c.* Sexto, vltima clauſula ſic extat in Auguſtino, *Mundum quippè appellauit eo loco Apoſtolus vniuerſam genus humanũ.* Septimo, ex his patet, quod hæc verba Auguſtini non ſunt Gloſſa illius auctoritatis Pauli, ſed incidenter adducta ſunt, ſicut omnia alia in toto illo lib. Enchiridionis exiſtentia. Item hæc auctoritas eſt multiplicata, vt videre eſt nu. 254. in Petro Tripolitano.

Sequens auctoritas de ſumpta ex Auguſtino lib. de Natura, & Gratia cõtra Pelagianos cap. 41. fol. 161. col. 3. litt. H. ſed prætermiſerunt præcipua verba, à quibus pendet omnis intelligentia verborum Pauli. Sic enim extant in originali: *Quod autem ſibi obpoſuit ab eis dici contra quos loquitur, omnes enim peccauerunt, manifeſtum eſt quod, de his dicebat Apoſtolus, qui tunc erant, hoc eſt, de Iudæis, & Gentibus: ſed planè illud quod commemorauit, per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertrãſijt, in quo omnes peccauerunt. Et antiquos, & recẽtiores, & nos, & poſteros noſtros ſententia iſta cõplectitur. Poſſit etiam illud teſtimoniũ, vndè probet, cùm dicuntur omnes, non ſemper omnes omninò nullo prætermiſſo intelligi opportere. Sicut per vnius, inquit, delictũ in omnes homines in condemnationẽ, ſic & per vnius iuſtitiã in omnes homines in iuſtificationẽ vitæ. Cui per Chriſti, inquit, iuſtitiã, non omnes, ſed eos tantum qui illi obedire voluerunt, & Baptiſmi eius ablutione purgati ſunt, ſanctificatos eſſe, non dubium ſit, non planè iſto teſtimonio probat quod vult. Nam ſicut dictum eſt. Sicut per vnius delictum, &c.* Sequentia vide infra in 3. auctoritate Scripturæ. Ex ſola hac auctoritate poteſt intelligi Lector quãta mala operati ſunt Auuerſarii in hac materia? nam ex tribus clauſulis auctoritatis Auguſtini prætermiſerunt primam, & vltimã, & ſolùm adduxerunt ſecundam nudè, quæ perſe ſola multum videtur dicere, ſed adiuncta aliis, nihil contra noſtram ſententiam exprimit, imò eſt pro nobis, & tanquam expreſsius enucleantem Pauli mentem, illam admittimus, ac recipimus. Dicit igitur Auguſtinus in ipſa clarè, & expreſsè tria. Primum quod illud, *Omnes enim peccauerunt*, dictum fuit à Paulo pro Iudæis, & Gentibus tempore Pauli exiſtentibus, quia omnes erant pẽccatores. Secundo, quod illud, *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundũ, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſit, in quo omnes peccauerunt*, non ſolùm comprehendit illos præſentes Iudæos, & Gentiles, qui erant tempore Pauli, ſed illos antiquos, & omnes recentiores, ſed etiam complectitur nos, & poſteros noſtros, ita vt dẽ omnibus loquatur vniuerſaliter. Tertium, dicit Auguſtinus, quod illud, *omnes*, admittit exceptionem, quia non omnes omninò peccauerũt, quia aliqui, vel ſaltem aliquis ab hac generalitate exceptus fuit. Hæc tria apertè, & clarè conſtãt gramaticaliter, & ad litteram ex propoſita auctoritate Auguſtini. Ex quibus deduco, quod ſiuè Paulus, ſiuè Auguſtinus, loquantur in illis verbis de peccatis actualibus, vt ipſamet littera Pauli ſonat, & Auguſtinus exprimit, ſiuè de originali, vt volunt Aduerſarii, iam ex eodem Auguſtino habemus exemptionem vniuerſalem in illis verbis: *Non ſemper omnes omninò nullo prætermiſſo intelligi opportere*, imò etiam exceptionem particularem pro ſacratiſsima Virgine Maria, nam paulò poſt ante propoſitam auctoritatem, id eſt, cap. 36. eiuſdem libri excipit Deiparam, dicens: *Exempta itaque Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorſus, cum de peccatis agitur, habere volo quæſtionem, &c.* Et deindè conſequenter ad hæc inquit infrà cap. 41. *Cùm dicũtur omnes, non ſemper omnes omninò nullo prætermiſſo intelligi opportere.* Si ergo Auguſtinus in eodem libro de Natura, & Gratia, & in eodem capite, & quod plus eſt, in eadem auctoritate excipit generaliter aliquem, & in eodem libro antecedenter ſolùm per duas columnas, expreſsè, ac nominatim, ſpecialiter, ac in individuo excipit Mariam, quo fundamento, ac veritate, ò Patres mei! adduxiſtis propoſitam Gloſſam Auguſtini? Crede mihi, ò Lector! quod ſolùm circa hanc Pauli auctoritatem, & intelligentiã illius litteralem poteram ſcribere alium librum integrum, & aliquando fui ſub hac efficaci determinationé: vide quæ de hac auctoritate, & Pauli loco ſcripſit R. P. Fr. Petrus de Simancas, Ordinis S. Auguſtini, in illo ſuo Libello edito, cuius titulus eſt: *Locus litteralis pro immunitate B. V. Mariæ á peccato originali, &c.* Matriti 1640. in 8. inſtitutum enim præſens ſolùm eſt detegere vitia aliena, non verò oſtendere virtutes noſtras.

Pro vltima auctoritate adducta ex eodem S. Auguſtino in libris de Nuptiis, & concupiſcentia, ad Valerium Comitem, qui extant tom. 7. à fol. 174. vel aliter lib. 2. cap. 5. fol. 180. col. 2. ad finem, ſic inquit S. Doctor: *Ita verò, ita eſt, ſicut enim, &c. In quo omnes peccauerunt. Per vnius illius voluntatem malam omnes in eo peccauerunt, quando omnes illi vnus fuerunt, de quo propterea ſinguli peccatum originale traxerũt. Dicis enim, inquit, ideò illos eſſe ſub diabolo, quia de ſexus vtriuſque commixtione naſcũtur?*

tur. Dico planè propter delictum eos esse sub diabolo, ideò autem expertes non esse delicti, quia de illa commixtione sunt nati, quæ sine pudenda libidine non potest etiã quod honestũ est, operari. Dixit hoc etiã Beatissimæ memoriæ Ambrosius, Ecclesiæ Mediolanensis Episcopus, cũ Christi carnalem Natiuitatẽ ideò diceret expertẽ esse delicti, quia conceptus eius vtriusque sexus cõmixtionis est expers: Nullũ autem hominũ esse sine delicto, qui de illa cõmixtione conceptus est. Nam eius verba ista sunt. Ideò, inquit, & quasi homo per vniuersa tentatus est, & in similitudine hominũ cuncta sustinuit. Sed quia de spiritu natus, abstinuit à peccato, omnis enim homo mẽdax, & nemo sine peccato, nisi vnus Deus. Seruatum est igitur, inquit, vt ex viro, & muliere, id est, per illam corporis cõmixtionẽ nemo videatur expers esse delicti. Qui autem expers est delicti, exper est etiã huiusmodi Conceptionis, &c. Habemus igitur, o Lector! integra verba Augustini, & Ambrosii: regulâdo ergo ad illa ab Aduersariis adducta, inuenies vitia sequẽtia. Primo, quòd vbi Augustinus, *omnes illi vnus fuerunt*, addiderunt ly, *homines*, & mutauerunt, *illi*, in singulari, sed hic fortè fuit error Typographiæ. Secundo, nescio qua intentione præter miserunt illam Augustini clausulã, *de quo propterea singuli peccatũ originale traxerũt*, cùm in his verbis potiùs deberẽt inherere, si quidẽ passim in aliis auctoritatibus illa ex propriis addiderunt, vt millies demostratum est in hac Ventilatione, sed non fecerunt hoc ex simplicitate cordis, sed ex mera, & non laudabili aduertentia, vt statim dicã. Tertio, prę termiserunt illã replicã hæreticorum, adductã à Augustino: *Dicis enim, inquit, ideò illos esse sub diabolo, quia de sexus vtriusque cõmmixtione nascuntur*, quia ex his mens Augustini apertiùs constabat. Quarto, prætermiserunt illud, *dico planè propter delictũ eos esse sub diabolo, ideò autẽ*, nota illam causalem prætermissam; *ideò autẽ expertes*, quam ipsi sic vitiarũt: *Ideò dico homines expertes, &c.* Vt causalis appellaret super Auctorem, non supra auctoritatis sententiam. Quinto, cùm Augustinus ex Ambrosio diceret: *Cùm Christi carnalẽ Natiuitatem, ideò diceret expertem esse delicti*; Aduersarii sic, *ideò Christum expertem esse delicti*, abstulerunt enim illud, *carnalem Natiuitatem*, à quibus verbis tota pendet intelligentia auctoritatis, quia S. Augustinus, & Ambrosius loquuntur de carnali generatione Christi per contrapositionem ad carnalem generationem aliorum; quia Christi fuit in Maria absque sexus commixtione, & de Spiritu Sancto natus in vtero secundùm carnem, &c. Sexto, prætermiserunt verba Ambrosii propter illam clausulã: *Sed quia de Spiritu Sãcto natus, abstinuit à peccato: omnis enim homo mendax, & nemo sine peccato, nisi vnus Deus:* Hæc oratio non loquitur de peccato originali, sed actuali, vt denotãt illa verba, *abstinuit à peccato, omnis homo mendax.* Et hæc de vitiis literæ; quantum ad multiplicationem hæc auctoritas est multiplicata quilibet vt videre est in S. Ambrosio num. 15. auct. 4. & in Augustino nu. 34. auctorit. 13.

Quantũ verò ad sensum, quia plerũque Aduersarii desumunt auctoritates ex hoc Augustinilibro de Nuptiis, & cõcupiscentia, ad probãdum, Virginẽ Mariã contraxisse originale peccatũ, operæ pretiũ erit aliquid dicere ex eodem Augustino, vt cognoscatur, qualis fuerit scopus, ac finis in duobus illis libris. Scias ergo Lector, quòd Augustinus sic incipit illos suos libros: *Hæretici noui dilectissime filij Valeri, qui medicinã Christi, qua peccata sanantur, carnaliter natis paruulis necessariã non esse contendunt, dãnatores nos esse Nuptiarum, operisque diuini, &c.* Et statim: *Nec aduertunt, quòd ita Nuptiarũ bonũ malo originali, quod indè trahitur, non potest accusari, sicut adulteriorũ, & fornicationũ malũ bono naturali, quod inde nascitur, nõ potest excusari. Nã sicut peccatũ siuè hinc, siuè indè à paruulis trahatur, opus est diaboli, sic homo siuè hinc siuè indè nascatur, opus est Dei. Intentio igitur huius libri hæc est, vt quantũ nos Dominus adiuuare dignatur, carnalis cõcupiscentiæ malum, propter quod homo, qui per illã nascitur, trahit orginale peccatũ, discernamus à bonitate Nuptiarũ, &c.* Ex his, & aliis in ipsis libris cõtentis colligitur, quòd hæretici absolutè negabãt, esse aliquã maculam, vel peccatũ in paruulis, seu infirmitatẽ spiritualẽ contractã, quæ indigeret medicina Christi, lauacro, & regeneratione per sacrũ Baptismũ in Ecclesia collata. Contra illos hæreticos probauerat Augustinus esse in paruulis peccatũ seu maculam originalẽ contra Iulianum. Hinc occasionem sumpsit hæreticus, vt diceret: si est peccatũ originale in paruulis: ergo Augustinus, & catholici damnant Nuptias, quia no est aliud vndè hoc malum possit trahi: nam si hoc originale peccatum paruulorum est illud Adæ, & hoc propagatur per Nuptias: ergo Nuptiæ malæ sunt: ideo dicit Augustinus: *Qui autem sunt isti libri, cùm cogitarem, eos esse arbitratus sum, quorum mentionem Iulianus facit in Epistola, quam Romam misit, cuius exemplum ad me vsque peruenit, ibi quippè ait: Dicunt etiam istas, quæ modo aguntur, Nuptias, à Deo institutas non fuisse, quòd in libris Augustini legitur, &c.* Contra hos surrexit Augustinus in libris de Nuptiis, & concupiscentia, probans, quòd peccatum originale non à nuptiis, sed à carnali concupiscentia iplarum traducitur in prolem, quia quantumuis iusti sint parentes. *Ex quo per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſit, in quo omnes peccauerunt, eosque de parentibus quibuscumque nascantur, non negamus adhuc esse sub diabolo,*

niſi renaſcantur in Chriſto, & per eius gratiam de poteſtate eruti tenebrarum in regnum illius, quæ ex eadem ſexus vtriuſque commixtione naſci noluit, transferantur. Hæc ſunt Auguſtini verba in principio illorum librorum, & in ordine ad hoc ſæpiſsimè repetit propoſita verba Pauli: ſolùm ergo probat Auguſtinus in prædictis libris, quòd non nuptiæ, ſed carnalis concupiſcentia, eſt cauſa traductionis peccati originalis: *Quæ cum ita ſint profectò errant, qui cum vituperatur libido carnalis, damnari nuptias opinantur, quaſi morbus iſte de connubio ſit, non de peccato*, id eſt, illo introducto per vnum hominem Adamum, ab iſto enim peccato infirmitas concupiſcentiæ introducta fuit in nuptiis, & ab illa concupiſcentia, libidinis morbus in commixtione maris, & fœminæ, & à concupiſcentia iſta, & libidine parentum, peccatum originale in filiis. Vndè iterum Auguſtinus in principio libri ſecundi, recapitulans antecedentia, inquit: *Hoc ergo quia dicimus, quòd antiquiſsima, atque firmiſsima catholicæ Fidei regula continetur, iſti nouelli, & peruerſi dogmatis aſſertores, qui nihil peccati eſſe in paruulis dicunt, quòd lauacro regenerationis abluatur, tanquam damnemus nuptias, & tanquam opus Dei, hoc eſt, hominem, qui ex illis naſcitur, opus diaboli eſſe dicamus, infideliter, vel imperitè calumniantur, &c.* Et infrà: *Omnes enim ad Eccleſiam, non propter aliud, cum paruulis currunt, niſi vt in eis originale peccatum, generatione prima natiuitatis attractum regeneratione ſecundæ natiuitatis expietur. Deindè ad noſtra ſuperiora verba reuertitur, quæ neſcio cur repetat. Eos autem qui de tali commixtione naſcuntur, dicimus trahere originale peccatum, eos qui de parentibus quibuſcumque naſcuntur, non negamus adhuc eſſe ſub diabolo, niſi renaſcantur in Chriſto, &c.* Cùm ergo omnia hæc ſint non ſolùm certa, ſed ipſamet veritas, quo fundamento, ò Patres mei! ex verbis Auguſtini probantibus peccatum originale traduci non ex nuptiis, ſed ex concupiſcentia, vultis concludere: ergo Maria contraxit originale? Conſequentia enim legitimè deducenda ex illis libris, ſolùm erat hæc: ſi Maria contraxit originale, hoc ex concupiſcentia fuit, non ex nuptiis Ioachimi, & Annæ? Ex peccato primi hominis probat Auguſtinus introductam fuiſſe concupiſcentiam in nuptiis, & carnali generatione: quid ergo hæc cũ peccato originale Mariæ?

3. AVCTORITAS SCRIPTVRÆ talis eſt, Roman. 5. *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem ſic, & per vnius iuſtitiam in omnes in iuſtificationem.* Ita Turrecremata part. 3. capit. 2. & part. 4. cap. 7. Sed Anonymus illam adducit ſic: Tertia auctoritas habetur ad Roman. 5. quæ ſic dicit: *Sicut per vnius hominis delictum in omnes homines in condemnationem proceſſum eſt, ſupplesic, & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ. Hæc ille.* Et proſequitur: *Ex qua argumentatur ſic: omnes homines qui per Chriſti iuſtitiã ſunt iuſtificati priùs propter delictum Adæ fuerant condemnati, ſed Beata Virgo per Chriſti iuſtitiam iuſtificata fuit, vt dicunt Auguſtinus, Beda, Euſebius, & Maximianus: ergo priùs per Adæ delictum fuit condemnata; non autem alia condemnatione quam peccati originalis: ergo contraxit originale peccatum.* Hanc auctoritatem exponit Auguſtinus in Epiſtola ad Optatum de origine animæ, ſic dicens: *Illud enim vbi vel maximè Fides chriſtiana conſiſtit eſt, quod per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum, & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur, & hoc quod per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & ita in omnes pertranſiit, in quo omnes peccauerunt, & quod iudicium quidem ex vno in condemnationẽ, gratia autẽ ex multis delictis in iuſtificationẽ, & quod per vnius delictũ in omnes homines ad condemnationem, & per vnius iuſtitiam in omnes homines, ad iuſtificationem vitæ. Et ſi qua aliaſimilia teſtimonia, quæ declarãt neminẽ naſci ex Adam, niſi vinculo delicti, & damnationis obſtrictum, neminemque indè liberari, niſi renaſcatur per Chriſtum: tam inconcuſſe tenere debemus, vt ſciamus eum, qui hoc negauerit, nullomodo ad Chriſti Fidem, & ad eam quæ per Chriſtum datur puſillis, & magnis Dei gratiam pertinere. Hæc ille.* Ecce quod Auguſtinus dicit, quod illa auctoritas declarat. *Neminem naſci ſeminaliter ab Adam niſi vinculo delicti, & damnationis obſtrictum, & quod in hoc Fides chriſtiana maximè conſiſtit, & quod hoc negat nullomodo pertinere ad Fidem Chriſti: ſed Beata Virgo eſt nata ſeminaliter ab Adam: ergo fuit obſtricta vinculo peccati originalis.* Item idem in libro de Natura, & Gratia, ſic dicit: *Nã ſicut cùm dictum eſt: ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, vt nullus prætermitteretur, ſic & in eo quod dictũ eſt. Per vnius iuſtitiã, in omnes homines in iuſtificationẽ vitæ, nullus prætermiſſus eſt, quia nemo iuſtificatur, niſi quod Chriſtus iuſtificauerit. Vndè & ſi fuiſſe vel eſſe cõſentiã homines ſine peccato, qui perfectãhabuerint, vel habeant charitatẽ, modo tamẽ modo potuiſſe, vel poſſe eſſe ſine peccato confiteor, niſi gratia Dei à peccato iuſtificatos per Chriſtũ Ieſum Dominũ noſtrũ. Hæc ille.* Itẽ Gloſſa ordinaria accepta ex dictis Auguſtini in Epiſt. ad Optatũ ſic dicit: *Illa enim ſana eſt Fides qua credimus nullũ ſiuè maioris, ſiuè paruæ ætatis liberari poſſe à contagione mortis antiquæ, & ab obligatione peccati, quòd prima natiuitate contraxit niſi per vnũ mediatorẽ Dei, & hominũ. Ille enim vnus eſt, vndè vitiatũ eſt ingenus humanũ, ipſe etiã*

vere

verè vnius est, qui non solùm illud vnum, sed & cuncta abstulit, quæ addita inuenit. Ecce ostensum est, quomodo Christi gratia ad delictum seruat, quia non solum originale ab Adam propagatum, sed etiam actualia superadditta soluit, & iustitiam, & vitam præstat, & de impio pium facit. Hæc ibi. Hucusque Anonymus, at Bandellus aliam superaddidit Glossam sic: *Per hoc satis indicat neminem ex Adam natum, nisi vinculo damnationis detentum.* Hæc sunt omnia, quæ adducunt Aduersarii pro sua tertia auctoritate Scripturæ, & ad regulam veritatis examinata, sequentia deteguntur vitia.

Et tit primũ, ac præcipuũ, quod in Paulo auctoritas antecedenter posita, secunda in ordine & hæc tertio loco adducta, est vna continua, & successiua, quia loquitur Paulus de eodem argumento per Antythesim inter Christum, & Adamũ, gratiã, & peccatum, iustificationem, & dãnationem, vt legenti patebit. Secũdũ, quod vbi Paulus, *igitur sicut per vnius delictum, &c.* Aduersarii cauillosè tacuerunt illam illatiuam cõiunctionem, *igitur*, vt sic denotarent illa esse verba distincta à præcedẽtibus, & absoluta. Tertium, vbi S. Paulus, *per vnius delictum*, Anonymus, ac Bandellus ausu temerario, addiderunt: *hominis*, volentes sic corrigere, seu emendare sacrum Textũ. Quartũ, nescio qua intentione addiderunt illud, *processum est*, quòd in littera Pauli non extat. Quintũ, adulterarunt Textum addendo illud, *supplesic*, nempè cũ duabus vocibus præcedentibus, *processum est*, quod in sacro Textu fieri non potest, absque ingenti censura, & pœna. Sextũ, Turrecremata prætermisit ly, *vitæ*. Septimũ, dolosè non continuarũt auctoritatis verba quæ sic se habent: *Sicut enim per inobedientiã vnius hominis peccatores cõstituti sunt multi: ita & per vnius obedientiã iusti constituuntur multi*, quia vniuersalẽ illã, *omnis* restringebat Paulus solùm ad multos. Ista sunt septẽ vitia litteræ in sacro Textu cõmissa, si hoc est credibile, vel erit cõportabile, tu Lector, iudica. Pro sensu vero, & intelligentia horum verborum consule Expositores, notando quod nullus illorum ex prędictis verbis infert. Virginem contraxisse originale, nisi solùm hìc Aduersarii.

In auctoritate, ex Epistola ad Optatum, quæ extat tom. 2. & est in ordine 157. fol. 270. nouissimæ impres. litt. D. habet sequẽtia vitia. Primo, quòd non inscribitur de origine *animæ*, in singulari, sed de origine *animarum*, in plurali; quod pro hic, & nunc habuit suam specialẽ intentionẽ. Secundo, addiderunt illud verbũ substantiuum, *est*, vt sic propositionẽ relatiuã, facerent affirmatiuam. Tertio, vbi Augustinus, *sicut enim in Adã*, Aduersarii sic: *Et sicut* in Adam, addiderunt illam notã copulationis, *Et*, & absoluerunt illud, *enim*, quæ in rei veritate, licèt videantur vitia parui momenti, inspecta materia, de qua agimus, sunt emphatica, & variant sensum. Quarto, vbi Augustinus, *Et quod per vnum*, ipsi addiderunt ly, & *hoc* per vnum. Quinto, vbi Augustinus, *peccatum in hunc mundum intrauit*; ipsi sic, *peccatum intrauit in mundum*. Sexto, absolutè prætermiserunt illud, *& per peccatum mors*, quia solùm inquirebant contra Virginem Mariam peccatum, non mortem. Septimo, vbi consequenter Augustinus: *Et ita in omnes homines mors pertransit*, Aduersarii sic, *& ita omnes pertransiit*, auferentes iterum ly, *mors*, vt ly *pertransiit*, appellaret suprà peccatũ. Octauo, absque vllo fundamẽto, & veritate addiderunt illam clausulam: *Gratia autẽ ex multis delictis in iustificationẽ*, quæ nullomodo extat in Augustino. Nono, vbi Augustinus, *& si qua talia testimonia*, Aduersarii absque vllo timore: Et si qua *alia similia* testimonia: quòd enim Augustinus proponit dubitatiuè, & conditionaliter, ipsi adulteratione illorum verborum supponunt, vt receptum, & admissum ab Augustino: sunt enim diuersissima: *Et si qua talia testimonia declarant neminem nasci ex Adã, nisi vinculo delicti, & damnationis obstrictum*, vt dicit Augustinus, quàm illa Aduersariorum: *Et si qua alia similia testimonia, quæ declarant neminem nasci ex Adam, nisi vinculo delicti, & damnationis obstrictum.* Decimo, vbi Augustinus, *renascẽdo*, ipsi, *renascatur*. Vndecimo, prætermiserunt sequentia Augustini, verba, vbi ipse suam mentem declarat, dicens: *Vndẽ si origo antè mea lateat, dum tamen redemptio clareat, periculum non est. Neque enim in Christum credimus vt nascamur, sed vt renascamur, quomodocumque nati fuerimus, &c.* Agit enim in illa Epistola de Origine animarũ, non de peccato originali, neq; glossat, vt dicunt Aduersarii, propositum Pauli locũ, sed illum adducit incidenter cũ multis aliis, ita vt nec solùm vnum verbum proponat pro explanatione auctoritatis propositæ. Duodecimo, notare etiã debes, o Lector! quod hæc eadẽ auctoritas Augustini adducta est suprà sub nomine Innocentii Primi, vt videre est nu. 146. Decimotertio, quòd eandem numero auctoritatẽ adducunt etiã sub nomine Petri Tripolitani, vide nu. 254. auctor. 3. & sic cũ vna indiuisibili auctoritate, & illa semper pessimè vitiata tres efficiunt testes diuersos contra Immaculatã Virginem Mariam, scilicèt, Augustinum, Innocentium, & Tripolitanum, quibus adde etiam Scripturam, & in ea Sanctum Paulum.

Auctoritas eiusdem Augustini ex lib. de Natura, & Gratia, habet vitia sequẽtia. Primo quòd ex vna auctoritate Augustini cõtinuè, ac successiuè posita, fecerũt duas distinctas, nam hæc & illa suprà posita auctoritate 2. extant in cap. 41. libri de Natura, & Gratia folio 161.

ſub eadem littera I. nam poſitis illis verbis: *Nō planè iſto teſtimonio probat quod vult*, ſolo inter poſito vno puncto proſequitur Auguſtinus ſic: *Nam ſicut dictum eſt, &* c. Secundo, vbi Auguſtinus, *Prætermiſſus eſt; non quia omnes in eum credunt, & Baptiſmo eius abluuntur, ſed quia nemo iuſtificatur*, Aduerſarii derelinquentes omnia intermedia verba, cōiunxerunt extrema ſic: *Prætermiſſus eſt, quia nemo iuſtificatur.* Tertio, vbi Auguſtinus: *Sed quia nemo iuſtificatur niſi in eam credat, & Baptiſmo eius abluatur; itaque omnes, dictum eſt, nè aliquomodo alio præter ipſum quiſquā ſaluus fieri poſſe credatur*, quæ omnia prætermiſerūt propter illud: *in eum credat*, & quia ibi explicatur illa vniuerſalis, *omnes*. Quarto, addiderunt illud, *quia nemo iuſtificatur niſi, quòd Chriſtus iuſtificauerit*, non enim extat hæc clauſula in Auguſtino, niſi ſic: Explicans enim, quomodo intelligendū ſit illud Pauli: *In omnes homines in iuſtificationē vitæ*, id eſt, quomodo in Chriſto, & per Chriſtū iuſtificātur omnes, inquit Auguſtinus: *Sicut enim vno litterarum Magiſtro in ciuitate conſtituto, rectiſsimè dicimus: omnes iſte hic litteras docet: non quia omnes ciues litteras diſcunt, ſed quia nemo diſcit, niſi quem ille docuerit: Sic nemo iuſtificatur, niſi quem iuſtificauerit Chriſtus.* Vndè conſtat: Quinto, quòd illā particulam ſimilitudinis, *ſic* mutauerant in cauſalem, *quia*. Sexto, prætermiſerunt totum exemplum & paritatem, quia ex illa coſtabat mens Apoſtoli, & Auguſtini, ſcilicèt, quòd ſicut omnes, qui habent peccatū ex Adam illud habent, ſic omnes qui iuſtificantur ex Chriſto habent ſuam iuſtitiā. Hæc enim eſt mens Pauli ſecundum Auguſtinum quibus tota ruebat machina Aduerſariorū. Nam omne illorum ſtudiū eſt oſtēdere quod omnes præuaricati ſunt in Adam, Paulus autem, & Auguſtinus ſolùm conantur oſtendere, quod omnis præuaricatio initium habuit in Adam, in cuius rei confirmationē, Marginator appoſuit hæc verba: *Poteſt homo ſine peccato eſſe, ſed auxiliāte gratia.* Hoc Pauli, Auguſtini, & Marginatoris verificamus nos in ſacratiſsima Virgine Maria. Septimo, omnē ſequentem clauſulā peſsimè adulterarunt, non vna, vel altera; ſed execrabilibus adulterationibus, nam vbi Aduerſarii ſic: *Vndè & ſi fuiſſe, vel eſſe conſentiam homines ſine peccato, qui perfectā habuerint, vel habeant charitatem, nullo tamen modo potuiſſe, vel poſſe eſſe ſine peccato confiteor, niſi gratia Dei à peccato iuſtificatos per Chriſtū Ieſum Dominū noſtrū.* Attende ergo, ò Lector! & vide quomodo extant verba in Auguſtino: *Sed eſto, inquit, conſentiam quia omnes peccatores fuiſſe teſtatur: Dicit enim quod fuerint, non quod aliud eſſe non potuerint. Quā obrem, & ſi omnes homines peccatores, inquit, poſſent probari, definitioni tamen noſtræ nequaquam id obeſſet, qui non tam quid homines ſint, quàm quid poſsint eſſe defendimus. Hic rectè facit aliquando conſentire, quia non iuſtificabitur in conſpectu Dei omnis viuens, non tamen ibi eſſe quæſtionem, ſed in ipſa non peccandi poſsibilitate contendit, in qua nec nos aduerſus eum certare opus eſt. Nam neque illud nimis curo, vtrum fuerint hic aliqui, vel ſint, vel eſſe poſsint, qui perfectam, cui nihil addendum eſſet, habuerint, vel habeant, vel habituri ſint charitatem Dei. Ipſa eſt enim veriſsima, pleniſsima, perfectiſsimaque iuſtitia quoniam id quod voluntate hominis adiuta per Dei gratiam fieri poſſe confiteor, & defendo, quando, vel vbi, vel in quo fiat, nimium certare non debeo. Neque de ipſa poſsibilitate contendo, cum ſanata, & adiuta hominis voluntate, poſsibilitas ipſa ſimul cum effectu in ſanctis proueniat, &* c. Hæc ſunt Auguſtini verba, ex quibus coſtat quod auctoritas adducta ab Aduerſariis, ab illa parte: *Vnde & ſi fuiſſe, &* c. vſque ad finē tota eſt falſa & ficta, ita vt verè & realiter poſsimus dicere, quod ſi habet 35. verba, ex illis 30. ſunt abſolutè ficta, imò alia quinque, quæ reſtant etiā habēt peſsima vitia. Primū, ſcilicèt, quòd liber ille Auguſtini de Natura & Gratia, eſt cōtra Pelagiū, & illius ſequaces, vt cōſtat ex titulo, & toto libro, & in præallegatis verbis adducit Auguſtinus aliquas ſentētias Pelagii, vt denotant illa verba: Sed eſto, *inquit*, conſentiam, &c. & illud, *dicit enim, &* c. & illud homines peccatores, *inquit*, poſſent, &c. quæ verba non ſunt Auguſtini, abſit, niſi in quātū illa refert ex hæretico; & ex his Pelagianorū verbis aliqua deſumpſerūt Aduerſarii; illa ad ſcribendo Auguſtino, vt macularēt Virginē Mariam (poteſt ne excogitari execrabilior intētio?) Secūdū vitiū eſt, quod cū in præallegatis verbis cōſentiat Auguſtinus cū Pelagio in eo quod ſit poſsibile aliquem, vel aliquos eſſe ſine peccato, vt denotāt illa verba: *Nō tamē ibi eſſe quæſtionē, ſed in ipſa nō peccādi poſsibilitate cōtendit, in qua nec nos aduerſus eū certare opus eſt.* Quod etiā in ſequentibus Auguſtinus cōfirmat; his tamen nō obſtantibus fabricauerūt illam clauſulā: *Nullo tamē modo potuiſſe, vel poſſe eſſe ſine peccato cōfiteor*, quæ verba & ſentētia, eſt cōtra Pelagiū, & cōtra Auguſtinū, & contra ſacratiſsimā Virginē Mariā. Confiteor tibi Pater cœli, & terræ, qui abſcōdiſti hæc à ſapientibus, & reuelaſti ea paruulis, quòd neſcio & ignoro qua intētione potuerunt Aduerſarii in vna ſola auctoritate Auguſtini, fabricare 40. & amplius vitia capitalia.

Auctoritas alia adducta ex Gloſſa ordinaria, & Auguſtino Epiſtola ad Optatū habet vitia præābula, cōcomitātia, & ſubſequētia. Preābula ſunt primo, quòd in Gloſſa ordinaria, nec extat talis auctoritas, nec verbū illius, in præallegato ab Aduerſariis loco: *Sicut per vnius delictum, &* c. Neque in toto illo cap. 5. Epiſtolæ ad Ro-

ma-

manos, in quo licèt Gloſſa ordinaria adducat aliquas auctoritates ex diuerſis Auguſtini libris, nullam tamen ex Epiſtola ad Optatum, eſt ergo ex omni parte ficta illa citatio Gloſſæ ordinariæ, extat tamen in Auguſtino, vt mox dicã. Secundum vitium eſt, quod hæc Auguſtini auctoritas, eſt eadem cum illa poſita in hoc eodem loco ſacræ Scripturæ, quæ incipit: *Illud enim vbi, &c.* Tertium, quod hæc auctoritas Auguſtini non eſt Gloſſa, nec expoſitio verborum Pauli: *Sicut per vnius*, ſed potiùs illius auctoritatis eiuſdem Pauli ad Roman. 9. verſic. 11. *Cum autem nondum nati fuiſſent: aut aliquid boni egiſſent, &c.* Quartum, quod Auguſtinus in illa Epiſtola ad Optatum, nec in illa auctoritate agit de peccato originali, ſed de origine animarum, vt ex ipſa auctoritate conſtabit, quæ ſic ſe habet: *His igitur firmiſſimè conſtitutis, ſi tam reconditum, atque abditum eſt in occultis operibus Dei, vt nec Scripturarum diuinarum manifeſto eloquio declaretur. Vtrũ propterea nihil boni, vel mali nondum nati egiſſe credendi ſunt, quia non ex alijs propagatas, ſed mox ex nihilo creatas animas ſinguli accipiunt: an quia cum eſſent originaliter in parentibus, adhuc ipſi nulli erant, qui ſuas, & proprias vitas agerent: Illa autem ſit fides ſalua qua credimus, nullum hominem, ſiuè maioris, ſiuè paruulæ quamlibet, & recentis ætatis liberariã contagione mortis antiquæ, & obligatione peccati, quod prima natiuitate contraxit, niſi per vnum mediatorem Dei, & hominum, hominem Ieſum Chriſtum. Cuius hominis eiuſdemque Dei ſaluberrima Fide etiam illi iuſti ſalui facti ſunt, qui priuſquàm veniret in carne, crediderunt in carne venturum. Eadem namque fides eſt & noſtra, & illorum, quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum, &c.* Et hic incipiunt vitia concomitantia, & ſit. Quintum, nam vbi Auguſtinus: *Illa autem ſit Fides ſalua*, Aduerſarii contra veritatem: *Illa enim ſana eſt Fides*, quæ longè diuerſa ſunt. Sextum, quod hìc Auguſtinus ſolum dicit, & probat quod nullus liberatur à contagione mortis antiquæ, nec obligatione peccati niſi per Chriſtum. Ex his velle inferre: ergo Maria contraxit originale, videtur demens conſequentia. Hoc benè præuiderunt Aduerſarii, & ſic ad corroborandam antecedentem propoſitionem, finxerunt ex proprio cerebro totam clauſulam ſubſequẽtem, ab illis verbis: *Ille enim vnus eſt, &c.* vſque ad finem auctoritatis, ita vt nec ſolũm vnum minimum verbum illorum extet in S. Auguſtino, nec in tota illa Epiſtola ad Optatum: ſolum enim infrà inquit: *Quia ſicut in regno mortis nemo ſine Adam: ita in regno vitæ nemo ſine Chriſto ſicut per Adam omnes iniuſti: ita per Chriſtum omnes iuſti homines. Sicut per Adam omnes mortales in pœna facti ſunt filij ſæculi, ita & per Chriſtum omnes immortales in gratia fiũt Filij Dei, &c.* Sed quid hæc cum auctoritate adducta ab Aduerſarijs, vel cum Conceptione Mariæ? Denique quod cũ in illa auctoritate ſint 56. verba & omnia vndique ficta, cõtra puritatem ſacratiſſimæ Virginis Mariæ, videat & iudicet Lector, an illud ſit vnum, vel quinquaginta ſex crimina? Et piè iudicet.

Auctoritas adducta à Bandello dicente præciſè: *Auguſtinus in Enchiridione*, extat ibidem cap. 51. tom. 3. fol. 47. nouiſſimæ impreſ. ſed aliter quã à Bandello adducitur, ſcilicèt ſic: *Verumtamen quod paulò pòſt dicit: Sicut per vnius delictum, &c. ſatis indicat ex Adam neminem natum, niſi damnatione detineri, & neminẽ, niſi in Chriſto renatum à dãnatione liberari: De qua per vnũ hominẽ pœna, & per vnum hominẽ gratia, &c.* Primo, quoad litteram addidit Bãdellus ly: *Per hoc.* Secundo, finxit illud, *niſi vinculo damnationis detentum.* Tertio, tacuit illa verba: *Et neminem niſi in Chriſto renatum à dãnatione liberari*, quia hæc explicabant antecedentia. Sine vllo ergo fundamento fuit adducta tertia ſacræ Scripturæ auctoritas.

4. AVCTORITAS SCRIPTVRÆ

Eſt ex illo ad Galatas 3. quæ ſic dicit: *Concluſit Scriptura omnia ſub peccato, vt promiſſio ex Fide Ieſu Chriſti daretur credentibus.* Et proſequitur Anonymus: Ex hac auctoritate argumentatur ſic: *Omnes homines, præter Chriſtum, cõcluſit Scriptura ſub peccato, ſed B. Virgo eſt de numero omniũ hominũ, & eſt alia à Chriſto? ergo, &c.* conſequentia patet cum minori. Argumentum autem habetur ab Apoſtolo formaliter. Exẽptio verò habetur, cum ſubditur: vt promiſsio ex Fide Ieſu Chriſti daretur credentibus. Hanc auctoritatem exponit Auguſtinus in 3. lib. de Baptiſmo paruulorum, ſic dicens: *Peccauimus in vno omnes, vt moreremur in vno omnes; cõcluſit Scriptura omnia ſub peccato. Sed Deo gratias qui dedit nobis victoriã per Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtũ, vt vbi abũdauit peccatũ, ſuperabũdaret & gratia, atq; vt promiſsio ex Fide Ieſu Chriſti daretur credentibus, & vinceremus mortẽ per immortalitatẽ, ac reſurrectionẽ, & aculeũ eius, hoc eſt peccatũ per gratuitã iuſtificationẽ. Nemo de hac re fallatur, & fallat, omnes admittit, atque aufert iſtius Scripturæ manifeſtus ſenſus ambages. Quemadmodum videlicèt origine trahitur mors corpore mortis huius ſic & origine trahitur peccatũ in hac carne peccati, propter quod ſanãdũ quod eſt propagatione attractũ, & quod eſt volũtate actũ. Venit Medicus in ſimilitudine carnis peccati, qui nõ eſt opus ſanis, ſed ægrotãtibus, nec venit vocare iuſtos, ſed peccatores. Hæc ille.* Itẽ Hieronymus ad Algaſiã: *Auctoritatẽ*, inquit, *ſequimur Scripturarũ, ac ſine ambiguitate dicimus quod nullus homo eſt abſque peccato, ſed concluſit*

Deus omnes homines ſub peccato, vt omnibus miſereatur, excepto eo ſolo qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Hæc ille. Idem etiam dicit Magiſter Sententiarum in Gloſſa, quàm propter breuitatem omitto. Hucuſque ſunt verba Anonymi, Turrecremata adducit pro huius loci explanatione quandam Gloſſæ ordinariæ auctoritatem, extractam ex S. Auguſtino. Sed ex eo quod nullus alius ipſam adducit, cognoſcitur quam parui momenti ſit, & ſic ſolùm propoſitas ventilabimus.

Locus Pauli extat ad Galatas cap. 3. verſ. 22. de cuius intelligentia varia apud Interpretes reperies, pro noſtro enim aſſumpto ſat eſt cognoſcere, quòd ibi, nec loquitur Paulus de peccato originali, nec de Virgine Maria, ſed de lege antiqua, per ordinē ad legē gratiæ. Et quā extra rē adducta fuerit hæc Scripturæ auctoritas, ex Gloſsis productis ab Aduerſariis euidenter demonſtrabitur. Et in primis illa eſt execrabilis adulteratio ſacri Textus: cōcluſit Scriptura *omnes*, ſub peccato, quia ſacer Textus, ſic inquit cōcluſit Scriptura *omnia*, ſub peccato, quanta autem ſit differentia inter vtramque lectionem de ſe patet, ſicut de intentione Aduerſariorum dicentium, *Omnes homines*, præter Chriſtum concluſit Scriptura ſub peccato. Gloſa illa ex Auguſtino, quæ extat tom. 7. in lib. 3. de peccatorum meritis, & remiſsione, & de Baptiſmo paruulorum, circa finem fol. 157. col. 1. litt. B. explicans illud 1. Corint. 15. *Vbi eſt mors victoria tua, &c.* quæ poſt plura de hac materia ſic ſe habet: *Aculeus autem mortis eſt peccatum, virtus verò peccati lex. Peccauimus in vno omnes, vt moreremur in vno omnes: accepimus legem non vt emendatione finiremus peccatum, ſed vt tranſgreſsione augeremus. Lex enim ſubintrauit, vt abundaret peccatum, & concluſit Scriptura omnia ſub peccato. Sed Deo gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt vbi abundauit peccatum ſuperabūdaret, & gratia, atq; vt promiſsio ex Fide Ieſu Chriſti daretur credentibus, & vinceremus mortem per immortalem reſurrectionem, & aculeum eius peccatum per gratuitam iuſtificationem. Nemo itaque de hac re fallatur, & fallat. Omnes adimit, atq; aufert iſtæ ſanctæ Scripturæ ſenſus manifeſtus ambages. Quemadmodum ab origine trahitur mors in corpore mortis huius, ſic ab origine tractum eſt, & peccatum in hac carne peccati, propter quod ſanandum, & propagine attractum, & voluntate auctum, atque ad ipſam carnem reſuſcitandam Medicus venit in ſimilitudinem carnis peccati, qui non eſt opus ſanis, ſed ægrotantibus: nec venit vocare iuſtos, ſed peccatores. Proindè quod ait Apoſtolus cùm fideles moneret, vt ſe ab infidelibus coniugibus, nē diſiungerent. Sanctificatus eſt enim vir infidelis in vxore, &c.* Ex hac vera Auguſtini auctoritate colligitur. Primo, quod hic nō gloſſat S. Doctor propoſita verba ab Aduerſariis, ſed alia diſtinctiſsima. Secundo, quod cauillosè tacuerunt antecedentia, incipientes abſolutè ab illa voce, *Peccauimus*. Tertio, eadem intentione prætermiſerunt illud: *Accepimus legem, non vt emendatione finiremus peccatum, ſed vt tranſgreſsione augeremus, lex enim ſubintrauit, vt abundaret peccatum*, quia ex hac clauſula extrahitur ſenſus illorum verborum. *Concluſit Scriptura omnia ſub peccato.* Quarto, vbi Auguſtinus, *vt vinceremus mortem per immortalem reſurrectionem*; ipſi ſic: *per immortalitatem*, ac reſurrectionem, quæ valdè diuerſa ſunt. Quinto, vbi Auguſtinus præciſè: *Aculeū eius peccatum*, ipſi ad maiorem expreſsionem addiderunt illud: *Hoc eſt*. Sexto, vbi Auguſtinus: *Ab origine*, ipſi abſtuletunt præpoſitionem *Ab*. Septimo, etiam prætermiſerunt præpoſitionem: *In*, & iterum illam: *Ab*, quod vitium, ſeu vitia abſolutè mutant ſenſum. Octauo, vbi Auguſtinus: *Et propagine attractum*, Aduerſarii ſic; *quod eſt propagatione attractum*, aliud eſt enim ex *propagine*, id eſt, termino à quo, aliud: ex *propagatione*, id eſt, actione generatiua. Nono, addiderunt illud: *Quod eſt*. Decimo, prætermiſerunt illam clauſulam: *Atque ad ipſam carnem reſuſcitandam*, vt ſic illud: Medicus venit, appellaret ſuprà peccatū, non ſuprà reſurrectionē. Hæc ſunt vitia quoad litterā quibus etiā colligitur Aduerſariorum intentio.

Auctoritas autem S. Hieronymi, ex Epiſtola ad Algaſiam tom. 3. in ordine 151. quæſt. 8. vbi explicat S. Doctor illud ad Rom. 7. *Peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam*. fol. 361. colum. 1. litt. D. ſic inquit: *Concupiſcentiam verò, quæ nunc habitare in membris noſtris dicitur, verſari intrinſecus. Sed & Apoſtolis, non pueris præcipitur, verùm iam ætatis robuſtæ, vt aſſumant perfectionem, quam & nos confitemur in ætate eſſe perfecta. Nec hæc dicentes adulamur vitijs, ſed auctoritatem ſequimur Scripturarum, quòd nullus homo ſit abſque peccato, ſed concluſit Deus omnes ſub peccato, vt omnium miſereatur, abſque eo ſolo qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, &c.* Primo, S. Hieronymus clarè, & expreſsè loquitur de peccatis actualibus, vt conſtat ex titulo quæſtionis, & ex verbis S. Doctoris. Secundo, aſtutè prætermiſerunt illud, *Nec hæc dicētes adulamur vitijs*. Tertio, addiderunt illud, *Ac ſine ambiguitate dicimus*, quæ verba non extant in Hieronymo. Quarto, vbi Hieronymus, *ſit*; ipſi, *eſt*, quod ſuo modo etiam variat ſenſum. Quinto, addiderunt vocem, *homines*. Sexto, vbi Hieronymus, *abſque eo ſolo*; ipſi, *excepto* eo ſolo, vt ſic exprimerent exceptionem.

Auctoritatem Magiſtri Sententiarum non addu-

adducunt, vt ipſi dicunt, *propter breuitatem*, ſed exiſtimo, quod verba Magiſtri non ſunt prætermiſſa propter breuitatem, ſed quia non erāt ad rem, quæ ſic ſe habent fol. 151. littera C. *Et hoc eſt quod dicit; & concluſit Scriptura, id eſt, lex ipſa omnia ſub peccato. Lex dicitur Scriptura, quia manens eſt, & ſcripta: vel ideò quia non dat ſpiritum viuificantem, ſed tantùm eſt ſcriptura. Et hoc concluſit omnia ſub peccato, id eſt, Iudæos omninò clauſit ſub peccati dominio. Victi enim concupiſcentia, & ipſius mandati tranſgreſſione, rei facti ſunt, vel concluſit omnia ſub peccato, id eſt, oſtendit omnes homines clauſos eſſe ſub peccato. Non eſt enim lex data, vt peccatum auferret, ſed vt ſub peccato omnia concluſa oſtenderet. Data eſt lex, vt ægrum de morbo conuinceret, qui ſibi ſanus videbatur, vt peccata demōſtrarentur, nō vt auferrētur. Data eſt, vt inueniret ſe homo, non vt morbus ſanaretur, ſed vt prævaricatione morbo creſcēte, Medicus quæreretur. Qui ergo negat ægritudinem ſuam, ſuperfluum iudicat Saluatorem. Ergo & in natura noſtra Creatorem laudemus, & propter vitium quod nobis inflictum eſt, Saluatorem quæramus. Et nota, quod idem dicit hic, quod in Epiſtola ad Romanos: concluſit Deus omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur, &c.* Hæc ſunt omnia verba Magiſtri, quæ nihil habent ad propoſitum.

5. AVCTORITAS SCRIPTVRÆ ſic ſe habet: 1. ad Thimotheum 1. *Fidelis Sermo, & omni acceptione dignus, quia Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere. Hæc ille.* Ex quibus ſic deducit Anonymus: *Sed venit ſaluam facere Virginem Mariam: ergo ipſa fuit peccato originali peccatrix.* Gloſſam verò pro hac auctoritate tam via 2. ratio. 9. quàm via 3. part. 2. auctorit. 7. adducit ex Auguſtino in quodam paruo Tractatu, ſic dicens: *Quid ergo Apoſtole? Fidelis Sermo, inquis, & omni acceptione dignus: Quis eſt iſte Sermo? quia venit Dominus in hunc mūdum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum: qui dicit ego non ſum, vel non fui peccator, ingratus eſt Saluatori. Nullus hominum fuit, nec eſt, nec erit in illa, quæ fuit ab Adam maſſa mortali, non ægrotus originali peccato: nullus ſine Chriſti gratia ſanatus. Nemo ergo nobis inſinuet doctrinas alienas, & falſas; hoc Eccleſia ſemper tenuit, hoc à Maiorum fide percepit, hoc vſque in finem perſeueranter cuſtodit, quia non eſt opus ſanis medicus, ſed ægrotantibus: qui venit ad Chriſtum, habet aliquid quod in eo ſanetur, qui autem non ægrotat, non habet neceſſarium Chriſtum. Hæc ille.* Via verò 2. ratione 9. adducit Anonymus aliā Gloſſam ſic: Item idem in lib. de Natura, & Gratia: *Quicumque*, inquit, *ſine peccato humanā naturam in aliquo ſine peccato eſſe aſſerit Creatorem defendendo, non attendit, quòd ipſam naturam ſine peccato eſſe dicendo, cœleſtis Medici repellit medicinam. Ipſe namque eſt Creator eius, qui & Saluator eſt eius. Non ergo ſic debemus laudare Creatorem, vt cogamur, imò conuincamur dicere ſuperfluum Saluatorem; naturam itaque hominis dignis laudibus honoremus, eas laudes ad Creatoris gloriam referamus, ſed quia noſ creauit, ita ſimus grati, vt non ſimus, quia noſtra vitia ſanat, ingrati. Hæc ille.* Turrecremata adfert pro hac auctoritate verba, quæ extant in Gloſſa Ordinaria, extracta ex Auguſtino, quæ ſic ſe habet: *Nulla cauſa veniendi Chriſto, niſi peccatores ſaluos facere tolle morbos, tolle vulnera, & nulla eſt cauſa medicina. Venit de cœlo magnus Medicus, quia per totum orbem magnus iacebat ægrotus. Humanum genus eſt, quod totū perierat, ex quo peccauit vnus, in quo totum erat, ſed venit vnus ſine peccato, qui ſaluos faceret omnes à peccato. Venit enim filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat.* Hic eſt Scripturæ locus cum Gloſsis, ſed videamus, quo fundamento adducuntur ille, & iſtæ.

Auctoritas Pauli communis eſt, in qua loquitur Apoſtolus de ſeipſo dicens: *Peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum*: Cùm ergo illa ſit loquutio vniuerſalis, non omnimoda, ſcilicèt, *peccatores ſaluos facere*, licèt Virgo Maria ex ſpeciali gratia fuerit præſeruata, ſaluatur propoſitio Pauli. Ad auctoritatem illam Auguſtini, *ex quodam paruo Tractatu*, dico, quod fuit cauillosè adducta illa citatio, nam quis in operibus Auguſtini, habentibus ferè ſexcenta Opuſcula diuerſa, poteſt diuinare, qualis fuerit ille paruus Tractatus? Sed peior eſt citatio Bandelli, nam ſolùm dicit: *S. Auguſtinus*, abſque alio verbo. Sed ſcias, Lector, quod auctoritas iſta non eſt in aliquo paruo Tractatu S. Auguſtini, ſed in ſerm. 10. de Verbis Apoſtoli tom. 10. fol. 113. in principio, vbi ſic inquit: *Quid ergo Apoſtolus? Fidelis inquit, Sermo, & omni acceptione dignus. Quis eſt iſte Sermo? Quia Chriſtus Ieſus venit in mundum: Vt quid? Peccatores ſaluos facere. Quid tu? Quorū primus ego ſum. Qui dicit: Vel non ſum peccator, vel non fui, ingratus eſt Saluatori. Nullus hominum in iſta, quæ ex Adam defluit maſſa mortalium, nullus omninò hominum non ægrotus, nullus ſine gratia Chriſti ſanatus. Quid de paruulis pueris, ſi ex Adam ægroti? Nam & ipſi portantur ad Eccleſiam. Et ſi pedibus illuc currere non poſſunt, alienis pedibus currunt, vt ſanentur. Accomodat illis Mater Eccleſia aliorū pedes, vt veniant; aliorum cor, vt credant; aliorum linguam, vt fateantur: vt quoniam quod ægri ſunt, alio peccante prægrauantur, ſic cum hi ſani ſunt, alio pro eis confitente ſaluentur. Nemo ergo vobis inſuſurret doctrinas alienas.*

Hoc

Hoc Eccleſia ſemper habuit, ſemper tenuit, hoc à maiorum fide percepit: hoc vſque in finem perſeueranter cuſtodit. Quoniam non eſt opus ſanis Medicus, ſed ægrotantibus. Quid neceſſarium ergo habuit infans Chriſtum, ſi non ægrotat? &c. In hac ergo auctoritate ſunt vitia ſequentia. Primo, quòd verba illa non ſunt ex quodam paruo tractatu Auguſtini, ſed ex Sermone. Secundo, quòd totum principium eſt alteratum, vt de ſe patet. Tertio, peſsimè addiderunt illud: Nullus hominum *fuit*, *nec eſt*, *nec erit*, quæ in Auguſtino nō extant: poteſt ne excogitari maior adulteratio? Quarto, vbi Auguſtinus, *defluit*, ipſi, *fuit*. Quinto, addiderunt abſque vllo timore illud, non ægrotus *originali peccato*, vt ſic ſuum introducerent intentum, vitiātes grauiſsimè Auguſtini mentem, quia ibi loquitur de peccatis actualibus, ſicut infrà de originalibus, in illis verbis: *Quid de paruulis pueris?* Et hoc eſt ſextum vitium, prætermittere hæc, vt alia ficta non cognoſcerentur. Septimo, dereliquerunt etiam ſex lineas, vt illud, *nemo ergo, &c.* coniungerent cum illis verbis ab ipſis adductis de peccato originali, quando ipſa loquūtur de Baptiſmo, & de portatione ad Eccleſiā. Octauo, vbi Auguſtinus, *inſuſurret*; ipſi, *inſinuet*. Nono, addiderunt illud, *& falſas*. Decimo, prætermiſerunt illud, *ſemper habuit*, quia habere illum morem, non poterat verificari de peccato originali. Vndecimo, eadem intentione addiderunt illud, *qui venit ad Chriſtum, habet aliquid, quod in eo ſanetur*, quæ verba non extant in Auguſtino. Duodecimo, vltimam clauſulam, *qui autem non ægrotat, &c.* peſsimè adulterarunt. Hic autem eſt fidelis ſermo Aduerſariorum, vide, ò Lector! ſi eſt omni acceptione dignus?

Altera auctoritas ex lib. de Natura, & Gratia, neſcio quomodo poſsit eſſe Gloſſa illorum verborum, *fidelis ſermo? &c.* Nam cùm præallegata ab Aduerſariis verba ſint in cap. 34. ibi Auguſtinus nullum adducit locum Pauli. Benè verum eſt, quòd hæc verba, *fidelis ſermo, &c.* adducuntur ab Auguſtino in eodē libro de Natura, & Gratia, cap. 21. Si autem verba exiſtentia cap. 34. poſſunt eſſe Gloſſa verborum Pauli præexiſtentium cap. 21. ipſi Aduerſarii videant, & iudicent. Auctoritas ergo Auguſtini ſic ſe habet fol. 160. colum. 4. *Porrò autem quòd Dei cauſam ſibi agere videtur defendendo naturam, non attendit, quod eandem naturam ſanam eſſe dicendo, medici repellit miſericordiam. Ipſe eſt autem Creator eius, qui Saluator eius. Non ergo debemus ſic laudare Creatorem, vt cogamur dicere, imò verè conuincamur dicere ſuperfluum Saluatorem. Naturam itaque hominis dignis laudibus honoremus, eaſque laudes ad Creatoris gloriam referamus. Sed quia nos creauit, ita ſimus grati, vt non ſimus, quia ſanat ingrati. Vitia ſanè noſtra, quæ ſanat non diuino operi, ſed humanæ voluntati, iuſtæ, quæ illius vindictæ tribuamus, &c.* Si ergo hanc Auguſtini auctoritatem conferas cum adducta ab Aduerſariis, inuenies duodecim vitia, ſed quia illa, & auctoritas ipſa parui momenti ſunt ad probandum Deiparam fuiſſe conceptam in peccato originali, illa omittimus. Scias tamen, Lector, pro hac auctoritate, & omnibus adductis ad Aduerſariis ex hoc libro de Natura, & Gratia Auguſtini, quod finis, & ſcopus intentus in eo, eſt, demonſtrare (contra quamdam Epiſtolam cuiuſdam hæretici Pelagiani, aſſerentis naturam humanam nullo modo eſſe vitiatam, ſed integram, & ſanam, & ſicut à Deo fuerat creata, ſic poſt Adami lapſum permanere) eruditè ſatis totam naturam fuiſſe in Adamo vitiatam, & maſſam illam corruptam extitiſſe, tàm in adultis, quàm in paruulis; ita vt nullus homo fuerit abſque peccato, & hoc probat vſque ad propoſitum cap. 34. & cap. 36. excipit ab hac regula generali ſacratiſsimam Deiperā, dicens: *Excepta itaque Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorſus, cum de peccatis agitur, habere volo quæſtionem, &c. Hac ergo Virgine excepta, ſi omnes illos Sanctos, & Sanctas, cùm hic viuerent, congregare poſſemus, & interrogare, vtrum eſſent ſine peccato, quid fuiſſe reſponſuros putamus? Vtrum hoc, quod iſte dicit, an quod Ioannes Apoſtolus, &c.* Ex his iudicet Lector, quo fundamento adducunt Aduerſarii auctoritates, ex hoc libro de Natura, & Gratia, quando in ipſo excipit Mariam ab omni quæſtione peccati? Et incidenter notet, quòd Aduerſarii ex hoc libro de Natura, & Gratia adducunt duodecim auctoritates, vt ex ipſis probent, Virginem Mariam fuiſſe conceptam in originali peccato, quia dicunt, & affirmant Beatum Auguſtinum in toto illo libro locutum fuiſſe ſolùm de originali macula, & quando audiunt exceptionem ſuprà poſitam: *Excepta Virgine Maria, &c.* mutantes colorem è contradicunt, quod ibi loquutus fuit Auguſtinus de peccatis actualibus: Et quis poterit componere iſta?

Auctoritas vltima adducta à Turrecremata ex Gloſſa Ordinaria, aliqua habet vitia. Nam, Primo, addidit illud, *tolle morbos*. Secundo, addidit illud, *magnus* iacebat *ægrotus*. Tertio, prætermiſit ly, *ipſe ægrotus*. Quarto, addidit ly, *omnes* à peccato, vt ſic ſuam introduceret vniuerſalem. Quinto, vbi textus, *venit enim filius hominis quærere, & ſaluū facere quod perierat*; ipſe addidit illud, *ſed venit vnus ſine peccato, qui ſaluos faceret omnes à peccato*, vt introduceret iterum illam vniuerſalem, *omnes*. Sexto, reduplicauit iterum illam clauſulam, vt patet ex ipſa auctoritate. In hac ergo materia Conceptionis non poſſunt ſaluos facere

cere

cere omnes, neque vnum Aduerſarium à peccato, & peccatis fictionum.

6. AVCTORITAS SCRIPTVRÆ eſt Lucæ 19. vbi ſic dicitur: *Venit filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat.* Vbi addit Anonymus hanc illationem: *Sed venit quærere Beatam Virginem, abſit enim quòd obmiſerit eam quærere: ergo ipſa perierat, videlicèt peccato originali, ſicut alij quos quærere venit.* Bādellus pro hac auctoritate adducit Gloſſam Auguſtini, ex ſerm. 10. de Verbis Apoſtoli: *Qui dicit: Ego non ſum, vel non fui, &c.* ſicut in auctoritate antecedenti dedimus ex Anonymo, & illam tranſcripſit nullo mutato verbo ſicut Anonymus; cùm ergo in illa Anonymi ſint numerata duodecim vitia, illa eſſent hic repetenda. Turrecremata adducit ſequentes ſic dicens: Quod clariſsimè oſtenditur ex verbis Auguſtini, qui in 2. de Nuptiis, & concupiſcentia, poſtquam dixerat, quòd Pelagiani, & Cœleſtiani dicunt, humanā naturam à bono Deo condictam, ſed ita eſſe in infantibus paruulis ſanam, vt Chriſti non habeant in iſta ætate neceſſariam medicinam, ita prædictis Pelagianis dicit: *Vobis autem dicit veritas: venit filius hominis quærere, & ſaluare quod perierat. Sed vos egregij chriſtiani reſpondete Chriſto: Si quod perierat, quærere, & ſaluare veniſti, ad paruulos non veniſti, iſti nec perierant, ſed ſalui nati ſunt, vade ad maiores. De verbis tuis tibi præſcribimus; non eſt opus ſanis Medicus, ſed malè habētibus. Hæc ille.* Item infrà in eodem libro loquitur contra eos, ſic dicens: *Ad hoc reſponſurus, priùs volo intentum eſſe Lectorem, nihil agere iſtos, niſi vt Saluator non ſit paruulis neceſſarius, quos peccata prorſus, à quibus ſaluentur, negant habere; hæc eſt tāta peruerſitas, & tā inimica gratiæ Dei, quæ data eſt per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui venit quærere, & ſaluum facere quod perierat. Hæc ille.* Anonymus via 2. ratione 6. ex eodem lib. 2. de Nuptiis, adducit aliam Gloſſam Auguſtini, ſic dicētem: *Verum quia credit Pelagius, quia per Ieſum facta ſunt omnia, concedat etiam Ieſum paruulis omnibus eſſe Ieſum, & ſicut per eum facta eſſe omnia fatetur, per id quod eſt Verbum Dei, ita etiam neceſsè eſt, vt paruulos ab eo ſaluos fieri fateatur: per id quod eſt Ieſus, ſi vult catholicus eſſe chriſtianus, ſic enim ſcriptum eſt: Et vocabunt nomē eius Ieſum ipſe enim ſaluum faciet populum ſuū à peccatis eorum. Ideò ergo Ieſum, quoniam Ieſus latinè Saluator eſt, ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. In quo populo ſunt vtique paruuli, & in paruulis peccata originalia, propter quæ Ieſus, id eſt, Saluator poſsit eſſe ipſorum. Hæc ille.* Et hæc ſunt omnia Aduerſariorum verba, pro hac auctoritate ventilanda.

Primæ duę auctoritates adductæ à Turrecremata extant in prælegato 2. lib. de Nuptiis, & concupiſcenti a: Vna cap. 3. fol. 179. col. 4. littera M. & eſt fideliter tranſcripta, niſi quod Turrecremata addit illud: vobis autem dicit *veritas*, quia hæc vox: *veritas*, non extat in Auguſtino, alia duo vitia habet, ſed parui momenti, altera vero auctoritas, ſeu actoritatis pars extat cap. 25. fol. 183. colum. 2. littera F. & habet etiam aliqua vitia, nam vbi Auguſtinus, *iſtum*, quia loquitur in illo libro contra quēdam incognitum Auguſtini reprehenſorem, Turrecremata appoſuit de plurali, *iſtos*, ideo conſequenter adiunxit verbum de plurali, *negant*, cum extet in Auguſtino in ſingulari, *negat*, & hoc non exiſtimo caruiſſe ſua intentione, vt occultaret hæreticum.

Auctoritas autem adducta ab Anonymo extat ad finem totius libri, vbi Auguſtinus inquit: *Nam vt iam liber iſte claudatur, quoniam ita ſermo illius terminatus eſt, qui in carthula quā miſiſti, ſcriptus eſt vt diceret: verè credito, quia per Ieſum facta ſunt omnia, &c.* In hac ergo auctoritate ſunt hæc vitia. Primo, ex proprio cerebro addidit Anonymus illud, *verum quia credit Pelagius*, quæ verba non extant in Auguſtino. Secundo, prætermiſit illud, *& ſine ipſo factum eſt nihil.* Tertio, addidit ly, *omnibus*, vt ſic introduceret ſuam vniuerſalem, comprehendentem inter paruulos, paruulam Mariam. Quarto, vitiauit clauſulam ſequentem, quæ ſic ſe habet in Auguſtino. *Et vt per eum facta omnia fatetur, per id quod eſt Verbum Deus ita etiā, &c.* Quinto, addidit illud, *neceſſe eſt.* Sexto, prætermiſit ly, *Euangelio.* Septimo, addidit illud, *à peccatis eorum*, vt ſequentia verba maiorem haberent vim. Alia ſunt vitia minoris momenti, in quibus non eſt immorandum, ſicut nec in explicatione mentis S. Auguſtini, quia ip ſe in illo libro, ſolùm nititur probare (contra contenta in carthula illius hæretici) quod infantes habebant originale peccatum, & ideò opus erat, vt renaſcerentur in Chriſto Ieſu omnium Saluatore per Baptiſmū. Vide ergo quo fundamento dixit Anonymus, quod Maria perierat, ſicut alii, & hoc ex Gloſsis Auguſtini?

7. AVCTORITAS SCRIPTVRÆ eſt ex illo, Matthæi 19. quæ ſic dicit: *Non eſt opus ſanis Medicus, ſed malè habentibus.* Et infert Anonymus: *Sed Chriſtus fuit Medicus animarū neceſsarius Virgini: ergo ipſa fuit aliquando ægrota peccato, videlicèt, originali.* Et adducit Gloſſam ex Auguſtino in 3. lib de Baptiſmo paruulorum: *Non eſt*, inquit, *opus ſanis Medicus, ſed malè habentibus: hoc eſt, quia non eſt neceſsarius Chriſtus eis, qui non habent peccatum; ſed eis qui ſaluandi ſunt à peccato. Hæc ille.* Et citat pro expoſitione huius auctoritatis Gloſ-

Gloſſas poſitas in 6. & 8. & 9. ratione in 2. via, quæ licèt ſint ſuprà adductæ, iterum illas dabimus hìc claritatis gratia: inquit ergo Anonymus: Item Auguſtinus in lib. de Natura, & Gratia: *Omnes*, inquit, *peccauerunt, ait Apoſtolus, & egent gloria Dei, iuſtificati gratis per ſanguinem ipſius: quicumque autem non putatur pertinere ad hos omnes qui peccauerunt, & egent gloria Dei, profecto nullam neceſsitatẽ habent, vt chriſtiani fiant, quia non eſt opus ſanis Medicus, ſed ægrotantibus; vndè non venit vocare iuſtos, ſed peccatores, vbi iuſtos vtique ſanos, peccatores autem appellat ægrotos, non enim fruſtra dictum eſt: Et vocabis nomen eius Ieſum, ipſe enim ſaluũ faciet populum ſuum à peccatis eorum; quomodo enim ſaluum faciet, vbi nulla eſt ægritudo peccati, & ideò benè dicit Apoſtolus: fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quia Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere. Hæc ille.* Et in ratione 8. ſic inquit, idem Anonymus: Auguſtinus in 3. de Baptiſmo paruulorum: *Nunquid etiam illud ambiguum eſt: Niſi qui renatus fuerit in Spiritu Sancto non poteſt introire in regnum Dei? Nunquid, & illud: vocabis nomen eius Ieſum, ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum? Nunquid etiam illud ambiguum eſt: Quia non eſt opus ſanis Medicus, ſed ægrotantibus: hoc eſt, quia non eſt neceſſarius Ieſus eis, qui non habent peccatũ, ſed eis, qui ſaluandi ſunt à peccato? Hæc ille.* Itẽ Auguſtinus in 1. de Baptiſm. Paruul. *Credamus*, inquit, *& conſentiamus auctoritati ſacræ Scripturæ, quæ neſcit falli, nec fallere; & omnes homines natos ſub peccato eſſe; quòd per vnum hominem intrauit in mundum, & in omnes pertranſiit, à quo non liberat, niſi Dei gratia, per Ieſum Chriſtum minimè dubitemus, cuius medicinalis aduentus non eſt neceſſarius ſanis, ſed ægrotantibus; quia non venit vocare iuſtos, ſed peccatores, in cuius regnũ non intrat; niſi qui renatus fuerit ex gratia Spiritus Sancti. Ab hoc peccato, ab hac ægritudine cuius naturaliter filij iræ ſunt pueri, qui & ſi per ætatem non habent proprium, trahunt, tamen originale peccatum; non liberat, niſi Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, non niſi Medicus, qui non venit propter ſanos, ſed propter ægrotos; non niſi Saluator, de quo dictum eſt toti humano generi: Natus eſt nobis Saluator; non niſi Redemptor, cuius ſanguine deletur debitum noſtrum: Nam quis audeat dicere, non eſſe infantum Saluatorem, & Redemptorem? Vndè autem eos ſaluos faciet, ſi nulla in eis ſit ægritudo peccati? Negant infantes liberari, atque ſaluari, qui eos ſub peccato eſſe nolunt confiteri. Hæc ille.* Item idem in 2. de Baptiſmo paruul. ait: *Ipſe namque Chriſtus Saluator eſt paruulorum, atque maiorum, de quo dixerunt Angeli: Natus eſt nobis Saluator, & de quo dictum eſt ad Virginem: vocabis nomen eius Ieſum: Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Vbi apertè monſtratum eſt hoc nomine, quo appellatur Ieſus propter ſalutem, quam nobis tribuit, nominari: Ieſus quippè dicitur Saluator: Quis eſt igitur, qui audeat dicere Dominũ Chriſtum tantùm maioribus, & non etiam paruulis eſſe Ieſum, qui venit in ſimilitudine carnis peccati, vt euacuaret corpus peccati, venit enim quærere, & ſaluum facere quod perierat, nec eius aduentus eſt opus ſanis, ſed ægrotantibus. Hæc ille.* Turrecremata ad hunc locum, ſic inquit: *Vndè Gregorius, & ponitur in Gloſſa continua, ita habet: Dicit non egere ſanos, & iuſtos Medico, ſcilicèt, Angelos, ſed malè habentes, & peccatores, id eſt, nos, qui morbum peccati incurrimus, qui in cœlis non eſt. Hæc ille.* Et hæc ſunt omnia, quæ adducunt Aduerſarii pro hac Matthæi auctoritate, quæ ſic ventilatur.

Illa ex libro de Natura, & Gratia extat cap. 1. fol. 157. colum. 3. littera G. ſed habet vitia ſequentia. Primo, quoad primam partem, ſeu initium auctoritatis eſt duplicata, ſiquidèm eſt adducta ſuprà auctoritate 1. Scripturæ. Secundo, addiderunt in ipſa illud, *ait Apoſtolus*. Tertio, appoſuerũt ex proprio cerebro illam clauſulam: *Vbi iuſtos, vtique ſanos, peccatores autẽ appellat ægrotos*. Quarto, pro hic, & nunc etiã eſt ficta illa clauſula: *Non enim fruſtra dictum eſt: & vocabis nomen eius Ieſum, ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum*, quia non extat in propoſita auctoritate, nec in toto illo Auguſtini libro. Quinto, eodem modo eſt ficta, & ex alio loco adducta illa clauſula: *Quomodo enim ſaluũ faciet, vbi nulla eſt ægritudo peccati?* Sexto, clauſula illa: *Ideo benè dicit Apoſtolus, &c.* hic adducta, eſt non ex alio libro, vt antecedentes, ſed ex alio capite, & loco eiuſdem libri de Natura, & Gratia, ſcilicèt, ex cap. 21. fol. 159. colum. 2. littera D. ſicque principium auctoritatis eſt, ex cap. 1. & finis, ex cap. 21. prætermittendo viginti capita, & intermediæ clauſulæ deſumptæ fuerunt ex diuerſis Auguſtini libris: Sic enim hucuſque dimicauit impuritas contra puritatem, & contra veritatem mendacium.

Altera auctoritas extat in 3. libro de Peccatorum meritis, & remiſsione, & de Baptiſmo paruulorum, cap. 4. fol. 155. littera F. qui liber eſt contra Pelagianos negantes peccatum originale in paruulis, & ſic ante verba adducta ab Aduerſariis, hæc habet Auguſtinus: *Hoc, quia illa ætas nullum in vita propria contrahere potuit, reſtat intelligere, vel ſi hoc nondum poſſumus, ſaltem credere, trahere paruulos originale peccatum. Ac per hoc, ſi ambigui aliquid habent verba Apoſtolica, quibus dicit: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertran-*

tranſiit: poſſuntque in aliam duci, transferrique ſententiam: nunquid illud ambiguum eſt: Niſi quis renatus fuerit, &c. Et proſequitur auctoritas, vt ſuprà adducitur ab Aduerſariis, in qua nihil inueni o notatione dignum, niſi ſolùm hæc duo. Primum, quod non ſunt Gloſſa illorum verborum: *Non eſt opus ſanis Medicus, &c.* aliàs autem eſſent Gloſſa cæterorum locorum Scripturæ, quorum ibi etiam incidenter facit memoriam. Secundum, quòd abſque vllo fundamento adducuntur hæc verba ad probandum Virginem Mariam contraxiſſe peccatum originale.

Alia auctoritas ex 1. lib. de eodem Baptiſmo paruul. extat cap. 22. fol. 144. col. 1. littera B. & regulata cum originalibus, habet vitia ſequentia. Primo, vbi ipſi dicunt, *credamus*, in Auguſtino eſt, *cedamus*. Secundo, prætermiſerunt hæc verba: *Et ſicut nondum natos, ad diſcernenda merita eorum aliquid boni, vel mali egiſſe, non credimus ita omnes ſub peccato eſſe, &c.* Vt hac magna adulteratione denotarent, quòd auctoritas ſacræ Scripturæ erat ad illud, *omnes ſub peccato eſſe*, & non ad illud, *aliquid boni, vel mali egiſſe*. Tertio, etiam fuit vitium adimere illam illationis notam, *ita*, quia pertinet ad ſenſus integritatem. Quarto, vbi Auguſtinus, *naſci minimè dubitemus*, Aduerſarii abſtulerunt illud, *naſci*, quia videbant ab hac vniuerſali regula exemptam fuiſſe Virginem Mariam. Quinto, vbi Aduerſarii, *neceſſarius*, in Auguſtino extat, *non eſt opus*. Sexto, vbi Aduerſarii de præſenti, *intrat*, in Auguſtino, de futuro, *intrabit*. Septimo, vbi ipſi, *renatus fuerit ex gratia Spiritus Sancti*, Auguſtinus, *ex aqua, & Spiritu*. Octauo, in Auguſtino ſequuntur immediatè, hæc verba: *Nec præter regnum eius ſalutem, ac vitam poſſidebit æternam. Quoniam, qui non manducauerit carnem eius, & qui incredulus fuerit filio, non habebit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Ab hoc peccato, &c.* quæ omnia verba prætermiſerunt Aduerſarii, vt illud, *ab hoc peccato*, faceret relationem originalis, non incredulitatis. Nono, Auguſtinus, *ab hac ægritudine, ab hac ira Dei*, Aduerſarii prætermiſerunt ly, *ab ira Dei*. Decimo, vbi Auguſtinus, *cuius naturaliter filij ſunt*, Aduerſarii ſic: Cuius naturaliter filii *iræ* ſunt, interponentes illud, *iræ*. Vndecimo, addiderunt ly, *pueri*, ad maiorem expreſsionem; nam hæc vox non extat in textu. Duodecimo, vbi Aduerſarii, *toti humano generi*, in Auguſtino ſolùm eſt, *humano generi*, addiderunt illud, *toti*, vt introducerẽt ſuas vniuerſales. Decimotertio, in originali non eſt, *nobis*, ſed, *vobis*, niſi hic fuerit error Typographiæ. Decimoquarto, ipſi dicunt: *Vndè autem eos ſaluos faciet?* Addiderunt illud, *eos*. Decimoquinto, vbi Aduerſarii, *ſi nulla in eis ſit ægritudo peccati*, in Auguſtino extat ſic: Si nulla in eis, *eſt originalis*, ægritudo peccati, & hæc fuit maxima adulteratio, quia aliud eſt originale peccatum, aliud originalis ægritudo peccati, & aliud abſolutè, & ſimpliciter, *ægritudo peccati*, tacuerunt ergo illud, *originalis*, quod in aliis paſsim addiderunt, quia hic non erat pro ipſis. Decimoſexto, reliquerunt in completam orationem Auguſtini, vt tacerent quædam verba, quibus S. Doctor concludit, ſcilicèt: *Vndè redemit, ſi non ſunt per originem primi hominis venundati ſub peccato?* Quia Aduerſarii deſiderabant, quòd non ſolùm per originem primi hominis, ſed etiam in ſe ipſis eſſent venundati. Decimoſeptimo, clauſulam illam vltimam: *Negant infantes, &c.* Aduerſarii deſumpſerunt ex eodem Auguſtini libro, ſed prætermittendo triginta octo lineas, & hoc vide qua fidelitate, nam in originali ſic extant verba: *Negant enim illos liberari, qui ſub peccato eſſe nolunt fateri*, addiderunt ergo ly, *infantes*, & ly, *atque ſaluari*, & illud, *fateri*, tranſmutarunt in, *confiteri*, ſunt enim diuerſiſsima verba, fateor, &, confiteor. Quibus omnibus addere debes, ô Lector! quod auctoritas iſta eſt fabricata, & compoſita ex tribus capitibus diuerſis Auguſtini, ſcilicèt, ex 22. & 23. & 24. & ſic ſecundùm rigoroſum examen ſunt etiam hic viginti quatuor falſitates capitales.

Auctoritas Auguſtini ex lib. 2. de eodẽ Baptiſmo paruulorum extat cap. 29. colum. 3. litt. H. in qua ſolùm enumero tria vitia capitalia. Primùm, quod non eſt Gloſſa verborum Matthæi, ſed illorum Paulum: *Ex quo per vnum hominem peccatum intrauit in mundum*. Secundùm, quòd ab Aduerſariis fuit cauillosè diuiſa à ſecunda auctoritate Scripturæ ſuprapoſita, ex eodem 2. libro Auguſtini de Baptiſmo paruulorum. Tertio, quod vltima clauſula, ſcilicèt: *Venit enim quærere, & ſaluum facere quod perierat, nec eius aduentus eſt opus ſanis, ſed ægrotantibus*, ſunt verba ficta ab Aduerſariis, quia non extant in Auguſtino in illo capite, nec in toto illo lib. 2. de Baptiſmo paruulorum, ſunt enim aliundè adducta, vt exiſtimaremus illam auctoritatem nõ eſſe gratis adductam, ſed quia Auguſtinus in illis gloſſabat propoſitum Matthæi locum, quòd, vt dixi, falſum eſt, & ab omni veritate alienum, ex quibus omnibus pro certo, ac infallibili principio colligere debemus, quod omnes iſtæ auctoritates valdè ægrotabant, & egebant Medico, præſenti cuius ſanitas eſſet in pennis eius.

Ad verba, ſeu Gloſſam illam adductam à Turrecrematata: ex Sancto Gregorio in Gloſſa Continua, dico, quod Turrecremata ſæpè in ſuo libro citat hanc Gloſſam Continuam. Hæc autem Gloſſa ſub hoc palliato nomine eſt Catena Aurea S. Thomæ, quare autem ipſe ſemper appellauerit hanc Gloſſam Continuam, &

nun-

nunquam Catenam Auream S. Thomæ, est mysterium absconditum, quod mihi pro nunc reuelare non licèt, fugite mendacia à ventura ira, nisi obediatis veritati: fatemur ergo, quòd in illa Glossa Continua, seu Catena Aurea, non cap. 9. Matthæi, sed ad caput 5 S. Lucæ, ad illa verba: *Non veni vocare iustos, &c.* colum. mihi 881. ad finē, extant verba sub nomine Gregorii Nysseni, sed in illis, neque clarè, neque obscurè inuenio Mariam, Conceptionem, nec peccatum originale, neque contrahere, vel habere. Et sic est ex illis gratis adductis, solùm ad multiplicationem glossarum, Glossatorum, & Aurorum.

8. SCRIPTVRÆ AVCTORITAS adducitur ab Anonymo: vt habetur 1. ad Timoth. 2. quæ sic dicit: *Vnus est Mediator Dei, & hominū Christus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Ex hac auctoritate sic argumentum dicitur, & primo sic: *Christus non est Mediator, nisi eorū, qui per peccatū aliquādo fuerunt diuisi à Deo, sed Christus est Mediator omniū hominum, vt dicit Apostolus: ergo omnes homines aliquando per peccatum fuerunt diuisi à Deo.* Consequentia patet cum minori: Maior autē probatur per Augustinum, in primo de Baptismo paruulorum, sic dicentem: *Vniuersa enim tenet Ecclesia, omnem hominem separari à Deo, qui per Mediatorem Christum reconciliatur Deo, nec separari quemquam, nisi peccatis intercludentibus posse. Hæc ille.* 2. argumentatur sic: *Omnis homo, qui redemptus est per Christum, fuit aliquādo sub seruitute peccati, sed B. Virgo fuit redempta à Christo, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus: ergo, &c.* Hanc auctoritatem exponit Augustinus, in 1. libro de Nuptiis, & Concupisc. sic dicens: *Non enim dubitat Fides christiana, quam nui hæretici impugnare cæperunt, eos, qui per Christi gratiam regenerantur, redimi de diaboli potestate, & eos, qui nondum tali regeneratione redempti sunt, etiā paruulos filios redemptorū sub eiusdem diaboli potestate esse captiuos, nisi etiā & ipsi Christi gratia redimantur. Ad omnes, namque pertinere non dubitamus ætates, illud, de quo Apostolus loquitur: Beneficium Dei, qui eruit nos de potestate tenebrarum. Hæc ille.* Item Augustinus in 13. de Trinitate: *Hoc est,* inquit, *quod ait Apostolus: Gratias agimus Deo, qui eruit nos de potestate tenebrarum, & trāstulit nos in regnū caritatis* (sic extat in originali) *filij sui, in quo habemus Redemptorem in remissionem peccatorū, in qua tanquam pretium pro omnibus nobis datus est sanguis Christi. Hæc ille.* Item idem in Epistola ad Optatum: *Nullus,* inquit, *nisi qui peccati seruus est, liber efficitur, nec redemptus dici potest, nisi qui verè per peccatum fuit anteà captiuus.* Item idem in 3. contra Iulianum: *Vbi enim redemptio sonat, intelligitur & pretium pretiosi sanguinis Agni immaculati, qui effusus est in remissionem peccatorum. Hæc ille.* Item Beatus Gregorius, & habetur in Decretis 12. quæst. 2. cap. *Cùm Redemptor noster totius cōditor creaturæ, ad hoc propitiatus voluerit humanam naturam assumere, vt diuinitatis suæ gratia, dirupto quo tenebamur captiui vinculo, seruitutis nos pristinæ restitueret libertati: salubriter agitur, si homines, quos ab initio natura liberos protulit, & ius gentium iugo subiicit seruitutis, & libertati, in qua nati fuerant, manumittentis beneficio reddantur. Atque ideo huius pietatis intuitu nos Montanam, at Thomam famulos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ liberos, ex hac die ciuesque Romanos efficimus. Hæc ille.* Hucvsque Anonymus. Turrecremata vero adducit duas Glossas ex Augustino in lib. de Nuptiis, & Concupiscentia, quæ cum essent fideliter, ac legaliter transcriptæ, post Turrecrematam scribentes, sentientes, quod obseruata veritate, nihil probabant, illas prætermiserunt, ac transtulerunt ad auctoritatem sequentem, & adduxerunt suprapositas, quę iam ad Ventilabrum veniunt sic

Sanctus Augustinus in 1. libro de Baptismo paruul. cap. 27. fol. 145. comm. 3. littera I. adducit auctoritatem ex Epist. Pauli 1. ad Timoth. cap. 2. *Vnus enim Deus, vnus, & Mediator Dei, &c.* Et post quatuor integras columnas cap. 28. fol. 146. colum. 3 littera I. adducit auctoritatem ab Aduersariis propositam: Cùm ergo inter auctoritatem Pauli, & verba Augustini, medient 31. auctoritates sacræ Scripturæ, & vnum integrum folium: Quomodo auctoritas Augustini potest esse Glossa auctoritatis Pauli? Adducta fuit ergo, vt Glossa, propter illud solum verbum, *Mediatorem.* Auctoritas verò sic extat in Augustino: *Considerantes autem omnibus diuinis testimonijs, quæ commemoraui, siuè sigillatim de vnoquoque disputans, siuè aceruatim multa congestans, vel quæcumque similia non commemoraui, nihil inuenitur, nisi quod vniuersa Ecclesia tenet, quæ aduersus omnes prophanas nouitates vigilare debet, omnem hominem separari à Deo, nisi qui per Mediatorem Christum reconciliatur Deo, nec separari quemquam, nisi peccatis intercludentibus posse. Non ergo reconciliari, nisi peccatorum remissione per vnam gratiam misericordissimi Saluatoris, per vnam victimam verissimi Sacerdotis. Ac sic omnes filios mulieris, quæ serpenti credidit, vt libidine corrumperetur, non liberari à corpore mortis huius, nisi per filium Virginis, quæ Angelo credidit, vt sine libidine fœtaretur.* Ex quibus patet Primo, quod gratis, & sine fundamento adducunt hanc auctoritatem pro explanatione loci Pauli. Secundo, prætermiserunt illud, *nil inuenitur, nisi quod* vniuersa.

Ter-

Tertio, etiam illud: Quæ aduerſus omnes *prophanas nouitates vigilare debet.* Quarto, etiam ly, *niſi.* Quinto, auctoritas eſt extra propoſitam rem, vt patet ex ſubſequentibus verbis Auguſtini. Vide ibi.

Altera auctoritas Auguſtini extat libro 1. de Nupt. & concup. cap. 19. fol. 177. col. 2. littera D. & primo non eſt Gloſſa illius auctoritatis 1. ad Timoth. 1. quia nec ibi, nec in toto illo libro talia Pauli verba explicantur, nec ſaltem adducuntur incidenter; ad quid tot chimeræ, & ſine fundamento? Secundo, vbi Aduerſarii, *eos qui per Chriſti gratiam regenerantur, redimi de diaboli poteſtate*; in Auguſtino extant ſic, *& eos qui lauacro regenerationis abluuntur, redimi de poteſtate diaboli.* Tertio, aſtutè prætermiſerunt verba ſequentia, quæ ſic ſe habent: *Tenebrarum, & tranſtulit in regnũ filij claritatis ſuæ. Ab hac igitur poteſtate tenebrarum, quarum eſt diabolus Princeps, id eſt, à poteſtate diaboli, & Angelorum eius, quiſquis erui cùm baptizãtur, negauerit paruulos, ipſorum Eccleſiæ Sacramentorum veritate conuincitur, quæ nulla hæretica nouitas in Eccleſia Chriſti auferre, vel mutare permittitur, &c.* Ex his clarè patet, quo tendat Auguſtini auctoritas, & quàm longè diſtet ab Aduerſariorum deſiderio.

Auctoritas ex 13. libro de Trinitate tom. 3. cap. 15. fol. 95. littera B. ſic ſe habet: *Vndè & exhortans idem Apoſtolus credentes ad gratiarum actionem Deo Patri; qui eruit nos, inquit, de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij, charitatis ſuæ, in quo habemus redemptionem, in remiſſionem peccatorum. In hac redemptione tanquam pretium pro nobis datus eſt ſanguis Chriſti, quo accepto diabolus non ditatus eſt, ſed ligatus; vt nos ab eius nexibus ſolueremur, nec quemquam ſecum eorum, quòd Chriſtus ab omni debito liber, indebitè fuſo ſuo ſanguine redemiſſet, peccatorum retibus inuolutum traheret ad ſecundæ, ac ſempiternæ mortis exitium, &c.* Primo ergo illa non eſt Gloſſa, quia nec ibi, nec in toto illo libro 13. explicat Auguſtinus locum Pauli 1. ad Timoth. Secundo, contra veritatem addiderunt illud, *hoc eſt quod ait Apoſtolus*, vt ſaltem apparenter catenarent auctoriratem cum textu Pauli. Tertio, vbi Auguſtinus, *tanquam pretium pro nobis datũ*; Aduerſarii ſic, *pretium pro omnibus nobis*, addentes illam vniuerſalem, *omnibus.* Quarto, imperfectam reliquerunt orationem, vt fugerent a ſequentibus verbis Auguſtini, quæ nullo modo erant pro ipſis.

Auctoritas ex Epiſtola ad Optatum, quæ extat circa finem fol. 148. colum. 1. littera B. non eſt Auguſtini, ſed Zozimi, inquit enim Auguſtinus: *Vt iam verbis vtar, quæ in ipſa Epiſtola Beatiſſimi Antiſtitis Zozimi legũtur, &c. Nullus enim, niſi qui peccati ſeruus eſt, liber efficitur, nec redemptus dici poteſt, niſi qui verè per peccatum fuerit ante captiuus, &c.* Conſtat ergo, quòd falsò Aduerſarii tribuunt hanc auctoritatẽ Auguſtino, quia eſt Zozimi, & multiplicata. Vide infrà num. 315.

Auctoritas ex 3. lib. contra Iulianum cap. 3. fol. 215. col. 1. litt. A. ſic ſe habet: *Cæterũ rogote, quomodo poteſt intelligi iſta redemptio, niſi à malo redimente illo qui redemit Iſrael ab omnibus iniquitatibus eius? Vbi enim redẽptio ſonat, intelligitur, & pretium, & quod hoc, niſi pretioſus ſanguis Agni immaculati Ieſu Chriſti. De hoc autem pretio, quare ſit fuſum, quid interrogamus; aliũ? Redemptor ipſe reſpondeat, dicat ipſe Mercator: Hic eſt, inquit, ſanguis meus, qui pro multis effundetur, &c.* Vide ergo, ô Lector! quomodo nec eſt Gloſſa, nec ad rem, ac tandèm eſt vitiata, vt coferẽti patebit, ſicque in illa ſunt ad minus tria vitia capitalia, vt alia minoris momenti relinquamus.

Vltima auctoritas ex B. Gregorio in Decretis extat loco prælegato in cap. 68. fol. mihi 1011. cuius titulus eſt: *Miſerationis, & pietatis intuitu, ſerui Eccleſiarũ poſſunt manumitti.* Caſus ergo eſt, quòd S. Gregorius duos ſeruos Romanæ Eccleſiæ, ſcilicèt Montanũ, & Thomam manumiſit, & Decretum in illo cap. adducit formam illius manumiſsionis dicens: *Cũ Redemptor noſter, &c.* Vide ergo, & nota, ô Lector! amore Dei, ex quo loco argumentantur Aduerſarii contra immaculatam Virginis Cõceptionem, quaſi hæc eſſet legitima, & neceſſaria conſequentia: S. Gregorius manumiſit duos ſeruos Eccleſiæ: ergo Maria contraxit peccatũ originale? Secundo nota, quomodo locus iſte Gregorii eſt, vel poteſt eſſe Gloſſa verborũ Pauli 1. ad Timoth. 2. quando nec litteram illius inuenitur in prædicto Decreto. Tertio, etiã vitiarunt textum, nam vbi Gregorius, *carnẽ aſſumere*; Aduerſarii appoſuerunt, *naturam*, cum his etiam extant alia ſex vitia, licèt parui momenti.

9. AVCTORITAS SCRIPTVRÆ adducitur ab Anonymo: Habetur 2. ad Corint. 5. vbi ſic dicitur: *Charitas Chriſti vrget nos, exiſtimãtes hoc, quoniã ſi vnus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt & qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit. Hæc ibi.* Et proſequitur: Ex qua arguitur ſic: *Pro quocumque Chriſtus corporali morte mortuus eſt, ipſe ſpirituali morte mortuus eſt; ſed Chriſtus mortuus eſt corporaliter pro Beata Virgine, quia pro omnibus mortuus eſt: ergo Beata Virgo fuit mortua ſpiritualiter.* Conſequentia patet cum minori, Maior verò habetur per primam partem auctoritatis, qua dicitur: *Si vnus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſũt.*

Non poteſt autem intelligi de morte corporali, quia multi adhuc viuunt corporaliter: ergo oportet intelligi de morte ſpirituali, qua omnes in Adam peccauerunt, & per originale peccatum ſpiritualiter mortui ſunt: ergo, &c. Hanc auctoritatem exponit Auguſtinus in 6. libro contra Iulianum, dicens: *Nuſquam legis in diuinis auctoritatibus, mortuum eſſe Chriſtum pro his, qui nullum habuerunt peccatum. Tu dicis Chriſtum, & pro peccatoribus mortuum: ego verò dico, non niſi pro peccatoribus mortuum, ita vt reſpondere cogaris, ſi nullo peccato paruuli obſtricti ſunt, non eſſe Chriſtũ pro paruulis mortuum; dicit enim Apoſtolus ad Corinth. Quoniã vnus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, nullo modo hoc negare permitteris, non niſi pro his qui mortui ſunt, mortuum fuiſſe Ieſum. Quos igitur hoc in loco intelligis mortuos? Nunquid eos qui de corpore exierunt, quis ita deſipiat, vt hoc ſapiat? Eo modo itaq; intelligimus mortuos, pro quibus omnibus mortuus eſt Chriſtus, quomodo alibi dicitur: Et vos cùm eſſetis mortui in delictis, viuificati eſtis cum illo. Ac per hoc quod dicit: Vnus quidèm mortuus eſt pro omnibus: ergo omnes mortui ſunt, oſtendit fieri non poſſe, vt Chriſtus moreretur non niſi pro mortuis: conſequens igitur voluit eſſe, vt omnes intelligantur mortui, ſi pro omnibus mortuus Chriſtus. Quia ergo non in corpore, reſtat, vt in peccato eſſe mortuos omnes, pro quibus Chriſtus mortuus eſt aſſeramus. Nemo hoc neget, nemo de hoc dubitet, quiſe non negat, aut dubitat chriſtianum. Quapropter ſi nullum trahunt peccatum paruuli, nõ ſunt mortui. Igitur neceſſariò negare permitteris eos trahere originale peccatum. Hæc ſunt ſtabilimenta Fidei chriſtianæ, qui ea ſubuertere nititur, ſtantibus eis, ipſe ſubuerteretur. Hæc ille, &c.* Item Auguſtinus in lib. 2. de Ciuitate Dei, cap. 6. ſic dicit: *Habent etiã noſtræ animæ mortem ſuam in impietate, atque peccatis, de qua morte ait Apoſtolus: Si vnus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt, vt qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit. Omnes, inquam, mortui ſunt in peccatis, nemine prorſus excepto, ſiuè originalibus, ſiuè etiam voluntate additis, & pro omnibus mortuis vnus mortuus eſt viuus, id eſt, nullum habens omninò peccatum, vt qui per remiſsionem peccatorum viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro omnibus mortuus eſt. Hæc ille.* Item in 2. de Nupt. & concupiſ. *Quomodo*, inquit, *paruuli rei non ſunt, pro quibus mortuus eſt Chriſtus, iudicet ergo Chriſtus, & cui rei mors eius profecerit, dicat ipſe. Hic eſt, inquit, ſanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum, iudicet, & Apoſtolus; clamat enim de Deo Patre: quia proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit ipſum, & quare pro nobis omnibus traditus eſt Chriſtus? Traditus eſt, inquit, Chriſtus propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram; habent ergo paruuli peccata originalia, pro quibus traditus eſt Chriſtus; habent quod in eis ſanetur, quia vt ipſe ait, non eſt opus ſanis Medicus, ſed ægrotantibus; habent cur eos ſaluos faciat, quia venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere; habent quod in eis remittat, quia ſanguinem ſe fudiſſe teſtatur in remiſsionem peccatorum. Hæc ille.* Et poſt omnes auctoritates illas concludit Anonymus ſic: Ex quibus patet, quod ſi Beata Virgo nũquam habuit aliquod peccatum, Chriſtus non eſt mortuus pro ipſa, nec ſanguinem effudit pro ipſa. Igitur ſi deductio Auguſtini ſit vera, oportet dicere, quod Beata Virgo contraxit originale peccatum. Multæ aliæ auctoritates ſacræ Scripturæ poſſent adduci, ex quibus de neceſsitate concluditur, quòd Beata Virgo fuit concepta in originali peccato, quæ cauſa breuitatis omitto. Hucuſque Anonymus. Turrecremata verò addidit Gloſſam Ordinariã, quæ ſic dicit: *Æſtimantes hoc, quoniam ſi vnus tantum iuſtus ſine peccato, id eſt, Chriſtus mortuus eſt pro nobis: ergo omnes alij ſunt in peccato: ergo omnes mortui ſunt.* Iſtæ ſunt omnes Gloſſæ adductæ ab Aduerſariis pro hoc Pauli loco; ſed attende veritati.

Auctoritas Auguſtini ex 6. libro contra Iulianum extat cap. 1. fol. 237. col. 3. littera H. & habet vitia ſequentia. Primo, quòd ibi Auguſtinus non explicat præcipuè verba Pauli ad Corinth. ſed ad Roman. 5. ſic enim incipit: *Commendat autem ſuam charitatem Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Secundo, prætermiſerunt ſequentia verba: *Hoc tu dictum exceptis paruulis vis putari. Vbi ſi abs te quæram, ſi non ſunt inter peccatores habendi, quomodo pro eis mortuus eſt, qui pro peccatoribus mortuus eſt? Reſpondebis non pro ſolis peccatoribus mortuũ, quamuis ſit etiam pro peccatoribus mortuus. Quod quidèm nuſquam legis, &c.* Tertio, vbi Auguſtinus, *etiam pro eis*; ipſi prætermittentes ly, *etiam*, dixerunt, *pro his*. Quarto, vbi Auguſtinus, *habuerunt omninò peccatum*; ipſi tacuerunt ly, *omninò*. Quinto, prætermiſerunt illam clauſulam, *ſed attende, quam validis teſtimonijs vrgearis*. Sexto, vbi Auguſtinus, *delictis, & præputio carnis veſtræ*; Aduerſarii ſolùm dixerunt, *in delictis*, prætermittendo alia. Septimo, addiderunt illud, *cõſequens igitur voluit eſſe*. Octauo, vbi Auguſtinus, *mortuus eſt vnus*; Aduerſarii, mortuus eſt *Chriſtus*. Nono, prætermiſerunt hæc verba, *impingo, inculco, infertio recuſanti. Accipe, ſalubre eſt, nolo moriaris: Vnus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt.* Decimo, clauſula ſupràpoſita, *cõſequens*

ſequens igitur, &c. extat in Auguſtino poſt hæc verba ſic: *vide, quia conſequens eſſe voluit, &c.* Vndecimo, vbi Auguſtinus: *Si pro omnibus Chriſtus mortuus*; Aduerſarii ſic, *omnibus, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, aſtruamus.* Duodecimo, prætermiſerunt alias tres lineas. Decimo tertio, verba illa vltima: *Hæc ſunt ſtabilimenta fidei, &c.* deſumpſerunt poſt duas integras columnas, id eſt, fol. 238. vbi Auguſtinus dicit: *Nã chriſtianam Fidẽ aliam non potes inuenire. Vnus homo eſt ad mortem, vnus ad vitam, ille tãtùm homo, iſte Deus, & homo. Per illum eſt mundus inimicus factus Deo: per iſtum mundus reconciliatus Deo, electus ex mundo, ſicut enim in Adã omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omnes viuificabũtur. Sicut portauimus imaginẽ terreni, portemus imaginem eius qui in cœlo eſt. Hæc ſtabilimenta Fidei chriſtianæ, qui ſubuertere nititur, ſtantibus eis ipſe ſubuertitur.* Potuitnè eſſe maior aſtutia, quàm coniungere verba illa, omittendo duas columnas, cum peccato originali? Decimumtertium, ac vltimum vitium ſit, quòd cùm Turrecremata adducat hanc numero auctoritatem Auguſtini, & illam fideliter, ac legaliter tranſcripſerit. Anonymus qui poſt ipſum ſcripſit, noluit cum proprio Auctore ire in viã veritatis, ſed mendacii, &c.

Auctoritas ex lib. de Ciuitate Dei habet ſequentia vitia. Primò, quòd citata Auctoritas nõ extat lib. 2. ſed lib. 20. fol. 187. tom. 5. ſed fortè iſte fuit error Typographiæ. Secundo, poſt primam clauſulam, quæ in Auguſtino ſic extat: *Habet enim, & animæ mortem ſuam in impietate, atque peccatis*, prætermiſerunt decem lineas, in quibus S. Doctor ſuam mentẽ declarat. Tertio, vbi Auguſtinus, de qua morte ait Apoſtolus: *Ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt vnus*; Aduerſarii ſic, *ſi vnus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt*, ſunt enim longè diuerſa, & quoad veritatem textus, & quoad ſenſum. Quarto, poſt illa verba, *voluntate additis*, inquit Auguſtinus, *vel ignorando, vel ſciendo quo iuſtum eſt*, quæ omnia prætermiſerunt Aduerſarii, quia ex his etiam colligebatur Auguſtini mens de peccatis actualibus. Quinto, dereliquerunt Aduerſarii incompletã orationem, nam Auguſtinus ſic concludit: *Qui pro omnibus mortuus eſt propter peccata noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram, vt credentes in eum, qui iuſtificat impium, &c.* Itaque in hac auctoritate dicit Auguſtinus, quòd omnes ſunt mortui *in peccatis*, & ab iis neceſſariò eximenda eſt B. Maria, quia adhuc ſecundùm Aduerſarios non fuit mortua *in peccatis* de plurali, atq; plurale in bona grammatica includit ſingulare.

Auctoritas ex 2. libro de Nuptiis, & concupiſcent. extat cap. 33. fol. 185. littera F. ſed habet vitia ſequentia. Primo, ſic incipiunt verba Auguſtini: *Ipſe dicit*, id eſt Iulianus, *quomodo rei ſunt paruuli, pro quibus Chriſtus mortuus eſt? Nos reſpondemus, imò paruuli quomodo rei non ſunt, pro quibus Chriſtus mortuus eſt?* Prætermiſerunt ergo Aduerſarii has interloquutiones, quia ex ipſis conſtabat mens Iuliani, & Auguſtini: nam alter dicebat hæreticè, quòd paruuli non habebant originale, quod in illis ſex libris impugnat Auguſtinus. Secundo, prætermiſerunt illud, *iſta controuerſia iudicem quærit.* Tertio, vbi Aduerſarii, *& Apoſtolus clamat*, in Auguſtino ſic, *iudicet, & cum illo, & Apoſtolus, quia & in Apoſtolo ipſe loquitur Chriſtus, clamat, & dicit.* Quarto, poſt illud, *tradidit ipſum*, prætermiſerunt ſex lineas. Quinto, non eſt in Auguſtino illa formalis interrogatio, *& quare pro nobis omnibus traditus eſt Chriſtus?* Nam in Auguſtino ſic extant verba: *Iam itaque Apoſtolus, qui dixit: Pro nobis omnibus traditum Chriſtum, dicat etiam, quare ſit pro nobis traditus Chriſtus?* Et quando velint dicere Aduerſarii, quod illa verba continentur in iſtis, nullo modo ſaluare poterunt illam additam vniuerſalem, *omnibus.* Sexto, prætermiſerunt omnia verba illa: *Si igitur ſicut iſte, & cõfitetur, & profitetur, & dicit, & obijcit, in eis ſunt, & paruuli, pro quibus traditus eſt Chriſtus, habent profectò, & paruuli, &c.* Septimo, vbi Auguſtinus, *delicta originalia*; Aduerſarii, *peccata originalia*, quæ longè diuerſa ſunt iuxta antiquorum morem loquendi, nam delictum latiùs patebat. Octauo, vbi Auguſtinus, *ſanet*; ipſi de paſſiua voce, *ſanetur.* Nono, vbi Auguſtinus, *ſed malè habentibus*; Aduerſarii, ſed *ægrotantibus.* Alia ſunt vitia in hac auctoritate minoris momenti, quæ prætermittimus, quia hæc ſufficiunt, vt ex ipſis cognoſcatur Aduerſariorum intentio.

Auctoritas adducta à Turrecremata ex Gloſſa Ordinaria, quia ipſa in ſe breuis eſt, pauca habet vitia, id eſt, ſolùm vnum, etenim tota ipſa vnicum vitium continuum eſt, comprehẽdens à primo vſque ad vltimum verbum: nam in Gloſſa ſic extat auctoritas: *Charitas enim Chriſti, &c. Quia Chriſtus charitate pro nobis mortuus eſt, conſtat omnes mortuos fuiſſe in Adam: pro quibus mortuus eſt Chriſtus, vt eos à morte liberaret.* Si ergo conferas hanc auctoritatem cum ſuprà adducta à Turrecremata, inuenies, quòd ferè nec in vno verbo conueniant, quare non errabis à veritate, ſi dicas, in vna auctoritate habente viginti quatuor verba, viginti eſſe vitia.

10. SCRIPTVRÆ AVCTORITAS ſic ſe habet: Exodo capit. vltimo: *Poſtquam cuncta perfecta ſunt, operuit nubes Tabernaculũ teſtimonij, & gloria Domini implcuit illud*: Et addit Turrecremata: Per iſtam auctoritatem

S. Doctor in 3. part. quæst. 27. artic. 2. dicit significari, quod Beata Virgo non fuerit in Conceptione sua sanctificata, sed Conceptione coplera, ita inquiens: *Ea quæ fuerunt in veteri testamento, sunt figura nouorum secundùm illud 1. Corinth. 10. Omnia in figura contingebant illis. Per sanctificationem autem Tabernaculi (de quo dicitur in Psalm. Sanctificauit Tabernaculum suum Altissimus) videtur sanctificatio Matris Dei, quæ Dei Tabernaculum dicitur, secundum illud Psalmi: In Sole posuit Tabernaculũ suum. De Tabernaculo autem dicitur Exodo, vltimo: Postquam cuncta perfecta sunt, operuit nubes Tabernaculum testimonij, & gloria Domini impleuit illud. Ergo non fuit sanctificatum, nisi postquam cuncta eius perfecta sunt, scilicèt corpus, & anima. Hæc ille.* Item idem habetur in libro famosissimo, qui de mysteriis, & figuris veteris testamenti, & laudibus Beatæ Virginis intitulatur, in figura 16. quæ est Tabernaculi, vbi sic inquit Auctor libri: *Interserit hic testimonij Tabernaculum, Virginem Mariam Beatam significans, quæ non antè animationem sanctificata est, sicut nec Tabernaculum nube coopertum, & gloria Domini impletur antè perfectionem. Sic enim in Exodo scribitur: Postquam cuncta perfecta sunt, operuit nubes Tabernaculum testimonij, & gloria Domini impleuit illud. Hæc ille.* Et hæc Aduersarii pro hac auctoritate sacræ Scripturæ.

De illa ergo Sancti Thomæ Aquinatis, dicimus. Primo, quod illa auctoritas non est propriè Sancti Thomæ, cùm non sit resolutio ipsius Angelici Doctoris, sed adducta quasi ex parte aduersa, incipit enim sic: *Sed contra est, quod ea quæ fuerunt in veteri testamento, &c.* Resolutio autem, seu conclusio incipit post totam illam auctoritatem sic: *RESPON. Dicendum, quòd sanctificatio Beatæ Virginis, &c.* non ergo est auctoritas illa Sancti Thomæ, aliàs enim omnia quæ inueniuntur in Sancto Thoma pro, & contra essent de mente Sancti Thomæ. Secundo, notare debes, ò Lector! quòd in illo articulo, quærit Angelicus Doctor solùm hoc: *Vtrùm Beata Virgo fuerit sanctificata ante animationem?* Quærere autem, vtrũ fuerit sanctificata Maria ante animationem, vel post illam, est præambula controuersia, & distinctissima à nostra de contractione peccati originalis, ideò in Commentatio huius loci inquit Caietanus: *Ad hoc dicitur, quòd aliud est discutere materiam hanc absolutè, & aliud tanquam ex hac littera infertur talis conclusio corollariè: Nam, absolutè loquendo inter illas duas positiones extremas, scilicèt, quòd fuerit sanctificata, vel ante infusionem animæ, vel post infusionẽ animæ, est positio media, quòd fuit sanctificata in instanti infusionis animæ, cuius opinionis Auctor hic non meminit, quia tempore suo non erat adinuenta, &c.* Ego addo, quòd illud *post infusionem* animæ, habet etiam suam positionẽ mediam, scilicèt de posterioritate naturæ, vel temporis; non enim est necessaria cõsequentia: post infusionem animæ: ergo contraxit originale. Tertio, non fideliter transcripserunt initium huius auctoritatis Angelici Doctoris; nam ipse sic. *Sed contra est, quod ea,* Aduersarii vero absolutè incipiunt, dicendo: *Ea quæ fuerunt, &c.* vt occultarent obiectionem. Quarto, vbi Aduersarii, *nouorum*, S. Thomas dicit, *noui*, & ita dici debet, nam, *nouorum*, est magnus error. Quinto, vbi S. Thomas, *sed per sanctificationem*, Aduersarii abstulerunt illam illationis notam, *sed*, & addiderunt ly, *autem*. Sexto, vbi Thomas, *de qua dicitur*, id est, de sanctificatione; ipsi mutando relatiuum dicunt, *de quo*, id est, de Tabernaculo, nam sic variatur penitùs sensus. Septimo, vbi Aduersarii, *videtur sanctificatio matris*, in Angelico Doctore hæc verba extant sic, videtur *significari* sanctificatio Matris, auferentes illud, *significari*, & sic dubitatiuam fecerunt absolutam. Octauo, vbi S. Thomas: *Ergo etiam B. Virgo non fuit sanctificata, nisi postquam cuncta, &c.* ipsi sic: *Ergo non fuit sanctificatum*, nisi postquam, &c. Hæc sunt vitia quoad litteram, quoad sensum autem sunt alia, de quibus infrà.

Auctoritas illa ex libro famosissimo de Laudibus Virginis, dico, quòd liber ille, vt constat ex libri titulo, & ex supradictis num. 22. est ille, qui antiquitùs prodiit Anonymus Argentinæ anno 1493. in fol. nouissimè verò Duaci, anno 1625. in 4. sub nomine Richardi a S. Laurentio de Laudibus B. Mariæ Virginis. Hoc ergo supposito tanquam certissimum, & indubitatum, ventilando veritatem. Dico primo, quòd in illo famosissimo libro de Laudibus Virginis non est illa figura 16. de Tabernaculo, bene verum est, quòd in lib. 10. agit Auctor latissimè de Tabernaculo, prout fuit figura Virginis Mariæ, & sic citatio est falsa: siquidèm liber ille non procedit per figuras, nec habet nisi 12. libros, non autem 16. Dico secundo, quòd auctoritas adducta ab Aduersariis, non est in tota illa figura de Tabernaculo. Dico tertio, quòd non solùm in præallegata figura, sed neque in toto libro, seu in illis 12. libris, explicat Auctor verba illa adducta ab Aduersariis ex cap. vltimo Exodi: *Postquã cuncta perfecta sunt, &c.* Et sic videtur auctoritas ab ipsis adducta penitùs ficta, quoad propositũ Scripturæ locum. Dico quarto, quòd in illa figura de Tabernaculo, seu libro 10. colum 601. littera G. ad hanc materiam pertinentia, solùm extant hæc verba: *Item de hoc Tabernaculo dicitur in Psalm. 45. Sanctificauit Tabernaculum suum Altissimus: quære titulum de sanctificatione Mariæ. Item illud Tabernaculum, scilicèt, corpus, & animam matris suæ*

po-

poſuit Chriſtus primo in ſole, id eſt, in pulchritudine gratiæ, ſecundo in Aſſumptione poſuit illud in ſole, id eſt, ad dexteram ſuam, &c. Si ex his verbis finxerunt Aduerſarii auctoritatem ſupràpoſitam, illi videant, quia ego non inuenio auctoritatem ab ipſis adductam, vidi, & legi titulum de ſanctificatione Mariæ, de quo nos infrà aliquid dicemus auctoritate 13. & alia, quæſiui requiem, & non inueni, neque vt exiſtimo alius inueniet. Et hæc de littera, & fictis Gloſsis.

Cùm ergo locus iſte Scripturæ ſit ſecundum Turrecrematam primus, qui loquitur pro ſua ſententia clarè, expreſsè, ac nominatim de maculata Conceptione Mariæ, neceſsè erit in hoc, & ſequentibus ſaltem breuiter ventilare, quo fundamento adducantur, quia ſi propoſitiones vniuerſales in ſupràpoſitis nouem locis adduxerunt cum nullo, ſequentia ſine vllo. Adducuntur igitur hic duæ auctoritates, vnam ex Pſalm. 45. verſ. 5. quæ integra ſic ſe habet: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: ſanctificauit Tabernaculum ſuum Altiſsimus; Deus in medio eius non commouebitur, adiuuabit eam Deus mane diluculo.* Videntes Aduerſarii quod locus iſte nihil probabat pro ipſis, imo erat cõtra ipſos, prætermiſerunt prima, & vltima verba auctoritatis, & ſolùm tranſcripſerunt illa: *Sanctificauit Tabernaculum ſuum Altiſsimus*, vt autem oſtenderent ſanctificationem illam non fuiſſe in ipſa animatione, ſed tempore poſteriorem, adduxerunt alterum locum ex cap. 40. Exodi verſ. 32. ſic dicentem: *Poſtquam omnia perfecta ſunt, operuit nubes Tabernaculum teſtimonij, & gloria Domini impleuit illud. Nec poterat Moyſes ingredi tectum fœderis nube operiente omnia, &c.* Ex his ergo duobus volunt colligere pro dogmatica concluſione, ita neceſſaria, ac infallibili, quòd contrarium aſſerere ſit hæreticum, ſcilicèt, quod ly, Tabernaculum, eſt *Maria*, ly, erectio, eſt *Conceptio*, ly, poſtquam, *tempus ſubſequens*, ly, omnia, *corpus formatum, & organizatum vltimatè, & anima infuſa*, ly, perfecta, idem quòd *animatio*, ly ſanctificatum, idem quòd *mundatio à peccato originali contracto.* Itaque hæc propoſitio Scripturæ: *Tabernaculum fœderis, poſtquam omnia perfecta ſunt, fuit ſanctificatum*, clarè, apertè, euidenter, & efficaciter, concludit in Fide propoſitionem hanc: *Maria Virgo in Conceptione, poſt aliquod tempus ſuæ animationis, fuit ſanctificata à peccato originali contracto.* Patres mei, hoc eſt ſcribere, aut ludere? dicere quòd ex illo antecedenti nõ ſequitur hęc conſequentia, eritnè impium, prophanum, & hæreticum? Imò exiſtimo, quòd illam velle extrahere, ſit abſurdum, &c.

Attendite ergo, & notate, quot, quantaſque improprietates, & abſurda habet veſtra conſequentia in ipſamet littera textus. Primo, quia hic non eſt ſenſus Literalis, nec Allegoricus; ſed vmbraticus, accomodatitius, improprius, ac remotiſsimus, & ex hoc nunquam deducitur concluſio dogmatica. Secundo, idemmet Auctor à vobis adductus in libro de Laudibus Virginis, & in præallegata figura, dicit, quod Tabernaculum fuit figura humanitatis Chriſti, vteri Virginalis, Eccleſiæ Triumphantis, Eccleſiæ Militantis, & animæ iuſti: quibus adde Allegorias adductas à Laureto, verbo: Tabernaculum, & in nullo iſtorum accomodantur Conceptioni, niſi ſolũ in Conceptione Chriſti, vt mox dicam: quo ergo fundamento verba iſta communia adducitis pro animatione Virginis? Tertio, quia licèt Tabernaculum ſæpiſsimè apud Sanctos Patres, & alios Auctores dicatur de Virgine, & de Cõceptione eius poſſit explicari illud Pſalmi, tamen locus Exodi à nullo intelligitur de Conceptione paſsiua Mariæ. Quarto, quia Auctor à vobis citatus in illa figura de Tabernaculo ſic inquit: *Secundũ Tabernaculum vterus Virginalis, qui propriſsimè Tabernaculum dicitur, ſicut ipſamet dicit Eccleſ. 24. Qui creauit me, requieuit in Tabernaculo meo. Quære expoſitionem paulò ſuprà, vbi ipſa dicitur requies: & de hoc Tabernaculo dicitur Iſaiæ 33. Tabernaculum; quod nunquam poteſt transferri, ſcilicèt ad alios vſus, quàm ipſius Filij Dei. Et nota, quòd Tabernaculum propriè eſt militantium, & peregrinantium; ſicut enim miles pugnaturus armatur in Tabernaculo, ſcilicèt, vt armatus exeat ad conflictum, ſic Chriſtus cum diabolo pugnaturus pro ſponſa ſua exhæreditata, ſcilicèt Eccleſia, in vtero B. Virginis, velut in Tabernaculo armaturam humanæ carnis ſibi adaptauit, &c.* Ergo licèt Tabernaculum dicatur de Maria, impropriè tamen, & ſine vllo fundamento applicatur Conceptioni paſsiuæ, ſed actiuæ. Quinto, propoſitus locus Exodi non ſolùm impropriè, & impropriſsimè, ſed penitùs abſurdiſsimè applicaretur Cõceptioni paſsiuæ: nam quomodo poſſunt verificari de Cõceptione paſsiua verba illa, *poſtquã omnia perfecta ſunt*; quomodo enim in ſua Conceptione, ſeu animatione poterant eſſe omnia Virginis Mariæ perfecta, ſeu completa, quando tunc ſolùm erat inchoata? Nec valet dicere, quòd erant omnia perfecta, quoad corpus, & animam, quia corpus ſolùm erat in ſui principio, incipiebat vita, & ætas, reſtabant Natiuitas, Præſentatio, educatio, deſponſatio, Incarnatio Verbi, & his annexa, & connexa: quomodo ergo erant omnia perfecta? Quoad animam, incipiebant gratia, & merita, priuilegia, & gloriæ ipſius: ergo locus iſte magis conuenit Conceptioni actiuæ, quia tunc omnia erant perfecta in Virgine. Sexto, gratis dato, & admiſſo, quòd verba iſta poſsint

intelligi, & explicari de Conceptione passiua. Attende, o Lector! Aduersarii in suis libris de Conceptione, sicut etiam Diuus Thomas, in præallegata quæstione 3. Partis, & alibi sæpè, omnes vnanimiter contendunt probare, quod vbi non est anima rationalis, quæ sola est capax sanctificationis, nulla potest esse sanctificatio, & quod sic Virgo Maria, nec potuit sanctificari in parentibus, nec in embryone, ante animæ infusionem; & in eisdem libris, & quæstione, vbi hoc pro viribus nituntur probare, dicunt, & affirmant, quòd Tabernaculum fœderis non fuit sanctificatum, nisi post erectionem, & postquàm in eo omnia perfecta erant: ò Patres mei, erectio Tabernaculi Moysis fuit eius animatio? Tabernaculum illud postquam fuit erectum, & perfectè completum, vel fuit verè sanctificatū, vel non? Si non fuit verè sanctificatum, nec propriè: quomodo adducitis hoc in exemplū, vel vt melius dicam, pro argumento irrefragabili, & de Fide, contra immaculatam Virginis Conceptionem in sua animatione? Si Tabernaculum fuit verè, realiter, & propriè sanctificatum: quomodo ibidèm dicitis, & clamatis, quòd inanimata non possunt sanctificari? Quis intelliget hæc? Embryon Mariæ non potuit sanctificari, quia erat inanimatū, sed post animationem fuit sanctificatum, sicut Tabernaculum fœderis post erectionem. O Theologia inscrutabilis, quòd Tabernaculum ex tabulis potuit sanctificari, & Virginis Mariæ corpus ex carne non, fateor, quòd hucusque intelligere, nec capere te potui hunc inanimatum discursum. Sexto, damus libentissimè, quòd Maria in vtero matris suæ, ac in sua animatione, vel Conceptione fuerit sanctificata, sicut Tabernaculum: Hoc enim nos non negamus, vt sæpè diximus; quia nostra controuersia non est de sanctificatione, sed de tempore, ac modo sanctificationis. De quo Pelbartus Doctor antiquus in suo Rosario tom. 3. de Concept. Virginis passiua, §. 4. fol. 104. Ad argumentum de sanctificatione respondit sic: *Ad hoc dicendum, quòd Minor negatur pro vtraque parte. Primo enim sanctificata est Maria in carne antè animationem, eo modo quo res inanimatæ consecrantur ad Dei cultum, vt patuit suprà: secundo sanctificata est in animæ infusione, non à peccato quod inerat, sed quod infuisset, nisi affuisset gratia, & ideò si Bernardus dicit, quòd libido inerat, si intelligitur in commixtione seminum conceditur, sed nihil ad propositum, si autem intelligitur in naturarum coniunctione negatur.* Pro autem sanctificatione Mariæ præseruatiua.

En adduco irrefragabile argumentum ex Concilio Basilienſi, quod in Sectione 36. quæ incipit · *Sacrosancta generalis*, &c. (contra quam Aduersarii arma vertunt, quia ibi definitum fuit, Virginem præseruatam fuisse à peccato originali) in eadem ergo Sectione inquit Concilium: *Qui ipsam sanctificauit, & repleuit gratia*, &c. Et infrà: *Quæ sanctificationem, & dedicationem Templi illius concernit*, &c. Ecce quomodo à Concilii Patribus, quæ vocatur præseruata, dicitur etiã sanctificata. Sed attendite ad sequentia verba: *Hactenùs verò difficilis quæstio in diuersis partibus, & coram hac sancta Synodo super Conceptione ipsius gloriosæ Virginis Mariæ, & exordio sanctificationis eius facta est.* Ergo quæstio non erat, nec est de sanctificatione; quia hanc omnes concedimus, sed de exordio illius sanctificationis, an fuerit in primo, vel secundo instanti? Audi quomodo prosequitur Concilium: *Quibusdam dicentibus ipsam Virginem, & eius animam per aliquod tempus, aut instans temporis subiacuisse actualiter originali culpæ: aliis autem è conuerso dicentibus, à principio creationis suæ, Deum ipsam diligendo, gratiam eidem contulisse, per quam à macula originali illam Beatissimam personam liberans, & præseruans, sublimiori sanctificationis genere redemit. Cum fundaret eam Altissimus ipse*, &c. Ergo tota nostra controuersia ab ipsomet principio solùm fuit: an Maria fuerit sanctificata sublimiori sanctificationis genere, scilicèt præseruatiuo, vel non sublimiori, videlicèt subleuatiuo, sicque sanctificatio semper fuit à nostris admissa, quia erat quid commune, aut superius ad sanctificationem præseruatiuam, & subleuatiuam. Quo ergo fundamento semper, & vbique ex hac: Maria fuit sanctificata in vtero, deducitis: ergo subleuata à peccato? Cùm potiùs dicendum esset: Ergo præseruata à peccato; quia Analogum debet stare pro famosiori significato. Item notare debetis hìc, quod liberare est idem, quòd præseruare, dicente Concilio: *Illam Beatissimam personam liberans, & præseruans*, &c. Ergo semper fuit, & erit pessima consequentia: Maria fuit liberata à peccato originali: igitur illud contraxit, sed potiùs è contra: fuit liberata: ergo illud non habuit.

Sed quia vobis semper durum erit audire verba Concilii Basilienſis accipite vestrũ Ioannem Herolt, communiter dictum Discipulum, qui in Sermone 5. ad probandam immaculatam Virginis Conceptionem sumit pro themate proposita Psalmi verba: *Sanctificauit Tabernaculum suum Altissimus*, & inter alia scitu dignissima, circa sanctificationem dicit: *Quantum ad primam partem sciendum, quod hodiernum festum solemniter est celebrandum. Primo propter gloriosam, & Beatam Virginẽ Mariam, quæ hodiè initium sumpsit, quãdo concepta est in vtero matris suæ, & hodiè sanctificata est, & præseruata*, &c. *Quod autem*

B. Vir-

B. Virgo Maria in Conceptione præseruata est ab originali peccato, patet tripliciter: Primo auctoritate sacræ Scripturæ, vndè in verbis thematis dicitur per Prophetam: Sanctificauit Tabernaculum suum altissimus. Item Psalm. 131. Paraui lucernam Christo meo. Vndè B. Bernardus Doctor mellifluus: Proculdubio sanctificata fuit Virgo Maria, antequam nata. Secundo, probatur sic ratione: quia pretiosum thesaurum, scilicèt, suum vnigenitum Filium Deus Pater in eius vtero non posuisset, nisi munda & præseruata ab omni labe fuisset. Tertio, probatur exemplis. Nam si Hieremias Propheta in vtero Matris fuit sanctificatus, vt Christum nuntiaret futurum, & nasciturum, multo magis & ipsa. Itè Ioannes Baptista, vt Christum natum digito demonstraret, & baptizaret, multo magis sanctificari & præseruari meruit B. Virgo Maria, vt esset digna ipsum Christum concipere, & ipsum de suis visceribus generare, & si isti tres Sancti in vtero Matris sunt sanctificati, quare magis possibiliter Maria Mater eius ipsum portans? Sed quaris quomodo sanctificatio Mariæ præcellit sanctificationem aliorum Sanctorum? Respõdetur, quod in tribus excellit. Primo, in temporis celeritate, &c. Maria Virgo immediatè postquã anima infusa est corpori sanctificata est, &c. Vides quod sanctificatio non opponitur præseruationi, imo præseruantes Virginem semper vtebantur hoc termino? Et nisi vester Discipulus in his & sequentibus loqueretur tam clarè, ac expressè, etiam illum adduceretis pro solo illo verbo: sanctificata fuit in vtero Matris: vt fecistis cum omnibus aliis.

Bandellus adducta suo modo explanatione suprà positi Textus: sanctificauit Tabernaculũ suum altissimus, sic prosequitur. Et hoc fuit figuratum num. 7. vbi de hoc Tabernaculo sic dicitur: *Factum est igitur in die qua compleuit Moyses Tabernaculum, erexit illud, & sanctificauit cum omnibus vasis suis.* Hoc Tabernaculum est B. Virgo, quæ postquam perfecta, & animata fuit anima rationali, & iaceret prostrata propter originale peccatum quod contraxerat; Spiritus Sanctus verè Legislator, *erexit*, eam mundando, & sanctificando ab originali peccato, *cùm omnibus vasis suis*, hoc est, cùm omnibus potentiis, quæ aliqualiter originale peccatum infectæ fuerant. Hæc fuit figurata per Bersabee ad quam, *postquàm ingressus est Rex sanctificata est ab immunditia sua*, 2. Reg. cap. 12. B. enim Virgo postquam ad eam, *ingressus est*, Spiritus Sanctus dum adhuc in vtero Matris existeret, *sanctificata est ab immunditia* originalis peccati, quam in sui animatione contraxerat: vel ad quam postquam Christus *Rex* ingressus est per assumptionem carnis, *statim sanctificata est* à fomite peccati, qui tunc ab ea totaliter extirpatus est. Hucusque sunt Bandelli verba. Primus locus Numer. est vitiatus, quia vbi Bandellus, *erexit*, Textus habet, *& erexit*, prætermisit enim copulam, &. Item prætermisit ly, *vnxitque*. Sensusque est secundùm omnes Expositores, & litteram quod facto Tabernaculo, & completo eodem die, & erexit illud, & vnxit, & sanctificauit: ergo simul, & semel fuit completum, erectum, vnctum, & sanctificatũ. Secundus locus non est ex cap. 12. sed 11. & sic se habet: *Missis itaque Dauid nuntijs, tulit eam quæ cum ingressa esset ad illum dormiuit cum ea, statimque sanctificata est ab immunditia sua. Et reuersa est in domum suam conceptu fœtu.* Verba ista magis videntur conuenire B. Annæ, nã Deus misit ad illam Angelum quæ statim fuit sanctificata, & liberata ab sterilitate sua, & reuersa est in domum suam conceptu fœtu, id est, Virgine Maria. Sed hic & multo magis ille Bãdelli, est impropissimus, vt non dicam blasphemus, nam quæ conuentio est inter lucem, & tenebras: Virginem Mariam cùm adultera Bersabee, Regem peccatorem, & Spiritum Sanctũ? Denique quid inter actũ lasciuum, ac sanctificationem in vtero? Hæc adducta sunt, vt videas quale fuerit genium Bandelli.

Sed progrediamur vltra ad superiora, & videamus, si in prælegatis duabus auctoritatibus sint alia notatione digna, & in illo Psalmi 45. inuenio primo, quòd astutè prætermiserunt verba illa: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*, nam suppositò quod sublequentia: *Sanctificauit Tabernaculum suum altissimus*, loquuntur post animationem Virginis, vel de sanctificatione facta post vnum diem, vel vnam horã à Conceptione Virginea, illa prima: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, locuntur de ipsa Virgine, ante ipsam sanctificationem, id est, quando erat cũ peccato originali? Quomodo ergo, ò Patres! quãdo erat Maria cũ peccato originali fluminis impetus lætificabat illam? Vel quomodo poterat vocari ciuitas Dei lætificata, quando ipsa auctu erat cum originali peccato? Secundo, calide etiam abstulerunt illud: *Deus in medio eius non commouebitur, adiuuabit eam mane diluculo*, primam clausulam sic intelligo: Incipit Deus, vt creator naturæ dispositionem embryonis cuiuscumque pueri, & eodem titulo creat animam, illam infundendo corpori organizato, sed cùm statim maculetur peccato, commouetur Deus à loco illo, per introductionem Sathanæ, quousque per sanctificationem, vel per Baptismi gratiam iterum renascatur infans. Vndè in illo intermedio creationis, & recreationis semper amouetur Deus: non sic cõtigit in Maria; quia Deus in medio eius non fuit commotus, quia adiuuabit eam manè diluculo. Quid fuit adiuuare Mariam manè diluculo? Ioannes de Ianua, ex Ordine Prædicatorum, in suo Catholicon fol. 188. colum. 4. *Manè dicitur*

tur à mane, manas, quia tunc dies manare incipit. De diluculo verò fol. 119. col. 2. inquit: *Diluculum est tempus illud, cum incipit parua lux esse:* ergo si Deus adiuuit Mariam quando incepit esse: ergo non sanctificauit illam, postquam omnia perfecta erant, sed in ipso initio, & principio? Tertio, nescio quomodo Aduersarii possint verificare illa verba: *Operuit nubes Tabernaculum*, nam quæ nubes fuit illa, quæ in vtero Annæ operuit Tabernaculum Mariæ? Sicut nec illa: *Nec poterat Moyses ingredi tectum, &c.* In Conceptione enim passiua, quomodo coaptari possunt hæc verba? Conceptioni verò actiuæ, quando vterus Mariæ fuit propriè Tabernaculum Verbi, possunt ista accomodari sic: Quod nubes operuit Tabernaculum, vt Mysterium Incarnationis celaretur diabolo, vt celatum fuit: & Moyses adaptatur Iothepho, qui nec est ingressus, nec cognouit Mariam, nec poterat illam respicere facie ad faciem, ob splendorem emanantem à gloria creatoris existentis in eius sacratissimo vtero. Sed agedum vt concludamus controuersiam, concedimus Mariã in sua Conceptione fuisse sanctificatam, sicut Tabernaculum in sua erectione postquam omnia completa, & perfecta fuerunt. Cùm ergo Tabernaculum non fuerit sanctificatum ab aliqua præexistente macula, fœditate, sorde, vel contaminatione, quare illam ponitis in Maria? Est ne maioris dignitatis figura, quàm figuratum; & melioris conditionis Tabernaculũ vmbraticum fœderis Mosayci, quàm Tabernaculum, ac Templum viuum Verbi Diuini, eius Mater Maria? Si illud fuit sanctificatum negatiuè, id est, de non sancto factum sanctum, quare quod conceditis ligno, nõ conceditis Deiparæ? Si caro ante animationem habet morbidã infectionẽ, quare ista morbida infectio nõ potuit sanari? Potuit per vestrã sanctificationẽ sanari duplex infirmitas, infectio carnis, & animæ macula, & non potuit vna, quando erat sola, & in carne, quæ facilius medetur? Nonnè sufficiebat dicere Deo de illa carne morbida: Domine ecce quam amas infirmatur? Et hæc sufficiãt pro hac auctoritate; quia, vt video, operuit nubes intelligentiam huius testimonii.

II SCRIPTVRÆ AVCTORITAS est hæc: Item in lib. Iob. cap. 3. dicitur: *Obscurẽtur stellæ in caligine noctis eius, & expectet lucem, & non videat nec ortum surgentis Auroræ.* Ista autem auctoritate (prosequitur Turrecremata) quæ iuxta Glossam Ordinariam loquitur de nocte originalis peccati, qua obscuratæ dicuntur stellæ, vt ait Glosa: *Quia etiam splendentes virtutibus reliquias illius noctis contrahunt*, dicit S. Thomas 3. part. vbi suprà significari, quod solùs ortus B. Virginis, & non conceptus fuerit à nocte originalis peccati immunis, ita dicens: *Beata Virgo contraxit originale peccatũ, sed ab eo fuit mundata, antequàm ex vtero nasceretur, & hoc significatur Iob 3. vbi de nocte originalis peccati dicitur: Spectet lucẽ, id est, Christum, & non videat, quia nihil inquinatũ introiuit in illam, scilicèt, Dei sapientiam, Sapien. 7. Nec ortum surgentis Auroræ, B. Virginis, quia in suo ortu à peccato originali fuit immunis. Hæc ille.* Eodem modo videtur exponere S. Bernardus hunc locum, qui in Sermon. Natiuitatis eiusdem Dominæ nostræ, qui incipit: *De gaudiis ad gaudia*, Natiuitatem B. Virginis ex vtero per ortum Auroræ describens, ita ait: *Hæc est Aurora, quam sequitur, imò qua nascitur Sol iustitiæ, solius Solis claritati succumbens. Hæc est Aurora, quam ille non vidit, qui vidit omne sublime. Et erat B. Iob, vt ea multa suppressione claudatur, dicens: Non videat ortũ surgentis Auroræ. Hæc B. Bernardus.* Bandellus verò sic inquit: Item Iob 3. *Obscurentur stellæ caligine eius, scilicèt noctis, spectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis Auroræ. Glossa: Stellæ, id est, omnes sancti splendentes virtutibus concepti sunt in nocte peccati originalis, & nati cum illo, vel saltem cum fomite soluto: Solus Christus nec conceptus est in peccato, nec natus est cum illo: Beata autem Virgo, quæ dicitur Aurora, concepta fuit in originali peccato, sed nata ex vtero sine illo.* Hucusque Aduersarii pro hac sacræ Scripturæ auctoritate, quam priùs examinabimus de veritate litteræ, prout ab ipsis adducitur.

Verba ergo proposita à Turrecremata ex Glosa Ordinaria sic se habent: *Sit nox illa solitaria, nec laude digna: sunt enim qui mala laudant, & defendunt; & sic culpa geminatur, non remanet solitaria. Contra quod dicitur: peccasti, non adijcias iterum peccare, id est, mala defendere, vt Adam, qui ad pœnitentiam requisitus, excusationem culpæ addidit: Mulier quam dedisti mihi, &c. Quasi, tu fuisti occasio peccandi, qui mulierem dedisti. Culpam verò benè insequitur, qui nulla prospera mundi appetit, vndè est: maledicant ei, qui maledicunt diei. Quod est, illi benè noctem pœnitendo feriunt, qui lucem prosperitatis calcant, qui diem delectationis non habent. Vel dies est suggestio hostis, & est: illa transacta malà verè puniunt, qui in sola blanda suggestione, insidias seductoris deprehendunt, qui contra se amplius suscitant Leuiathan. Alijs quoque quos securè possidet, dormit, sed his euigilat ad omnem pugnam: Sed quia victis vitijs aliquid minimum remanet, quod vinci non potest, ne victor eleuetur, subdit: Obscurentur stellæ caligine eius noctis: quia & si splendentes virtutibus, reliquias tamen noctis trahunt etiam renitentes, vt indè luceant meliùs, vnde nolentes humiliter obscurantur, &c.* Hæc sunt omnia integra verba Glosæ Ordinariæ. Vndè patet primo,

quod

quòd eſt falſum illud, quod dicit Turrecremata: Iuxta Gloſſam Ordinariã loquitur de nocte originalis peccati, quia non loquitur ſecundùm Gloſſam niſi de peccatis actualibus, ſuggeſtione, ac tentatione, vt ex ipſo textu euidenter patet. Secundo, vbi Gloſſa, *quia & ſi*; Turrecremata falſò, quia *etiam*, quæ diuerſiſſima ſunt. Tertio, vbi Gloſſa, *reliquias tamen noctis trahunt*; Turrecremata ſic, *reliquias, illius* noctis, vt additione *illius*, connotaret peccatum originale. Quarto, vbi Gloſſa, *trahunt*; Turrecremata abſque timore dixit, *contrahũt*, vt ſic ex omni parte introduceret ſuum originale peccatũ. Quinto, prætermiſit, *etiam retinentes*, &c. Vt ſic occultaretur eius fallax intentio. Sunt ergo in vna auctoritate habente octo verba, quatuor vitia capitalia. Et inſuper nec vnum ſolùm habet de peccato originali, quod eſt præcipuum aſſumptum.

Auctoritas Angelici Doctoris extat in Reſponſione ad 2. quæ ſic incipit: *Nam Chriſtus nullomodo contraxit originale peccatum, ſed in ipſa ſui Conceptione fuit Sanctus, ſecundùm illud Lucæ 1. Quod ex te naſcetur Sanctum, vocabitur Filius Dei, ſed B. Virgo contraxit quidem*, &c. Primo ergo prætermiſit hæc verba, quod non fuit abſque intentione propter illud: *In ipſa ſui Conceptione fuit Sanctus*, volunt enim Aduerſarii, quòd ſanctitas in Conceptione Mariæ non ſit terminus proteſtatiuus, quod poſita hac auctoritate S. Thomæ tenebantur cocedere. Num. Thomas dicit: Chriſtus *in ipſa ſui Cõceptione fuit Sanctus*: ergo dicere de Maria: *In ipſa ſui Conceptione fuit ſancta*, vel: *In ipſa ſui Conceptione non fuit ſancta*, erit propoſitio proteſtatiua, quod ſemper negant Turrecremata, Bandellus, & alii antiqui; ſed Deo gratias, quòd iam conceditur à modernioribus. Secundo vbi S. Thomas, *ſignatur*; Turrecremata, *ſignificatur* quæ ſunt longè diuerſa, quia, ſignificatur eſt terminus aſſertiuus, & ſignari, indicatiuus. Tertio, vbi Turrecremata, *introiuit*; S. Thomas habet, *incurrit*, quæ etiam ſunt diuerſa. Quarto, vbi S. Thomas, *quæ*; Turrecremata, *quia*, tranſtulit enim relatiuum in cauſalem, & hæc ſunt vitia in auctoritate Angelici Doctoris.

Auctoritas ex S. Bernardo habet vitia ſequẽtia. Primo, quòd falsò ad ſcripſit Turrecremata ſermonem illum de Natiuitate incipientem: *De gaudiis ad gaudia*, S. Bernardo, quia hic ſolùm ſcripſit Sermonem vnum de Natiuitate Virginis, communiter dictum de Aquæductu, & extat in operibus eius fol 271. & incipit: *Fœcundæ Virginis*, &c. & in tali Sermone Bernardi non extant præallegata verba. Secundo, citatus Sermo Natiuitatis incipiens: *De gaudiis ad gaudia*, eſt S. Petri Damiani, vt videre eſt in operibus eius Serm. 44. fol. 247. Tertio, quòd Turrecremata nec titulum Sermonis tranſcripſit legaliter, nam titulus talis eſt: *De gaudijs properamus ad gaudia, & feruentem ſtylum*, &c. Quarto, quod nec in hoc Sermone S. Petri Damiani extant verba ab Aduerſariis adducta, ſed in Sermon. de Aſſumptione, qui eſt in ordine 40. & incipit: *Hic totum decurrat ingenium*, &c. Cuius verba ſic ſe habent: *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox, in ipſa pertranſierant omnes beſtiæ ſiluæ, quia crudeles, & indomiti ſpiritus dimotis repagulis, humanum genus totis viribus obtriuerũt. Sed nata Virgine ſurrexit Aurora, quia Maria veri præuia luminis Natiuitate ſua manè clariſſimum ſerenauit. Hæc eſt ſtella matutina in medio nubulæ, quæ in cœli cardine ſummo ſplendore coruſcans, orbem ſubditum ſplendidioribus radijs incolorat. Hæc eſt Aurora, quam ſequitur, imò de qua naſcitur Sol iuſtitiæ ſolius ſolis claritati ſuccumbens. Hæc eſt Aurora, quem ille non vidit, qui vidit omne ſublime. Et orat B. Iob, vt ei multa ſuppreſsione claudatur, Dicens: Nõ videat ortum ſurgẽtis Auroræ. Tuus eſt dies Domine, in quo Adam eſt conditus, tua eſt nox, in qua Adam à die eſt eiectus, tu fabricatus es auroram, id eſt, Virginem Matrem, & ſolem, Solẽ videlicet iuſtitiæ, qui de Virginali thalamo conſurrexit. Nam ſicut Aurora terminum noctis, diei principium adeſſe teſtatur, ſic & Virgo noctẽ expulit ſerpentinam, & de die, diem de terra ſuæ Virginitatis exortum terris infudit.* Hæc ſunt integra verba non S. Bernardi, vt reuplicata aſſertione affirmat Turrecremata, ſed S. Petri Damiani, ex quibus colligitur, quòd liber ille, vt nunc typis eſt mandatus, non eſt Turrecrematæ, vt ſæpè notauimus, ſed Bartholomæi de Spina, qui hunc eundem Sermonem adſcribit. S. Bernardo, vt videre eſt ſuprà num. 243. auct. 4. Nam quomodo homo alioquin doctus ſcribens ad Concilii Patres, tanta, ac talia abſurda, & à veritate aliena proponere poterat? Imò neque auctoritatem iſtam pro ſua adduceret ſententia? Quia hic expreſsè affirmat Petrus Damianus, quod non vidit Mariam, qui vidit omne ſublime, ſi autem hic videns omnia, fuit peccatum originale: ergo hoc non vidit Mariam. Deindè illa vltima verba à Turrecremata omiſſa: *ſic & Virgo noctem expulit ſerpentinam*, ſi nox fuit originalis Adami culpa, ſeu ſerpentinę, tenebræ introductæ, Maria ab hac nocte libera fuit, quia tota Aurora, ſemper dies, vt dicit Damianus.

Bandelli autem auctoritas, ſeu Gloſſa à primo vſque ad vltimum verbum tota eſt à ſuo cerebro ficta, & ſine vlla veritatis ſpecie compoſita, quia talis Gloſſa nec fuit, nec eſt in rerum natura, & quod plus eſt, nec in aliquo Auctore claſsico inuenietur, licèt aliqua eius verba extent in Sermonibus aliquorum Patrum Prædicatorum, ſed iſti nec fuerunt Gloſſatores Scripturæ, nec Scriptores alicuius auctoritatis. Stãte

ergo

ergo quòd Gloſſa illa à Bandello adducta ſit ab ipſo nec ficta, vt compoſita omni modo, & in illa ſint quinquaginta verba, tot etiam vitia, vel falſitates eſſent enumerandæ.

Quoad ſenſum vero auctoritatis dico, quòd locus iſte Iob eſt ex difficilioribus totius ſacræ Scripturæ, in quo quot litteræ, tot ſunt ſententiæ. Coſule Pinedam tom. 1. ad cap. 3. verſ. 2. fol. 279. Paulum Comitolium Cathena in Iob à fol. 136. & cum illis omnes alios Expoſitores. Modernos Bolduc, & cæteros. Sed gratis admiſſo, quòd ibi loquatur Iob de peccato originali, quod plures negant, adhuc remanet difficultas circa intelligentiam illorum verborũ: *ſpectet lucem, & non videat nec ortum ſurgentis Auroræ*, nam intelligere per lucem Chriſtum, & per Auroram Mariam, eſt quædam Allegoria myſtica parum, vel nullum habens fundamẽtum, quia peccatum originale nec ſpectauit Chriſtum, nec illum poterat ſpectare, cùm eſſet Deus, quia non cognouit aduentum eius. Vndè magis ad rem loqueretur, ſi per lucem intelligeret Mariam, quam non vidit, & per Auroram Ioannem Baptiſtam, qui fuit Lucifer, & quaſi Chriſti Aurora, cuius ortum non vidit, id eſt, Natiuitatem; quod comprobatur ex Septuaginta legentibus, *Et in lucem non veniat, & non videat Luciferum exorientem*. Sed cõceſſo, quòd Iob loquatur de peccato, & quòd per lucem voluerit exprimere Chriſtum, & per Auroram Mariam, adhuc reſtat alia difficultas circa illam vocem, *ortum ſurgentis*, quia ortus Auroræ, & illius ſurrectio, eſt primum ſui eſſe, initium, & principium, & ſi hæc transferantur ad prolem, potiùs ortus ſumi debet pro Conceptione, quàm pro Natiuitate: nam ortus dicitur genitus, natus, vel ſubitò viſus, de quo vide Catholicon fol. 216. col. 4. igitur locus iſte ex nullo capite probat Aduerſariorum intentum, nam ſolùm eſt quidam locus accõmodatitius ad libitum, excogitatus ab Aduerſariis abſque aliquo fundamento in Sanctis Patribus. Sed adhuc admiſſa auctoritate, & quòd loquatur ibi Iob expreſsè de Conceptione Chriſti, ac Mariæ; verba faciunt hunc ſenſum: expectet lucem & non videat eius ortum, ſicut nec ortum ſurgentis Auroræ: & quid diceremus, ſi legendum eſſet ſecundùm translationes veſtrorum Sãctis Pagnini, & Batablí, quorum primus dicit: *Spectet lucem, & non ſit, nec videat ſplendorem Auroræ*, alter verò. *Expectet lucem, & non adſit, nec videat palpebras Auroræ*. Dicite mihi amore Dei, in quo Vocabulario, vel Expoſitore inueniam, quòd ſplendor, & palpebræ Auroræ Mariæ ſignificant eius Natiuitatem, & non Cõceptionem? vt ſic ſint duæ palpebræ.

12. AVCTORITAS SCRIPTVRÆ ſic adducitur: Item ex illo Eccleſiaſtes 7. vbi dicitur: *Virum de mille vnum reperi: Mulierem autem ex omnibus non inueni* Et addit Turrecremata: Vbi Gloſſa Ordinaria dicit ita: *Virũ, id eſt, Chriſtum de mille, ſcilicẽt ſanctum*. Quam Gloſſam ſecutus Dominus Hugo Cardinalis, primus Poſtillator Bibliæ, & Magiſter Pariſienſis ita dicẽs: *Hoc exponitur de Chriſto, qui ſolus extra illam vniuerſitatem eſt, quæ dicitur Rom. 3. omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, qui omninò peccatum non fecit, qui eſt caput omnium bonorum, & ſuper omnes bonos, qui ſignificatur per millenarium, qui perfectus eſt numerus, vndè dicit Sponſa, Cant. 5. Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus; Mulierem autem ex omnibus non inueni, quæ aliquid muliebritatis non haberet, ſaltem originaliter. Beata autem Virgo originale habuit. Propter quod eius Conceptio non celebratur, tamen qui eam celebrant, debent habere reſpectum ad ſanctificationem eius, qua ſanctificata fuit in vtero Matris*. Hæc omnia præfatus D. Hugo Cardinalis. Item idem dicit Magiſter Garricus, profundus Theologus Magiſter Pariſienſis in Poſtilla ſua ſuper eundẽ paſſum, ita inquiens: *Mulierem ex omnibus non inueni, quia nulla fuit abſque peccato originali*. Item idem dicit in eodem paſſu, in Poſtilla ſua D. Iacobus de Lauſana, Magiſter Pariſiẽſis, & Epiſcopus Lauſanẽſis, qui ita in forma dicit: *Inter omnes viros vnũ ſolum inuenit omninò mundum ab omni concupiſcentia, ſcilicèt, Chriſtum, ſed inter mulieres nullam, quia B. Virgo infecta fuit peccato originali*. Hæc ſunt, quæ adducunt Aduerſarii pro hoc ſacræ Scripturæ loco, veritas autem dicit quòd

Auctoritas adducta ex Gloſſa Ordinaria, ſecundùm ſubſtantiam, vel illius ſtructuram, eſt ficta, nam Textus Eccleſiaſtes ſic ſe habet: *Non eſt enim homo iuſtus in terra, qui faciat bonũ, & non peccet. Sed & cunctis ſermonibus, qui dicũtur, nè accomodes cor tuũ, nè fortè audias ſeruũ tuũ maledicentem tibi. Scit enim conſciẽtia tua, quia & tu crebrò maledixiſti alijs. Cuncta tentauit in ſapientia. Dixi: ſapiens efficiar, & ipſa longiùs receſſit à me, multò magis quàm erat. Et alta profunditas, quis inueniet eam? Luſtraui vniuerſa animo meo, vt ſcirem, & conſiderarem, & quærerem ſapientiam, & rationem: & vt cognoſcerem impietatem ſtulti, & errorem imprudentium. Et inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum eſt, & ſagena cor eius, vincula ſunt manus illius. Qui placet Deo, effugiet illam, qui autem peccator eſt, capietur ab illa. Ecce hoc inueni, dixit Eccleſiaſtes, vnum, & alterum, vt inuenirem rationem, quam adhuc quærit anima mea, & non inueni. Virum de mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni, ſolummodo hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuerit quæ-*

ſtio-

ſtionibus, quis talis vt ſapiens eſt? Et quis cognouit ſolutionẽ verbi? Iſte eſt omnis Textus Scripturæ ad litteram. Gloſſa verò Ordinaria explicans illa verba: *Vt inuenirem rationem*, ſic inquit: *Quamcumque rem, vel diſcreptionem inter homines, & eorũ mores: quia perfectè bonus niſi ſolus Chriſtus? Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* Et ad illa alia verba: *Virum de mille*, ſic inquit: *Chriſtum, qui caput eſt bonorũ, figuratur per millenarium, qui perfectus numerus.* Hæc ſunt omnia, quæ habet Gloſſa Ordin. Cùm ergo in his non ſint illa verba adducta ab Aduerſariis: *Virum, id eſt, Chriſtum, de mille, ſcilicèt ſanctum*, demonſtratur euidenter, quod adhuc breuis hæc auctoritas eſt ficta.

Auctoritas Hugonis Cardinalis in aliquibus eſt vitiata, nam ſic incipit: *Iſtud ad litteram intelligunt quidam de Loth in Sodomis, vbi nec vxor eius bona inuenta eſt. Gloſſa ſic intelligit: Virũ de mille vnum reperi, id eſt, inter omnes homines paucos bonos inueni, ita quòd in mille vix virum vnum, id eſt, virilem hominẽ inueni, mulierem verò omnino non inueni bonam, imò omnes inuenit Salomon malas, quia turpiter ſeduxerunt eum, vt legitur 3. Regum 11. & Eccl. 41.* Hæc omnia prætermiſerunt Aduerſarii, vt nõ cognoſceretur qualis ſecundùm Hugonem, erat ſenſus litteralis huius loci. Deindè proſequitur Hugo ſic: *Myſticè exponitur hoc de Chriſto, &c.* Et hæc etiam fuit intentio, nam quod Hugo proponit expreſsè pro ſenſu myſtico, voluerunt Aduerſarii introducere pro litterali. Tertio, poſt illa verba, *egent gloria Dei*, proſequitur Hugo ſic: *Et Iob 3. in multis offendimus omnes. Vndè Pſal. Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum, ſcilicèt Chriſtum*, quæ omnia prætermiſerunt Aduerſarii, quia loquebantur de peccatis actualibus. Quarto, vbi Hugo, *quia nimò peccatum non fecit, nec etiam habuit*; Aduerſarii prætermiſerunt illud, *nec etiam habuit*, vt auferrent connexionem inter facere, &, habere. Quinto, vbi Hugo de plurali, *non haberẽt*; ipſi de ſingulari, *haberet*. Sexto, vbi Hugo, *ſaltem originaliter etiam B. Virgo originale habuit*; ipſi abſtulerunt illud, *etiam*. De mente autem Hugonis in hac parte non curamus, quia cùm fuerit ex Ordine Prædicatorum, ſuſtinuit illorũ opinionem: ſolùm enim dico, quod hæc Hugonis verba iam ſunt correcta; nam ad marginem dicitur: *Hoc non tenetur modo ab Eccleſia.* Hæc Marginator Hugonis, & cùm hic fuerit Dominicanus, in vno habemus alterum.

De Gloſſa Garrici, profundiſsimi Theologi Pariſienſis, dico quòd, vt vidimus num. 84 Aduerſarii Auctorem hunc faciunt modò Ciſtercienſem, modò Carthuſianum, ac denique ſæcularem, ſed opera talis profundiſsimi Magiſtri nunquam fuerunt typis mandata, nec aliquis Nomenclator de ipſo mentionem facit, vide ſuprà citatum num. 84. Sed adhuc admiſſo Auctore, auctoritas nihil probat, quia ſunt verba vniuerſalia, in quibus Auctor non expreſsè, ac nominatim includit Virginem Mariam, aut de ipſa mentionem facit.

Auctoritas Iacobi Lauſanenſis, videtur abſolutè ficta, iuxta illud quod diximus, ac demõſtrauimus ſuprà de hoc Auctore num. 135. Pro auctoritate verò Scripturæ dico breuiter, quòd in toto illo cap. ſecundùm litteram ſolùm proponit Eccleſiaſtes aliqua præcepta moralia, & quòd nullo modo agit de Chriſto Domino, nec de B. Virgine Maria. Sed gratis admiſſo, quòd ageret, nullomodo loquitur de peccato originali, nec eſt ſaltem aliquod minimũ verbum illud indicans in toto capite, & quod plus eſt, nullus ſacræ Scripturæ Interpres antiquus, vel modernus explicat propoſitum locum, vt ab Aduerſariis proponitur, vel intenditur, imò quòd ſtando rigori litteræ, eſſet craſsiſsima ignorantia, velle intelligere, vel explicare locum illum de peccato originali, ſed de actualibus, vt denotant illa verba: *Non eſt enim homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet*, & illud: *Inuenit amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum eſt, &c.* Et ſic diſcurrẽdo per alias clauſulas. Deindè quomodo iuxta rigorẽ litteræ poſſunt explicari de Chriſto Domino illa: *Virum de mille vnum reperi?* Quia dicere debebat: Virum de omnibus vnum reperi. Sed nè immoremur in his, concedo vobis, o Patres mei! quòd ſapiens loquatur de peccato originali, ac de Chriſto, & Maria in ſua Conceptione, & diſtinguo propoſitionẽ Scripturæ: Virũ de mille, vel de omnibus vnum reperi liberum à peccato originali, id eſt, debito, per ſe, & ex natura ſua, concedo, & hoc modo mulierem ex omnibus non inueni, nec ipſam Virginem Mariam.

13. SCRIPTVRÆ AVCTORITAS ſic adducitur. Idem deducitur ex illo Prouerb. 25. *Auferrubiginẽ de argento, & egredietur vas puriſsimum.* Et proſequitur Turrecremata, ſic: Quod Albertus in Sermone Natiuitatis Dominæ noſtræ, de B. Virgine exponit, dicens: *Habuit ſiquidèm B. Virgo rubiginẽ originalis peccati, quæ cõtrahitur de vetuſtate primæ culpæ Adæ, quæ igne Spiritus Sancti purgata fuit: & tunc puriſsimum illud vas permãſit: quia nec lutum actualis, nec puluerem venialis poſtmodum habuiſſe creditur. Hæc ille.* Item idem dicit prænominatus Dominus Iacobus Lauſanenſis, in Sermone Natiuitatis eiuſdem Virginis, qui incipit ab eadem auctoritate, ita dicẽs: *Committitur Spiritui Sancto à tota Trinitate, qui totius puritatis, & ſanctitatis eſt Auctor, Virginẽ Mariam purificare, & mundare, cùm dicit: Auferrubiginem de argento.* Ad cuius euidentiam

dicit

dicit esse notandum, quòd B. Virgo rubiginem originalis peccati contraxit in sua Conceptione, & animatione, quæ quidem originalis culpa meritò per modum rubiginis designatur. Et infrà: *Nulla de mulieribus euasit hanc rubiginem, & nullus de viris præter Christum. Ecclesiastes 7. Virum vnum de mille vix reperi, mulierē autem ex omnibus non inueni. Hæc ille.* Itē eadem est expositio plurium aliorum Postillatorum Bibliæ, quorum inferiùs ponentur sententiæ, & dicta in forma. Hucusque Turrecremata, Bandellus verò addit quandam Glossam sic: Item Prouerb. 25. Auser, &c. Glossa. *Auser originale peccatum à Virgine, & nascetur sine peccato*, compleuit totum hoc Spina part. 7. cap. 6. quadam insigni chimera dicens: *Vnde dicitur Prouerb. 25. Auser rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum. Quod quidèm verbum sancti Doctores exponunt specialiter de sanctificatione Beatæ Virginis à peccato.* Hæc sunt omnia quæ adducunt Aduersarii pro hoc Scripturæ loco. Sed attende, Lector, veritati.

Pro auctoritate Alberti Magni dico primo, quòd sermones huius insignis Doctoris fuerunt semel, & iterum excusi per R. P. Andræam Coppestein Mandulensem, Ordinis Prædicatorum, Maguntiæ apud Ioannem Aleimen. anno 1616. in 8. regali, ac tandem Lugduni cum aliis operibus eiusdem Alberti Magni tomo 12. à fol. 215. & sic in Sermonibus Alberti nulla potest esse dubitatio, nec suspicio alicuius alterationis, siquidèm fuerunt excusi à Patribus Dominicanis. Dico secundo, quòd in prædicto Sermonario Alberti sunt tres Sermones de Natiuitate Virginis Mariæ, quorum primus incipit: *Ego Mater pulchræ dilectionis, &c.* Secundus: *Fons egrediebatur, &c.* Tetius verò: *Orietur stella, &c.* Dico ergo tertio, quòd verba adducta à Turrecremata non extant in his tribus Sermonibus Natiuitatis, & quod plus est, neque in alio eiusdem Alberti Sermone, & non dico, non extare totam auctoritatem, sed neque minimum verbum illius, nec saltem incidenter sumere in ore propositum locum Prouerbiorum: *Auser rubiginem, &c.* Et sic vnum ex duobus necessariò fatendum erit, vel quòd Turrecremata finxit hanc auctoritatem sui Alberti Magni, vel quòd Sermones impressi sub nomine Alberti, falsò sunt ipsi adscripti: ex his eligant Aduersarii, quod ipsis magis placuerit, ego verò vtrumque credo, & quòd Sermones non sunt Alberti, & quòd auctoritas est ficta, & si hoc fecerunt cum Auctore suo adeò classico, & qui aliàs stabat pro ipsis, quid sperandum est de aliis in hac ventilatione contentis? Hinc sub sumo aliud dylemma, quòd liber ille non est Turrecrematæ, vel quòd in illo libro Turrecremata in omnibus, & per omnia deuiauit à veritate: eligant Aduersarii similiter, quod ipsis minus noceat, &c.

Alia auctoritas ex Iacobo Lausanensi etiam est penitùs ficta: Auctor enim iste in suo Sermonario solùm adducit duos Sermones de Natiuitate Virginis Mariæ, sed nullus incipit, vt dicit Turrecremata: *Auser rubiginē.* Primus enim incipit: *Facta est lex.* Secūdus verò: *Iudæis noua lex oriri, &c.* Vide quæ diximus de hoc Iacobo Lausanensi suo loco num. 135. Concluditur ergo, quòd sermo hic citatus de Natiuitate, est fictus, sicut etiam & verba, quorum nec minimū extat in Sermonibus Lausanensis. Deindè ad propalandā omnē deuiationem à veritate exi, stimo, Turrecrematam propositā auctoritatē desumpsisse ex suo sæpè repetito Anonymo Cistercienſi, de laudibus Virginis, hoc est, de Richardo de S. Laurentio, qui in principio libri 3. col. 175. & lib. 4. col. 305. locum istū Prouerb. 25. *Auser rubiginem, &c.* accomodat sanctificationi Virginis in vtero, sed aliter quā Turrecrecremata, quia ipse nō dicit: *Auser rubiginem à Maria*, sed: *Auser rubiginē à carne virginea*, vide suprà citatū nu. 135. & etiam nu. 22.

Tandem Glossa adducta à Bandello etiā est ficta à suo proprio cerebro, quia talis Glossa nū quam fuit in rerum natura, nec in Glossa Ordinaria, neq; in aliquo ex Patribus antiquis, nisi velint recurrere ad Richardū de S. Laurētio, sed hic non fuit Glossator Scripturæ, nec eius verba dici possunt Glossa, quia Glossa est ad litteram, Richardus autem solùm exposuit aliquas sacræ Scripturæ auctoritates figuratiuè, id est, prout in sensū accomodatitio poterant competere Virgini, & sic in hoc sacræ Scripturæ loco, quoad Glossas Doctorū, nec saltē vna minima inuenitur veritas in Aduersariis: nam tātùm in S. Bernardo Serm. 4. de Epiphania in principio sic inquit: *Duritiam duris congruam seruis, filijs commutauit in mansuetudinem; vt rubiginē originalis peccati, quā vix cultellus eradere poterat, ex hoc cū vnctione gratiæ facilè lauet aqua, &c.* Sed vbi de præputio, quomodo ingreditur Virgo, vel dictum Spinæ: *Quod quidē verbum sancti Doctores exponunt specialiter de sanctificatione B. Virginis à peccato*, quando nec vnum Sāctū Doctorem inueniet sic explicantē verbum illud? Dissipatis ergo à Sole propositis nebulis, solùm restat videre, quo fundamento contra Immaculatam Virginis Conceptionem adduxerunt Prouerb. locum.

Capitulum 25. Prouerb. sic incipit: *Hæ quoque Parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ Regis Iuda. Gloria Dei est celare verbū, & gloria Regū inuestigare sermonem. Cœlū sursum, & terra deorsum, & cor Regum inscrutabile. Auser rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum. Auser impietatem de vultu Regis, & firmabitur iustitia thronus eius.* Et Fra-

tres

tres mei, ipſemet textus explicat ſenſum litteralem illius Parabolæ: Aufer rubiginem de argẽto, id eſt, aufer impietatem de vultu Regis, & egredietur vas puriſsimum Imperii eius, vel ſic Aufer, remoue, vel amoue rubiginem, vel ſcoriam ab argento: nam ſicut Aurifabro eſt impedimentum, quominus poſsit conflare vaſa argentea, modis omnibus pura, & nitida, ad Regem expetat ab Aula ſua, imò à Regno omnẽ amouere impium, vt cum gloria, & ſecuritate regnet. Ita ex Hæbreorum fontibus Rodulphus Baynus fol. 109. Ergo veſtræ Gloſiæ, ſeu expoſitiones ſunt contra expreſſum ſenſum litteralem contentum in ipſo ſacro Textu. Fortè dicetis, quòd ille veſter non eſt ſenſus litteralis, ſed myſticus, & accomodatitius, ſeu figuratiuus, optimè, quia nulla alia vobis reſtat euaſio: quomodo ergo ex ſenſu figuratiuo, & accomodatitio deducitis concluſionem dogmaticam? Deindè cùm hæc ſit Parabola, vndè colligitis, rubiginem ſignificare peccatum originale (ſed tranſeat hoc propter Bernardi auctoritatem) vndè argentum, Virginem Mariam vt concep tam, & vas eandem Virginem Mariam, vt natam? Nonne totum hoc eſt gratis excogitatũ? Imo admiſſa figura, meliùs explicaretur locus, intelligendo per rubiginem fomitem, & reliquias ex libidine, & concupiſcentia parentum relictas in argento, id eſt, in ſemine, & embryone, per vas autem formationem Mariæ in vtero, & ſic erit ſenſus: Aufer pruritum à carne feminata, & egredietur Maria puriſsima in ſua formatione, ſeu animatione: *aufer*, concupiſcẽtiam, & libidinẽ à Ioachimo, & Anna, *& egredietur*, à lumbis eius *vas*, id eſt, corpus, in quo recondenda erit pretioſa Mariæ anima, *puriſsimum*, iuxta illud Damaſceni: *O immaculatum ſemen, &c.* Nonnè magis genuina eſt hæc interpretatio, quam veſtra? Sed non immoremur in his: interrogo, Parabola iſta eſt communis, & propria ſolius Virginis Mariæ, vel nõ? Quòd non ſit propria, patet euidenter; tum quia nullus Doctor ex claſsicis illã explicat de Virgine; tum quia Gloſſa Ordinaria dicit: Aufer impietatem perſequendi chriſtianos de animo Sauli, ſeu Pauli, & egredietur vas puriſsimum. Interlinealis: Aufer ſuperficiem litteræ de ſacro eloquio, & egredietur ſpirituale myſterium. Et ſic etiam dicere poſſumus: Aufer à Magdalena rubiginem mundanæ affectionis, & egredietur vas puriſsimũ. Aufer infidelitatem à Latrone, & egredietur vas puriſsimum. Aufer rubiginem culpæ ab anima purgatorii, & egredietur vas puriſsimum ad gloriam. Aufer rubiginem peccatoris in confeſsione, & egredietur vas puriſsimum ad pœnitentiam. Et ſic diſcurrendo per ſingula, locus iſte accomodari poteſt omnibus rebus mundi; excepta Virgine Maria, cui nullomodo competit, neque in vlla materia, ſtatu, ſenſu aut myſterio vitæ eius, neque hucuſque ab aliquo Eccleſiæ Patre fuit accomodatus. Et hæc de rubigine huius loci.

14. SCRIPTVRÆ AVCTORITAS ſic ſe habet: Hoc apertiſsimè colligitur Angelico teſtimonio iuxta expoſitionem Sanctorum Doctorũ, ex illo Lucæ 1. vbi Angelus ait Bſſ. Virgini: *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſsimi obumbrabit tibi.* Super quo verbo dicit B. Ambroſius, vt refert S. Thomas in 3. ſcripto ſuper Senten. diſt. 3. *Spiritus Sanctus ſuperueniens in Virginem, mentem ipſius ab omni ſorde vitiorum caſtificauit.* Item Auguſtinus tractans idem verbũ contra Maximinum hæreticũ 1. libro cap. 21. ita dicit: *Non enim Deus inhabitat in homine, quem non ante Spiritus Sanctus ſanctificauerit, atque purgauerit. Denique ad Mariam illam B. Virginem dicebatur: Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, vtique ad ſanctificãdum, & ad purgãdum. Hæc Auguſtinus.* Itẽ Ioannes Damaſcenus lib. 3. cap. 2. ait: *Spiritus Sanctus ſuperuenit in Mariam, purgans ipſam, & virtutem ſuſceptiuam Verbi Dei tribuens, ſimul & generatiuam.* Ad idem eſt Fulgentius in Sermone Natiuitatis Domini, qui incipit: Cupientes aliquid de huiuſmodi diei ſolemnitate narrare, vbi dicit: *Quòd gratia Sancti Spiritus menti Virginis contulit firmiſsimam Fidẽ: & carni abſtulit omninò libidinem.* Item eiuſdẽ ſententiæ videtur eſſe B. Gregorius in Moral. lib. 32. cap. 3. exponens illud Iob 40. ſub vmbra dormit, in ſecreto thalami, vbi ſic dicit: *Obumbratio in ſacro Eloquio, Incarnatio Domini ponitur, vel mentis refrigerium à feruore carnalitũ cogitationum. Quòd autem Dominica Incarnatio ſeruata veritate hiſtoriæ obumbrationis appelatione deſignetur, Angelicus ſermo teſtatur, qui ad Mariam Virginem dicit: Et virtus Altiſsimi obumbrabit tibi. Quia enim obumbratio non aliter exprimitur, niſi per lumen, & corpus, virtus Altiſsimi obumbrabit ei, quia in eius vtero lux incorporea corpus ſumpſit. Ex qua vi delicet obumbratione, omne in ſe refrigerium mentis accepit. Hæc Gregorius.* Ad idem videtur eſſe Beatus Bernardus præfatum verbum, ſcilicèt, virtus Altiſsimi tractans, ſuper Cantica Serm. 34. ita dicens: *Aut certè virtus vegetans, vmbra refrigerans.* Item eiuſdem ſententiæ eſt venerabilis Beda in Homil. ſuper: Miſſus eſt, & habetur pro parte in Gloſſa Ordinaria ſuper verbo præfato Angeli, vbi ita inquit: *Superueniẽs in Virginem Spiritus Sanctus, duobus modis in ea potentiæ Diuinæ efficatiam oſtendit, quia eius mentem adèo, quantum humana fragilitas patitur, ab omnium vitiorum ſorde caſtigauit, vt cœleſti eſſet digna partu, & in vtero eius ſanctum, ac venerabile redẽptoris noſtri corpus ſola ſui operatione creauit, id eſt, nullo virili in-*

terueniẽte tactu, carnem de carne Virginis ſacroſanctã intemeratã formauit. Et infrà, *Obumbrauit autẽ B. Dei Genitrici virtus Altiſſimi, quia Spiritus Sanctus cor illius cùm impleuit, ab omni aſtu concupiſcentiæ carnalis tẽperauit, & mũdauit à deſideriis temporalibus, ac donis cœleſtibus mentem ſimul illius conſecrauit, & corpus.* Itẽ eiuſdem ſententiæ eſt Hugo de S. Victore, qui in 2. lib. de Sacramentis, par. 1. cap. 8. ita dicit: *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Spiritus namq; ſanctus Virgini ſuperuenit, vt per operationẽ eius caro Chriſti de carne Virginis formaretur. Et virtus Altiſſimi obumbrabit ei, ne ſubſtantiã carnis miniſtrans, concupiſcentia carnali vteretur:* Quorum Sanctorũ, & venerabilium Patrũ dicta Magiſter Sententiarũ, in 3. diſt. 3. & Doctores eximii, qui in ſchola Theologiæ ſplendidiores habentur, de purgatione quarundã reliquiarũ peccati originalis, & fomitis, à quibus B. Virgo in ipſa ſuperuentione Spiritus Sancti in Conceptione Filii Dei purgata dicitur, Intelligunt, & exponunt. Vndè Magiſter Sententiarum ita habet vbi ſuprà: *Mariã quoque totã, in eam ſuperueniens Spiritus Sanctus, à peccato prorſus purgauit, & à fomite peccati liberauit, vel fomitem ipſum penitùs euacuando (vt quibuſdã placet) vel ſic debilitando, & extenuando, vt ei poſtmodũ peccandi occaſio nulla extiterit.* Præterea præfatas Gloſſas Sanctorum proſecutus Dominus Hugo Cardinalis in Poſtilla ſua ſuper Lucã ita dicit ſuper eodem paſſu: *Obumbrabit tibi, id eſt, refrigerabit tibi mentẽ, fomitem extinguẽdo. Vnde ait Gloſſa, quæ eſt Bedæ, ſuperueniens Spiritus Sanctus in Virgine, mentem illius ab omni ſorde vitiorũ caſtigauit, id eſt, fomitẽ vitiorum. Vndè Gloſſa Interlinealis dicit, contra omnia nitentiam vitiorum. Hæc Hugo Cardinalis.* Item ad idẽ eſt Dominus Albertus, in Poſtilla ſua ſuper Lucam, qui eandẽm paſſum ex ponens, ita dicit: *Quantum ad hoc, quòd vmbra ponit quoddã refrigeriũ, ſunt duæ Gloſſæ, vna quæ dicit, quòd obumbrare, eſt, ab incẽtiuo vitiorum refrigerare Incentiuum autem vitiorum eſt fomes, & ſic virtute Altiſſimi Virgo B. fuit à fomite purgata. Et ſi dicatur, quòd hoc eſt falſum, quia ipſa fuit ſanctificata in vtero ab originali peccato. Ad hoc dicẽdum eſt, quòd in vtero fuit ſanctificata à peccato, & ab omni ſorde vitij, ſed ipſe fomes non fuit in ea extinctus, ſed ligatus. In ipſa autẽ Conceptione Verbi fuit penitùs extinctus, vt nullus eſſet omninò, & hoc eſt quod dicit Gloſſa. Hæc Dominus Albertus.* Item ad idẽ eſt S. Thomas in 3. Sent. in expoſitione litteræ, diſt. 3. vbi ita ait: *Dicitur, virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, ad ſignificandum omnimodã extinctionem fomitis, quia per aduentum Filij Dei in ipſam, omnes reliquiæ fomitis ab ea extirpatæ ſunt: Hæc extirpatio obumbratio dicitur, ſicut & fomes incendium, vmbra autem contra æſtum refrigerium præſtat. Hæc ſanctus Thomas.* Ad idẽ eſt Dominus Bonauentura Cardinalis, Ordinis Minorum in 3. Sent. diſt. 3. in expoſitione litteræ, vbi prædictũ Verbum Angelicum exponens, ita inquit: *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi potiùs dicit obũbrare, quàm illuminare. Obumbratio enim viſum adiuuat, & calorẽ refrigerat, & in aduentu Filij Dei Virgo Maria refrigerata fuit fomitis extinctione. Hæc præfatus Dominus Cardinalis Bonauentura.* Eodẽ modo exponit Dominus Bertrandus de Turre, Cardinalis, eiuſdem Ordinis, in expoſitione Euangeliorũ: vbi ſuper illud Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, ſic dicit: *Secũdũ Gloſſam: cõtra ardorem fomitis refrigerabit. Et ſecũdùm Gregoriũ 33. Moralium: Caro Mariæ fuit obũbrata virtute Altiſſimi, quia in eius vtero lux incorporea corpus ſumpſit, ex qua obũbratione omne in ſe refrigerium mentis, & carnis accepit.* Cæterum eodem modo exponit prædictum verbum Dominus Vlricus Argentinenſis, in lib. Sent. ſuarũ cap. 3. tract. 5. ita dicens: *Obũbrabit tibi, ſcilicèt, incentiuum fomitis refrigerio diuinæ gratiæ penitùs extinguẽdo.* Et eodẽmodo Magiſter Nicolaus Gorram Poſtillator totius Bibliæ exponit. Quibus omnibus conſideratis apertiſſimũ videtur colligi teſtimoniũ ex præfato Angelico dicto, quòd Virgo ſacratiſſima in originali peccato fuerit concepta, cũ fomes ipſe materialiter ſit ipſum originale peccatum, vt ſuperiùs viſum eſt. Vndè Auguſtinus in lib. Retract. de verbis Apoſtoli, vt deducit Magiſter Sent. in 2. diſt. 30. dicit: *Semper pugna eſt in corpore mortis huius, quia ipſa concupiſcentia cum qua nati ſumus, finiri non poteſt. Quæ eſt concupiſcentia, cum qua nati ſumus? vitiũ vtique eſt, quod paruulũ habilem concupiſcere facit, adultum verò concupiſcentẽ reddit.* Ex quibus verbis Auguſtini dicit Magiſter Senten. dari intelligi, quod ſit originale peccatũ, ſcilicèt, *vitiũ concupiſcentiæ, quod in omnes per concupiſcentiam natos per Adam, intrauit eoſque vitiauit.* Quod etiã Auguſtini teſtimonio confirmat, dicens: Vndè Auguſtinus in libro de Baptiſmo paruulorũ: *Adam præter imitationis exemplum occulta etiam tabe carnalis concupiſcentiæ ſuæ tabificauit in ſe omnes de ſua extirpe venturos. Hæc ille.* Et ita patet, quod cùm fomes ipſe eſſentialiter pertineat ad originale peccatum, quare cùm iuxta ſententiam tam Sanctorum, quam venerabilium Patrum, & Doctorum, in Virgine Maria fuerit fomes, à quo virtute Altiſſimi obumbrata, & purgata fuit, neceſſarium eſt dicere, quòd ipſa originale peccatum contraxerit. Hæc ſunt omnia Turrecrematæ verba pro hoc ſacræ Scripturæ loco. Ex quibus deducere vult, peccatum originale eſſe fomitem, & concupiſcentiã, in ſententia antiquorũ, vndè iam ex ore ſuo ſe condemnat,

ſed

ſed accedamus ad enumeranda vitia in hoc ſacræ Scripturæ loco commiſſa.

Primo, quod Gloſſa citata ex S. Ambroſio fuit falſa, nam illa non eſt Ambroſii, quidquid dicat S. Thomas, ſed Bedæ, nec illam adducit S. Thomas in 3. ſcripto ſuper Sententias, vt dicit hìc Turrecremata, ſed etiam in primo ſcripto, vt demonſtraui ſuprà num. 16. auct. 14. Secundo, quod hoc fecit Turrecremata ex intentione, ſolùm ad multiplicandum Auctores, nã eandem auctoritatem, ſeu Gloſſam repetit hoc eodem loco ſub nomine Bedæ, & in Hugone, ac cùm Hugo dicat expreſsè, quòd ſit Bedæ, tenebatur Turrecremata indagare veritatem, quia loquebatur nõ cum ſtudẽtibus, ſed ad Concilii Patres. Tertio, auctoritas eſt iam quinquies repetita in hac Vẽtilatione, ſcilicèt, prælegato num. 16. & nu. 41. auctor. 5. & hìc ter.

Quarto, verba adducta ex Auguſtino in lib. cõtra Maximũ Arianũ, non ſolũ ſunt falſa, ſed peſsimè adducta, nam vt videre eſt in ipſo libro exiſtẽte tom. 6. à fol. 147. totus eſt Dialogus inter Maximũ, & Auguſtinũ, & verba adducta à Turrecremata nõ ſunt Auguſtini, ſed Maximi: nam ſic ad Maximũ Auguſtinus: *Suſcipio quæ protuliſti. Neſcitis, quia tẽplũ Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis? Nõ enim Deus habitat in homine, quẽ nõ ante Spiritus S. ſanctificauerit, atque purgauerit; denique & ad Mariã illam B. Virginẽ dicebatur: Spiritus S. ſuperueniet in te, vtique ad ſanctificandũ, & ad purgandũ. Deindè ſequitur: Et virtus Altiſsimi obumbrabit tibi, Altiſsimi autẽ virtus, quod Chriſtus ſit, iam & ipſe protuliſti. Veritas non ex argumento colligitur, ſed certis teſtimonijs comprobatur, ob quam cauſam teſtimonia proferre debebis*, &c. Ex iis conſtat, quòd illa ſunt verba hæretici, illa tamen cõceſsit Auguſtinus, quia erant extra propoſitum. Quinto, fuit aſtutia prætermittere prima & vltima verba, ex quibus hæc conſtabant.

Sexto, auctoritas Damaſceni citato lib. 3. cap. 2. fol. 361. ſic ſe habet: *Spiritus Sanctus in eam ſuperuenit, eam luſtrans, vimque ei tũ ad ſuſcipiendũ Verbi Deitatẽ, tum ad gignendũ ſuppeditans* Vide, ò Lector! in quantis differat vna auctoritas ab alia, vndè ſecundùm hanc translationem alia ſex vitia eſſent enumeranda. Nota, quæ diximus ſuprà num. 167.

Septimo, S. Fulgentius in prælegato Sermone non explicat locũ propoſitũ, ſed abſolutè ſic inquit: *Primum hominẽ mulier corrupta mente decepit, ſecundũ hominẽ Virgo incorrupta Virginitate cõcepit. In primi hominis cõiuge nequitia diaboli ſeductã deprauauit mentẽ: in ſecundi autẽ hominis Matre, gratia Dei, & mentẽ integrã ſeruauit, & carnẽ: menti cõtulit firmiſsimã Fidẽ, carni abſtulit omninò libidinẽ* &c. Ex quibus conſtat, quàm extra rem, & veritatẽ adductus fuerit S. Fulgentius, cum ibi loquatur de Virginitate, comparando Mariam concipientem, cum Eua decepta.

Octauo auctoritas S. Gregorii nõ extat lib. 32. ſed 33. cap. 3. col. mihi 1127. & ſic ſe habet: *Sub vmbra dormit, &c. Obũbratio in ſacro eloquio aliquãdo Incarnatio Domini ponitur, vel mẽtis refrigerũ à feruore carnaliũ cogitationũ, vndè appellatione vmbræ ex ſuperna protectione hoc ipſum refrigeriũ cordis inſinuari ſolet. Aliquãdo verò vmbra, recedente charitate, torpor frigidæ mentis accipitur. Nã quòd Dominica Incarnatio ſeruata veritate hiſtoriæ obũbrationis appellatione ſignetur, Angelicus ſermo teſtatur, qui ad Mariã ait. Virtus Altiſsimi obumbrabit tibi. Quia enim vmbra non aliter exprimitur niſi per lumẽ, & corpus, virtus ei Altiſsimi obũbrabit, ex qua in eius vtero lex incorporea corpus ſumpſit ex qua videlicèt obũbratione omne in ſe refrigerium mentis accepit. Rurſum per vmbram, ex ſuperna protectione refrigerium cordis exprimitur, ſicut Pſalmiſta ait*, &c. Ex quibus conſtat. Nono, quomodo ſine timore illam Gregorii diſiunctiuam: *Aliquando Incarnatio Domini ponitur, vel mentis refrigerium*, id eſt, obumbratio aliquando ſignificat vnũ, aliquando alterũ, aliquando denique torporem frigidæ mentis, &c. Omnes iſtas diuiſiones contundentes adſcripſerunt Incarnationi, & Mariæ, quæ de aliis dicit Gregorius, vt intuenti patebit. Decimo, vbi Gregorius, *quia enim vmbra*; Aduerſarii, quia enim *obũbratio*, vt reducerent clauſulam ad ſuum intentum. Vndecimo, mutarunt omnem ſenſum auctoritatis Gregorii.

Duodecimo, verba deſumpta ex Bernardo Serm. 34. in Cantica, ficta ſunt, nam in tali Sermone, qui incipit: *Si ignoras te, &c.* talia nõ extant verba, neque ibi explicat locũ illum Lucæ, & in illis Sermonibus, qui ſunt 85. nullomodo declarat Bernardus verba Angeli, niſi in Serm. 20. qui incipit: *Vt Magiſtri verbis, &c.* vbi hæc habet: *Vmbrã ſiquidẽ Chriſti, carnem eo eſſe ipſius, de qua obumbratũ eſt & Mariæ, vt eius obiectu feruor, ſplendorque ſpiritus illi tẽperaretur*: Si ergo Turrecremata ex hoc loco ſuũ finxit, toto cœlo à veritate errauit, ſi ex alio, demõſtrent ipſum, quia ego illũ non inuenio, nec in 85. Sermonibus Bernardi, neque in 48. editis à Gelliberto eius Continuatore.

Decimotertio, de auctoritate Bedæ, quæ multiplicata eſt, vide quę dicta ſunt ſuprà num. 41. auctoritate 5.

Decimoquarto, auctoritas Hugonis eſt in tom. 3. lib. 2. de Sacramentis par. 1. cap. 8. cuius titulus eſt: *Quomodo intelligendum ſit, quod ſcriptũ eſt: conceptus eſt de Spiritu Sancto*, ad finem illius capit. fol. 434. litt. B. & ſolùm eſt illud vitium, quòd vbi Hugo, *concupiſcentia vereretur*; Turrecremata, *vteretur*, quæ valdè diuerſa ſunt.

Decimoquinto, auctoritas Magiſtri Sententiarum eſt vitiata, quia vbi ipſe, *præueniens*, Aduerſarii, *ſuperueniens*, videntes fortè, quod præuenire erat idem quòd præſeruare.

Decimoſexto in auctoritate Hugonis, quæ extat fol. 134. colum. 1. addidit Turrecremata illud, *quæ eſt Bedæ*, quæ verba non extant in Hugone. Decimoſeptimo, vbi Hugo, *à ſorde vitiorum*; Turrecremata peſſimè, *ab omni ſorde*, addens illam vniuerſalem, *omni*. Decimo octauo, etiam falsò addidit illud, *id eſt, fomitem vitiorum*. Decimonono, tacuit totam hanc clauſulam, *Et nota quòd poteſt eſſe intranſitio, vbi dictum eſt: à ſorde vitiorum, id eſt, à vitijs quæ ſunt, ſordes, vel tranſitio, vt ſit ſenſus: à ſorde, id eſt, à fomite vitiorum*: Turrecremata verò prætermiſit omnia media verba, vt ſic meliùs componeret ſuam ſententiam. Vigeſimo, vbi Hugo ex Gloſſa interlineali, *contra omnia incentiua*, Turrecremata, *nitentiam*, quod eſt error inexcuſabilis, quid enim eſt, *nitentiam*? vel quid ſignificat?

Vigeſimoprimo, auctoritas Alberti eſt vitiata peſſimè, nam vbi ipſe dicit, *& ab omni ſorde vitij originalis*; Turrecremata tacuit illud, *originalis*. Vigeſimoſecundo, prætermiſit verba iſta *Ligatus, vt neque in actum venialis, neque mortalis poſſet moueri, & poſteà per exercitium bonorum operum fuit cum ligatione debilitatus, ita quod non ſentiebatur in ipſa autem, &c.* Vbi autem Albertus inuenit illas Gloſſas, hoc opus, hic labor, quia non ſunt Gloſſæ, nec alicubi inueniuntur, & ſunt duplicatæ. Vide ſuprà nu. 8.

De auctoritate S. Thomæ, fatemur extare ad litterā in loco citato, fol. 14. col. 3. ſicut etiam S. Bonauenturæ, fol. 28. col. 2. Beltrandi auctoritas nihil de nouo dicit; ſolùm enim refert verba Gloſſæ, & Gregorii, ſuprà poſita.

Vigeſimotertio, Vlrici Argentinenſis verba nō extant in quinto tractatu, ſed in quarto, nec ſunt formaliter illa adducta à Turrecremata, ſed diuerſiſsima quoad diſpoſitionē, licèt quoad ſubſtantiam ſint eadem; inquit enim Vlricus: *Secunda ſanctificatio fuit in Spiritus Sancti obumbratione, & Filij Dei Conceptione, quæ tribus præmiſsis duo ſuperaddit, ſcilicèt, omnimodam fomitis extinctionem, & confirmationem in bono, ita quòd quæ prius poterat non peccare, iam non poſſet peccare. Hos duos effectus expreſsit Angelus, Lucæ 1. Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, &c.* Nicolai Gorram auctoritatem vide ſupra num. 225.

Vigeſimoquarto, circa auctoritates Auguſtini adductas à Magiſtro Sententiarū, vbi Magiſter dixit: *In tractatu de verbis Apoſtoli*, neſcio quo fundamēto dicitur in libro Turrecrem. *In lib. Retractationū de verbis Apoſtoli*, intelligens per Tractatū Retractationē Vigeſsimoquinto, prætermiſit hæc verba: *Quæ nati ſumus, finiri non poteſt, quandiu viuimus: quotidie finiri poteſt, minui non poteſt, quæ autem, &c.* Alia extāt in Magiſtro prælegata diſt. 30. fol. 183. litt. H. vt adducuntur à Turrecremata, licèt non ita legaliter, quòd aliqua non habeant vitia, ſed hæc viginti quinque ſunt præcipua in verbis pro vno ſacræ Scripturæ loco.

Quoad Auctores vero, & auctoritates notare debet Lector, quòd Auctores adducti pro hac auctoritate ſunt ſequentes: Ambroſius, Auguſtinus, Damaſcenus, Fulgentius, Gregorius, Bernardus, Beda, Victorinus, Magiſter Hugo, Albertus, Thomas, Bonauentura, Beltrandus, Vlricus, Gorram, & iſtos ſexdecim Auctores adducit Turrecremata in ſuo Indice Auctorum, vt videre eſt in hac Ventilatione: cùm ergo ipſe velit probare peccatum originale Mariæ ex dictis horum ſexdecim Doctorum, non ex loco ſacræ Scripturæ, vt ſtatim dicam, ſequitur, quòd in hac parte ſunt alia ſexdecim vitia, ſcilicèt, ſexdecim multiplicationes, & idem dico de auctoritatibus: quia cùm hìc adducat 19. auctoritates, ex quibus etiam in diuerſis adduxerāt decē, iam ſunt viginti ſex alia vitia, quæ ſi adiungas præcedentibus, faciunt quinquaginta & vnum; & quòd in hac cōputatione non procedamus contra iuſtitiam, & veritatem, patet euidenter; nam vel locus ille: *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſsimi obumbrauit tibi*, ſecundùm litteram probat, Virginem Mariam contraxiſſe originale peccatum, vel non probat. Si probat ſecundùm litteram hoc debebat demōſtrari ex littera ipſa, ſicut demōſtratur, quòd virtus Dei in ipſa Incarnatione vmbram fecit, protexit, & fouit Virginem: ſi autem non probat ſecundùm litteram Virginem contraxiſſe originale peccatum, niſi ex interpretationibus Doctorum, & auctoritatibus ipſorum, quare eoſdem Auctores, & auctoritates adduxit iterum? Si locus Scripturæ non loquitur ex ſe, ſed lingua Doctorum, adduceret Doctores, & non locum, vel vice verſa, ſi Doctores non locuntur, ſed Scriptura ipſa, ad quid multiplicantur Doctores, & auctoritates ipſorum? Sed quidquid ſit de hoc,

Videamus, quomodo ex iſto Scripturæ loco concludunt Aduerſarii apertè, clarè, euidenter, neceſſariò, ac demonſtratiuè Virginē cōtraxiſſe originale; ita vt ſuam deductam conſequentiam negare, ſit impium, prophanum, & hæreticū. Argumētātur enim ſic, vel iuxta regulas ſyllogiſtas, argumētare tenētur: *Virtus Altiſsimi obūbrauit Mariæ*: Igitur Maria cōtraxit originale peccatū: probo cōſequentiā. Obūbrare eſt, vmbram facere: ergo Maria cōtraxit originale. Probo conſequentiam: vmbrā facere, eſt refrigerare: ſed refrigerare ſupponit contractionem peccati originalis: ergo Maria contraxit originale. Probo minorem: refrigerare, ſeu

ſeu refrigerium, eſt contra aliquod incentiuum vitii, ſed hoc incentiuum in Virgine non potuit eſſe niſi fomes; ergo Maria contraxit originale. Probo conſequentiam: fomes eſt reliquia originalis peccati; ſed non poteſt eſſe reliquia, vbi priùs non fuerit radix: ergo Maria cõtraxit originale: igitur ſi Maria habuit fomitem peccati originalis: ergo habuit & ipſum peccatum originale. Ecce quomodo, fratres mei, poſita illa Scripturæ præmiſſa, poſt ſex conſequentias deducit veſter Turrecremata ſuam intentam conſequentiam, addens: *Quibus omnibus conſideratis apertiſsimum videtur colligi teſtimonium ex præfato Angelico dicto, quòd Virgo ſacratiſsima in originali fuerit concepta.* O apertiſsimũ teſtimonium obſcuriſsimè deductum ex omnibus cõſideratis à Turrecremata! Et nota, quòd hoc proponebat ſacro Concilio pro diffinitione huius Myſterii ille primus Protector Fidei, & qui fortè vltimuserit, &c.

Hoc dictum eſt quantum ad concluſionem, & illationem illius. Sed aliquid dicamus de præmiſsis, quas deducit ex dictis Doctorum, ſi obumbrare, eſt, mentem Virginis ab omni ſorde vitiorum caſtigare, vel caſtificare, ſecundùm Ambroſium, Bedam, Thomam, Hugonem, Gloſſam, &c. Ergo ante abumbrationem habebat Virgo Maria mentem omni ſorde vitiorum incaſtigatam, vel in caſtificatam. Fratres, ſi conceditis illam cum Ambroſio, & aliis, & hanc debetis concedere; ſi obumbrare eſt purgare cum Auguſtino, & Damaſceno: ergo Maria tempore Incarnationis aliquid habebat purgatione dignum? Si obumbrare eſt à carne auferre omnino libidinem cum Fulgentio: ergo in Annuntiatione Angelica non erat ablata à carne Virginis omninò libido? Si obumbrare, eſt, præſtare refrigerium à feruore carnalium cogitationum, vt dicitis cum Gregorio: ergo ante illam abumbrationem non erat libera Maria à feruore carnalium cogitationum? Si obumbrare Mariæ, fuit, nè ſubſtantiam carnis miniſtra concupiſcentia carnali vreretur (vel vt vos dicitis, vteretur) ſecundùm Hugonem de S. Victore: ergo hæc obumbratio fuit præſeruatio futuræ, non præteritæ, vel præſentis vitiorum ſordis? Si obumbratio, eſt à peccato prorſus purgatio, & à fomite peccati liberatio, vt dicit Magiſter Sententiarum: ergo Maria tempore Incarnationis Verbi Diuini non erat à peccato prorſus purgata, nec à fomite peccati, itaque vtrumque habebat, & peccatum, à quo fuit purgata, & fomitem, à quo fuit liberata? Hæc, & aliæ neceſſariæ, ac legitimæ conſequentiæ ſequuntur ex veſtris adductis auctoritatibus, quibus nos facillimè reſpondemus, dicendo, omnia hæc indicare præſentionem, & præſeruationem futuram, non ſanctificationem alicuius imperfectionis præſentis, non perſonæ, ſed naturæ; non maculæ, ſed indecentiæ, non ſpiritualis animæ, ſed cõdecentiæ corporis; non denique moralis, ſed phiſicæ, &c. Hoc dicimus nos, quid autem diceret Turrecremata ad ſuas auctoritates, ignoro. Et ſolùm hoc vnum affirmo, quod Anonymus, Bandellus, & omnes alii, qui ſcripſerunt poſt Turrecrematam, videntes locum iſtum Scripturæ eſſe contra ipſos, & extra totum rei propoſitum, includereque tot abſurda, illum abſolutè omiſerunt.

15. SCRIPTVRÆ AVCTORITAS talis eſt: Hoc idem oſtenditur teſtimonio ipſius ſacratiſsimæ Virginis: Dicit enim ipſa, Lucæ primo: *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo,* ſuper verbo: Magnificat, ita inquit Bernardus in expoſitione, quam fecit ſuper præfatum Canticum, vt Vincentius Hiſtorialis teſtatur in libro, quem de Laudibus Beatæ Virginis ex dictis Sanctorũ ordinauit: *Magnificat, inquit ergo Dominum anima mea, quia magnificè à magnifico Domino eſt magnificata. In primis quidèm ad imaginem, & ſimilitudinem Dei mirabiliter creata, poſt hæc in Adam mirabiliter deformata, nunc autem mirabiliùs, glorioſiùs, ac magnificentiùs renouata. Magnificat ergo Dominum voce, opere, affectu. Magnificat quidèm Dominum omnis creatura, ſed anima mea ſu, per omnia. Inter omnem quidèm creaturam nihil magnificauit Dominus ſicut animam meam.* Super verbo verò: exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo, dicit Gloſſa Interlinealis, *in Saluatore.* Et Dominus Hugo de Sancto Victore ſuper Magnificat ita dicit: (vt teſtatur præfatus Vincẽtius in prænominato lib.) *De ſaluatione, quã humano generi præparari nunc video, totis præcordiis exulto video, namq; aſſumi de me, quod credo pro me debere offerri. Hæc ille* Quare Beatus Auguſtinus in Sermone Aſſumptionis eiuſdem ſacratiſsimæ Virginis, qui incipit: Si omnium verterentur in linguas, noſtrum membra, ſicde ea loquitur: *Hæc enim mirabili, & in æſtimabili modo, omnium & ſuum peperit Saluatorem communem cum alijs.* Manifeſte igitur eiuſdem Virginis teſtimonio arguitur, quòd ipſa aliquando alicuius peccati ægritudine fuerit infirmata, non actualis, vt omnium fides habet: ergo originalis. Patet hoc, quoniam infirmitas, ſiuè ægritudo peccati præſuponitur ineſſe omnibus, qui per Chriſtum ſaluati, ſiuè ſanati eſſe dicuntur, ſicut ſuperiùs demonſtratum eſt. Et patet etiam per illud Auguſtini in libro de Natura, & Gratia, vbi diſputans contra hæreticum, paruulos originali peccatum contrahere negantem, ita dicit: *Videte, quæſo, quomodo neſciens nitatur euertere medicinalium eloquiorum voces ſalu-*

berrimas. Ego dixi Domine, ſana animam meam, quia peccaui tibi. Quid ſanatur, ſi nihil eſt vulneratum, nihil ſauciatum, ac vitiatum? Porrò ſi eſt quod ſanetur, vndè vitiatum eſt? Et infrà in eodem capitulo: *Cum illo igitur potiùs, obſecro, diſputa, ſi potes, qui dixit: Non eſt opus ſanis medicus ſed ægrotantibus, non veni vocare iuſtos, ſed peccatores. Vbi iuſtos vtique ſanos, peccatores autem appellat ægrotos. Cernis nè, quò tendat, & quonam ſe porrigat hæc diſputatio? Vt omninò fruſtra putetur dictum: vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Quomodo enim ſaluum faciet, vbi nulla eſt ægritudo?* Sequitur: *O frater, bonũ eſt, vt memineris te eſſe chriſtianum. Crede iſta. Hæc Auguſtinus.* Ex quibus manifeſta, & clariſsima videtur facta eſſe res ipſa, ſuper qua diſputamus. Meritò quidèm omnis iam dubitationis cauſa in hac re ceſſare videtur, vbi tantorum teſtimoniorum interuenit ſplendor. Ecce teſtimonia in ſpeciali, & Spiritus Sancti in Scriptura ſancta loquentis, & Archangeli Gabrielis, & ipſius ſacratiſsimæ Virginis, quæ iuxta expoſitionem, & Sanctorum, & Doctorum, ac venerabilium Patrum in Eccleſia Dei, manifeſtè innuunt, Virginem Beatiſsimam originale peccatum contraxiſſe. Hucuſque Turrecremata pro hoc Scripturæ loco.

In quo perpendere debes, ô Lector! Primo, quòd Turrecremata nec vidit Bernardi, nec Hugonis Victorini auctoritates, ſed illas tranſcripſit ex libro ſui Vincentii Hiſtorialis in tractatu illo de Laudibus Virginis Mariæ, quod non caret reprehenſione, quia in re tam graui, & in Concilio exagitata tenebatur recognoſcere originalia ipſa Sanctorum Patrum; ideò tot in illo extant abſurda, vt vidimus, & de inceps videbimus. Secundo, auctoritas adducta ſub nomine Bernardi, extat in libro illo de Laudibus Virginis, edito à Vincentio Bellouacenſi, ſeu Hiſtoriali ſecundùm aliquos cap. 58. licèt idèmet liber extet typis mandatus ſub nomine aliorum, de quo vide infrà num. 309. Tertio, vbi Turrerremata, *Magnificat ergo Dominum anima mea*, in Vincẽtio ſic extat, *Magnificatur igitur Dominus à me.* Quarto, vbi Turrecremata ſolùm, *magnificata*; Vincentius, *anima mea eſt magnificata.* Quinto, vbi Turrecremata, *magnificentius renouata*, in Vincentio ſic, magnificentius *reformata, ſiuè renouata.* Sexto, vbi Turrecremata, *nihil magnificauit Dominus ſicut animam meam*; in Vincentio, ſic nihil *tàm magnificè fecit Dominus ſicut animam meam.* Nota, ô Lector! hæc vltima verba, quibus tota Aduerſariorum machina ſubuertitur. Septimo, verba iſta adſcripta S. Bernardo, nullo modo reperiuntur in operibus ipſius, adhibita omni cura, & diligentia.

Fateor, quod Gloſſa Interlinialis, loco illius; *ſalutari*, apponit deſuper, *filio ſaluatore*, ſed quid indè, ô Turrecremata! contra Immaculatam Virginis Conceptionem? vel enim vox ſalutaris, ſignificat idem quod Saluator, vel aliquid diſtinctum, ita vt ſalutaris denotet alium redemptionis modum in Virgine, quàm Saluator. Si ſunt idem, & ſignificant idem, ad quid fuit notula illa, *Gloſſa Interlinealis, in Saluatore*, tacendo ly, *filio*? Si ſalutaris denotat aliud ſaluationis, ac redemptionis genus, quàm ſaluator (vt in rei veritate ſonat) ergo Chriſtus, qui fuit ſaluator omnibus, id eſt, per redemptionem, & ſaluationem ſubleuatiuam, fuit ſalutaris Mariæ, per ſalutem præſeruatiuam. Vide hoc, quæ latiſsimè diximus in noſtra explanatione noua litterali Cantici Magnificat à fol. 168.

Auctoritas Hugonis extat in illo libro Vincentii cap. 59. & in ipſo Hugone tomo 1. fol. 231. ſed vbi Turrecremata dixit, *de ſaluatione*; in Hugone extat, *de ſalutatione*, & ſic totum ſubuertitur. Deindè hæc Hugonis verba ſunt in hoc Ventilabro triplicata, vt videre eſt numer. 10. auctorit. 4. & numer. 128. auctorit. etiam 4.

Sermo ille S. Auguſtini Aſſumptionis incipiens: *Si omnium noſtrum membra verterentur in linguas*, videtur ſuppoſitus, & fictus, quia talis ſermo non extat in operibus Auguſtini, & quod plus eſt, nec in aliquo alio Doctore antiquo, & exiſtimo me legiſſe omnes hucuſque typis mandatos, quorum Cathalogum appoſui ſuprà auctoritate 1. ſacræ Scripturæ. Fateor, quòd de Petro Comeſtore Magiſtro Hiſtoriarum dicitur, quòd ſcripſerit Sermonem de Beata Virgine, ſic incipientem; ſed ille nũquam fuit excuſus, nec conſtat, quòd fuerit Aſſumptionis. Cùm ergo ille Sermo non compareat in S. Auguſtino, colligitur etiam neceſſariò, quòd auctoritas eſt ficta.

Verba adducta ex libro Sancti Auguſtini de Natura, & Gratia extãt tom. 7. cap. 19. fol. 158. colum. 4. ſed eſt pluſquam falſum illud, quod dicit Turrecremata: *Vbi diſputans contra hæreticum paruulos originale peccatum contrahere negantem*, quia Auguſtinus in toto illo capite nihil habet de paruulis, nec originali peccato: vt cognoſcatur ſine recurſu ad Auguſtinum hæc veritas, & ſimul quanta prætermiſit Turrecremata, tranſcribo hìc omnia verba illius capitis: *Iam nunc videte, quod ad rem maximè pertinet, quomodo humanã naturã, tanquã omninò ſine vllo vitio ſit, conetur oſtẽdere, & cõtra apertiſsimas Scripturas Dei luctetur ſapientia verbi, quia euacuatur Crux Chriſti. Sed planè illa non euacuabitur, iſta potiùs ſapientia ſubuertetur. Nam cùm hoc oſtenderimus, aderit fortaſſe miſerti ordia Dei, vt & ipſum hæc dixiſſe pœniteat. Primo, inquit, de eo diſputandum*

dum eſt, quòd per peccatum debilitata dicitur, & immutata natura. Vndè ante omnia quærendum puto, inquit, quòd ſit peccatū, ſubſtantia aliqua, an omninò ſubſtantia carens nomen, quo non res, non exiſtentia, non corpus aliquod, ſed perperam facti actus exprimitur. Deindè adiungit. Credo ita eſt. Et ſi illa eſt, inquit, quomodo potuit humanā debilitare, vel mutare naturam, quod ſubſtātia caret? Videte quæſo, quomodo neſciens nitatur euertere medicinalium eloquiorum voces ſaluberrimas. Ego dixi: Domine, miſerere mei, ſana animam meam, quia peccaui tibi. Quid ſanatur, ſi nihil eſt vulneratum, nihil ſauciatum, nihil debilitatum, atque vitiatum? Porrò ſi eſt quòd ſanetur, vnde vitiatum eſt? Audis confitentem, quid deſideras diſputantem? Sana, inquit, animā meam. Ab illo quære, vndè vitiatum ſit quod ſanari rogat, & audi quod ſequitur: quoniā peccaui tibi. Hunc iſte interroget, ab iſto quærat, quod quærendum putat, & dicat: O tu qui clamas! ſana animam meā, quoniam peccaui tibi, quid eſt peccatum? Subſtantia aliqua, an omninò ſubſtantia carens nomen, quo non res, non exiſtētia, non corpus aliquod, ſed tantū perperā facti actus exprimitur? Reſpondet ille; ita eſt, vt dicis, non eſt peccatum aliqua ſubſtantia, ſed tantū hoc nomine perperam facti actus exprimitur. Et contra iſte; quid ergo clamas: Sana animam meam, quoniam peccaui tibi? Quomodo potuit vitiare animam tuam, quod ſubſtantia caret? Nonnè ille mœrore confectus vulneris ſui, nè diſputatione ab oratione auerteretur, breuiter reſponderet, & diceret: Recede à me obſecro? Cū illo potiùs diſputa, ſi potes, qui dixit: Non eſt opus ſanis Medicus, ſed ægrotātibus. Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores; vbi iuſtos vtiq; ſanos, peccatores autem appellauit ægrotos. Et capite ſequēti proſequitur Auguſtinus: *Cernitis nè, quo tendat, & quo manus porrigat hæc diſputatio? Vt omninò fruſtra dictū putetur: vocabis nomen eius Ieſum, ipſe enim ſaluū faciet populū ſuum à peccatis eorum? Quomodo enim ſaluum faciet, vbi nulla eſt ægritudo? Peccata quippè, à quibus dicit Euangelium, ſaluum faciendū populū Chriſti, ſubſtantia non ſunt, & ſecundùm iſtum vitiare non poſſunt. O frater! bonum eſt, vt memineris te eſſe Chriſtianū. Credere iſta fortaſſe ſufficeret, ſed tamen quia diſputare vis, nec obeſt, imò etiam prodeſt, ſi firmiſſima præcedat fides, nec exiſtimemus peccato naturam humanā non poſſe vitiari, &c.* Hæc ſunt omnia Auguſtini verba, ex quibus Turrecremata ſuam copoſuit auctoritatem: accende ergo, Lector, lucernam, & ſubuerte totam hanc auctoritatem, & non inuenies coniunctim, nec ſeparatim voces illas, *parvulos, originale, peccatū, contrahere:* Cùm ergo omnia adducta in hac auctoritate ſint quoddam fictionis cumulus, ſeu quoddam aggregatum falſitatum, qua intentione, ac fundamento, dicere potuit Turrecremata: *Manifeſtè igitur eiuſdem Virginis teſtimonio arguitur, quòd ipſa aliquando alicuius peccati ægritudine fuerit infirmata, non actualis, vt omnium fides habet: ergo originalis.* Sicut & illa, *ex quibus manifeſta, & clariſſima videtur facta eſſe res ipſa, ſuper qua diſputamus, &c.* Cùm potiùs deberet dicere: Ex quibus tenebroſam, & obſcuriſſimam facimus rem, de qua diſputamus. Lege iterum, o Lector! vltima Turrecrematæ verba, vt plores, aut potiùs rideas, &c. Vndè exiſtimo, quòd has duas Scripturæ auctoritates nullo modo propoſuit Turrecremata in ſuo illo Reſcripto ad Concilium Baſiliense; quia tantus vir excogitare non poterat res adeò abſurdas, nec proponere tot figmenta: fuerunt enim additæ à Bartholomæo de Spina, vel Alberto Duimio illius libri Amanuenſibus, Correctoribus, & Impreſſoribus, vt vidimus ſuprà, in Triturationе, & Ventilatione. Et hoc meo iudicio comprobatur euidenter, quia Anonymus, Bandellus, & alii, qui ſcripſerunt immediatè poſt Turrecrematam, non adducunt has duas auctoritates, ſcilicèt, *obūbrabit tibi, &c.* & *Magnificat:* adducerent enim, ſicut adduxerūt alias, ſi iſtæ eſſent in Turrecrematæ manuſcripto, antequam corrumperentur a Spina, & Duimio.

16. SCRIPTVRÆ AVCTORITAS ſic adducitur à Bandello: Item Dauid: *Omnes ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonū, non eſt vſque ad vnum. Hæc ille. Gloſſa: Solus Chriſtus fuit ſine peccato.* Hæc Bandellus, & nihil amplius. In qua breui auctoritate ſunt vitia ſequentia. Primo, prætermiſit initium auctoritatis, ſeu principium Pſalmi: *Dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus: corrupti ſunt, abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnū. Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat, ſi eſt intelligens, aut requirens Deū? Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum, &c.* Eſt ergo hæc repetita ſententia in illo Pſalm. 13. Secundo, eſt ficta, & falſa illa Gloſſa: *Solus Chriſtus fuit ſine peccato*, quia talis Gloſſa non exrat in rerū natura. Solùm Gloſſa Interlinealis inquit: *Id eſt, nec vnus, vel præter vnum Chriſtum, ſine quo nemo facit bonum.* Et infrà: *Nullus facit bonum, ſine vno, ſcilicèt Chriſto.* Gloſſa vero S. Baſilii inquit: *Deus hominem fecit rectum, & vtilem libero arbitrio, ſed peccato omnes defecerunt facti inutiles.* Iſtæ ſunt Gloſſæ reſpicientes propoſitum aſſumptum, quo concluditur, quod illa Bandelli eſt ficta. Tertio, quia cùm hoc ſecundùm omnes Expoſitores, & Eccleſiæ Patres, intelligatur de Sennacherib Aſſyriorum Principe, vel de Nabuchodonoſore Chaldæorum Rege, quo fundamento, non dico literali, ſed

ſed neque myſtico, adduci potuit cōtra immaculatam Virginis Conceptionem, quando nullus hoc explicat ſaltem de peccato originali? Quarto, admittamus auctoritatem, & ex illo antecedenti Scripturæ deducamus formales concluſiones. Ego exiſtimo, quòd erunt iſtæ, *omnes declinauerunt*: ergo Maria declinauit, *omnes ſimul inutiles facti ſunt*: ergo Maria inutilis facta eſt, *non eſt qui faciat bonum*: ergo nec Maria fecit bonum. Cùm ergo iſtæ ſint formales, & legitimæ illationes, videat ſacra, docta, atque deuota Religio Prædicatorum, ſi debent cōcedi, necnè, & iudicent de ſuis Scriptoribus, præcipuè Bandello, quem vnicè in hac materia ſequuntur, & venerantur tanquam Hyperaſpiſtem ſuæ ſententiæ, &c.

17. SCRIPTVRÆ AVCTORITAS adducitur ab eodem Bandello ſic: Item Iſaiæ 63. *Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum. Hæc ille.* Gloſſa Hieronymi: *Chriſtus, inquit, torcular calcauit ſolus, quia ipſe ſolus eſt, qui peccatū non habuit, & perſuam miſericordiam peccatū mundi abſtulit. Hæc ille.* Et ſolùm hęc Bandellus. Sed etiam hæc Gloſſa adſcripta Hieronymo, eſt ficta, & falſa, quia neque in Gloſsis, neque in operibus Hieronymi reperitur. Reuolui totum Hieronymum, & inuenio ipſum explicaſſe locum iſtum ſuper Iſaiā cap. 10. ad finem, fol. 40. tom. 4. & ſuper eundem Propheram cap. 63. fol. 208. & ſuper Abdiam cap. 1. fol. 127. tom. 5. & ſuper Zachariam cap. 14. fol. 271. & nullibi extant verba adducta à Bandello: niſi fortè ſint illa poſita ſuprà nu. 121. auct. 5. vide ibi. Auctoritas verò quoad ſenſum litteralem, & myſticum, toto cœlo diſtat à propoſita materia Conceptionis. Nam quis vnquam dixit, vel excogitauit, torcular fuiſſe peccatum originale? Et quando hęc phantaſtica Allegoria admitteretur, textus videtur adhuc excipere Mariam, cùm dicat: Et de gentibus non eſt *vir* mecum, ſed non excludit mulierem.

18. SCRIPTVRÆ AVCTORITAS adducitur à Continuatore Bandelli in quadam additione ſic: Item ſuper illud Lucæ 1. *Quia fecit mihi magna*, dicit Gloſſa Ordinaria: *Magna, quia in me carnem aſſumpſit, & me à peccatis mundauit, & dona Spiritus Sancti mihi contulit.* Hæc auctoritas fideliter eſt tranſcripta à Continuatore Bandelli quoad litteram; ſed quoad ſenſum, vel nihil probat, vel etiam cōcludit fuiſſe in Virgine Maria peccata actualia: nam cum dicat, *me à peccatis mundauit*, de plurali, & peccatum originale ſolùm fuerit vnum, aut debent aſsignare alia peccata, à quibus Maria fuerit mundata, aut dicere, quòd ibi *mundare*, eſt idem quòd præſeruare, quia cùm hæc dicta fuerint poſt Incarnationem Verbi, ac de ipſa Incarnatione, vt denotant illa prima verba: *Quia in me carnem aſſumpſit*, & deindè dicat: *Et me à peccatis mundauit*· hæc mundatio à peccatis appellat, & connotat carnis aſſumptionem, ſeu tempus Incarnationis. Explicent ergo Aduerſarii, quomodo Maria fuit tunc à peccatis mundata, & eodem modo dicemus & nos, fuiſſe à peccatis mundatam in ſua Conceptione paſsiua, & ſi in Incarnatione mundatio à peccatis fuit, & ſonat præſeruationē, & ſic debet explicari ab omnibus catholicis, ac intelligi, Gloſſa iſta nihil probat. Et hæc dicta ſufficiant de locis ſacræ Scripturæ adductis ab Aduerſariis pro ſua opinione, in quibus (dempto hoc vltimo adducto à Continuatore Bandelli) omnes alii ſcatent fictionibus, & falſitatibus, vt vidimus.

De locis ſacræ Scripturæ pro noſtra præſeruationis ſententia ſolùm dico, quòd Turrecremata part. 6. cap. 14. vt vidimus num. 231. inquit: *Sed hæc eſt rei veritas, quòd doctrina ex aduerſo nulla teſtimonia ſufficientia habet Scripturæ, aut Sanctorum, nec in generali, nec ſpeciali, quòd formaliter, aut argumētatiuè neceſſaria illatione ſibi faueat, &c.* Et infrà adducit quadraginta auctoritates ſacrę Scripturę pro nobis, quibus nititur reſpondere par. 10. à cap. 3. vſq; cap. 28. Chriſt. Moreno part. 2. Luminis Chriſtiani, interrogat. 14. Matris Dei, cap. 22. folio 806. proponit rriginta octo, licèt in aliquibus coincidant, cū illis Turrecremate. Petrus Thomas in ſuo Opuſculo de Conceptione part. 4. diſcurrit adducendo auctoritates ſacræ Scripturæ à libro Geneſeos, vſque ad Canticum Virginis per capita 11. Diſperſi per alios Scriptores ſunt innumerabiles, & licèt nō omnes probent præſeruationem directè, & formaliter, tamen nullus eſt locus qui in littera non habeat maius fundamentum, quàm iſti decem & octo adducti ab Aduerſariis. Vide ergo, qua veritate dixerit Turrecremata verba propoſita.

SEDVLIVS Presbyter, in ſuo Poemate Euangeliorum. *Bandellus capit. 20. Dexa fol. 131. à tergo.*

VERITAS 281.

COELIVS Sedulius Scotus Hybernenſis Presbyter, notiſsimus Auctor eſt, cuius opera Poetica, vt digna omni lauro, fuerunt ſeorſim typis mandata Venetiis anno 1501. in 4. & cum Commentariis Ælii Antonii Nebriſenſis Granatæ 1553. in 4. & in Bibliotheca veterum Patrum, vltimæ impreſ. Colonienſis tom. 5. part. 1. à fol. 403. & in antiqua tom. 8. colum. 535. & in aliis.

aliis. Vide de hoc Aubertum Myræum fol. 85. Posseuinum, & alios Nomenclatores. Huius ergo Doctoris auctoritatem sic adducunt Aduersarii: Idem tenet venerabilis Sedulius presbyter, Doctor illustris, &c. hic in suo Poemate Euāgeliorum, de Beata Virgine loquens sic dicit:

At quoniam nata prior vitiata iacebat, sub ditione necis Christo nascente renata. Hæc ille.

Et in eodem libro in multis locis dicit, quòd Adā peccato suo totum genus infecit humanum, ab ipso seminaliter propagatum, & quòd solus Christus fuit sine peccato. Hucusque Aduersarii de Sedulio. At verba eius in suo opere: Mirabilium Diuinorū, siuè operis Paschalis (sic enim inscribitur illud opus, non autem super Euangelia) lib. 2. in principio sic inquit:

--------Vt vndè,
Culpa dedit mortem, pietas daret indè salutem.
Et velut è spinis mollis rosa surgit acutis,
Nil quod lædat habens, matremque obscurat honore:
Sic Euæ de stirpe sacra veniente Maria,
Virginis antiquæ facinus noua Virgo piaret.
Vt quoniam natura prior vitiata iacebat
Sub ditione necis, Christo nascente, renasci
Posset homo, & veteris maculā deponere carnis:
Hæc ventura senes postquam dixere Prophetæ.
Angelus intactæ cecinit, &c.

Hæc sunt Sedulii carmina: ex quibus facilè colliges, quanta vitiarunt Aduersarii; nam primo erraruut in citatione, vt suprà dixi. Secundo, prætermiserunt omnia verba, quæ clarè, & expressè eximunt Virginem Mariam à peccato originali, de quibus nos latè in nostra Militia immaculatæ Conceptionis, contra malitiam originalis peccati. Tertio, vbi Sedulius, *vt quoniam natura*; ipsi sic, *at quoniam nata*, vt sic vitium naturæ adscriberent Virgini Mariæ, adulterando verba, sensum, & metrum. Quarto, vbi Sedulius, *renasci*, vt faceret sensum cum ly, *posset homo*; ipsi apposuerunt, *renata*, vt vox ista connotaret Mariam, quę fuit pessima adulteratio, sed execrabilior intentio. Quinto, vt suæ adulterationes tegerentur, tacuerunt verba vltima. Sexto, illud quod referunt ex Sedulio, scilicèt, *quod Adam peccato suo totum genus infecit humanum, ab ipso seminaliter propagatū*, falsum est, nam talia verba non solùm, *multis in locis*, vt ipsi dicunt, sed neque in solo vno reperiuntur in Sedulio; nisi hoc dixerint propter illa prima carmina eiusdem 2. libri:

Expulerat primogenitum sæuissimus anguis,
Florigera de sede virum, blandisque soporis
Illecebris lethum misero portarat amarum.
Nec solus meritam præsumptor senserat iram,
Mortali sub lege iacens: sed prorsus ab ipso,
Humanum simul omnegenus, heu noxia coniux!
Noxia tu coniux magis, an Draco perfidus ille?

Hoc solùm habet Sedulius de hac materia. Sed in illis verbis, *humanum simul omnegenus*, loquitur Sedulius de morte expresè, ac clarè, nec ibi extant verba allegata ab Aduersariis, vt constat ex ipsis. Septimo, etiam est falsum illud, *quod solus Christus fuit sine peccato*, quia in Sedulio non extant, nec ipsi ostendent. Istæ sunt certæ, ac indubitatæ fictiones, seu vitia per se nota. Quibus etiam superaddere possumus. Octauo, quòd hic Sedulius fortè etiam est ille, quem infrà num. 293. adducunt sub nomine Theodori Theutonici, vt colligitur ex illis verbis: *Solus Christus fuit sine peccato*, vide quæ ibi dicemus. Et sic in hoc Auctore nec vnam inuenies veritatem, quia omnia sunt ficta, adulterata, & sine veritate dicta.

SEVERIANVS, Sanctus Episcopus, in Homilia super Euangelia Dominicæ post festum Trinitatis. *Bandel. capit.* 17. *Deza fol.* 26. *à tergo, & Gryfald. Alphab.* 3.

VERITAS 282.

HIC Auctor est fictus, multiplicatus, & adulteratus, quod constat sic: quia Seuerianus Scriptor antiquus, solus vnus reperitur apud Nomenclatores Ecclesiasticos dictus Seuerianus, Gabalorum Episcopus in Syria, de quo mentionem faciunt Gennadius cap. 21. Molanus in sua Bibliotheca manusc. Myræus fol. 50. & 186. & affirmant scripsisse Sermones varios, ex quibus aliqui extant apud S. Ioannem Chrysostomum, & alii in operibus S. Petri Chrysologi. Huius Seueriani Gabalensis opera omnia latè refert Gesnerus, fol. 751. aliqua Posseuinus, fol. 397. Iacobus Gretserus tom. 2. de Cruce, adducit cuiusdam orationis fragmentum de hoc Seueriano. Sed in primis nullus vocat eum Sanctum, nec quòd scripserit Sermones Dominicales. Imò dicunt, ipsum fuisse æmulatorem S. Ioannis Chrysostomi. Hæc sunt omnia, quæ reperiuntur de illo Scriptore Græco, dicto Seueriano: si ergo hic est ille citatus ab Aduersariis, falsò ipsum appellarunt Sanctum, sed pro nunc admittamus Auctorem.

Auctoritatem sic adducunt: Idem tenet S. Seuerianus Episcopus in Homilia super Euangelia Dominicæ post festum Trinitatis, sic dicens: *Omnes homines ab Adam vsque ad Christum propter peccatum, quod nascentes traxerunt, debitores fuerunt. Solus autem Christus sine peccato venit, vt omnes à peccati debito liberaret. Hæc ille.* Siuè ergo prælegatus Sermo sit Seueriani, vt Aduersarii volunt, siuè Sancti Petri Chrysologi, vt omnes affirmant, & stylus Sermonis euidenter demonstat. Hæc Homilia, seu Sermo extat in operibus S. Petri Chry-

Chryſologi, qui eſt de Parabola centum ouiũ, & eſt in ordine 168. ac incipit: *Sicut profunda maris, &c.* Cuius auctoritas ſic ſe habet: *Sed iam cœleſtis Parabolæ pandamus ſecretum. Homo habens oues cẽtum, Chriſtus eſt. Paſtor bonus, Paſtor pius, qui in vna oue, hoc eſt, in Adã, poſuerat totũ gregem generis humani, hanc inter amœna Paradiſi, hanc in regione vitalis paſcuæ collocarat: ſed illa vocem Paſtoris oblita, dum lupinis vlulatibus credit, & caulas perdidit ſalutares, & tota lethalibus ſauciata vulneribus. Hanc ergo Chriſtus veniens quærere in mundum, in vtero Virgineæ regionis inuenit. Venit ſuæ Natiuitatis in carne, & in Crucem leuans humeris ſuæ impoſuit paſſionis, & gaudens toto Reſurrectionis gaudio, per aſcenſum ad cœleſtem tulit, & pertulit manſionem, & vocauit amicos, & vicinos, &c.* Ex hac auctoritate Chryſologi ſuam finxerunt Aduerſarii, illam adſcribentes Seueriano, vt ſic alterum adducerent incognitum teſtem contra immaculatã Virginis Conceptionem. Cùm ergo auctoritas ab ipſis adducta habeat viginti verba principalia, & in Sermone Seueriani, vel Chryſologi ſolùm vnũ reperiatur integrum, ſcilicèt illud, *Adam*, nam omnia alia, vel ſunt corrupta, vel adulterata, vel tranſmutata, vel addita, videat Lector, & iudicet, quid ſentiendum ſit de tam execrabili fictione? Vel ergo dicere debẽt Aduerſarii, quòd non eſt iſte Sermo ab ipſis allegatus, & tunc tenentur oſtendere alium, quod non ſolùm difficile, ſed etiam impoſsibile iudico, vel ſi Sermo eſt iſte, Auctor eſt multiplicatus cum Petro Rauenas, poſito num. 251. Et pro auctoritate ſic ficta clamemus ad Deum dicentes: Parce Domine, parce populo tuo.

SEVERINVS Boetius, Sanctus, in libro de duabus Naturis, & vna perſona Chriſti, &c. *Turrecrem. part. 6. capit. 6. fol. 99. à tergo. Anonym. Auctore 38. & auctorit. 30. Dezafol. 23. Gryſald.*

VERITAS 283.

TAM Auctor, quàm opera notiſsima ſunt inter litteratos, & tranſeo ad indagandam veritatem auctoritatis, ſiuè auctoritatum. Turrecremata ſic inquit: Item ad idem eſt Boetius Sanctus, dictus Seuerinus, qui in lib. de duabus Naturis, & vna perſona Chriſti, qui incipit: Anxiè te quidèm, diùque ſuſtinui, dicit ſic: *Alia quidèm quæſtio ab ijs inferri poteſt, qui corpus humanum ex Mariæ vtero eſſe non credunt, ſed aliàs fuiſſe ſequeſtratum, præparatũque, quod in adunatione ex Mariæ vtero gigni, ac proferri videtur: aiunt enim: Si ex homine ſumptus eſt corpus, homo verò omnis ex prima præuaricatione non ſolùm peccato, & morte tenebatur, verum etiam affectibus peccatorum eſt implicatus, cur in Chriſto nec peccatum fuit, nec volũtas peccandi? Habet animaduertendam dubitationẽ talis quæſtio.* Vbi Gloſſa ait: *Ingreditur profundiſsimam quæſtionem, tamen vtiliſsimam, quomodo ſcilicèt Chriſtus ſine peccato eſſe potuit, cùm ex Maria Virgine corpus ſuſcepit, quæ in primi parentis præuaricatione peccatrix fuit, ſicut & omne genus humanũ. Hæc Gloſſa, &c.* Et hæc ſunt verba Turrecrem. ex quibus patet, quod non in verbis Boetii, ſed in Gloſſa vim faciat; cùm autem hæc Gloſſa fuerit Gilberti Porretani adducti ſupra num. 89. ex hac parte iam eſt multiplicatus.

Anonymus ſic adducit hunc Auctorẽ: Idem tenet B. Seuerinus, dictus Boëtius, in libro de duabus naturis, & vna perſona Chriſti, ſic dicit: *Alia quidem quæſtio ab alijs inferri poteſt, quia Chriſti corpus humanum ex Mariæ vtero gigni videtur; dicunt enim: Si ex homine ſumptum eſt Chriſti corpus, homo verò omnis ex prima præuaricatione, non ſolùm peccato & morte tenebatur, verum etiam affectibus peccatorum erat implicatus, cur in Chriſto nec peccatum fuit, nec voluntas peccandi?* vbi Gloſſa dicit: *Ingreditur profundiſsimã, & vtiliſsimã quæſtionem, videlicèt quomodo Chriſtus ſine peccato eſſe potuit, cùm ex Maria Virgine corpus ſuſcepit, quæ in prima parentis præuaticatione peccatrix fuit, ſicut & genus humanum. Hæc Gloſſa eſt Gilberti Porretani. Ad hanc quæſtionem reſpondens Boëtius dicit, quòd triplex fui ſtatus. Primus dicitur ſtatus innocentiæ ante peccatũ Adæ. Secundus eſt ſtatus præuaricationis poſt peccatũ Adæ. Tertius eſt ſtatus Beatitudinis. Chriſtus, inquit, de ſtatu præuaricationis, non recepit peccatum, ſed mortalitatem corporis, vt ab humano genere peccatum, & mortem fugaret. Hæc ille in ſententia.* Coincidit Anonymus cum Turrecremata, licèt in aliquibus verbis differant.

Bandellus denique ſic adducit auctoritatem: Idem tenet S. Seuerinus, dictus Boetius, conſularis vir clariſsimus, & omnium liberalium artium eruditione conſpicuus, qui floruit anno Domini 494. ſic dicens: *Dicat Euthices, quo homine Chriſtus naturam aſſumpſerit? Vtrùm nè eo, qui deciderat prævaricatione peccati, an alio? Si dixerit, quòd aduenerit indutus eo, qui per prævaricationem deciderat, dicat quem, præter Mariam? Nam ſi non ex ſemine Abrahæ, atque Dauid, & poſtremò Mariæ caro illa, qua natus eſt, fuit aſſumpta, oſtendat ex cuius hominis ſit carne deriuatus? Quoniam poſt primum hominẽ caro omnis humana ex humana carne deducitur. Quòd ſi non eo homine Chriſtus Ieſus indutus eſt, qui pro peccati pœna ſubſtinuit mortem, illud euenit, ex nullius ſemine talem potuiſſe naſci, qui fuerit ſine originalis pœna peccati, ex*

quo

quo ſequitur, quod ex nullo homine Chriſti eſt aſſumpta caro. Hæc ille. Item idem in eodem circa finē, ſic dicit: *Poteſt*, inquit, *ab his qui corpus Chriſti ex Maria aſſumptū eſſe non credunt, alia quæſtio inferri. Aiunt enim: ſi ex homine aſſumptum eſt corpus Chriſti, homo verò omnis ex prima præuaricatione non ſolū peccato, & morte tenebatur, verum etiam affectibus peccatorū erat implicitus, eaque illi fuit pœna peccati, vt cum morte teneretur obſtrictus, reus etiam eſſet voluntate peccandi: cur in Chriſto neque peccatum fuit, neque voluntas vlla peccandi? Habet enim animaduertendam dubitationem hæc quæſtio. Si enim ex carne humana Chriſti corpus aſſumptum eſt, dubitari poteſt, quænā caro hæc eſſe videatur, quæ aſſumpta eſt. Eum quippe ſaluauit ex quo carnem aſſumpſit. Siquis verò dicat, illum talem hominē aſſumpſiſſe, qualis Adā fuit ante peccatū, integram videtur humanā aſſumpſiſſe naturā: ſed hoc nō videtur fieri potuiſſe, quia in Adam potuit eſſe peccandi voluntas; in Chriſto autem voluntas nulla creditur fuiſſe peccandi. Præterea ſi tale corpus aſſumpſit, quale Adā ante peccatum habuit, non debuit eſſe mortale, quoniam Adam, ſi non peccaßet, mortem nulla ratione ſenſiſſet. Cùm igitur Chriſtus non peccauerit, quærendum eſt, cur ſenſerit mortem? Quòd ſi talem ſtatum ſuſcepit hominis, qualis fuit ſtatus Adæ poſt peccatum, videtur Chriſto non defuiſſe neceßitatem, vt delictis ſubÿceretur? Reſpondendum eſt: tres intelligi poſſe hominum ſtatus, vnus quidèm ante Adæ delictū, in quo peccatum non erat, ſed volūtas poterat eſſe peccandi. Alter eſt ſtatus gloriæ, in quo mutari potuiſſet, ſi in Dei præceptis manere voluiſſet, in quo quidē nec peccatum eſſet, nec peccandi voluntas eſſe potuiſſet. Tertius eſt ſtatus poſt Adæ delictū, in quo mors neceſſario ſubſecuta eſt, & peccatū, & peccandi voluntas. Chriſtus autem de ſtatu poſt Adæ peccatum, mortale corpus aſſumpſit ſine peccato, vt mortē à genere humano fugaret. De ſtatu verò gloriæ hoc accepit, vt in eo volūtas nulla poſſet eſſe peccandi: de ſtatu verò medio hoc accepit, vt in eo peccatum non eſſet, & vt manducaret, & biberet. Hæc ille.* Ex quibus patet, quod Maria fuit ex iis, qui per præuaricationem Adæ ceciderant, & qui ſine peccato originali nati non poterant, & quòd peccato, & morte tenebatur obnoxia ſicut cæteri omnes poſt Adæ peccatum. Vide Gloſſam, quæ hæc optimè declarat. Hucuſque ſunt Bandelli verba.

Vt ergo videat, Lector, quot, quantæque adulterationes in vno ſolo Auctore, ſeu vna indiuiſibili auctoritate ſunt patratę, omnia Boetii verba, quæ ad præſens aſſumptū quoquomodo pertinere poſſunt, hìc tranſcribere decreui. Inquit ergo Boetius libro 4. de duabus Naturis, & vna perſona Chriſti, fol. 1211. circa mediū impreſ. Baſilien. 1570. *Itaque Neſtorius rectè tenens, duplicem in Chriſto eße naturam, ſacrilegè confitetur duas eſſe perſonas. Euthices verò rectè credens vnam eſſe perſonam, impiè credit vnam quoque eſſe naturam. Qui conuictus euidentia rerū, quandoquidèm manifeſtum eſt, aliā naturam eſſe hominis, aliam Dei, ait: Duas eſſe in Chriſto confiteri naturas ante adunationem, vnā verò poſt adunationem. Quæ ſententia non apertè, quod vult, eloquitur: vt tamen eius dementiam perſcrutemur; adunatio hæc aut tempore generationis facta eſt, aut tempore Reſurrectionis. Sed ſi tempore generationis facta eſt, videtur putare, & ante generationem fuiſſe humanā carnem, non à Maria ſumptam, ſed aliquo modo alio præparatam: Mariam verò Virginem appoſitam, ex qua caro naſceretur, quæ ab ea ſumpta non eſſet: illam verò carnem quæ anteà fuerit, eſſe & diuiſam, atque à diuinitatis ſubſtantia ſeparatam: cùm ex Virgine natus eſt, adunatam eße Deo, vt vna videretur facta eſſe natura. Vel ſi hæc ſententia eius non eſt, illa eſſe poterit, dicētis: duas eſſe ante adunationem, vnam poſt adunationem. Si adunatio generatione perfecta eſt, vt corpus quidèm à Maria ſumpſerit, ſed anteà quàm ſumeret, diuerſam Deitatis, humanitatiſque fuiſſe naturam, ſumptam verò vnam factā, atque in diuinitatis ceſſiſſe ſubſtantiam. Quòd ſi hanc adunationē non putas generatione, ſed Reſurrectione factam, rurſus hic duobus fieri arbitrabitur modis. Aut enim genito Chriſto, & non aſſumente de Maria corpus aut aßumente ab eadem carnem, vſque dum reſurgeret, quidèm duas fuiſſe naturas, poſt Reſurrectionem vnam factā, de quibus illud diſiunctum naſcitur, quod interrogabimus hoc modo. Natus* (Et hinc incipit auctoritas ab Aduerſariis adducta) *ex Maria Chriſtus, aut ab ea carnem humanam traxit, aut minimè? Si non confitetur ex ea traxiſſe, dicat, quo homine indutus aduenerit, vtrum in eo quī deciderat præuaricatione peccati, an alio? Si de eo, de cuius ſemine ductus eſt homo, quem veſtita diuinitas eſt? Nam ſi ex ſemine Abraham, atque Dauid, & poſtremo Mariæ, non fuit caro illa, qua natus eſt, oſtendat ex cuius hominis ſit carne deriuatus? Quoniam poſt primum hominē caro omnis humana ex humana carne deducitur. Sed ſi quem dixerit hominem, à quo generatio ſumpta ſit Saluatoris, præter Mariam Virginem, & ipſe errore confundetur, & adſcribere mendacij notam ſummæ diuinitati illuſus ipſe videbitur: quando alijs diſtribuitur, quod Abrahæ, atque Dauidi promittitur in ſanctis diuinationibus, vt ex eorum ſemine totius mundi ſalus oriatur. Cùm præſertim ſi humana caro ſumpta eſt, non ab alio ſumi poterit, niſi vndè etiam procreatur. Si igitur à Maria non eſt ſumptū corpus humanum, ſed à quolibet alio, per Mariam tamen eſt procreatū, quod fuerat præuaricatione corruptum, ſuperiùs dicto repellitur argumēto. Quoſi*

non

nõ eo homine Christus indutus est, qui pro peccati pœna sustinuerat mortem, illud eueniet ex nullius hominis semine talem potuisse nasci, qui fuerit sine originalis pœna peccati. Ex nullo igitur talis sumpta est caro. Vndè fit vt nouiter videatur esse formata. Sed hæc aut ita hominum visa est oculis, vt humanum putaretur corpus, quod reuera non esset humanum, quippè quod nulli originali subiaceret pœnæ. Aut noua quædam vera, nec pœna peccati est subiacens originalis, ad tempus hominis natura formata est, si verum corpus hominis non fuit, apertè arguitur mentita diuinitas, quæ ostenderat hominibus corpus, quod cum verum non esset, tùm fallerentur hi, qui verum esse arbitrarentur, &c. Hucusque sunt Boetii verba, ex quibus suam primam auctoritatis partem transcripsit Bandellus (vitia autem posteà examinabimus cum sequentibus, quæ extant in eodem libro de duabus Naturis) deindè post duo integra folia, scilicèt fol. 1257. circa medium inquit Boetius: *Nunc quærendum est, quomodo fieri potuisset, vt duæ naturæ in vnam substantiam miscerentur. Verumtamen est etiam nunc & alia quæstio, quæ ab his inferri potest, qui corpus humanum ex Maria sumptum esse non credendunt, sed aliàs fuisse sequestratũ, præparatumque, quod in adunatione ex Mariæ vtero gigni, ac proferri videretur. Aiunt enim* (incipit Boetius proponere difficultatem factam, vel faciendam ab hæreticis) *si ex homine sumptum est corpus, homo verò omnis ex prima præuaricatione non solùm peccato, & morte tenebatur, verum etiam affectibus peccatorum erat implicitus, eaque illi fuit pœna peccati, vt cum morte teneretur obstrictus, tamen esset reus etiam voluntate peccandi. Cur in Christo neque peccatum fuit, neque voluntas vlla peccandi? Et omninò habet animaduertendam dubitationem talis quæstio. Si enim ex carne humana Christi corpus assumptũ est, dubitari potest, quænam caro hæc, quæ assumpta sit, esse videatur? Eum quippè saluauit, quem etiam assumpsit. Si verò talem hominem non assumpsit, qualis Adã fuit ante peccatum, integram videtur humanam assumpsisse naturam, sed tamen quæ medicina penitùs non egebat. Quomodo autem fieri potest, vt talem assumpserit hominem, qualis Adam fuit, cùm in Adam potuerit esse peccandi voluntas, atque affectio? Vndè factum est, vt etiam prætergressis diuinis præceptis, inobedientiæ delictis teneretur astrictus. In Christo verò nec voluntas quidèm vlla creditur fuisse peccandi. Cùm præsertim sit tale corpus hominis assumptũ, quale ante peccatum fuit, non debuerit esse mortalis. Quoniã Adam, si non peccasset, mortẽ nulla ratione sensisset. Cùm igitur Christus non peccauerit, quærendum est, cur senserit mortem, si Adæ corpus, antequam peccaret, assumpsit. Quòd si talem statum susceperit hominis, qualis Adæ post peccatum fuit, videtur etiam Christo non defuisse necessitas, vt & delictis subiaceret, & passionibus confunderetur, obductisque iudicij regulis, bonum à malo non sincera integritate discerneret; quoniam has omnes pœnas Adam delicti prænaricatione suscepit. Contra quos respondendum est* (Hinc incipit Boetius solutionem propositæ quæstionis, seu argumenti, loquendo ex propriis) *tres intelligi hominum posse status, vnum quidèm Adæ ante delictum, in quo tamen & si ab eo mors aberat, nec adhuc vllo se delicto polluerat, poterat tamen in eo voluntas esse peccandi. Alter, in quo mutari potuisset, si firmiter in Dei præceptis manere voluisset. Tunc enim id addendum foret, vt non modo nõ peccaret, aut peccare vellet: sed nec posset quidèm aut peccare, aut velle delinquere. Tertius status est post delictum, in quo & mors illum necessariò subsecuta est, & peccatum ipsum, voluntasque peccandi, &c.* Et post nouẽ lineas prosequitur Boetius sic: *Ex his igitur tribus statibus Christus corporeæ naturæ suæ singulas quodammodo indidit causas. Nam quod mortale corpus assumpsit, vt mortem è genere humano fugaret, in eo statu ponendum est, quod post Adæ præuaricatione pœnaliter inflictum est, quòd verò non fuit in eo voluntas vlla peccandi, ex eo statu sumptum est, qui esse potuisset, nisi volũtatem insidiantis fraudibus applicasset. Restat igitur tertius status, id est, medius, ille scilicèt, qui eo tempore fuit, cùm nec mors aderat, & adesse poterat delinquendi voluntas. In hoc igitur Adam talis fuit, vt manducaret, ac biberet, vt accepta dirigeret, vt laberetur in somnium, & alia quæ ei non defuerunt, humana quidèm, sed concessa, & quæ nullam pœnam mortis inferrent, quæ omnia habuisse Christum dubium non est: Nam & manducauit, & bibit, & humani corporis officio functus est, &c.* Ex his latissimis verbis compoluerunt suo modo Aduersarii auctoritatem suam.

Sed iam notet, atque enumeret Lector, superseminata in ea vitia, mendacia, & aduterationes. Primo, cauillosè prætermisit Turrecremata illa Boetii verba: *Nunc quærendum est, quomodo fieri potuisset, vt duæ naturæ in vnam substantiam miscerentur*, quia hæc erat principalis quæstio à Boetio ventilata, & cardo, vbi tota eius nititur disputatio. Secundo, vbi Boetius, *verumtamen est etiam nunc, & alia quæstio, quæ ab his inferri potest*, Turrecremata sic, *alia quidèm quæstio ab ys inferri potest*; quæ valdè diuersa sunt: nam Boetius proponit quæstionem nomine hæreticorum. Tertio, vbi Boetius, *ex Maria sumptum*; Turrecremata solùm, *ex Mariæ vtero*, addidit ly, *vtero*, & abstulit ly, *sumptum*. Quarto, Boetius, *videretur*; & Turrecremata, *videtur*. Quinto, Boetius, *erat implicitus*, per relationem ad præ-

ceri-

teritum Adamum, Turrecremata, de præſenti, *eſt implicatus*. Sexto, eadem intentione prætermiſit omnia illa verba: *Ea quæ illi fuit pœna peccati, vt cum morte reueretur obſtrictus, tamen erat reus etiam voluntate peccandi*, quia ſequentia verba reſpiciebant hæc. Septimo, vbi Boetius, *voluntas vlla peccandi*; Turrecremata ſubticuit vocem, *vlla*. Octauo, variauit Turrecremata illam Boetii clauſulam, *& omninò habet animaduertendam dubitationem talis quæſtio*. Nono, Gloſſa illa introducta à Turrecremata, à primo vſque ad vltimũ verbum tota eſt ficta, & falſa, ita vt ſecundùm rigorem iuſtitiæ viginti octo illius verba punienda erant, vt viginti octo falſa teſtimonia. Vide quæ diximus numero 89. Decimo, vbi Turrecremata, *ijs*, Boetius, *his*. Anonymus, vt plus diſtaret à veritate textus, tranſcripſit; *alijs*, quaſi hæc quæſtio non haberet cum antecedenti connexionem. Vndecimo, vbi Boetius, & Turrecremata, *qui*; Anonymus tranſtulit in cauſalem, *quia*. Duodecimo, vbi Boetius, *qui corpus humanum ex Maria aſſumptum*, & Turrecremata: *Ex Mariæ vtero eſſe non credunt*, Anonymus ſic peſſimè: *Ex Mariæ vtero gigni videtur*. Decimotertio, prætermiſit omnia alia verba illius clauſulæ; *ſed aliàs fuiſſe, &c.* Decimo quarto, addidit ly, *Chriſti*, quæ neque in Boetio, neque Tutrecremata extat. Decimo quinto, prætermiſit Anonymus illam clauſulam Boetii, & Turrecremataæ, *habet animaduertendam, &c.* Decimo ſexto, vbi Tutrecremata, *quæ in primi parentis præuaricatione*; Anonymus, in *prima*, vt ſic ly, *prima*, non cum parente Adamo, ſed cum præuaricatione peccati annecteretur. Decimo ſeptimo, qua veritate auſus fuit Anonymus dicere: *Hæc Gloſſa eſt Gilberti Porretani*, cùm ipſe nec viderit, nec videre poterat Gilberti Gloſſam, quia talis non extat in rerum natura, imo Bandellus alium ei patrem adſcripſit, ſcilicèt, Linconienſem, vt diximus num. 210. Sunt ergo in his duobus Turrecremata, & Anonymo, circa auctoritatem vnam cum Gloſſa, quadraginta quinque fictiones, & vitia. Sed iam citemus ad iudicium R. P. Bandellum, qui poſt hos duos ſcripſit, & videamus, an emendauerit vitia prædeceſſorum, vel alia noua, ac maiora ſuperaddiderit. Vel ſaltem Deza eius (vt ipſe ſe iactat) Corrector, & Continuator.

Bandellus ergo non adduxit Gloſſam Gilberti Porretani, videns fortè illam eſſe fictam, & ſic ſolùm tranſcripſit verba Boetii, addens ad finem auctoritatis falſam, ac chimericam illam remiſsionem; *vide Gloſſam, quæ hæc optimè declarat*. Et vbi eſt illa Gloſſa? Inſuperaddidit ſequentia vitia. Primo, ex proprio cerebro in exordio auctoritatis ſuæ apposuit illud, *dicat Euthices*. Secundo, quia recognouit antecedentia verba habere connexionem cum ſequẽtibus, prætermiſit illa quæ proponit Boetius contra Euthicem, dicens: *Euthices verò rectè credens, &c.* aliàs quare introduxit illud, *dicat Euthices*? Tertio, prætermiſit illam clauſulam, ex qua ſaltem apparenter iuxta veritatem incipere poterat: *De quibus illud diſiunctum naſcitur, quod interrogamus hoc modo: Natus ex Maria Chriſtus, aut ab ea carnem humanam traxit, aut minimè? Si non confitetur ex ea traxiſſe, dicat, quo homine, &c.* & non incipere ex abrupto: *Dicat Euthices, quo homine?* Cùm ex his nulla ſit oratio perfecta, nec antecedens, nec ſubſequens. Quarto, vbi Boetius, *quo homine indutus aduenerit*; Bandellus ſic *quo homine Chriſtus naturam aſſumpſerit*. Quinto, vbi Boetius affirmatiuè, *in ea*; Bandellus dubitatiuè, *ne eo*, mutans præpoſitionem, *in*, in illa, *nè*. Sexto vbi Boetius, *ſi eius, de cuius ſemine ductus eſt homo, quem veſtita diuinitas eſt*. Bandellus deteſtabiliter ſic: *Si dixerit, quòd aduenerit indutus eo, qui per præuaricationem deciderat, dicat quem, præter Mariam?* Nota hanc execrabilem adulterationẽ? Septimo, Boetius abſque negatione, *nam ſi ex ſemine Abraham*; Bandellus cum negatione, nam ſi *non* ex ſemine Abrahæ. Octauo, Boetius ſic, *poſtremo Mariæ non fuit caro illa, qua natus eſt*; Bandellus vero ſic, *poſtremo Mariæ caro illa, qua natus eſt, fuit aſſumpta*; abſtulit enim negationem, *non*, & addidit ly, *aſſumpta*. Nono, prætermiſit ſex lineas ab illis verbis, *ſed ſi quem dixerit*, vſque ad illa, *repellitur argumento*. Decimo, in illud Boetii, *ex nullius hominis ſemine*, prætermiſit ly, *hominis*. Vndecimo, vbi Boetius, *ex nullo igitur talis ſumpta eſt caro*, Bandellus ſic, *ex quo ſequitur, quòd ex nullo homine Chriſti eſt aſſumpta caro*. Duodecimo; prætermiſit omnia ſequentia verba, quia ex ipſis apertè cognoſcebatur finis, & intentio Boetii, ſcilicèt, quòd loqueretur de pœna originalis peccati, non verò de ipſo originali. Decimo tertio, in verbis ſequentibus prætermiſit illa: *Nunc quærendum eſt, quomodo fieri potuiſſet, vt duæ naturæ in vnam ſubſtantiam miſcerentur*, videns hic eſſe ſcopum totius controuerſiæ, ac diſputationis Boetii. Vndè conſequenter & eſt Decima quarta adulteratio, illud Boetii: *Eſt etiam nunc alia quæſtio quæ ab his inferri poteſt, qui corpus humanum ex Maria aſſumptum*; Bandellus vitiauit poſtponendo ly, *alia quæſtio*. Decimo quinto, dereliquit illud: *Sed aliàs ſequeſtratũ, præparatumque, quod in adunatione ex Mariæ vtero gigni, & proferri videtur*, vt ſic totum textum confunderet. Decimo ſexto, vbi Boetius, *eum quippè ſaluauit, quem etiam aſſumpſit*. Decimoſeptimo, etiam addidit

illud: *Si quis verò dicat*, nam hæc verba non [illegible] in originalibus Boetii. Decimo octauo, prætermisit illud, *sed tamen quæ medicina penitus non egebat, &c.* cum omnibus verbis sequentibus vsque ad illud, *obstrictus*. Decimo nono, vbi Boetius, *in Christo verò nec voluntas quidèm vlla creditur fuisse peccandi*. Bandellus sic, in Christo *autem* voluntas *nulla* creditur fuisse peccandi, quæ verba aliqualem habent differentiam. Vigesimo, vbi Boetius, *cùm præsertim, si tale corpus, &c.* Bandellus, *præterea si, &c.* Vigesimo primo, Boetius, *non debuerit esse mortalis*, Bandellus, non *debuit* esse *mortale*. Vigesimo secundo, prætermisit astutè illud Boetii, *Adæ corpus, antequam peccaret, assumpsit*. Vigesimo tertio, similiter prætermisit quod sequitur, *passionibus confunderetur, &c.* vsque ad illud, *quoniam has omnes pœnas Adam delicti præuaricatione suscepit*. Vigesimo quarto, vbi Boetius, *contra quos respondendum est*; Bandellus abstulit ly, *contra quos*, vt sic simularet omnia suprà fuisse obiectionem hæreticorum, ad quam Boetius nunc respondet. Vigesimo quinto, vbi Boetius, *vnum quidèm Adæ ante delictum, in quo tamen etsi ab eo mors aberat, nec adhuc se delicto polluerat, poterat tamen in eo voluntas esse peccandi*, Bandellus sic, *vnusquisque* ante Adæ delictum, in quo *peccatum non erat sed* voluntas poterat esse peccandi. Vigesimo sexto, vbi Boetius, *alter, in quo mutari potuisset*; ipse Bandellus sine vllo fundamento, alter *status gloriæ*. Vigesimo septimo, addidit illam clausulam: *In quo quidèm nec peccatum esset, nec peccandi voluntas esse potuisset*. Vigesimo octauo, prætermisit illud, *tunc enim addendum foret*. Vigesimo nono, post illa verba, *& peccandi voluntas*, prætermisit nouem lineas. Trigesimo, ex illa vltima clausula Boetii, *ex his igitur tribus statibus, &c.* vsque ad finem auctoritatis nihil transcripsit Bandellus, nisi illud, *& vt manducaret, & biberet*. Trigesimo primo, etiam pertinent ad fictionem illa Bandelli verba: *Ex quibus patet, quòd Maria fuit ex his, qui per præuaricationem Adæ ceciderant, & qui sine peccato originali nasci non poterant, & quòd peccato, & morte tenebatur obnoxia, sicut cæteri omnes post Adæ peccatum*. Ex his enim tribus propositionibus, nulla directè, vel indirectè deduci, imo nec saltem apparenter potest colligi: nam Boetii assumptum est solùm probare contra Euthicem, in Christo Domino non fuisse naturas confusas, seu permixtas, vel, vt ipse dicit, adunatas, neque verba incidenter dicta aliquid probant contra immaculatam Virginis Conceptionem, quia illa, *aiunt enim, si ex homine sumptum est corpus, homo verò omnis ex prima præuaricatione, &c.* & alia quæ sequntur vsque ad illa, *contra quos respondendum*, sunt verba Boetii materialiter tantùm, non formaliter, quia est quædã obiectio, seu instantia facta, vel facienda contra suam doctrinam, ad quam ipse respondit: ex obiectionibus autem nunquam deducitur argumentum. Et dato, quod admittantur tanquam Boetii, solùm probant vniuersaliter, quòd omnis homo ex præuaricatione Adæ, *peccato, & morte tenebatur*, & hæc solùm indicant debitum, & obligationem, vt etiam colligitur ex illis verbis: *Quod si talem statum suscepit homini, qualis Adæ post peccatum fuit, videtur etiam Christo non defuisse necessitas, vt delictis subiaceretur, &c.* Hic autem nihil agimus de debito, obligatione, & necessitate, sed de actuali contractione peccati. Denique verba Boetii solùm intendunt probare, quod in Christo Domino nulla potuit esse peccandi voluntas, quid indè, quod in Maria potuerit esse peccandi voluntas, si tamen nunquam fuit ex speciali priuilegio? Concludimus ergo, quòd Boetius gratis, & sine fundamento fuit adductus, & quòd in vna eius auctoritate commissa sunt 76. vitia, vel saltem condescendendo pietati erunt 48. si autem enumeranda essent verbatim, ascenderent fortè ad 480.

SEVERVS Beatus, Doctor illustris, super Matthæum, & super Lucam. *Anonymus Auctore 36. Bandell. cap. 14. Dezafol. 21. à tergo. Gryfald.*

VERITAS 284.

ALIQVI Fuerunt Doctores antiqui vocati Seueri: nam fuit Seuerus Alexandrinus Patriarcha, cuius aliqua opera extant in Bibliotheca veterum Patrum tomo 7. à folio 1508. De hoc pro nostra sententia quandam adducit auctoritatem Ioann. Eusebius Nierembergius in libro Exception. capit. 27. folio 118. & Epist. 15. folio 162. & in sacro Sillabo §. 7. fuit etiam alius Seuerus Rector, poeta Christianus, dictus Endelechius, qui habet aliqua Poemata in eadem Bibliotheca. Fuit similiter Seuerus, Malacitanæ sedis Antistes, & Seuerus, Minoricensis Insulæ Episcopus. Fuerunt denique Seuerus Mileuitanus, Sancti Augustini Discipulus, & Seuerus, communiter dictus Sulpitius, ex his omnes fuerunt Scriptores, sed solus vocatur, & dicitur Sanctus, vnus, scilicèt, Seuerus Rector Poeta, sed nullus istorum Sanctus, vel non Sanctus scripsit super Sanctum Matthæum, vel Sanctum Lucam: Vndè ergo existimas, ô Lector! quod Aduersarii extraxerunt suum Seuerum, Sanctum, Doctorem illustrem,

&

& ſcriptorem ſuper Matthæum, & Lucam, nō ex proprio fonte, vt ipſi dicunt, ſed ex quadam ciſterna, & fortè turbida? Attende ergo ad ſequentem veritatem. Sanctus Thomas in ſua Catena Aurea citat quemdam Seuerum, vt infrà videbimus, ex hoc leui fundamento occaſionem ſumpſerunt Aduerſarii, vt vocatent Seuerum Beatum, Doctorem illuſtrem, & Expoſitorem ſuper Matthæum, & Lucam, quado ipſi ignorabant Seueri illius vitam, opera, & nomen, iudicantes, hanc eſſe legitimam illationem: Angelicus Doctor citat Seuerum, in ſua Catena Aurea ſuper Lucam, & Matthæum: ergo Seuerus fuit Beatus, Scriptor, & ſanctificatus Commentator Matthæi, & Lucæ. Patres mei, nonnè Angelicus Doctor in eadem Catena ſuper Matthæum, Lucam, & Marcum adducit paſsim Auguſtinum, Maximum, Gregorium, Baſilium, Athanaſium, & Epiphanium, &c. cùm iſti, & alii quam plurimi ibi adducti, non ſcripſerint ſupra prædictos Euangeliſtas? Item ſimiliter Angelicus Doctor, in eadem Catena, citat aliquos, qui non fuerunt Sancti, vt Origenem, Rabbanum Græcum, Theophilactum, &c. Ergo omnia adducta pro veſtro Seuero fuerunt ficta, & abſque vllo fundamento dicta. Et hæc de hoc Auctore.

Auctoritatem primam huius Seueri ſic adducunt: Idem tenet Beatus Seuerus, Doctor illuſtris ſuper Matthæum: *Quem*, inquit, *genuit Maria, hic eſt qui ſaluos facit omnes electos ſuos à peccatis eorum.* Enumera huius auctoritatis verba, ſunt autem tredecim, & nota auctoritatem, vt adducitur à Sancto Thoma, ſuper 1. Matth. colum. mihi 37. ad illud: *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum*, inquit Sanctus Thomas, ſic SEVE. *Veniant, & audiant, qui requirunt: Quis eſt quem Maria genuit? Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum: Vndè? A peccatis eorum, eſſe Deum, qui peccatis donat, ſi Chriſtianis non creditis, crede infidelibus, vel Iudæis dicentibus: Nemo poteſt peccata dimittere, niſi ſolus Deus.* Hæc ſunt Seueri verba ſecundùm Diuum Thomam, licèt in aliquibus originalibus Catenę, ſic extent verba hæc: *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum, non alterius ſaluum faciet populum. Vndè, &c.* Primo ergo vitiarunt auctoritatem, prætermittendo illa verba, quæ pertinent ad orationis complementum, *veniant, & audiant, qui requirunt: quis eſt?* Secundo, interrogationem fecerunt affirmationem. Tertio, tranſmutarunt verbum *genuit*. Quarto, ly, *hic*, non reperitur in tota auctoritate Seueri. Quinto, ly, *eſt*, & ly, *qui*, licèt reperiantur, ſed ad diuerſum propoſitum, in interrogatione ſcilicèt, non in reſponſione. Sexto, vbi Seuerus, *ipſe enim ſaluum faciet*; Aduerſarii ſic, *ſaluos faciet*, prætereuntes illas duas dictiones, *ipſe enim*, & illud, *ſaluum*, de ſingulari fecerunt, *ſaluos*, de plurali, & ſolùm dereliquerunt intactum verbum, *faciet*. Septimo, malè addiderunt illam vniuerſalem, *omnes*. Octauo, loco, *populum ſuum*, appoſuerunt, *electos ſuos*. Nono, tacuerunt illam interrogationem: *Vndè?* Et omnia alia ſequentia verba, exceptis illis, *à peccatis eorum*, & ſic maculauerunt non ſolùm Seuerum, ſed etiam ſuum Angelicum Doctorem in littera, & in ſenſu.

Secundam auctoritatem ſic adducunt: Item idem ſuper Lucam: *Beata*, inquit, *Maria fuit eiuſdem naturæ cum ſecundo Adam, qui ſolus ſine peccato fuit, & peccatum mundi abſtulit. Hæc ille.* Sed potiùs dicere debuerant; *Hæc nos*, quia talis auctoritas non eſt in rerum natura, reuolui ſemel, & iterum Catenam Auream ſuper Lucam, ſed talia Seueri verba ibi non extant, imò in toto Euangelio Lucæ, nunquam Sanctus Thomas citat Seuerum; quæſiui etiam illam inter alios Patres ibi adductos, & in aliis locis, atque in Bibliotheca veterum Patrum in Seuero Sulpitio, tomo 5. parte 1. à folio 286. & Seuero Alexandrino, tomo 7. & in Seuerino tomo 15. folio 990. ſed abſque fructu: Vndè verè, & realiter exiſtimo fuiſſe fictam à Bandello, vt introduceret ſuum adiectiuum *ſolus*: atque huiuſmodi verborum ſtructura redolet, redolet eius ſtylum, & genium. Et ipſe paſsim faciebat hoc faciliùs, quam manducare panis fruſtrum.

SICARDVS Cremonenſis Epiſcopus, vel Richardus, in Summa ſua de Diuinis Officiis, lib. 8. de Natiuit. Virginis. *Bandellus cap. 20. Deza folio 35. Vincent. & Gryſaldus.*

VERITAS 285.

HVNC Bandellus, Vincentia, & Deza vocant vnanimiter Sicardum, ſolus Paul. Gryſaldus eum appellat Richardum, & ſic iam non cōueniunt in nomine, ſicut nec in tractatu, quem Bandellus vocat Mitrale, Vincentia vero Naturale. Auctoritatem huius ſic adducunt: Idem tenet Dominus Sicardus, Epiſcopus Cremonenſis, religione, & doctrina præclarus, in Summa ſua de Diuinis Officiis. quam appellauit Mitrale, libro octauo, capit. de Natiuitate Virginis, ſic dicens: *Conceptionem Beatæ Virginis quidam aliquando celebrauerunt, & fortè adhuc celebrant ob reuelationem, quam dicunt fuiſſe cuidam Abbati in naufragio ſa-*

ctam, ſed non eſt authentica, ideò talis feſtiuitas videtur prohibenda, quia fuit in originali peccato concepta. Hæc ille. Gryſaldus fol. 244. ſic inquit: Richardus Epiſcopus Cremonenſis, in Summa ſua de Diuinis Officiis, cap. de Natiuitate B. Virginis: *Feſtiuitas Conceptionis gloriosæ Virginis eſt prohibenda, quia in originali peccato concepta.* Hæc ſunt omnia, quæ de hoc Sicardo Cremonenſi Epiſcopo adducunt Aduerſarii.

Ego vero exiſtimo, Auctorem iſtum ſaltem quoad auctoritatem eſſe fictum, atque ſuppoſitum. Primo, quia nec ipſimet Aduerſarii, qui fuerunt Itali, & Lombardi, ſicut Sicardus Cremonenſis, nec conueniunt in Auctoris nomine, neque in titulo illius Summæ, imo neque totaliter in auctoritate. Secundo, quia nullus Nomenclator antiquus, vel modernus, aut Scriptor Eccleſiaſticus, Theologus, vel Sūmiſta de tali Sicardo, vel Richardo Cremonenſi, vel eius Summa, aliquam facit mentionem: videtur enim quaſi impoſsibile, quòd Patres ſolùm Dominicani huius Auctoris notitiam habuerint, & non ſaltem Poſſeuinus, qui omnes Italiæ Bibliothecas ſcrutatus eſt inſigni diligentia. Tertio, & potiſsimè demonſtratur, Auctorem iſtum fuiſſe fictum à Bandello, quia hanc eandem auctoritatem adduxerunt ſuprà ſub nomine Ioannis Belethi, qui etiam ſcripſit de Diuinis Officiis, vt diximus numero 155. & vt Lector videat abſque alio recurſu veritatem, tranſcribo iterum hic verba Belethi, prout ab ipſiſmet Aduerſariis adducuntur: *Feſtum Conceptionis Beatæ Virginis quidam aliquando celebrauerunt, & fortè adhuc celebrant, ſed non eſt authentica illa feſtiuitas, imò videtur, & eſt prohibenda; & hoc ideò, quia Beata Virgo fuit in originali peccato concepta, ſicut alij.* Hæc auctoritas ipſiſsima eſt cum ſuprapoſita, non ſolùm in ſententia, ſed in verbis. Ex quibus omnibus iterum dico, Auctorem iſtum quoad nomen videri fictū, & quoad auctoritatem non videri, ſed eſſe aſſertiuè multiplicatum, vel ſi hoc ipſis non placet, oſtendant hunc Sicardum, vel Ricardum Cremonenſem, & Summam illius dictam Mitrale, ſeu Naturale; quia nobis ſat eſt ſcire, quod Auctor, & opus ſunt penitùs incognita, & nunquam viſa, nec audita, impreſſa, nec manuſcripta. Notare etiam debes Lector, quod Bandellus, vt ſimularet multiplicationem, cōiunxit Sicardum cum Beletho in ſuo Cathalogo.

SINIBALDVS Romanus, Cardinalis, Ordinis Prædicatorum, in 3. diſt. 3. *Ita Paulus Gryſaldus Alphab. 5. folio 245.*

VERITAS 286.

AVCTOREM Iſtum Sinibaldum adducit ſolus Gryſaldus, qui ſemper, & vbique à veritate deceſsit, & hic non minus, quam in aliis, quia vt multiplicaret Auctores contra immaculatam Virginis Conceptionem, finxit propoſitum Sinibaldum Romanum, Cardinalem, Ordinis Prædicatorum. Quòd autem ſit fictus quoad nomen, patet euidenter, nam Sinibaldus Cardinalis ſolus vnus fuit in Eccleſia Dei, ſcilicèt, Sinibaldus Fliſcus, ex Lauaniæ Comitibus Genuenſis Ligur, qui priùs fuit Eccleſiæ Parmenſis Canonicus, & poſtea Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vice-Cancellarius Presbyter Cardinalis, tituli S. Laurentii in Lucina, & tandèm Summus Pontifex Innocentius IV. dictus, ſed hic nec fuit Ordinis Prædicatorum, nec ſcripſit ſuper Sententias, ſed ſuper Decretales, de quo nos egimus ſuprà numero 145. Item Sanctus Antoninus in 3. part. ſuæ Hiſtoriæ tit. 23. cap. 8. §. 1. folio 678. adducit omnes Cardinales Ordinis Prædicatorum, ſed nullum Sinibaldū Romanum, ſolùm verò Annibaldum Romanum. Alph. Placentinus in ſua Concertatione folio 444. etiam adducit Cathalogum Cardinalium, ſed nullum appellat Sinibaldum, ſed Annibaldum Romanum, idem dico de Ioann. Michaele Pio. Reuoluite totum veſtrum Alphon. Ciaconium & Frinzonem, & non inuenietis talem Sinibaldum Romanum, ſed ſolùm Annibaldum Romanum. Conſtat ergo, hunc Auctorem fuiſſe fictum à Gryſaldo: adduxerat enim cum aliis, vt vidimus numero 20. Annibaldum Romanum, Cardinalem Ordinis Prædicatorum, in 3. Sentent. diſtinct. 3. & vt proficeret inter ſuos coætaneos addendo, ſeu potiùs fingendo aliquos Auctores contra immaculatam Virginis Conceptionem, cùm in littera A. Alphabeti 5. Ordinis Prædicatorum poſuiſſet Annibaldum Romanum, cum auctoritate, ſic dicens: *Annibaldus 3. diſtinct. 3. fuit in peccato concepta, ſicut cæteri*, in eodem Alphabeto littera S. iterum dixit: *Sinibaldus Romanus Cardinalis, 3. diſtinctione*, ſine auctoritate, ſicque ex vno fecit duos, mutando nomen, & tacendo auctoritatem. Hæc omnia, vt indubitata, ſunt propoſita.

Reſtat nunc videre, an ſolùm bis, vel ſepties fuerit hic Auctor multiplicatus. Et dico primo, quòd Annibaldus Cardinalis Ciſtercienſis, & Annibaldus Cardinalis Dominicanus eſt vnus, & idem, vt videre eſt numero 19. & 20. Secundo Romanus Magiſter poſitùs ſuprà num. 278. eſt idem cum Annibaldo Romano, & Sini-

Sinibaldo Romano posito hoc in num. 286. itē quòd auctoritas adscripta Ioanni Sernigacio Dominicano adducto, numero 189. & illa Ioannis Sterigatii, de quo numero 190. est vna, & eadem cum auctoritate adscripta Annibaldo, & aliis. Tertio, quòd hæc eadem auctoritas est Thomasini, etiam Ordinis Prædicatorum, de quo infrà numero 297. Quarto dico, quòd auctoritas ex 3. Sentent. distinct. 3. in suprapositis septem Auctoribus adducta, reperitur in operibus Sancti Thomæ Aquinatis, si autem opus illud sit Angelici Doctoris, vel alterius, alia est controuersia. Et sic septem isti Auctores sunt ficti, & multiplicati: quomodo autem hoc fuerit, vide in numeris prælegaris?

SOCCVS, Vel Socrus, Cistercienſis, vel Carthusianus, in sermone Natiuitatis Beatæ Virginis, &c. *Turrecremata part. 6. cap. 35. folio 125. Anonymus Auctore 146. Bandelli, capit. 22. Deza folio 37. Vincent. & Gryſald.*

VERITAS 287.

IOANNES De Turrecremata in vno, eodemque capite adducit Auctores Ordinis Carthusianorum, & Cistercienſium: hinc exorta est inter scribentes post Turrecrematam magna æquiuocatio: nā Anonymus facit hunc Soccum Carthusianum, vocando eum Socrum: Bandellus autem, & Vincentia Sochum Cistercienſem; isti quantum ad Religionem veritatem dicunt, sed non quantum ad Auctoris nomen: res ita se habuit, in Ordine Cistercienſium fuit quidam doctus vir, qui scripsit Sermones de Tempore, ac de Sanctis: *Verum* repero verba R. P. Caroli de Visch in Bibliotheca folio 239. *quia humilis erat, ingenito quodam rubore deiectus, eosdem Sermones, quoad vixit, non præsumpsit publicare. Moritur tamen in grandæua ætate, & fratres cellulā eius emundantes, hos ipsos Sermones in soccis, seu sotularibus eius absconditos inuenientes, gauisi de tanto thesauro, eos publicarunt. At quia in soccis inuenti sunt, à re gesta Sermonibus nomen indiderunt, & Sermones Soccios intitularunt, &c. prodierunt Argentorati anno* 1484. *& Dauentiæ in tribus tomis in folio* Aubertus Myræus in Mantissa ad suam Biblioth. folio 305. affirmat, quòd nomen horum Sermonum, *quidam desumptum putant à succo, & medulla Scripturæ sacræ.* Sed quidquid sit de ethymologia, ex dictis concluditur, quòd talis Auctor Soccus non fuit in rerum natura, sed nomen Sermonum adscripserunt Auctori, sine fundamento.

Auctoritatem huius sic adducit Turrecremata: Item ad idem est venerabilis Pater eiusdem Ordinis Soccus nominatus, in notabili opere suo de Sanctis, qui in sermone Natiuitatis Beatæ Virginis, sub themate: Paraui lucernam Christo meo, ita ait: *Vt autem supremam puritatem consequeretur, ter fuit depurata primo in vtero materno, ab originali peccato, quæ purgatio in tantum restrinxit fomitem, vt potens esset non peccare; reliquit tamen in ea fomitem secundùm essentiam. Hæc ille.* Et eiusdem sententiæ est in aliis Sermonibus eiusdem festiuitatis. Hucusque sunt verba Turrecrematæ; admittamus hanc auctoritatem esse veram, & fideliter transcriptam, saltem non potest excusari Turrecremata ab omissione; quia cùm dicat Soccus, Mariam fuisse ter depuratam; primo in vtero, quare tacuit alias duas depurationes? Cùm ergo aliæ duæ non possent esse à peccato, aut aliqua culpa, seu macula præexistente, hæc prima depuratio ex illis duabus sequentibus regulanda erat. Deindè si Turrecremata vidit, & legit alios Sermones Socci, & in ipsis non inuenit aliam auctoritatem expressiorem, vt proponeret Concilio Basilienſi, vndè Bandellus, Vincentia, & Deza extraxerunt sequentem auctoritatem ab ipsis adductam sic: Idem tenet Dominus Soccus, eiusdem Ordinis, in sermone Natiuitatis Beatæ Virginis, sic dicens: *Beata Virgo, vt supremam puritatem consequeretur, ter fuit depurata, primo in vtero, post animationem, à peccato originali. Secundo in Conceptione Filij Dei à fomite peccati. Tertio, in Assumptione, à miseria temporali.* Hæc Bandellus, & Vincentia vnanimiter transcribens vnus ab alio verba, nulla mutata, vel altera syllaba. Gryſald. sic inquit Soccus in Natiuit. Beatæ Virginis: *Beata Virgo fuit depurata à peccato originali.* Vide Lector, ad quid reducta fuit decursu temporis auctoritas Turrecrematæ.

Ex his dico, & affirmo sequentia. Primo, quòd hæc auctoritas adducta à Gryſaldo est eadem Bandelli, & relata à Bandello, & Vincentia est illa ipsissima adducta à Turrecremata, vt constat ex Sermone, & ex ipsimet verbis. Secundo, quòd nec Bandellus, nec Vincentia viderunt Soccum, nec illius Sermones, sed ex illa auctoritate Turrecrematæ suam finxerunt àbsque vllo timore, sicut fecerunt in aliis in hoc Ventilabro relatis, cernentes enim, quòd illa prima depuratio facta in vtero materno, poterat explicari, & intelligenda erat de depuratione materiæ, & embryonis ante animationem Mariæ; ipsi execrabiliter addiderunt illud, *post animationem*, vt sic auferrent omnē sanam interpretationem, si hoc fuit delictum contra sanctam veritatem, & sanctissimam Dei Matrem, tu Lector, iudica! Tertio dico,

quòd illa verba de secunda, & tertia depuratione, in Conceptione Filii Dei, & in Assumptione, fuerunt etiam ficta à Bandello, quod comprobatur ex ipsa auctoritate Turrecrematæ, & ex ipso stylo Bandeliano. Quarto dico, quod auctoritas Socci, vt adducitur à Turrecremata, nihil habet contra immaculatam Virginis Conceptionem: potest enim non solùm ad bonum sensum, sed ad optimum, & nobis propositum de depuratione materiæ antè animationem reduci. Et sic Soccus tanquàm si non fuisset. Quinto, affirmo, quòd Andræas de Peruzzinis ab Vreiano in Analysi Purl. Concept. folio 94. hunc Auctorem adducit pro nostra sententia sic: Soccius in Serm. 30. ait: *Est autem triplex væ, à quibus fuit liberata Virgo Sancta, à væ culpæ originalis, & à væ culpæ venialis, & à væ culpæ mortalis. Hæc ille.* Ex his iudicet Lector, quo fundamento, aut veritate adduxerùt Aduersarii Soccum pro sua opinione.

SPECVLATOR, Siuè Speculum Iuris, siuè Summa Summarum, in tit. de Feriis 8. quæstione. *Turrecremata part. 6. cap. 36. folio 126. Anonym. Auctore 191. Bandell. capit. 19. Dexa folio 29. à tergo. Vincent. & Gryfald.*

VERITAS 288.

PRIMO Stabiliendum est tanquam firmum, ac indubitatum principium, Guillielmum Durandum, Episcopum Miniatensem, fuisse Auctorem, atque Compilatorem libri Speculum Iuris dicti, siue Summa Summarum, quare communiter, & antonomasticè vocatur Speculator: hoc constat euidenter ex ipsismet impressionibus Speculi Iuris: nam impressio Tridētina ann. 1522. in fol. magno, cum additionibus Ioannis Andreæ, & Baldi, necnon Henrici Ferrandant. Venetiana anno 1484. & ibidem 1566. in 4. & in Bibliotheca S. E. Toletanæ sunt quatuor Specula diuersa manuscripta, & omnia sub nomine Guillielmi Durandi. Item in rationali Diuinorum Officiorum antiquo, impresso Neapoli anno 1478. & in aliis sic dicitur in principio: *Incipit Rationale Diuinorum Officiorum, editum per R. in Christo P. & D. D. Guillielmū Duranti, Præsulem Mimaten. qui composuit Speculum Iuris, & Patrum Pontificale, &c.* Hoc etiam fatentur omnes Nomenclatores, & Scriptores Ecclesiastici nullo dempto, nisi solo Vincentio Bandello, qui hoc negauit, vt multiplicaret vnum Auctorem contra immaculatam Virginis Conceptionem, sed audi quomodo, cap. 19. fol. 29. vbi ponit Doctores in hac re peritissimos, sic inquit: *Idem tenet Dominus Guillielmus Durandi*, in 2. part. Speculi, titulo de Feriis, sic dicens: *Omnes festiuitates Virginis gloriosæ sunt celebrandæ, non dico de festo Conceptionis, quod celebrandum non est, quia concepta fuit in peccato originali, licèt in multis locis ex deuotione celebretur, nec talem deuotionem improbo. Hæc ille.* Et interposito solo vno Auctore sic prosequitur: *Idem dicit Auctor Speculi, quod dicitur Summa Summarum, titulo de Feriis quæst. 8.* sic dicens: *Festum Conceptionis Beatæ Virginis non est celebrandū, sicut in multis regionibus fit, vt dicit Glossa Decreti de Consecratione dist. 3. capit. 1. & hoc ideò, quia in peccato concepta fuit. Hæc ille. Et nota, quòd iste non fuit Guillielmus, sed alius, cuius nomen ignoratur.* Hucusque Bandellus. Turrecremata autem hunc adducit sic: *Item ad idem est, quòd in Speculo Iuris, quod dicitur Sūma Summarum habetur, in titulo de Feriis, in 8. quæst.* Vbi sic dicitur: *An festum Conceptionis sit celebrandum? Dicendum, quòd non, sicut in multis regionibus, & maximè in Anglia, de Cōsecratione distinct. 3. cap. in Glossa.* Hæc sunt Turrecrematæ verba.

Secundo supponendum est, pro eadem veritate comprobanda, quòd in libro dicto, Speculum Iuris, titulo de Feriis, parum post principium, referendo dies festiuos, sic dicitur: *Omnes festiuitates Virginis gloriosæ, non dico de festo Conceptionis eius, quia concepta fuit in peccato, licèt in multis locis celebretur, nec talem deuotionem reprobo: festiuitas omnium Sanctorum, &c.* Hæc Speculum Iuris, siuè Speculator, & nihil ampliùs. Ex quibus patet. Primo, quòd Bandellus absolutè erranit dicens in secunda clausula: *Et nota, quòd iste non fuit Guillielmus, sed alius, cuius nomen ignoratur*, cùm paulo antea dixisset: *Idem tenet Dominus Guillielmus Duranti, in 2. par. Speculi titulo de Feriis, &c.* Secundo, ignorauit, seu potiùs astutè simulauit, quod Summa Summarum, & Speculum Iuris erat vnus liber, quòd saltem ex suis posterioribus verbis didicere poterat. Tertio, quod tàm Turrecremata, quàm Bandellus, malè citarunt: titulo de Feriis quæst. 8. nam Speculator in illo titulo, nec in alio procedit per quæstiones. Quarto, quòd Bandellus ex vno indiuisibili Auctore, fecit duos, sed de hoc infrà. Quinto, quod ex vna, eademque auctoritate finxit duas, vt supra visum est. Sexto, quòd tota auctoritas Turrecrematæ est ficta, & falsa à primo vsque ad vltimum verbum, ita vt ex viginti tribus dictionibus existentibus in sua auctoritate, vna sola reperiatur in Speculo, scilicèt illa, *in multis*, quomodo ergo credendum est, librum illum fuisse editum à doctissimo Turrecremata, Protectore fidei, & in Concilio præsentatum, & nō

ab

ab aliquo idiota, & irregularis intentionis viro? Septimo, Bandellus in prima auctoritate addidit ly, *sunt celebrandæ*, & abstulit ly, *eius*. Octauo, sine vlla verecundia addidit illud, *quod celebrandum non est*. Nono, eadem intentione, addidit ly, *originali*. Decimo, etiam ex non recto fine, super addidit ly, *ex deuotione*. Vndecimo, vbi Speculator, *reprobo*, Bandellus, *improbo*, sed hoc parui momenti videtur. Duodecimo, secunda auctoritas Bandelli à primo vsque ad vltimum verbum tota est ficta, ita vt ex triginta verbis solùm reperiantur in Speculo illa, *in multis*, & illa, *quia concepta fuit in peccato*. Computa ergo, ò Lector! rectè, & fideliter; quia existimo in hac auctoritate me enumerasse quinquaginta septem vitia, si de verbo ad verbum essent computanda.

Sed adhuc restant alia non minoris momenti, scilicèt, multiplicationes illius Auctoris: nã primo fuit adductus sub nomine & titulo Cõpilatoris Speculi, vt vidimus num. 61. Secundo, sub nomine Guillielmi Canonistæ, vt videre est num. 106. Tertio, sub Guillielmo Durando, de quo num. 107. Quarto, sub Guillielmo Duranti, de quo num. 108. Quinto, sub nomine Guillielmi, Episcopi Metensis, vt videre est num. 109. Sexto, hìc sub epithero Speculatoris. Septimo, infrà sub nomine Vuilhermi, vt videre est num. 313. Quibus adde etiam. Octauo, quòd huius auctoritatem adscribunt Guillielmo Antisiodorensi, vt videre est num. 105. Si ergo hæc octo multiplicationes (quæ etiã sunt detestanda vitia) addas superioribus, vide an in hoc Auctore sint sexaginta quinque vitia, vel amplius? quãdo in tota auctoritate solùm sunt verba, & dictiones viginti septem? Quis autem fuerit Guillielmus Durandus, & inteligentiam suæ auctoritatis reperies suprà numeris prælegatis præcipuè num. 107.

STEPHANVS Antiquus, Doctor Parisiensis, in Epistola ad Roman. cap. 7. & in Epistol. ad Hebræos cap. 7. *Turrecrem. part. 6. cap. 35. fol. 125. à tergo. Anonym. Auctore 171 Bandell. cap. 21. Dezza fol. 35. Vincent. & Grisald.*

VERITAS 289.

INTER Scriptores Stephanos vocatos, fuit vnus Stephanus, Episcopus Parisiensis, qui damnauit aliquos articulos erroneos, cum reuocationibus eorundẽ, prout habetur in Appendice Sentẽtiarum Petri Lombardi, inter quos sunt illi Ioannis de Montesono, Ordinis Prædicatorum, contra Immaculatam Virginis Conceptionem: atque alius isto antiquior, qui ad annum 1322. approbauit doctrinam S. Thomæ, de quo latè suprà in Tritulatione. Fuit alius Stephanus Langton, Anglicus, Doctor Parisiensis, qui secundùm aliquos fuit Cantuariensis Præsul, ac S.R.E. Cardinalis, qui edidit Postillam super totam Scripturam, præcipuè verò super Epistolas Pauli lib. 14. quarum aliqua fragmenta adducuntur in Allegoriis Gotifredi Tilmani, sub nomine Stephani Cantuariensis, & vixit ad annum 1228. de quo latè agunt Henricus de Gandauo de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 27. Gesnerus fol. 766. Pitseus fol. 362. Myræus fol. 167. Possevinus fol. 434. & alii Nomenclatores. Et sic de Auctore nulla potest esse dubitatio.

Auctoritatem sic adducit Turrecremata: Itẽ ad idem est Magister Stephanus, antiquus Postillator, & Doctor Parisiensis, in Epistola ad Romanos cap. 7. vbi circa quartam dubitationem, quam mouet, qualiter scilicèt originale peccatum remittatur per Baptismum, ita dicit: *Illa autem corruptio animæ dicitur originale peccatum, quod in Baptismo remittitur, nõ quod remaneat in anima, & in carne corruptio, aut ille fomes. sed dicitur remitti duabus de causis, quia illud Deus delet quantum ad culpam, & quia ille fomes mitigatur. Non enim post Baptismum tantum regnat, sed paulatim minuitur, numquam tamen omninò deletur, nisi per miraculum, vt credimus esse factum in gloriosa Virgine Maria.* Et infrà: *Illa autem vnio animæ ad carnem non potuit fieri sine peccato, nisi dumtaxat in Christo. Hæc ille.* Et eiusdem sententiæ est in cap. 7. ad Hebræos, in materia decimationis. Hucusque sunt verba Turrecrematæ. Attẽde ergo, ò Lector! & vide, quomodo hanc auctoritatem adducant scribentes post Turrecrematam. Bandellus atque eius Corrector, & Vincentia sic dicunt: Idem tenet Magister Stephanus, antiquus Postillator, Doctor Parisiensis, super Epistolam ad Romanos, & ad Hebræos sic dicens: *Vnio animæ ad corpus post peccatum Adæ fieri non potuit sine peccato originali, nisi in solo Christo: per gratiam tamen sanctificationis fuit à B. Virgine in vtero Matris culpa deleta, & posteà corruptio fomitis totaliter extirpata. Hæc ille.* Grysaldus denique sic adducit eãdem auctoritatem: Stephanus Doctor Parisiensis in Epistolam ad Hebræos: *Per gratiam sanctificationis fuit à B. Virgine culpa deleta.* Hæc sunt omnia quę adducunt Aduersarii ex Stephano Postillatore.

Dico ergo, quòd huius Stephani opera nunquam fuerunt typis mandata, solùmque in Allegoriis Gotifredi Tilmani adducuntur aliqua fragmenta, vt diximus suprà, sed in locis ab Aduersariis citatis, super Epistolam ad Romanos 7. & Hebræos 7. nulla extat huius Stephani auctoritas, neque ego inuenire potui opera illius super Epistolas Pauli, licèt quam plura legerim manuscripta in diuersis Bibliothecis super eas-

eaſdem Epiſtolas, & ſic non poteſt veritas in hoc Auctore ad plenum deduci, dicam tamen quod conſtat ex eiſdem auctoritatibus adductis ab Aduerſariis. Primo ergo, auctoritas, vt adducitur à Turrecremata, nihil expreſſum habet contra Immaculatam Virginis Conceptionē: nam in primis verbis ſolùm dicit, quòd fomes fuit ablatus à Virgine Maria per miraculum, ex quo nihil concluditur contra Deiparæ puritatem, quia ſi fomes fuit ablatus ſimul cum originali, per miraculū fuit. Altera autem propoſitio, quòd vnio animæ ad carnem ſolùm in Chriſto fuit ſine peccato, eſt quædam propoſitio vniuerſalis, quæ non obſtet exemptioni particulari: hoc enim quærimus, vtrū ſtante, quòd ſola anima Chriſti potuit vniri ad carnem ſine peccato, per naturā, potuerit hoc etiā in Maria fieri per gratiam? Secūdo dico, quòd nec Bādellus, nec Vincētia, & multo minus Gryſaldus, viderunt Stephani opera, ſed ſolùm Turrecremata, à quo ipſi tranſcripſerunt, fabricantes ex duabus auctoritatibus diſtinctis vnam continuam, & indiuiſibilem, & inſuper addiderūt illud: *Originali*, in prima clauſula, in ſecūda autem illud: *Per gratiam tamen ſanctificationis fuit à B. Virgine in vtero Matris culpa deleta*; illa verò verba: *Et poſteà corruptio fomitis totaliter extirpata*, ſumpta ex prima auctoritate penitùs fuerūt, & ſunt adulterata, vt intuenti patebit. Et ideo ipſi coniunxerunt citationes, dicendo: *Super Epiſtolam ad Romanos, & ad Hebræos*, vt ſic ex duabus Epiſtolis facerent vnam auctoritatem Hebri-Romanam.

STEPHANVS Canoniſta, Gloſſator antiquus Decreti. *Ita Paulus Gryſald. in Alphabeto 9.*

VERITAS 290.

BONVS Vir Paulus Gryſaldus, ſemper, & vbique inuius, & errans, vt in hoc libro paſsim demonſtratum eſt, in præſenti Auctore etiam talem ſe exhibuit: nam poſtquam in ſuo Indice, Abecedario 3. de Doctoribus Theologis Neothericis adduxiſſet cum aliis Stephanum Pariſienſem, vt in num. antecedenti viſum eſt, in Alphabeto vltimo de Doctoribus Iuriſtis, alium adducit Stephanum ſic: *Stephanus antiquus, Decreti Gloſſator: Per gratiā culpa deleta*, & nihil ampliùs. Quòd autem hic fuerit fictus, & ſuppoſitus, ſolùm vt multiplicaret alium Auctorem contra Immaculatam Virginis Conceptionem, conſtat euidēter: tum quia talis *Stephanus antiquus Decreti Gloſſator*, nunquam fuit in rerum natura, quod abſque vlla dubitatione affirmo; tum quia verba illa auctoritatis: *Per gratiam culpa deleta*, ſunt eadem cum ſuprà poſitis in antecedenti Stephano, ſicque Gryſaldus ex vno Stephano Poſtillatore Bibliæ fecit alium Stephanum Gloſſatorem Decreti, vnum Scripturarium, & alium Canoniſtam.

Niſi forte velint dicere, hunc Stephanum eſſe quendam huius nominis Auctorē, qui ſcripſit duos ingentes tomos de diuerſis myſteriis prædicabilibus, ordinatis, & diſtinctis in ſeptem partes, &c. Cuius operis Prologus incipit: *Quoniam multi Magiſtri*; opus vero ipſum ſic: *Potentia Patris cōfirma me, ſapientia Filij doce me, gratia Spiritus Sancti illumina me*, quod manuſcriptū ſeruatur in Bibliotheca S. Eccleſiæ Toletanæ, & in titulo 6. p. 2. c. 1. de feſto Cōceptionis, ſic inquit: *Primū igitur feſtū quod fit de ea eſt feſtū eius Cōceptionis, quod feſtū, licèt generaliter ab vniuerſali Eccleſia nō recipiatur, cùm ipſa ſiquidem B. Virgo concepta in peccato ſit, ex parentum carnalium commixtione, cum carnali eorum delectatatione, & ſeminum admixtione, cum originali corruptibili conceptione; vnde nec fuit Sancta, quoniam carnaliter fuit concepta. Nec de ea ratione illius ſolemnizandum eſt, ſicut B. Bernardus oſtendit in Epiſtola, quam ſcribit contra Lugdunenſes------ conſuetudinem, quæ cum ſuis ſuffraganeis de Conceptione feſtum facit eius. Verumtamen quia eſt Conceptio eius ſpiritualis, ſcilicèt, quæ fuit facta in vtero materno, circa quadrageſimum diem, organizato eius corpore in vtero Matris, anima eius eſt infuſa, & in vtero ſanctificata, ad illā ſecretam Conceptionem debent torquere feſtum iſtum, qui de ea feſtum Conceptionis celebrant, &c.* Hæc ſunt omnia quæ habet ille Stephanus de Conceptione Virginis, ſed hic non fuit ſæcularis, ſed Ordinis Prædicatorum, nec Canoniſta, ſed Theologus, non Gloſſator Decreti, ſed quidā Concionator, ac denique nullum verbum ex allegatis à Gryſaldo reperitur in hac auctoritate: cùm ergo nullus alius Stephanus ſit in tota litteratura Eccleſiaſtica, qui ſcripſerit de Conceptione, niſi ſolùs hic: Sequitur, quòd Gryſaldus ex omni parte finxit Stephanum Canoniſtam, Decreti Gloſſatorem. Sed videamus an Theologus iſte Dominicanus, aliquid dixerit contra Myſterium Conceptionis, vel celebrationem eius feſtiuitatis? Ex hoc enim Auctore antiquo, & ex Ordine Prædicatorum, deducetur euidenter, qualis fuerit antiquorum ſcriptorum mens in hac materia.

Ex propoſitis Stephani verbis colligitur. Primo, quòd antiquitùs non celebrabatur vniuerſaliter in Eccleſia feſtum Conceptionis. Secundo, quòd tempore S. Bernardi non ſolùm Eccleſia Lugdunenſis, ſed etiam ipſius ſuffraganeæ celebrabant feſtiuitatem illam. Tertio, quòd ſecundùm Stephanum, & etiam veritatem, duplex fuit Conceptio Mariæ, vna carnalis

nalis ex parentum commixtione, cùm carnali eorum delectatione, ſenſibilis, nota, & clara, facta die 8. Decembris, de hac dicit Stephanus, & benè, quod ratione iſtius ſolemnizanda non eſt Conceptio, quia fuit carnalis, & non fuit ſancta, & ſimul dicit quod de hac loquitur Bernardus in Epiſtola ad Lugdunenſes, quod totũ eſt verum. Tertio, dicit, quòd fuit alia Conceptio Mariæ, ſcilicèt, illa quæ fuit facta in vtero materno, poſt organizationem corporis, quãdo anima eius circa quadrageſimum diem, fuit creata, & infuſa, & illam vocat ſecretam Conceptionem, quia quando illa facta fuerit, determinatè neſcitur, & hoc etiam eſt verum; quia ergo in hac vltima fuit ſanctificata, ideò per ordinem ad iſtam illa prima celebranda eſt. Illa autem per ſe nullo modo, qui fuit: *Ex parentum carnalium commixtione, cum carnali eorũ delectatione, & ſeminum admixtione, cum originali, corruptibili Conceptione, &c.* Secunda verò ſic, quia fuit ſancta, & ſpiritualis: Si quidẽ in ea fuit Maria ſanctificata: ergo quando Stephanus cum Bernardo, & omnibus antiquis dicebant, Conceptionem non eſſe celebrãdam, loquebantur de prima carnali, facta ex commixtione ſeminum; non verò de ſecunda facta in vtero poſt quadraginta dies in ipſa animatione. Nonnè vides expreſsè Lector, mentem antiquorum ex Stephano, Ordinis Prædicatorum? Aduerſarii verò iſtas Conceptiones confundunt, vt ſtatuant peccatum in Matre Ieſu ſtantis ad dexteram Patris.

SYNODA Sacra, ſeu Concilia Generalia, ſcilicèt Milleuitanum, Numidiæ, Africanum, Ephæſinum, Carthaginenſe, & Florentinum. *Anonym. via 3. part. 2. ration. 10. Bãdel. cap. 38. Deza fol. 72. Spina part. 4. cap. 1. fol. 68. Caietan. cap. 5.*

VERITAS 291.

PRÆSENTEM materiam de Synodis, ſeu Conciliis incipio ſic, attende Lector: Anonymus prædallegata ratione 10. ſic inquit: *Dicere B. Virginem fuiſſe conceptã ſine peccato originali, eſt aſſerere oppoſitũ eius, quod eſt determinatũ per Concilia Generalia.* Et Rationem iſtam incipit ſic: *Decima ratio eſt talis: Aſſerere oppoſitum eius, quod eſt determinatum per Sedẽ Apoſtolicam, vel per Concila generalia, eſt valdè impium, ſed dicere, B. Virginẽ non fuiſſe conceptam in peccato originali, eſt aſſerere oppoſitum eius, quod eſt determinatum per Sedem Apoſtolicam, &c.* Alia quàm plura huiuſmodi habet Anonymus in illa ratione, à quibus omnibus ſuperſedendum duxi, propter breuitatem: Aduerſarii ergo pro ſua opinione adducunt ſex Concilia, quo autem fundamento, ac veritate, nunc videbit Lector.

Primum Milleuitanum ſic adducit Spina in 4. part. ſui operis, cap. 1. cuius titulus eſt: *Omnes homines de facto contraxiſſe peccatum originale, præter Chriſtum, probatur per determinationem Eccleſiæ in ſacris Conciliis.* In corpore autem Capituli, ſic inquit: *Quoad quartum principale propoſitum, nunc abſolutè verum eſſe, & indubitatum in Fide, per ſacra Concilia Generalia manifeſtum eſt, quod ſupra tantum ex intentione S. Thomæ, & Auguſtini, ex rationibus eorum pro parte declarauimus: quæ intentio eorum per dicenda etiam manifeſtius apparebit: Principale autem propoſitum nunc probandum abſolutè, quod videlicet ſecundùm Fidem Catholicam firmiter ſit tenendum, quòd omnes homines ab Adam ſeminaliter propagati, contrahunt de facto originale peccatum, ita quod tenere oppoſitũ, ſit hæreticum, deducendum eſt ex ſacris Scripturis, ſecundùm declarationem S. Matris Eccleſiæ factam, & promulgatam in ſacris Conciliis Generalibus, vt amodo nulla in mentibus fidelium hæſitatio remanere poſsit, &c.* Deindè adducit ex Concilio Milleuitano, cui interfuit Auguſtinus, & quidam Anſelmus Eccleſiæ Romanæ Legatus ſub Bonifacio primo, eiuſque auctoritate celebrato, auctoritatem ſic: *Placuit, vt quicumque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remiſsionem peccatorum eos non baptizari; ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, vndè fit vt forma Baptiſmatis in remiſsionem peccatorum nõ vera, ſed falſa intelligatur, anathema ſit. Quoniam non aliter intelligendum eſt, quod ait Apoſtolus: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccauerunt; niſi quemadmodum Eccleſia Catholica, vbique diffuſa ſemper intellexit: Propter hanc enim regulam fidei, etiam paruuli, qui nihil peccatorum in ſemetipſis adhuc committere potuerunt; ideò in remiſsionem peccatorum veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod carnali generatione traxerunt. Hactenus.* Et hæc Spina de Concilio Milleuitano, de quo dicimus. Primo, quòd in Concilio Milleuitano exiſtente, tom. 1. Conciliorum part. 1. fol. 740. extant prædallegata verba, ſed non omnino fideliter fuerunt relata à Spina: nam prætermiſit verbũ *quidem*; deindè vbi Concilium, *eos baptizari*; Spina, *non baptizari*, addita negatione. Item tacuit illa verba, *quod lauacro regenerationis expietur.* Item prætermiſit illud, *vndè fit conſequens, vt in eis.* Tandem vbi Concilium, *Quod generatione traxerunt*: Spina addit, quod *carnali* generatione. Si ergo demas hæc quinque vitia, alia quoad veritatem litteræ optimè ſunt tranſcripta. Secundo dico, quod hæc Concilii ver-

verba ſunt multiplicata, quia ex hac auctoritate Concilii Milleuitani finxerunt Aduerſarii alios Auctores pro ſua ſententia, ſcilicèt, Bonifacium Summum Pontificem, vt videre eſt numer. 52. & Gratianum num. 90. Tertio, quod Spina etiam errauit ſicut Bandellus, & alii, quia Concilium Milleuitanum non fuit celebratum auctoritate Bonifacii Primi, ſed Innocentii, vt conſtat ex ipſo Cōcilio: vide quæ diximus præallegato num. 52. Quarto, quòd eſt totaliter extra rem, velle ex propoſita auctoritate Concilii, probabiliter, vel ſaltem apparenter, Virginem Mariā cōtraxiſſe originale peccatū, & ſic ridicula eſſe illa Spinæ verba: *Indubitatum in Fide*, & illud, *quod ſecundùm Fidem Catholicā firmiter ſit tenendum*, & illud, *ita quòd, tenere oppoſitum, ſit hæreticum*, quia Concilii Canon ſolùm determinat, paruulos contrahere peccatum originale ex Adamo, ſicut etiam contraxiſſet Maria, niſi gratia præuenta fuiſſet.

Secundum Concilium eſt Numidiæ, de quo Anonymus ſic: Item ex Concilio Numidiæ celebrato, cui interfuit Auguſtinus cum centum viginti quinque Epiſcopis. Hæc Epiſtola Innocentio Papæ poſt fuit ſcripta. Domino, meritò que venerabili, & in Chriſto honorando Papæ Innocentio, Siluanus, Valentinus, Aurelius, Donatus, Victor, Felix, Petrus, Reſtitutus, Seuerus, Maurentius, Leo, Licorius, Criſconus, Proceſſus, Fauſtinus, Quadratus, Antonius, Præſidius, Lucianus, Poſidius, Faſtinianus, Profuturus, Terentius, Sabinus, Poſsidonius, Honoratus, Lampidius, Auguſtinus, Malchus, Delphinus, Reſtitius, Fortunatus, Honorius, Secūdus, Seruius, Lucilus, Gigantius, Victor, Alippius, Paſentius, Ponticanus, Lucius, Aſsiaticus, Fauſtus, Greſconius, Saturninus, Adeodatus, Ruffinianus, Spantius, Nouatus, Nebridius, Innocentius, Bonifacius, & alii Patres ex Concilio Numidiæ, ſalutem in Domino: *Noua quippè hæreſis, & pernitioſa inimicorum gratiæ Chriſti nouiter inſurrexit, qui paruulos ſine originali peccato aſſerunt concipi, & etiam ſi nullius innouantur gratiæ Sacramentis, habituros vitam æternā præſumptosè affirmant euacuātes quod Apoſtolus dicit: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccauerunt. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omnes viuificabuntur. Et ſic originale peccatum traduci in paruulos negantes. Totum omninò, quod chriſtiani ſcimus, nitūtur euertere. Hæc igitur ſanctitati tuæ de Concilio Numidiæ ſcripta dixerimus, imitantes Carthaginenſis Eccleſiæ Epiſcopos, ad Sedē Apoſtolicam, quam Beatus Illuſtraris, de hac cauſa ſcripſiſſe comperimus. Vale. Hæc ille.* Hæc Anonymus ex Concilio Numidiæ.

Sed patientiā habe, Lector, quia in hoc vno quatuor vētilātur Cōcilia. Nota ergo pro plena veritatis cognitione aſſequenda. Primo, quòd poſt mortem Anaſtaſii Summi Pontificis, anno Chriſti 402. 15. Kal. Ianuarii, creatus fuit Innocentius Albanus, dictus primus, qui ſedit annis quindecim, & menſibus duobus, id eſt, vſque ad annum 417. 5. Kal. Auguſti. Poſt obitū verò Innocentii interlapſis viginti diebus, die 19. Auguſti anno Domini 417. electus fuit Zozimus ad ſacram Petri Sedem, qui ſolùm ſedit annum vnum, menſes duos, & dies vndecim. Anno verò 418. 5. Kalend. Ianuarii electus fuit Bonifacius, qui ſedit annos tres, hæc per ſe nota ſunt, & conſtant ex omnibus Regeſtis, Conciliis, Baronio, & aliis ſcribentibus vitas Summorum Pontificum. Secundo notandum, quòd tēpore Innocentii Primi fuerunt celebrata ſequentia Concilia, Milleuitanum primum Generale Kalen. Septembris anno 402. quando nondum erat exorta hæreſis Pelagii, & Cœleſtii, & ſic hoc Milleuitanū non pertinet ad noſtrum inſtitutum. Celebrauit etiam Concilium Africanum primum Generale anno 403. pro reconciliatione Donatiſtarum, & ſic nec hoc pertinet ad noſtrum inſtitutum, ſicut nec alterum dictum Africanum ſecundum, habitum anno 404. contra Donatiſtas, & idem dico de tertio, & quarto, quinto, & ſexto Conciliis Africanis, habitis anno 405. & 406. & 408. & 410. Tandèm anno 416. exorta hæreſi Pelagii, & Cœleſtii, conuocatum eſt contra eos Concilium Carthaginenſe, in eadem Africa, in quo à 37. Epiſcopis fuit damnata iſtorum hæreſis. Acta verò huius Concili penitùs exciderunt: Anno verò ſequenti conuocatum eſt Concilium Milleuitanum Secundum, contra Pelagium, & Cæleſtium, vbi à 60. Epiſcopis fuerunt iidem damnati, ſed morte præuentus Innocētius, continuatum fuit hoc Concilium Africanum, ſeu Milleuitanum ſub Zozimo ſucceſſore. Deindè ſub eodem Summo Pontifice celebratum eſt Concilium Carthaginenſe, nominatū ſextū, & decedente Zozimo, continuatum eſt ſub Bonifacio. Tertio notandum eſt, quòd in omnibus his ſuprà enumeratis Conciliis fuerūt determinati, ac ſanciti 138. Canones per 225. Epiſcopos. Tempore verò Cœleſtini Summi Pontificis, ſucceſſoris Bonifacii, in quodam Cōcilio, dicto communiter Africano, Canones iſti recollecti fuerunt in vnum, ita vt octo Canones primi fuerint editi, in Concilio Milleuitano, contra octo Pelagii diuerſas hæreſes; reliqui verò ſunt diuerſorum Africanorum Cōciliorum Canones, ſicque omnia hæc Synoda fuerunt quaſi vnum continuatum, vel plura interrupta, & imperfecta. Quod conſtat, quia Canon ille, adductus ab Aduerſariis ſuprà ex Concilio Milleuitano: *Placuit vt quicumque paruulos, &c.* Extat in præallegato Concilio Milleuita-

nitano, cap. 1. fol. 704. & hic idem ad litteram, nullo mutato verbo, extat etiam in Concilio Carthaginensi, celebrato tempore Zozimi, vt videre est fol. 757. & ad litteram etiam extat in Concilio Africano num. 110. fol. vero 786. Vnde Aduersarii videntes Canonem illum extare in tribus diuersis Conciliis Africanis reiteratum, scilicet Milleuitano, Carthaginensi, & Africano, absque vllo alio fundamento citant, & adducunt hæc tria Concilia contra Immaculatam Virginis Conceptionem, & insuper addunt etiam quartum, scilicet, Numidiæ; cùm tamen Concilium sit vnum, & Canon similiter, quia in solo vno Concilio fuit factum, & in aliis relatum, sicque in libro illo dicto: *Canones Conciliorum*, Compilato per Ioanem Sagitarium, & impres. Basileæ anno 1553. in fol. adducitur præsens Canon in Concilio Milleuitano num. 2. fol. 102. & in Cartaginensi num. 17. fol. 114. sub hoc titulo: *Canones Conciliorum diuersorum Africæ Prouinciæ.* Sicque Milleuitanum, Carthaginense, & Africanum non fuerunt diuersa Concilia. Et vt hoc expressiùs constet, nota quarto, quod in Regno Africano inter alias erant duę Prouintiæ, vna dicta Carthaginensis, alia verò Numidiæ. In hac Numidiæ fuit quædam ciuitas vocata Milleui, & quia in hac ciuitate Africæ conuocatum fuit illud Concilium, vocatum est Milleuitanum: Præses autem illius Concilii fuit quidã Aurelius Episcopus Carthaginensis, qui postea omnia Decreta facta in prædictis Conciliis Africanis recollegit in vnum, & hæc recollectio dicitur Cõcilium Africanum. Aduersarii ergo ex hoc leui fundamento, quatuor vt dixi, adducunt vt distincta, ac diuersa Concilia, contra Virginis Cõceptionem, Milleuitanum, de quo supra, Numidiæ, de quo hic, Africanum, & Carthaginense, de quibus infrà. Sed iam vlterius progrediamur, quia suprà dicta ex ipsismet verbis adductis ab Aduersariis, meliùs, & euidentius comprobabimus.

Epistola missa à Patribus illius Concilii, hanc habet inscriptionem: *Epistola Concilij Milleuitani ad Innocentiũ Papam*, Domino Beatissimo, meritòque venerabili in Christo, honorãdo Papæ Innocentio. Siluanus Senes, Valentinus, Aurelius, Donatus, Restitus, Lucianus, Alypius, Augustinus, Placentinus, Seuerus, Fortunatus, Possidius, Nonatus, Secundus, Maurentius, Leo, Fustinianus, Cresconius, Innocentius, Felix, Antoninus, Gigantius, Cresconius, Adeodatus, Processus, Secundus, Felix, Asiaticus, Rufinus, Faustinus, Victor, Antoninus, Malacus, Victorius, Fortunatus, Donatus, Pontianus, Saturninus, Cresconius, Possidonius, Lucius, Honorius, Seruius, Terẽtius, Crescõnius, Sperãtius, Quadratus, Lucius, Sabinus, itẽ Sabinus, Crescõnius, Victor, Honoratus, Petrus, Donatus, Præsidius, Crescõnius, Lampadius, Delphinus, Ex Concilio Milleuitano, in Domino salutẽ, &c. Isti sunt Episcopi qui scripserunt Innocentio Summo Pontifici, & antequam ad ipsorum verba progrediamur, examinãda sunt vitia cõtenta in hac inscriptione, & primò prætermiserunt malitiosè titulum, quia ex illo cognoscebatur Epistolam fuisse missam à Patribus Cõcilii *Milleuitani*, non Numidiæ. Secundo, tacuerunt illud, *Senex*, & sic discurrendo per singula nomina Episcoporum inueniet curiosus Lector, si conferat hìc posita ex ipso Concilio, fol. 706. part. 1. tom. 1. cum suprà adductis ab Aduersariis, quod dereliquerunt; aliqua nam ipsi adducunt quinquaginta tria, ipsa autem sunt quinquaginta nouem, non verò centum viginti quinque, vt ipsi dicunt, addentes sexaginta sex, sed nec etiam conueniunt in hac numeratione cum Sagitario suprà citato, qui pro Concilio Carthaginensi adducit ducentos septemdecim Episcopos. Deindè, nullus fuit vocatus Bonifacius, vt ipsi affimãt in vltimo Episcopo, & hoc malitiosè auctum fuit, vt includerent Bonifacium, ab ipsis adductum suprà nu. 52. Tertio, etiam prætermiserunt verba illa: *Ex Concilio Milleuitano in Domino salutem*, quia vt suprà dixi, nitebantur ostendere ab ipsis sæpè decantatum Concilium Numidiæ esse diuersum, à Milleuitano, Carthaginensi, & Africano. Et hæc de inscriptione.

Verba autem Episcoporum sic se habent: *Quia te Dominus gratiæ suæ præcipuo munere, in Sede Apostolica collocauit, talemque nostris temporibus præstitit, vt nobis potius ad culpam negligentiæ valeat si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesia sunt gerenda, tacuerimus; quã ea tu possis, vel fastidiosè, vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum membrorũ Christi, Pastoralem diligentiam (quæ sumus) adhibere digneris. Noua quippè hæresis, & nimium pernitiosa tentat assurgere inimicorum gratiæ Christi, qui nobis Dominicam etiam orationem impijs disputationibus conatur auferre. Cùm enim Dominus docuerit vt dicamus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: Isti dicunt posse hominem in hac vita, præceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem iustitiæ, sine adiutorio gratiæ Saluatoris, per solum liberum voluntatis arbitrium peruenire, vt etiam non sit necessarium dicere: Dimitte nobis debita nostra. Illud verò quod sequitur: Nè nos inferas in tentationem; non ita intelligendũ, tanquam Diuinum adiutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus, sed hoc in nostra positum esse potestate, & ad hoc implendum solam sufficere hominis voluntatem, tanquam frustra Apostolus dixerit: (Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, & fidelis Deus, qui vos non permittit tentari, super id*

quod

quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione etiam exitum, vt poſſitis ſuſtinere) fruſtra etiam Dominus dixerit Apoſtolo Petro (Rogaui pro te nè deficiat Fides tua) & omnibus ſuis (vigilate & orate, nè intretis in tentationem) Si hoc totum eſt poteſtatis humanæ, pueros quoque paruulos (ſi nullis imbuantur chriſtianæ gratiæ Sacramentis) habituros vitam æternam, ne quaquam chriſtiana præſumptione contendunt, euacuantes quod dicit Apoſtolus: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſit, in quo omnes peccauerunt & alio loco (ſicut in Adam omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omnes viuificabuntur) vt ergo alia omittamus, quæ contra Scripturas ſanctas plurima differunt, hæc interim duo (quibus omninò totum, quod chriſtiani ſumus, conantur euertere) quæ fidelia corda ſuſtineant, non eſſe rogandum Deum, vt contra peccati malum, atque ad operandam iuſtitiam ſit noſter adiutor, & non opitulari paruulis, ad conſequendam vitam æternam, &c. Et poſt ſeptem lineas: *Huius autẽ pernitioſiſſimi erroris Auctores eſſe perhibentur Pelagius, & Cœleſtius, quos quidem in Eccleſia ſanari maluimus, &c.* Et poſt 22. lineas ad finem Epiſtolæ: *Hæc ad ſanctitatem tuam de Concilio Numidiæ ſcripta direximus, imitantes Carthaginenſem Eccleſiam & Carthaginenſis Prouintiæ Coepiſcopos noſtros, quos ad Sedem Apoſtolicam (quam Beatus illuſtras) de hac cauſa ſcripſiſſe comperimus. Et alia manu: Memor noſtri, in Domini gratia augearis.* Hæc ſunt omnia quæ extant in illa Epiſtola, ex quibus deprehendimus non ſolùm vitia, ſed mendacia contra Virginis honorem, & ſacri Concilii Milleuitani.

Nam primo ex iſta integra Epiſtola vnam fabricarunt auctoritatem. Secundo, cùm hæc Epiſtola ſit quædam relatio, non verò Canon Concilii, peſsimè errarunt, proponentes Epiſtolam pro Concilii Decreto, alia enim ſunt Acta Concilii antecedentia, aliud autem Deciſio canonica ipſius Cõcilii. Tertio, ex exordio Epiſtolæ prætermiſerunt octo lineas. Quarto, vbi Epiſtola, *& nimium pernitioſa tentat aſſurgere inimicorum gratiæ Chriſti*, ipſi ſic, *& pernitioſa inimicorum gratiæ Chriſti nouiter inſurrexit.* Vbi inter alia vitiarunt illud, *tentat aſſurgere*, quod vt iam actum proponunt ipſi dicentes, *nouiter inſurrexit.* Quinto, vbi Epiſtola ſignando hæreſim, *qui nobis etiam Dominicam orationem impijs diſputationibus conatur auferre*; ipſi abſque vllo timore, *qui paruulos ſine originali peccato aſſerunt concipi.* Vide, & nota Lector, ſi execrabilior adulteratio potuit excogitari? Quid dicemus ad hæc? Quando in tota Epiſtola nec eſt illa propoſitio, nec ſaltem partes illius, originali, peccato, aſſerunt, concipi? Fratres mei, eſt ne idem: Dimitte nobis debita noſtra; ac: Maria Virgo fuit concepta in peccato originali? O ſine exemplo conſequentia. Sexto, prætermiſerunt alias viginti lineas ante illa verba: *Etiam ſi nullis innouantur.* Septimo, prætermiſerunt illud: *Si hoc totum eſt poteſtatis humanæ, pueros quoque paruulos, &c.* Quia videbant illud *ſi*, eſſe illatiuum, quaſi decerent Patres Concilii: Si hoc totum eſt poteſtatis humanæ, ò hæretici! ergo pueros quoque paruulos, &c. Pelagius autem in Epiſtola ſua ad Innocẽtium ſcripta (vt habet Auguſtinus de peccato originali, cap. 17. & in 1. tom. Conciliorum, fol. 608. col. 1. ad finem) conqueſtus eſt, ſe calumniatum hac in re fuiſſe, ſcilicèt, quod negaret paruulis Baptiſmi Sacramentum, & aliquibus ſine redemptione Chriſti regna Cœlorũ promitteret; ſed quidquid ſit de hoc, Aduerſarii peſsimè vitiarunt textum, qua autem intẽtione hoc fecerint, ipſi videant. Octauo, vbi Epiſtola, *nequaquam chriſtiana præſumptione contendunt*; ipſi, *præſumptuosè affirmant.* Nono, omnino ſe præcipitantes, ex proprio cerebro addiderunt illud: *Et ſic originale peccatum traduci in paruulos negantes*, cuius nec minimũ verbum extat in tota Epiſtola. Decimo, huic clauſulæ immediatæ adſcripſerunt verba illa: *Totum omninò, quod chriſtiani ſcimus, nituntur euertere*, nam in Epiſtola aliter ſe habent hæc verba, ſcilicèt ſic: *vt ergo alia omittamus, quæ contra Scripturas ſanctas plurima differunt hæc interim duo, quibus omninò totũ quod chriſtiani ſumus, conantur euertere.* Vide quanta eſt differentia inter vtrumque. Vndecimo, tranſierunt ad finem Epiſtolæ, prætermittentes 35. lineas, vt ſtabilirent illud, *de Concilio Numidiæ*, vt diſtincto à Concilio Milleuitano, & ex vno facerent duo diuerſa, Milleuitanum vnum, quod ſuprà adduxerant, & Numidiæ alterum, de quo nunc, quando Epiſtola hæc extat in ipſomet Concilio Milleuitano, & habet ibi pro titulo: *Epiſtola Concilij Milleuitani, ad Innocentium Papam*, & ſubſcriptio Epiſcoporum dicit ſic: *Ex Concilio Milleuitano in Domino ſalutem*, & eodem modo, ac eiſdem verbis, nulla mutata ſyllaba extat in Epiſtolis Decretalibus Summorum Pontificum, tom. 1. fol. 95. & inter Epiſtolas Auguſtini, tom. 2. Epiſtol. 92. Si ergo in ſola hac citatione Concili, Numidiæ, eſſent enumeranda ſigillatim, ac verbatim vitia omnia commiſſa ab Aduerſariis, magna, & parua, eſſentialia, & accidentalia, non errauit à veritate, qui diceret, & affirmaret eſſe centum octoginta ſex. O ingens zizaniæ faſciculus, aptiſsimus ad comburendum! circa ſenſum auctoritatis Epiſtolæ, dicimus, quòd iſte conſtat euidenter ex illis verbis: *Hæc duo: non eſſe rogandum Deum, vt contra peccati malum, atque ad operandam iuſtitiam ſit noſter adiutor. Et non opitulari paruulis ad conſequendam vitam æter-*

æternã. Isti fuerunt duo articuli exagitati in illo Cõcilio contra Pelagiũ; videte si in his cõtinea tur, Virginem Mariã fuisse conceptam in peccato originali? Nã vestra cõsequentia sic est extrahenda ex his Concilii verbis: Rogandũ est Deum contra peccati malũ, & opitulandũ parvulis ad consequendã vitam æternã: ergo Maria contraxit peccatum originale.

Tertiam auctoritatẽ ex Concilio Africano adducit sic Spina, c. 2. cuius titulus est: *Idẽ quod suprà ex redẽptione facta per Christũ, probatur per determinatinẽ sacri Concilij.* Et in corpore capituli dicit sic: Quod autẽ Sãcta Mater Ecclesia sic decreuerit, patet per eius determinationẽ Concilio Generali in Africa celebrato, de quo mentionẽ facit D. Augustinus in quadã Epistola quã scribit ad Optatum Episcopum, disputans de origine animæ, vbi inter alia sic dicit: *Te igitur, charissime frater, admoneo, ne nouam hæresim minus cautus incurras, quæ antiquissima Fidei stabilita molitur fundamenta conuellere aduersus Dei gratiã disputando, quam Dominus Iesus pusillis, & magnis ineffabili bonitate largitur, cuius Auctores, vel certè acerrimi, notissimique suasores cũ Pelagius, & Cœlestius extitisset, Cõciliorũ Episcopaliũ vigilãtia, in adiutorio Saluatoris, qui suã tuetur Ecclesiam à duobus venerabilibus Antistitibus Apostolicæ Sedis, Papa Innocentio, & Papa Zozimo, nisi correxisset pœnitentiã, toto christiano orbe dãnati sunt* Hucusque Spina, & adducit verba Zozimi, quæ infrà Auctore vltimo dabimus. In his Spinæ verbis sunt vitia sequentia. Primo, quòd ipse nũ vidit, nec Conciliũ Africanũ, neq; Augustinum sed illa transcripsit ex Bandello, & absque alio examine ipsa scripsit, vt videbimus auctoritate sequenti. Secundo, quòd Spina ex proprio cerebro finxit illud de Concilio Africano Generali, nam Bandellus solũ refert Concilium Numidiæ, & Milleuitanũ. Tertio quòd non adducit auctoritatẽ ex suo Conclio Africano, sed solùm Augustini, supponendo Augustini verba esse Concilii. Quarto, quòd non potuit ignorare Spina, in illo Cõcilio Africano solùm esse ad hanc materiã concernentia, directè, vel indirectè, verba, seu Canon ille, quem ipsemet Spina suprà adduxerat in Concilio Milleuitano. Quinto, quòd cùm Augustinus non diuiduet errorem Pelagii, & Cœlestii in particulari, sed loquatur vagè, & indeterminatè, atque isti hæretici habuerint duodecim errores capitales (vt videre est in 1. tom. Conciliorũ par. 1. col. 1.) pertinentes ad diuersos Fidei articulos, temerariè, & absque vllo fundamẽto adduxit hæc Augustini verba contra Immaculatã Virginis Cõceptionẽ; eo maximè quando inter errores Pelagii nullus est de Virgine Maria, licèt sint quatuor de peccato originali, scilicèt, quòd peccatum Adæ ipsum solùm læserit, & non genus humanũ. Alter quòd infantes nuper nati, in illo statu sunt, in quo Adã fuit ante prævaricationẽ Alter, quod post mortẽ, vel prævaricationem Adæ, non omne genus humanũ moriatur, & quòd non per Resurrectionẽ Christi omne genus humanũ resurgat. Alter denique fuit, quod infantes, etiam si non baptizentur, vitã æternã habere possunt. Isti sunt errores pertinentes ad peccatum originale. Ex quibus nullũ deducitur argumentũ contra Conceptionẽ. Sexto, prætermiserunt sequentia verba Augustini, in quibus suã mentem exprẽssè declarat; *Vnde omninò apertissimi hæretici iudicatur, animas parvulorũ nihil mali ex Adã trahere, quod sit lauacro regenerationis expiandũ. Nam Pelagij de hac re argumẽtatio, &c.* Iste erat Pelagianorum error ibi damnatus ab Augustino. Sicut enim data, admissa, ac concessa hac vniuersali regula, ac propositione: omnes parvuli contrahunt ex Adamo aliquid, quod necessario est lauacro regenerationis expiandũ, saluatur in omniũ sententia sanctificatio Ioannis, & in vestra opinione sanctificatio Mariæ, quare etiam non saluabitur in nostra præseruatio eius? Si per regenerationis lauacrũ intelligitis Baptismum, ante Baptismũ fuerunt Ioannes, & Maria sanctificati, si per lauacrũ regenerationis intelligis gratiã quare subtilitiua est lauacrũ, & non præseruatiua?

Quartum Cõcilium est Carthaginẽse, de quo, & aliis inquit Bandellus: *Quinta ratio est talis. Illa propositio, quæ contradicit determinationi Ecclesiæ, non est pia, sed impia, sed propositio quæ dicit, B. Virginẽ non contraxisse originale peccatũ, contradicit determinationi Ecclesiæ: ergo non est pia, sed impia. Consequẽtia patet cum maiori, &c. Minor verò probatur: nã in Concilio Numidiæ celebrato, auctoritate Innocentij Papæ, & in Cõcilio Milleuitano, auctoritate B. Zozimi celebrato, determinatũ fuit: Hanc esse regulã Fidei sine omni exceptione, quod omnes homines ab Adã seminaliter propagati, in peccato originali sunt cõcepti, & fuit ibi decretatũ Capitulũ Firmissimè tene, &c. Et cap. Placuit, vt habetur de consecrat. dist. 4. vbi dicitur: Placuit vt quicumq; parvulos, dicit ex Adã nihil trahere originalis peccati Anathema sit, & idem habetur in cap. Quisquis. Vnde si quis diceret, Ioannem Baptistã, vel Apostolos nõ habuisse originale peccatũ, esset hæreticus, quia cõtradiceret illis Cõcilijs, quæ neminẽ à peccato excipiũt, nisi Christũ ita & qui dicunt, B. Virginẽ non habuisse originale peccatũ, contradicunt illis Cõcilijs. Itẽ Augustinus ad Optatũ, &c.* Et adducit auctoritatẽ Augustini suprà positã, & Zozimi Summi Pontificis, de quo nos Auctore vltimo. Deinde prosequitur sic: *Similiter Eugenius IV. in Cõcilio Florẽtino determinauit, quòd omnes homines, excepto Christo, cõtraxerunt originale peccatũ, & decẽ alij Sũmi Pontifices idẽ tenuerunt, sicut suprà allegatũ fuit. Ad euidentiam huius rationis est sciẽdum, quòd quatuor modis aliquid potest dici de-*

terminatum ab Ecclesia. Primo, quia illud habetur in sacra Scriptura, quæ in omnibus suis punctis, & clausulis est tenẽda, vt habetur dist. 9. cap Ego solis, & cap. Quis nesciat. Secundo, si illud habetur ex communi doctrina Sãctorum approbatorum, præcipuè concurrentibus ad id Doctoribus posterioribus Scholasticis, pro maiori, & saniori parte. Tertio, si illud sit positum in corpore Iuris confirmantibus Glossatoribus, & concurrẽte maiori, & saniori parte Summatorum, & Postilatorum Iuris Canonici. Quarto, si illud appareat ex aliquo particulari Decreto Summi Põtificis, & præcipuè illud approbante aliquo Generali Cõcilio: Hæc autẽ propositio omnes homines, præter Christum, habuerũt aliquod peccatũ, & omnes homines ab Adã seminaliter propagati, cõtraxerunt originale peccatum, est omnibus prædictis modis determinata, vt habetur ad Rom. 3. 5. & ad Galatas 3. & 2. ad Corinth. 5. & 1. ad Timoth. 2. Est etiam secundo modo determinata, quia Doctores ab Ecclesia approbati hoc dicunt, & quidã eorum expressè asserunt, B. Virginẽ habuisse originale peccatum, & triginta Sancti hoc cõfirmant, cũ centũ quinquaginta magnis Theologis. Est etiã determinata tertio modo, quia ponitur in Decretis, de Consecr. dist. 4. cap. Firmissimè, & cap. Placuit, & cap. Quisquis, & ad hoc concurrunt viginti septem clarissimi Postillatores Iuris Canonici, qui expressè dicũt, B. Virginem habuisse originale peccatum, vt suprà allegatum est. Est etiam determinata 4. modo per Innocentium in Concilio Numidiæ celebrato, & per Zozimũ in Cõcilio Carthaginensi, & per Bonifacium in Concilio Milleuitano, & per Eugenium in Concilio Florentino, alijs etiam Sũmis Pontificibus antiquis hoc confirmantibus. Ergo propositio, quæ dicit oppositum, non est pia quia contradicit Spiritui Sancto, qui est Auctor Scripturæ. Hucusque Bandellus, & sunt etiam in Anonymo.

Discurrendo ergo per singula hìc à Bandello agglomerata, inuenio vitia sequentia. Primo, illud est contra de determinationem Ecclesiæ (post Extrauagantes Sixti IV.) quòd non est piũ, sed impium, asserere, Virginẽ Mariam tuisse cõceptã sine peccato originali: & hoc nõ fuit ignoranter dictum, sed ex destinato animo, vt se opponeret Decretis illius Summi Pontificis. Secundo, quòd absque vlla veritate distinguit Concilium Numidiæ à Concilio Milleuitano, de quo diximus latè suprà. Tertio, dato, quòd essent distincta Concilia, est falsum, quòd Milleuitanũ fuerit celebratum auctoritate B. Zozimi, vt videre est tom. 1. Conc. p. 1. fol. 718. col. 2. Quarto, alienum est ab omni veritate illud, *Determinatum fuit hanc esse regulã fidei, &c.* Quia talis de determinatio, seu verba neque in Cocilio Numidiæ, nec Milleuitano, Carthaginensi, vel Africano reperiuntur. Quinto, etiam est falsum, quòd in illis Cõciliis, vel in aliis fuerit determinatum caput illud, *Firmissime tene*, nam hæc verba non desumpsit Decretũ ab aliquo Concilio, sed à S. Augustino, vt videre est tom. 3. lib. de Fide ad Petrũ Diaconũ, qui incipit: *Quocumque igitur, &c.* cap. 26. fol. 53. col. 1. Sexto, etiam adulterauit verba, nã in Augusti no, & Decreto, cap. 3. sic extant: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnẽ hominem, qui per concubitum viri, & mulieris concipitur, cũ peccato originali nasci, &c.* quæ verba quoad literã, & quoad sensum, sunt valdè diuersa ab adductis à Bãdello. Septimo, ex illo Concilio Milleuitano desumpsit Decretũ caput illud. Placuit, quod est in ordi. 153. sed verba adducta à Bãdello sunt penitùs vitiata, vt videre est in principio huius numeri. Octauo, falsissimum est illud, *Et idem habetur in cap. Quisquis*, nam in illo capite desumpto etiam ex Concilio Milleuitano, cap. 4. & est in Decreto cap. 155. nihil agit de peccato originali, nã eius verba sunt: *Quisquis dixerit, eandem gratiam Dei per Christum Dominum nostrum, propter hoc tantum nos adiuuare ad non peccandum, quia per ipsam nobis reuelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, vt sciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, vt quod faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, Anathema sit.* Vide amore Dei quem Canonem adducit Bandellus, ad probãdum ex illo B. Mariam contraxisse originale peccatũ? Nono, etiã sunt falsa verba illa: *Quia contradiceret illis Concilijs, quæ neminẽ à peccato excipiunt, nisi Christum*, quia Concilia nũquam excipiunt Christũ, nec circa hanc Christi exceptionem in illis Milleuitano, & Numidiæ, Carthaginensi, vel Africano, nec verbum inuenies. Decimo, cùm his & aliis adulterationibus, commissis ab Aduersariis circa Synoda, seu Concilia, & quòd in ipsis nec vnum solùm reperiatur de Virgine Maria, tu Lector iudica, qua veritate, & fundamento dixerint illud: *Ita & qui dicunt B. Virginẽ non habuisse originale peccatum, contradicit illis Concilijs?* Perpende etiã, quomodo loquuntur de plurali, *illis Concilijs*, quasi nõ tantũ in vno, sed in multis fuisset determinatum, Virginem contraxisse originale peccatũ. Vndecimo, auctoritas aducta ex Cõcilio Florentino, est falsa, vt videbimus auctoritati sequẽti. Duodecimo, illud de Eugenio IV. *Et decẽ alij Summi Pontifices idem tenuerunt, sicut suprà allegatũ fuit*, etiam est à veritate alienum: nam Pontifices ab ipsis adducti, & allegati in hoc Ventilabro, non sunt decem, vel vndecim cum Eugenio, sed tredecim, scilicèt: Bonifacius Primus, Bonifacius Tertius, Clemens V. Clemens VI. Gregorius Magnus, Innocentius Sactus, Innocentius Primus, Innocentius Secundus, Innocentius Tertius, Innnocentius Quartus, Innocentius Quintus, Leo Papa, & Zozimus, & si his addas Bonifacium IX. quem

etiam

etiã adducunt, vt ſuo loco vidimus, erunt quatuordecim. Decimotertio, de quator modis determinationum multa proponunt, quæ in rei veritate ſunt abſurda, ſine fundamento, & gratis dicta, ſed cùm ſint generaliter propoſita ab illis ſuperſedendum duxi.

Ventilando ergo ſolùm particularia. Decimoquarto illud, *& quidã eorum expreſsè aſſerunt, B. Virginẽ habuiſſe originale peccatum, & triginta Sancti hoc affirmant, &c.* eſt pluſquam falſum, tum quia in hac Ventilatione Sancti, atque Beati, enumerantur ab Aduerſariis, non triginta, ſed ſexaginta Abraam Syrus, Albertus de Brixia, Alcuinus, Ambroſius, Andræas Hieroſolymitanus, Anſelmus, Antoninus, Antonius Paduanus, Anthanaſius, Auguſtinus, Baſilius, Beda. Bernardinus, Bernardus, Bonauentura, Cæſarius, Cyprianus, Cirillus, Ephræm, Erardus, Euſebius, Fulgẽtius, Gregorius Magnus, Nazianzenus, Nyſenus, Haymo. Hieronymus, Honorius, Hyræneus, Ildephonſus, Illarius, Innocẽtius, & alios tres Innocẽtios, Caſianus, Chryſoſtomus, Damaſcenus, Iſidorus, Katharina, Leo, Lucas, Maximus, Olympius, Paganus, Damianus, Tripolitanus, Proſper, Raymundus, Rabanus, Rectitius, Seuerianus, Seuerinus, Seuerus, Theodorus Epiſcopus, & Theodorus Theutonicus, Theophilus, Thomas, Tytus, Vincentius, Zozimus. Quo ergo fundamento dicitis hic eſſe ſolũ triginta, cũ in veſtris Iudicibus adducatis, & inueniãtur ſexaginta: ergo alii triginta gratis, & ſine fundamento fuerunt adducti? Tum quia ſi vultis dicere, quod ex his ſolùm triginta expreſsè aſſerunt Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali, alii verò triginta inſinuatiuè tantum, etiã hoc modo falſa eſt propoſitio, quia *expreſsè*, nec vnus ſolus id aſſerit, niſi hic ſit S. Antoninus Florentinus, nã de S. Thoma, ſuo loco clamauit veritas. Decimoquinto, quomodo poteſtis verificare illud, *cùm centũ quinquaginta magnis Theologis*. An ſunt magni Theologi Aldebrandinus, Bindus, Bombolonginus, Ganaco, Bublia, Brizius, Cliuot, Francofort, Sternigacius, Brucus, Capuanus, Galdinus, Phiſiologus. Et ſic de aliis, quorũ opera nunquã fuerunt viſa, nec ipſorum nomina ſaltem audita in Eccleſia Dei. Decimoſexto, dato quòd hi, & alii fuerint magni Theologi oſtendite, vbi expreſsè dicant, Virginẽ fuiſſe cõceptã in peccato originali? Nam in adductis auctoritatibus nihil tale inuenitur, legite ſuprapoſitas & infrà ponẽdas. Decimoſeptimo, notate illud: *In Decretis de conſecratione diſt. 4. cap. firmiſsimè, & cap. placuit, & cap. quiſquis*, in quibus nec verbũ extat de B. Virgine Maria expreſſum, vel tacitũ, vt ex ipſis tribus capitibus Decreti in hoc numero poſitis, conſtabit. Decimooctauo, etiã eſt falſum illud: *Ad hoc concurrunt viginti ſeptẽ Poſtillatores Iuris Canonici*; tum, quia in Iure non ſunt Poſtillatores, ſed Gloſſatores, tum quia ipſemet Bandellus ſic inquit: *Capitulum 19. in quo ponuntur auctoritates Doctorum 22. in iure peritiſsimorũ, qui aſſerũt B. Virginẽ, in originali peccato fuiſſe conceptã*. Si ergo in proprio Indice ſunt ſolũ 22. quomodo hic enumeratis 27. Tum quia vtrobique deuiat Bãdellus à veritate, nam neque ſunt 27. neque 22. niſi multiplicati, ſcilicèt, Ioannes Theutonicus, Bartholomæus Brixienſis, Hugo Ferrariẽſis, Laurentius antiquus, Bernardus Papienſis, Raymundus Cõpilator, Hoſtienſis. Guillielmus Duranti, Ioannes Compilator, Auctor Speculi Gloſſator Decreti, Archidiaconus, Ioannes Andræas, Ioannes Calderinus, Galbaneus, Bononienſis, Petrus de Braco, Petrus Mediolanẽſis, Guillielmus Metenſis, Ioannes Theutonicus, Bartholomæus de Piſis, Ioannes de Turrecremata, Laurẽtius Calcaneus. Iſti ſunt omnes Canoniſtæ citati, & adducti à Bandello, ex quibus Ioannes Theutonicus eſt triplicatus, Laurentius Calcaneus duplicatus, Guillielmus Duranti triplicatus, Ioannes de Turrecremata fuit etiã alibi poſitus inter Fratres Prædicatores, Bartholomæus de Piſis nõ fuit Canoniſta, alii omnes nihil dixerũt, vt ſuis locis demonſtratũ eſt, ita vt ex allegatis 27. ſolùm quatuor poſsint cũ aliquali fundamento adduci, & ex his tres ſunt Dominicani, quartus verò, qui eſt Laurentius Calcaneus, in Gloſsis Decreti citatur falsò, libellus de Laudibus Virginis, non inuenitur in rerũ natura, & ſic videtur fictus, & adulteratus vt ſuo loco diximus. Decimonono, illud Aduerſariorũ, *eſt etiam determinata quartomodo, per Innocentiũ in Concilio Numidiæ celebrato, & per Zozimũ in Cõcilio Carthaginenſi, & per Bonifacium in Concilio Milleuitano*, omnibus modis eſt à veritate alienũ, tum quia Conciliũ Carthaginenſe, Milleuitanũ, & Numidiæ fuit vnum ſolùm Concilium, vt ſuprà demonſtratum eſt; quia Milleuitanum non fuit tempore Bonifacii, vt etiã vidimus; tum quia in illis Cõciliis nihil fuit determinatũ circa hãc materiã, niſi caput, *Placuit vt quicũque, &c.* ſuprà poſitum in quo nec verbũ inuenies circa Virginis Conceptionẽ. Vigeſimo, eſt pluſquam falſum illud, *Alijs Summis Pontificibus antiquis hoc cõfirmantibus*, quia hoc vel facit relationẽ de illis Summis Põtificibus, qui præceſſerunt Bonifaciũ, Zozimũ, & Innocentium, vt indicant Aduerſariorum verba, & hoc exſe patet, quòd fuerit falsũ, quia nullũ ex antiquioribus Innocẽtio adducunt, nec adducere poſſunt: vel loquuntur de aliis poſterioribus, qui Decreta Innocentii, Zozimi, & Bonifacii cõfirmarunt, & hoc modo etiã eſt falſa ipſorũ propoſitio, quia nullus Summus Pontifex inuenitur, qui Decreta Innocentii, Zozimi, vel Bonifacii confirmauerit. Denique ſi in propoſitis verbis volunt indicare,

quòd Innocentius, Zozimus, & Bonifacius determinarunt, Virginem Mariã fuiſſe concepiã in peccato originali, & hoc idem dixiſſe, vel affirmaſſe poſtea alios Summos Pontifices, hoc etiam eſt falſum; quia nec illi tres, nec alii aliquid determinarunt circa hanc materiam, vt in ſuis locis demonſtratum eſt: ergo totũ quòd dicitur de hoc Carthaginenſi Concilio, eſt fictum, & chimericum.

Quintam auctoritatem ex Concilio Epheſino ſic adducit Spina, part. 4. capit. 5. cuius titulus eſt: *Idem quod ſuprà probatur ex determinatione Concilij Epheſini*, vbi ſic inquit: Nũc verò probatur omnes homines præter ſolũm Chriſtum aliquod incurriſſe peccatum ex determinatione quadam primi Concilii Epheſini contra Neſtorium hæreticum celebrati: Sic enim in Epiſtola præfati Concilii dicto Neſtorio directa continetur; *De noſtro ſacratiſſimo Sacerdote dicimus, quòd obtulit proprium corpus non pro ſe, ſed pro omnibus in odorem ſuauitatis. Nam qua pro ſe oblatione, vel ſacrificio indigeret, ab omni peccato liber, vt Deus exiſtens: quòd ſi omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, ſecundùm hoc quòd ſumus ad mutabilitatis exceſſum proniores effecti, & peccatis ægrotauit humana natura, ipſe verò non ita, idoneique nos gloriæ eius efficimur. Cur erit vltra iam dubium, quòd Agnus verus pro nobis ſit immolatus. Qui dicit autem, quia ſemetipſum tàm pro ſe, quàm pro nobis obtulerit, nullatenus impietatis crimen effugiet, cùm nihil ipſe deliquit, nec vllum fecerit omninò peccatum. Qua ergo eguerat oblatione, nullo ſuo exiſtente facinore? Pro quo geſto ſatis admodum conuenienter offerret.* Et infrà: *Qui dicit eũ, ſcilicèt Chriſtum, & pro ſe obtuliſſe ſemetipſum oblationem, non potiùs pro nobis ſolis, non enim pro ſe eguit oblatione, qui peccatum omninò neſciuit. Anathema ſit. Hæc præfatum Concilium.* Hæc ſunt, quæ refert Spina ex Concilio Epheſino. Verba autem prædicti Concilii, vt extant in Epiſtola Cyrilli Epiſcopi Alexandrini ad Neſtorium, quæ incipit: *Cùm Saluator noſter diſerte pronuntiet, &c.* Tom. 1. Concil. par. 2. fol. 151. nu. 9. ſic inquit: *Rurſum licèt Apoſtolus, noſtræque confeſsionis Pontifex appelletur, tanquã qui Fidei confeſsionẽ, quam ipſi, & per ipſum Deo Patri, & Sancto quoque Spiritui litamus, Deo Patri offerat, hoc tamen non obſtat quominus ipſum naturalẽ, & vnigenitũ Dei Patris Filium eſſe prædicemus. Neque enim Sacerdotii nomen, aut rẽ homini ab ipſo diuerſo adſcribimus: quando quidẽm vnus hic, dũ Deo & Patri, in odorẽ ſuauitatis ſeipſum offert Dei, & hominũ mediator, & pacificator effectus eſt. Atque huc tendit, dũ ait: Hoſtiam, & oblationẽ noluiſti corpus autem aptaſti mihi, holocauſtomata, & pro peccato, non tibi placuerunt, tum dixi: Ecce venio, in capite libri ſcriptũ eſt de me, vt faciam voluntatẽ tuam Deus. Noſtri enim, non ſui cauſa, corpus propriũ in odorem ſuauitatis obtulit. Qua enim illi oblatione, aut ſacrificio pro ſe ipſo indigeret, qui omni peccato, vt Deus ſuperior exiſtebat? Si enim omnes peccauerũt, & egẽt gloria Dei, prout omnes ad lapſum propenſi ſumus, peccatique morbis naturã ſubiectã circumferimus ipſe verò nequaquã (quare gloriã quoque illius non aſſequimur) cui dubiũ eſſe poteſt, quin propter nos, & pro nobis verus ille Agnus immolatus ſit? Quãobrem ſi quis dixerit non pro nobis ſolũ ſe ipſum obſtul ſſe, ſed ſimul etiam pro ſe ipſo, ille impietatis crime vitare nulla ratione poteſt. Cõſtat enim nihil vnquã deliquiſſe, nec vllũ vnquã peccatum deſignaſſe. Qua igitur indigebat oblatione, cùm peccatũ, cuius cauſa iure meritò offertur, nullũ admiſſiſſet?* Infrà verò Cano. 10. ſic dicitur: *Chriſtũ Ieſum noſtræ confeſsionis Pontificem & Apoſtolũ extitiſſe, eundemq; ſemetipſum pro nobis in odorẽ ſuauitatis Deo, & Patri obtuliſſe diuina Scriptura cõmemorat. Si quis ergo dixerit, Pontificẽ, & Apoſtolũ noſtrum, non ipſum Dei Verbum, poſtea quàm caro, & homo nobis ſimilis factũ eſt, ſed hominem illum, qui ex muliere natus eſt, quaſi alterũ quempiam ab ipſo diuerſum: aut ſi quis Chriſtum pro ſe ipſo quoque, & non potiùs pro nobis ſolis, ſacrificiũ obtuliſſe affirmauerit (neque enim is oblatione opus habebat, qui nullũ peccatum cõmiſerat) Anathema ſit.* Hæc ſunt verba Concilii Epheſini, quæ collata cùm adductis à Spina, ſic inueniuntur fuiſſe adulterata.

Nam primò finxit primam clauſulã illam: *De noſtro ſacratiſsimo Sacerdote dicimus*, quia nõ extat in Concilio. Secundo, vbi Concilium: *Noſtri enim, non ſui cauſa, corpus propriũ in odorem ſuauitatis obtulit.* Spina ſic: *Quòd obtulit propriũ corpus nõ pro ſe, ſed pro omnibus in odorem ſuauitatis*, omnia alterando, præcipuè in illa peſsima additione, *pro omnibus*, vt ſic intro duceret ſuam vniuerſalẽ incluſiuã. Tertio, vbi Concilium, *qua enim illi oblatione, aut ſacrificio pro ſe ipſo indigeret qui omni peccato, vt Deus ſuperior exiſtebat?* Spina ſic: *Na qua pro ſe oblatione, vel ſacrificio indigeret ab omni peccato liber, vt Deus exiſtens.* Vbi aliqua ſunt mutata, vt conferenti patebit. Quarto, vbi Concilium: *Si enim omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, prout omnes poſt lapſum propenſi ſumus peccatique morbis naturam ſubiectam circumferimus: ipſe verò nequaquam*, Spina ſic: *Quod ſi omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, ſecundùm hoc, quod ſumus ad mutabilitatis exceſſum proniores effecti, & peccatis ægrotauit natura humana, ipſe verò non ita*, in quibus plura mutauit, præcipuè illud, *ad lapſum*, & illud prætermittendo, *peccatique morbis naturam ſubiectam circumferimus*, & loco illius dicendo,

do; *& peccatis ægrotauit natura humana*, item aliud eſt, *non ita*, quam, *nequaquam*. Quinto, ſequens clauſula habet quinque vitia. Sexto, clauſula illa: *Quamobrem ſi quis dixerit*, &c. vſque, *nullum admiſiſſet*, habet nouem, quorum præcipuum eſt, *nec vllum fecerit omninò peccatum*. Septimo, clauſula illa vltima, *qui dicit*, &c. vſque ad finem, in multis variata eſt à textus veritate, præcipuè in mutatione illius vocis, *commiſerit*, & in ly, *neſciuit*, aliud enim eſt peccatum neſcire, aliud cõmittere. Octauo neſcio ex quibus verbis propoſitæ auctoritatis poſsit deduci concluſio: ergo Maria contraxit originale, niſi ex illis vniuerſalibus, *omnes* peccauerunt, prout *omnes* ad lapſum propenſi ſumus: & pro nobis *ſolis* ſacrificium obtulit: ſed iſta ſunt vniuerſalia; vbi ergo ſunt illa ſingulariter, expreſsè, nominatim, & in individuo dicta de B. Virgine Maria in ſua Conceptione? Recurrendum erit ergo vobis ad illud: De ſingularibus non datur ſcientia.

Sextam auctoritatem adducunt Aduerſarii ex Concilio Florentino; Anonymus, atque Bandellus, vt illam dedimus ſuprà in Eugenio IV. num. 74. quia vnus ab alio illam verbatim tranſcripſit, & ab vno iſtorum, ſiuè ab vtroque Albertus Caſtellanus in ſuo ſermone, à quibus ſolùm differt in titulo, quia inquit: *Ex Concilio Florentino ſub Eugenio Papa Quarto anno Domini* 1412. *celebrato*, &c. In quo fuit deceptus; nam Concilium Florentinum fuit celebratum anno 1439. ex quibus verbis euidenter colligitur, quod Sermo ille fuit elaboratus ab aliquo contemporaneo Bandelli, id eſt, ab anno 1439. vſque 1500. igitur Spina cap. 7. poſt iſtos ſic inquit: Præterea in Concilio Florentino ſub Eugenio IV. inter alia dogmata Fidei, quæ à principio ſancta Mater Eccleſia, pro fundamentis, & generalibus eiuſdem Fidei ſanctæ regulis hoc annumeratum eſſe, quod modo defendimus, & per Concilia ſacra probamus, his verbis affertur: *Firmiſsimè credit profitetur, & docet Sacroſancta Romana Eccleſia, neminem vnquam ex vtero, fœminaque cõceptum, à diaboli dominatu fuiſſe liberum, niſi per Fidem Mediatoris Ieſu Chriſti Domini noſtri, qui ſine peccato conceptus, natus, & mortuus, humani generis peccata delendo, ſolus ſua morte proſtrauit, & regni Cœleſtis introitum, quod primus homo peccato proprio, cum omni ſua ſucceſsione perdiderat, reſerauit. Hæc ibi* Caietanus capit. 5. loquendo de Concilio Baſilienſi, ſic inquit: *Tum quoniam dicto Conciliabulo è regione opponitur, verum, ac venerãdum Concilium ex Ferraria in Florentiam trãſlatum, Græcorum, & Latinorum, ſub prædicto Eugenio IV. vbi inter dogmata Fidei traduntur hæc verba: Firmiter credit, & profitetur*, &c. Et proſequitur auctoritatem vſque ad finem, neque in littera diſcrepando in ea à ſuis prædeceſſoribus Anonymo, Bandello, &c. Arpalegus his noſtris temporibus ſcribens, tranſcripſit eandem auctoritatem a Caietano, ſed illam vitiauit prætermittendo verba illa: *Humani generis peccata delendo, ſolus ſua morte proſtrauit*. Tranſeat tamen hoc, quia fortè non fuit malitia. En habemus, o Lector! omnia quæ adducunt Aduerſarii ex illo vero, ac venerando Concilio Florentino, ſed ortus eſt Sol, vertatis vt omnibus reddat lucem ante occaſum.

Primum, falſum eſt, & contra omnem veritatem, quod tale Decretum pro Iacobitis fuerit editum, aut canonicè promulgatum in Cõcilio Florentino, & conſtat, quia in illo non interfuerunt Iacobitæ, vt ex ipſis actis conſtat, & etiam quia in ipſo Concilio extant Decreta, concordiæ, & vnionis Græcorum, atque Armenorum cum Eccleſia Romana, vt latè dixi ſuprà num. 74. ſed non extat vllum Decretum pro Iacobitis. Secundo, hoc Decretum fuit introductum ab Aduerſariis, & adſcriptum Conciliio Florentino, vt haberent, *verum, ac venerandum Concilium*, quod è regione opponerent Conciliabulo Baſilienſi, vt veritate cõpulſus expreſsè inſinuauit Caietanus: omnis enim Bandelli conatus fuit pro ſua opinione opponere ſicut officiũ officio, reuelationem reuelationibus, & miracula miraculis, ita hic Concilium Concilio. Tertio, nullus Aduerſariorum vidit hoc Decretum, *verum, ac venerandum* Concilii Florentini, niſi vnicus Bãdellus, ſeu Anonymus, nam Arpalegus tranſcripſit illud à Caietano, ab hoc autem Spina, & Caſtellanus à primo, vel ſecundo opere Bandelli, & hoc conſtat, quia omnes iſti adducunt auctoritatem, vt extat in Anonymo Bandelliano nullo mutato verbo, cùm originale, *verum, ac venerandum* ſit aliter, vt ſtatim videbimus: & hoc ipſum fecerunt in aliis auctoritatibus, in hoc libro adductis, in quibus primus homo peccauit actualiter ipſas vitiando; omnes alii in ipſo tantùm originaliter, quatenùs ad indagandam veritatem nullum originale conſuluerunt. Quarto, hoc Decretum de Iacobitarum vnione, ac concordia cùm Romana Eccleſia, quod, vt dixi, non eſt in Concilio Florentino, poſt duo integra ſæcula apparuit in Bullario Romano Laertii Cherubini, tomo 1. Conſtitut. 23. Eugenii Quarti, & incipit: *Cantate Domino, quia magnificè fecit*, &c. Cuius data eſt: in Conuentu Ordinis Prædicatorum S. Mariæ Nouellæ anno Incarnationis Domini 1441. pridiè nonas Februarii, Pontificatus Eugenii anno 11. quæ omnia nullum, *verum, ac venerandum habet fundamentum*. Tum quia in Conuentu S. Mariæ Nouellæ nulla Seſsio illius Cõcilii fuit facta

ſed omnes in Eccleſia Maiori, tum quia Concilium fuit finitum anno 1439. pridie Nonas Iulii, vt conſtat ex ipſo Concilio, præcipue fol. 723. & idem notat Simon Staruoicius in Epitome Conciliorum fol. 352. dicens: *Ferrariæ 16. facta ſunt Sectiones, Florentiæ nouem finita, & abſoluta anno 1439. pridiè nonas Iulij, &c* quomodo ergo hoc pro Iacobitis potuit eſſe expeditum à Concilio anno 1441. poſt annum cum dimidio à ſui ſolutione? Tum quia annus ille 1441. pridiè nonas Februarii non erat vndecimus Eugenii, ſed decimus, nam fuit creatus 5. idus Martii anni 1431. & ſic deerat menſis integer, vt enumerare poſſet annum vndecimũ, & ſic totũ illud de Concilio Florentino, fuit fictũ. Quinto, dico quòd Decretũ illud fuit aliqua formula diſpoſita pro Iacobitis, ſed cum illi nõ adeſſent, relicta fuit quaſi quoddam fragmentum, quod peruenies ad manus Laertii Cherubini, illud cum aliis Eugenii Conſtitutionibus typis mandauit. Sexto, auctoritas extat in prædicto decreto, vt illam dedimus ſuprà nu. 74. in Eugenio IV. & habet ſex vitia ibi ſignata: eſt ergo Decretum illud, *verum ac venerandũ* & auctoritas ab illo adducta quantum ad Concilium Florentinum attinet non *verum*, & quantũ ad Eugenium Papam multiplicatum, ſed *venerandum*, atque examinandum quantum ad ſuum ſenſum.

Bandellus, vt ſuprà vidimus, ſic inquit: *Similiter Eugenius IV in Concilio Florentino determinauit, quòd omnes homines, excepto Chriſto, contraxerunt originale peccatum, & decem alij Summi Pontifices idem tenuerunt, &c.* Vide, Lector, amore Dei, an iſtam determinationem vel ſaltem vnicum illius formale verbum extet in determinatione Eugenii, cuius verba ſecundùm originale, *verum, ac venerandum* Bullarii (nam non extat in eius Regeſto Vaticano, quod anno 1652. foliatim reuoluimus) ſic ſe habent: *Firmiter credit, profitetur, & docet, neminem vnquam ex viro, fœminaque conceptum, á diaboli dominatione fuiſſe liberatum, niſi per meritum Mediatoris Dei, & hominum Ieſu Chriſti, Domini noſtri qui ſine peccato conceptus, natus, & mortuus, humani generis hoſtem peccata noſtra delendo, ſolus ſua morte proſtrauit, & regni Cœleſtis introitum, quem primus homo peccato proprio cum omni ſucceſsione perdiderat, reſerauit, &c.* Vbi eſt, ò Patres mei! illa determinatio, *omnes homines, excepto Chriſto, contraxerunt originale peccatum*? Sed cùm non ſit in hoc Canone, aut Decreto determinatio propoſita ab Aduerſariis, quia nec loquitur de Maria, vel eius Conceptione, imò nec de Chriſti Conceptione, aut peccato originali aliorum hominũ: ſcrutemur logicè, an ſua illatio ſaltem exaliqua rationabili conſequentia poſsit deduci. Prima determinatio eſt hæc. Nemo liberatur à diaboli dominatione, niſi per meritũ Mediatoris: *Ergo omnes homines, excepto Chriſto, contraxerit originale peccatum*: eſt ne hæc cõſequentia apta? Secunda, Chriſtus ſine peccato eſt conceptus, natus, & mortuus: ergo omnes homines, excepto Chriſto, contraxerunt originale peccatum? ſi hæc eſt legitima: igitur & iſta: ergo omnes homines, excepto Chriſto, nati, & mortui ſunt cum peccato? Tertia, hoſtem humani generis ſolus Chriſtus ſua morte proſtrauit: ergo omnes homines, excepto Chriſto, contraxerũt originale peccatum? Quarta, eſt hæc: Primus homo peccato proprio regni cœleſtis introitum, cùm omni ſua ſucceſsione perdiderat: ergo omnes homines, excepto Chriſto, contraxerunt originale peccatum. Hìc habet quandã apparentiam propter illud, *cum omni ſua ſucceſsione*, ſed notare debes illud, *primus homo peccato proprio*: ergo data hypoteſi, quòd in tota ſucceſsione Adami nullum eſſet, peccatum originale, ex ſolo illo proprio peccato primi hominis clauſus fuit regni cœleſtis introitus non tantũ pro ſe, ſed pro tota ſua ſucceſsione, nam qui claudit oſtiũ non ſolùm pro ſe claudit ſed etiam pro omnibus aliis ingredi volẽtibus, ſiuè ſint illius domus, ſiuè alterius; amici, vel inimici. Determinatio igitur Eugenii fuit, quòd primus homo peccato proprio perdidit introitum regni cœleſtis, pro ſe, & ſua ſucceſsione ex hac antecedenti determinatione, catholica conſequentia legitima, non eſt illa Bandelli: *ergo omnes homines, excepto Chriſto, contraxerunt originale peccatum.* Sed iſta ergo quamuis nullum aliud eſſet peccatũ, niſi illud primũ, & proprium Adami, neque ipſe, neque aliquis alius ex eius ſtirpe, ac ſucceſsione ingrederetur regnum Cælorum, vſque per mortem Mediatoris eſſet oſtium reſeratum, &c. Et ſic manẽt ſoluta illa duo communiſsima Aduerſariorum argumenta, primum. Si Maria mortua eſſet ante paſsionem Chriſti D. non ingrederetur regnum cœlorum: ergo contraxit originale: negando ſuppoſitum, quia originale propagatũ poſteà in generatione Adami non clauſit regnum cœlorum, ſed illud proprium patratum in paradiſo, quod in Adamo fuit mortale. Secũdum eſt illud. Maria mortua eſt: ergo contraxit originale: negatur conſequentia. Quia mors ingreſſa eſt per illud primum, ac proprium peccatũ Adæ, Chriſtus verò reſcrauit aditum regni cœleſtis per paſsionem, & mortem ſuã, & ſic oportuit Chriſtũ pati, & ſic intrare in gloriã ſuã, licèt nullũ eſſet peccatum in ſucceſsione Adami quia ſuppoſito illo ſuo proprio, omnes teneremur mori: non ergo eſt legitima conſequentia illa: moritur: ergo habuit peccatum originale, ſed hæc: moritur ergo quamuis non ipſe parentes eius peccarunt.

Con-

Concludimus ergo, quòd Aduerſarii, vt habeant quid è regione opponant Conciliabulo Baſilienſi, debent quærere aliud Concilium Florentinum, quia in nunc exiſtente, non extat illud *verum, ac venerandum* Decretum, à tot tantiſque viris ſine veritate adductum. Item ex his colligere poteſt Lector, quo fundamento Bandellus, & eius Continuator part. 2. ratione 10. dicant, Virginem Mariam non fuiſſe præſeruatam à peccato originali: *Et quòd Papa non poteſt aliquid determinare contra diuinam Scripturam, vel contra determinata per vniuerſalia Concilia, vel per Sanctos Patres, quorum doctrina eſt per Eccleſiam approbata, vel per Summos Pontifices, in his quæ ſunt Fidei, vel pertinent ad ius diuinum, &c.* In quibus inſinuare videtur, Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali, eſſe determinatum iam in ſacra Scriptura, & Conciliis, atque Sanctis Patribus, ac Summis Pontificibus, imò hoc eſſe non ſolùm de Fide, ſed inſuper pertinere ad ius diuinum. Hæc ſunt quæ habent Aduerſarii, ſeu adducunt ex Synodis ſacris pro ſua opinione, quæ autem ſunt pro noſtra ſententia, ex Conciliis Aquileienſi, Auinionenſi, Baſilienſi, Cæſarauguſtano, Cantuarienſi, Conſtantinopolitano, Epheſino, Francofordienſi, Lateranenſi, Niceno, Oxonienſi, Polonienſi, S. Seuerinę, ſeptima Synodo, ex tertio Generali, Toletano, & Tridentino, in noſtra Militia videat Lector, vbi fortè nullum inueniet vitium, neque minimam adulterationem, ſeu deuiationem à veritate.

THEODORVS Epiſcopus, Beatus, ſuper Ioannem. *Ita Bandell. cap. 14. Deza fol. 22. & Paul. Gryſald.*

VERITAS 292.

MVLTI Sacri Scriptores antiqui reperiuntur, qui Theodori nomine fuerũt inſigniti, ac Epiſcopali dignitate decorati, quos videre poteris apud Geſnerum, Poſſeuinum, ac Myræum, ſed de nullo dicitur, quòd ſcripſerit ſuper Ioannem, niſi de Theodoro Heracliæ Tratiarum Epiſcopo, dicto Perinthio, qui vixit ad annum 340. vt referunt Nicephorus libro 9. ſuæ Hiſtoriæ, Hieronymus, Trithemius, & alii, ſed iſtius Theodori opera temporis iniuria perierunt. Cũ ergo penitùs interierint, ita vt nullus Scriptor Eccleſiaſticus illa aliquando viderit, gratias agamus vnico Bandello, qui, vt macularet Virginem, ipſa quæſiuit, & inuenit. Sed nota Lector, vbi, & quomodo, quia ridicula ſunt, quæ de hoc Auctore adducuntur, & Veritatis Sol patefaciet: ſed priùs audi auctoritatem, vt adducitur à Bandello dicente ſic: Idem tenet Beatus Theodorus Epiſcopus, Doctor illuſtris ſuper Ioannem: *Adam*, inquit, *cum omni eius ſucceſsione iuſtè mortuus eſt, quia peccauit: Dominus autem iniuſtè mortuus eſt, quia peccatum non habuit; ſed quia iniuſtè mortem ſuſtinuit, Adam cum omni eius ſucceſsione à peccato liberauit. Hactenus.* Floruit ſub Conſtantino anno Domini 347. Hucuſque Bandellus. Ex cuius vltimis verbis conſtat, Bandellum in hoc Theodoro locutum fuiſſe de Theodoro Hæracliota, vel per ordinem ad illum, quia Hæracliota vixit ad ann. 440. & ſcripſit ſuper Euangelium Ioannis.

Nota ergo, ò Lector! quanta machinatus eſt Bandellus in hoc Auctore, & auctoritate. Primo, ipſe non vidit Theodorum Epiſcopũ, Beatum à ſe citatum, quia Hæracliotæ opera interierunt, vt ſuprà diximus. Secundo, nec illam auctoritatem tranſcripſit ex aliquo alio Theodoro Epiſcopo, vel non Epiſcopo, Beato, vel non Beato, Scriptore ſuper Ioannem, vel non Expoſitore, ſed totum hoc finxit ad libitum. Tertio, propoſitam auctoritatem extraxit Bandellus ex Catena Aurea Sancti Thomæ Aquinatis. Angelicus enim Doctor ſuper caput 3. Ioannis, ad illa verba: *Et ſicut Moyſes exaltauit, &c.* colum. mihi 1286. adducit inter alios quemdam Doctorem ſic: *THEO. Videas ergo figuram ad veritatem, vbi enim ſerpentis ſimilitudo ſpeciem quidèm beſtiæ habet, venenũ autem non habet: ſic & Chriſtus à peccato liber, in ſimilitudinem carnis peccati venit. Exaltari autem audiens, ſuſpenſionem intelligas in altũ, vt ſanctificaret aerem, qui ſanctificauerat terrã, ambulando in ea; intelligas etiam per exaltationem gloriam. Nam illa Crucis altitudo, gloria Chriſti facta eſt: in quo enim iudicari voluit, in hoc huius mundi principem iudicauit. Adam enim iuſtè mortuus eſt, quia peccauit, Dominus verò iniuſtè, quia peccatum non fecit. Poſtquàm ergo iniuſtè mortem ſuſtinuit, ſuperauit illum, qui eum tradidit morti, & ſic liberauit Adam á morte. Sed in hoc inuitum ſe inuenit. Non enim potuit in Cruce Dominum contriſtare, vt crucifigentes odiret, ſed magis diligebat, & pro eis orabat: ſic igitur Crux Chriſti, eius exaltatio, & gloria facta eſt.* Hucuſque Sanctus Thomas in ſua Catena Aurea, ex illo Auctore THEO. quòd autem ex hoc loco ſuper Ioannem, & ex hac auctoritate finxerit Bandellus ſuprà poſitã, eſt euidens, vt ex ipſa auctoritate, ac verbis conſtat. Quarto, quomodo potuit ignorare Bandellus, quòd in illa abbreuiatura THEO. volebat exprimere Angelicus Doctor, Theophilactum, non Theodorum, quando in tota Catena ſemper, vbique, & paſsim ſub his quatuor litteris THEO. citat S. Thomas Theophilactum?

ctum? Item, quia hæc auctoritas eſt in Theophilacto, vt ſtatim dicam, tandèm, quia in margine Catenæ Aureæ nouiſsimè impreſsionis exprimitur nomen Theophilacti · ergo hæc non potuit eſſe ignorantia, ſed ſumma præcipitatio. Quinto, ex hoc eodem loco Catenæ Aureæ, & ex hac eadem auctoritate, nec non ex hac eadem abbreuiatura THEO. Bandellus, qui fabricauerat Auctorem Theodorum Epiſcopum, Beatum, finxit etiam alterum Doctorem, ſcilicèt Theophilum Alexandrinum, Sanctum, vt videbimus infrà num. 294. vt ergo Bandellus per fas, vel nefas multiplicarèt Auctores contra immaculatam Virginem Dei Matrem Mariam, & teſtes contra ſuam Conceptionem ex vno THEO. id eſt, Theophilacto ſchiſmatico, & apoſtata, Epiſcopo Bulgariæ abſque vllo timore fabricauit duos Sanctos Epiſcopos, Theodorum, & Theophilum, & ſic poterat fingere alios viginti, Theodoretum, Theophanem, Theophraſtum, Theodoricum, Theodulphum, & alios, de quibus fit frequens mentio in litteratura Eccleſiaſtica. Et hæc ſufficiant de ſuo ficto Auctore.

Sed progrediendo vlterius, videamus, an ſaltem obſeruauerit legalitatem in tranſcribenda auctoritate, vel à ſua Catena Aurea S. Thomæ, vel ab ipſomet Theophilacto. In verbis Catenæ multa vitiauit Bandellus: nam Primò, prætermiſit totum exordium. Secundo, vbi Catena, *Adam enim iuſtè mortuus eſt, quia peccauit*; Bandellus addidit, *cum omni eius ſucceſsione, &c.* vt quod auctoritas dicit de perſona Adami, ipſe transferret ad omnem poſteritatem. Tertio, vbi Catena, *quia peccatum non fecit*, Bandellus ſic: *Quia peccatum non habuit*, quod verbũ ſemper adulterauit, vt de peccatis actualibus factis transferret auctoritates ad peccata originalia habita. Quarto, vbi Catena, *poſtquã ergo iniuſtè mortem ſuſtinuit, ſuperauit illum, qui eum tradidit morti, & ſic liberauit Adam à morte*, Bandellus ſuperaddidit iterum illa verba, *cum omni ſua ſucceſsione*, vt ſic in hac vniuerſali comprehenderetur Virgo Maria: hæc, & alia minoris momenti vitiauit Bandellus in Catena illa ſui Angelici Doctoris. At ſi auctoritatem Bandelli conferas cum originali Theophilacti, maiora inuenies vitia. Sic enim inquit Theophilactus ad propoſitum locum Ioann. 3. fol. 291. *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, &c.* ſic dicit: *Vide autem, oro, figuram, & confer cum veritate. Illic ſerpentis ſimilitudo, formam quidèm habet beſtiæ, venenum autẽ non habet. Ita & hoc loco homo Dominus, ſed á peccati veneno liber, in ſimilitudine carnis peccati venit, hoc eſt, in ſimilitudine carnis peccato obnoxiæ, quæ minimè caro peccati eſſet.* Et poſt tres integras lineas: *Exaltatum autem audiens, intellige quidèm, & ſuſpenſum eſſe, &c.* Et poſt alias tres lineas proſequitur ſic: *Iam vera gloria Chriſti Crux fuit. Per hoc enim quod iniuſtus eſt condemnari, condemnauit huius mundi Principem, vt clarius dicam: Adam iuſtè mortuus eſt, peccarat enim: Dominus iniuſtè mortuus eſt, non enim peccarat. Igitur vſque ad crucifixionẽ Domini, iuſtè præualuit hominibus mors. Quia autem abſque peccato inuentus eſt Chriſtus, quid igitur in illo iuris habebat diabolus, vt occideret ipſum? Atque ita quia iniuſtè mortuus eſt, vicit eum à quo occiſus eſt, & ſic liberauit Adamũ à morte, quæ illi iuſtè inferebatur, vtpotè ei, qui peccarat.* Hæc ſunt Theophilacti verba, vt extant in omnibus originalibus, Baſilienſi 1554. Romæ 1542. & Pariſiis 1554. & 1570. & aliis. Ex quibus euidenter conſtat, quomodo Aduerſarii finxerunt Auctorem, & adulterarunt auctoritatem, prophanantes nomen Sanctitatis in Theodoro, & Theophilo, imo Catenã Auream Sancti Thomæ, cuius auctoritatem vitiarunt in omnibus, vt viſum eſt. Si autem ipſorũ auctoritas conferatur cũ hac Theophilacti, ita apparet adulterata, quod ferè nec tria verba inuenies fideliter, ac legaliter tranſcripta: ac denique, vt fugerent ab vno Auctore ſchiſmatico, finxerunt, & fecerunt ex illo duos Sanctos antiquos, quos nec viderunt, nec videre poterant.

THEODORVS Teutonicus, Sanctus, in libro, quem Metricè compoſuit de Hiſtoriis veteris, ac noui Teſtamenti. *Bandellus cap. 16. Deza fol. 24. à tergo. & Paul. Gryſald.*

VERITAS 293.

DE Hoc antiquo Auctore ſic adducit auctoritatem Vincentius Bandellus: Idẽ tenet S. Theodorus Teutonicus, qui floruit ann. D. 1103. in libro quem metricè cõpoſuit, de Hiſtoriis veteris, ac noui Teſtamenti, ſic dicens loquens de Chriſto: *Viſitat infirmos homines, homo iuſtus iniquos, Par habitu nobis humanæ conditionis Diſpar iuſtitia, qui ſolus erat ſine culpa. Hæc ille.* Et hæc Bandellus. Quis autem fuerit iſte Theodorus Teutonicus, Sanctus, quẽ etitiã Grylandus affirmat vixiſſe ad ann. 1103. Ego inuenire non potui in tota Nomenclatura Eccleſiaſtica, adhibita omni diligentia, quia nullus Scriptor, de tali Theodoro Teutonico, Poeta, Sancto, vel non Sancto mentionem facit; conſului aliquos viros doctos, ſed nec ipſi de tali Auctore notitiam habebant; vndè exiſtimo eſſe fictum. Reuolui omnia antiqua monumenta Patrum, & ſolùm inueni, quod Aldus Manutius Romanus, typis mandauit carmina Sancti Gregorii

Epiſ-

Epiſcopi Nazianzeni, ad benè, beateque viuẽdum, Venetiis græco-latina anno 1504. in 4. vbi habentur aliquæ Hiſtoriæ metricæ, de veteri, ac nouo Teſtamento, atque miraculis Chriſti Domini. Idem fuit quiquã Anonymus Poeta antiquus, qui fecit Enchiridionem veteris, ac noui Teſtamenti, cuius opera extant in Bibliotheca VV. PP. ſecundæ impreſsionis tom. 8. à col. 587. extat etiam ibidem quidam Turcius Rufus Aſterius, qui edidit collationem veteris, ac noui Teſtamenti, ſed in his nullo modo extant præallegata carmina, nec ipſorum vmbra.

Quare propter hæc, & alia, quæ breuitatis cauſa omitto, verè, & realiter exiſtimo, Auctorem iſtum quoad nomen eſſe penitùs fictum, quoad rem verò eſſe multiplicatũ, eſſeque Cœlium Sedulium, non Theutonicum, vt dicunt Aduerſarii, ſed Scotum Hybernenſem, qui cõpoſuit librum metricè, in quo libro primo agit de Hiſtoriis veteris, ac noui Teſtamenti, in ſequentibus verò, de Miraculis Chriſti, vt videre eſt in Bibliotheca VV. PP. antiquæ impreſsionis tom. 8. colum. 535. & in noua Colonienſi, tom. 5. part. 1. à fol. 403. & lib. 3. loquens de Chriſto habet carmina ſequentia, & ſimilia illis allegatis ab Aduerſariis, nam loquens de miraculis patratis à Chriſto inquit:

Quem notat non eſſe Dei, paſsimque caterua,
Vt prius innumeras, pulſo languore ſaluti
Reddidit, & varia populos à clade leuauit.

Si ex his tribus verſibus Sedulii, ſuos tres fabricabit Bandellus: quid obſecro falaciùs excogitari potuit? Et quòd ita factum fuerit, conſtat ex verbis adductis ſuprà num. 280. nam ibi dicunt Sedulium affirmaſſe: *Solum Chriſtum fuiſſe ſine peccato*, quam etiam ſententiam hic repetunt, dicentes: *Qui ſolus erat ſine culpa.* Si ergo iſte Theodorus Theutonicus eſt Sedulius Hybernus, Auctoris nomen fictum eſt, ſanctitas addita ſine vllo fundamento, & auctoritas à primo vſque ad vltimum verbum ſuppoſita, & falſa, ac denique Auctor, multiplicatus. Si verò eſt alius diſtinctus à Sedulio, ipſum oſtendant, & ceſſabit quaſſatio. Sed exiſtimo, quòd talem Theodorum poetam, Sanctum nõ inuenient, quia nunquam fuit. At dato, quòd auctoritas Theodori eſſet vera, quid indè contra Virginis Conceptionem? Solus enim fuit Chriſtus ſine culpa per eſſentiam, & naturam. Virgo autem Maria ex ſola gratia, ac priuilegio ſpeciali, &c.

THEOPHILVS, Alexandrinus Epiſcopus, Beatus, ſuper Lucam capit. 2. & ſuper Ioannem. *Anonymus Auctore 33. Bandellus cap. 14. & in Officio Lect. 8. Deza fol. 21. à tergo. Gryſald.*

VERITAS 294.

HIC Notus Auctor eſt: floruit enim tempore S. Hieronymi, & ad eum ſcripſit tres Epiſtolas Paſchales, quę extant in Bibliotheca VV. PP. & ſecundũ aliquos deceſsit à vita ann. 412. Scripſit etiam aduerſus Origenem Adamantium, atque alia, de quibus relationem faciunt Gennadius de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 33. Myræus fol. 51. Geſnerus fol. 787. & Poſſeuinus 471. ſed nullo modo ſcripſit ſuper Lucam, nec ſuper Ioannem, nec fuit Beatus, à nulloque ſacro Scriptore tali titulo decoratur, imò dicunt fuiſſe acerrimum perſecutorẽ S. Ioannis Chryſoſtomi: omnia ergo quæ dicunt Aduerſarii de hoc Theophilo, eſt quoddam ridiculũ figmentum, quòd ſic euidenter oſtenditur, ex prima auctoritate, quam ſic adducunt Aduerſarii: Idẽ tenet Beatus Theophilus, Alexandrinus Epiſcopus, Doctor illuſtris, cuius opera ſunt per Eccleſiam, & Concilia approbata, qui floruit anno D. 385. &c. ſuper Lucã cap. 2. ſic dicens: *Multæ quidèm fuerunt ſanctæ mulieres, ſed nullo prolem genuit ſine peccato; ideò vt Beata Virgo ab alijs diſcerneretur, dictum eſt: Et benedictus fructus ventris tui, quia ipſa ſola filium benedictum, id eſt, ſine peccato cõcepit. Hæc ille.* Et hæc ſunt Aduerſariorum verba pro ſuo ſuppoſito Theophilo, Beato, Epiſcopo Alexandrino, Doctore illuſtri, cuius opera per Eccleſiam, & Concilia fuerunt approbata; totum enim hoc, vt dixi, fictum eſt, & mendaciter excogitatum, quia nec Theophilus ſcripſit ſuper Lucam, nec Theophilus fuit Beatus, nec opera illius fuerunt vnquam ab Eccleſia, vel Conciliis approbata, & quod peius eſt, auctoritas iſta non eſt Theophili, Epiſcopi Alexandrini, ſed Theophilacti, Epiſcopi Bulgariæ, Auctoris ſchiſmatici, ac vehementer ſuſpecti de hæreſi, ac denique nec ipſi Aduerſarii viderunt opera Theophili, nec Theophilacti, ſed auctoritatem iſtam extraxerunt à Catena Aurea S. Thomæ Aquinatis, quod ſic demoſtratur.

Sanctus ergo Thomas in Catena Aurea non capite 2. vt dicunt Aduerſarii, ſed primo ad illa verba: *Exurgens autem Maria*, colum. mihi 796. ſic inquit: *THEOP. Quia verò aliæ ſanctæ mulieres fuerunt, quæ tamen genuerunt filios peccato inquinatos, ſubiungit: Et benedictus fructus ventris tui, vel aliter intelligitur: dixerat, benedicta inter mulieres; deindè, quaſi interrogante aliquo, quare? Subiungit cauſam: Et benedictus fructus, ſicut dicitur in Pſalmo: Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, & illuxit nobis, cõſueuit enim ſacra Scriptura, &, pro, quia recipere.* Hęc ſunt verba

quæ

quæ ex THEOP. adducit Angelicus Doctor. Quòd autem ista sint verba Theophilacti, constat euidenter, tum quia millies S. Thomas in prædicta Catena citat Theophilactum sub illa abbreuiatura THEOP. non solùm super Lucam, sed etiam super alios Euangelistas; tum etiam quia relata verba reperiuntur in Theophilacto, super Lucam cap. 1. fol. 151. sic dicẽte: *Benedicta tu in mulieribus. Deindè quia multæ Sanctæ mulieres pepererunt improbos, vt Rebecca, Esau, dicit: Sed & fructus ventris tui benedictus. Aliter quoque intelligi potest: Benedicta tu in mulieribus. Deindè velut vt quispiam interrogaret, quare? Ipsam causam dicit: Benedictus enim fructus ventris tui, &c.* Quod autem hæc auctoritas sit illa adducta à Sancto Thoma, non indiget probatione, quia de se patet. His ergo secundùm veritatem constitutis,

Aduersarii in hoc Auctore peccarunt. Primo, quia ex vno THEOP. finxerunt Theophilum, cum auctor ibi citatus, sit Theophilactus, & si hoc non processit à parua scientia, videant, à quo ortum habuit. Secundo, quod vocarunt ipsum Beatum, cùm nec Theophilus, nec Theophilactus fuerint Beati, sed potiùs Doctores suspecti. Tertio, quod Episcopũ Bulgariæ fecerunt Episcopum Alexandrinũ. Quarto, quod ex eadem dictione THEOP. finxerunt duo Auctores distinctos, hunc Theophilũ, & alterum Theodorum, de quo diximus num. 291. Sexto, quod auctoritas ab ipsis Aduersariis adducta, ita discrepat ab auctoritate adducta à S. Thoma, nec non à propria Theophilacti, quòd ex triginta quatuor vocibus existentibus in sua auctoritate, solùm quatuor reperiantur intactæ, seu integræ in Theophilacto, scilicèt illæ, *sanctæ, mulieres, fuerunt, peccato*, nam aliæ triginta pessimè vitiatæ fuerunt, quare autem Catena dixerit: *Genuerunt filios peccato inquinatos*, vbi Theophilactus habet: *pepererunt improbos, vt Rebecca, Esau*, alii videant, & iudicent (nam vester Ambrosius Catharinus in tribus suis Opusculis de Conceptione nihil aliud clamat, & reclamat quàm quòd omnia verba originalium S. Thomæ hanc materiam respicentia directè, vel indirectè fuerunt vitiata, de quo etiam nos in hoc facimus tredecim palpabiles demonstrationes) quia mea hic solùm interest demonstrare, quomodo Aduersarii, vt macularent Virginem Mariam, in Theophilo ficto, & eius auctoritate habente solùm triginta quatuor verba, commiserunt vitia capitalia triginta sex, si autem hoc sit, nec ne impossibile, iudicèt Lector, & computet iterum vitia enumerata.

Secundam Auctoritatem citant Aduersarii ex S. Theophilo, in Ioannem, attamen nulla adducunt verba, quod etiam ex nimia processit astutia; quia auctoritatem Theophilacti, & Catenæ super Ioannem sub illa abbreuiatura THEO. columna 1286. ad finem, iam adduxerant suprà, sub nomine Theodori etiam ficti, vt vidimus allegato num. 291. ne ergo ex verbis auctoritatis deprehenderetur mendaciũ, & quod ex vna dictione THEO. & ex vna auctoritate Theophilacti, fingebant duos Sanctos, Theodorum, & Theophilum; ideo solùm dixerunt: *Idem tenet super Ioannem.* Et tu idem tenuisti, & tenes in omnibus.

THOMAS De Ales, Ordinis Minorum, in Tractatu suo deuoto de Vita Beatæ Virginis, cap. 5. vel 12. *Turrecrem. part. 6. cap. 30. fol. 122. Anonym. fol. 107. Bandell. cap. 24. Dexa, fol. 46. à tergo. Vincent. & Gryfald.*

VERITAS. 295.

DE hoc Auctore communiter loquuntur Nomenclatores, & similiter de opere ipsius de Vita Beatæ Virginis Mariæ, sed tale opus nunquam fuit typis mandatum, neque visum ab aliquo Scriptore. Fuit natione Anglus, & secundùm omnes vixit ad annum 1340. Ioannes Pitseus, in sua Historia Anglicana ætate 15. folio 442. loquens de hoc inquit: *Quæ inter alios Petrus Vincẽtinus, Dominicanus Italus, in suis collectaneis, tanquam Doctorem auctoritatis non contemnendæ, sæpè cum reuerentia citat*, Ioannes autem Balleus, scriptor etiam Anglicus, loquens de hoc auctore, post Robertum Contonem inquit: *Quod Maria in Conceptione forduerit, & ipsum cum prædicto Roberto introducit in suis collectionibus Petrus Vincentinus.* Auctores isti Anglici non viderunt Turrecremata, à quo Petrus Vincentinus, & Bandellus huius Thomæ de Ales notitiam, & auctoritatem desumpserunt, sed obserua Lector, notaque modum.

Turrecremata sic loquitur de hoc Auctore: Item ad idem est eiusdem Ordinis Pater, Magister Thomas de Ales, in Tractatu suo deuoto de Vita Beatæ, & glorioſæ semper Virginis, Dei Genitricis Mariæ, in cap. 5. de Conceptione Beatæ Mariæ, vbi narrata historia Conceptionis, adducit in testimonium illud dictum Augustini 10. super Genesi ad litteram: *Cùm autem sit in semine, & visibilis corpulentia, & inuisibilis ratio, vtrumque concurrit ex Abraham, vel etiam ex ipso Adam, vsque ad corpus Mariæ, quia ipsa eodem modo concepta est, & exorta.* Hæc Turrecremata. Deindè adducit aliam auctoritatem sic: Item in capite 12. de sanctificatione eiusdem sanctæ Virginis, ad idẽ addu-

adducit Bernardum, in Epiſtola ad Lugdunen. & Anſelmum dicentem: *Quòd fuit de illis, qui ante Natiuitatem Filij ſui Ieſu Chriſti, veram eius mortem credendo à peccatis mundati ſunt.* Hæc ſunt omnia, quæ adducit, & inuenire potuit Turrecremata in illo libro deuoto Thomę de Ales pro ſua ſententia, ſed cùm iſtæ auctoritates nihil dicant expreſsè, vel tacitè cõtra immaculatam Virginis Conceptionem, vt de ſe patet, & infrà explicabimus: Petrus de Vincentia, & Vincentius Bandellus excogitarunt ex his duabus auctoritatibus aliam tertiam componere, hoc modo: Idem tenet Magiſter Thomas de Ales, Doctor Pariſienſis, Ordinis Minorum, in libro de Vita Beatæ Virginis, capit. 12. ſic dicens: *Beata Virgo Maria in peccato originali concepta fuit, vt dicit Auguſtinus in* 10. *ſuper Geneſim: ſed ante Natiuitatem per ſanctificationem mundata fuit, vt dicit Anſelmus, & Bernardus. Hæc ille.* Hanc auctoritatem eſſe fictam, & compoſitam, ex illis duabus à Turrecremata adductis, nullus dubitare poteſt. Cernentes enim Vincentia, & Bandellus, quòd verba illa adducta à Turrecremata in rei veritate nihil concludebant pro ſua opinione, finxerunt, abſque vllo timore hanc auctoritatem pictam, & omnibus numeris abſolutam, ſed falſiſsimam, quia ex viginti ſeptem dictionibus latinis, viginti totaliter ſunt fictæ, & aliæ ſeptem vel in caſu, vel in ordine, & ſignificatione vitiatæ. Quis videns iſta, non tremet corpore, & ſpiritu?

Supponendo pro nunc, auctoritatem adductam à Turrecremata eſſe veram, ex cap. 5. illa nihil probat contra Virginis Conceptionem, vt diximus ſuprà, in Auguſtino num. 34. auctoritate 14. Item quia, Turrecremata adulterauit Auguſtini auctoritatem, quæ ſic ſe habet ſecundùm veritatem: *Cùm enim ſit in ſemine, & viſibilis corpulentia, & inuiſibilis ratio, vtrumque venit ex Abraham, vel etiam ex ipſo Adam vſque ad corpus Mariæ, quia & ipſum eodem modo conceptum, & exortum eſt, &c.* Loquitur enim Auguſtinus ibi de corpore, & conceptione carnali, quod fuit per concupiſcentiam genitum, & exortum à Ioachimo, ſicut alia corpora, ſcilicèt per concupiſcentiam, libidinem, ac virile membrum: Videns autem Turrecremata, hoc conſtare expreſsè ex Auguſtini verbis, vitiauit peſsimè vltimam clauſulam ſic: *Vſque ad corpus Mariæ, quia ipſa eodem modo cõcepta eſt, & exorta*, vt ſic verba Auguſtini, de corporis conceptione carnali, & generatione ſeminis ante animationem appellaret ſuprà Mariam, ſeu eius animationem. Secunda clauſula ex cap. 12. etiam fuit vitiata à Turrecremata: nam Anſelmi auctoritas, vt diximus num. 23. auctoritate 15. ſic ſe habet: *Virgo autem illa, de qua ille homo aſſumptus eſt, de quo loquimur, fuit de illis, qui ante Natiuitatem eius, per eum mundati ſunt à peccatis, & in eius ipſa munditia de illa aſſumptus eſt.* Confer ergo, ò Lector! hanc auctoritatem cum illa ſuprà adducta à Turrecremata, & inuenies ferè in nullo verbo inter ſe ſe conuenire. His ergo ſtabilitis ſecundùm veritatem, deducimus quaſi pro vltima reſolutione. Primo, quòd librum Thomæ de Ales de Vita Beatę Virginis nullus hucuſque vidit, neque ex noſtris, neque ex illis, niſi ſolus Turrecremata. Secundo, quòd Turrecremata vitiauit duas auctoritates, Auguſtini, & Anſelmi, vt demonſtratum eſt. Tertio, quòd Petrus Vincentinus, & Bandellus, ex proprio cerebro finxerunt totam auctoritatem ab ipſis adductã, ita vt in Auctore, & auctoritate ſecundùm rigorem iuſtitiæ, enumerari poſsint ferè triginta quatuor vitia. Inſuper etiam adde, quòd Turrecrematæ verba, ſeu citationes non cohærent inter ſe: nam ſi cap. 5. agebat Thomas de Ales de Conceptione Virginis, quomodo poterat cap. 12. agere de eius ſanctificatione? De quo, vel quibus tractabat Alenſis, in ſex capitibus intermediis? Poſt Cõceptionem immediatè tractant Doctores de ſanctificatione, & ſolus vnus Ales agens cap. 5. de Conceptione, tranſtulit eius ſanctificationem ad capit. 12. quis intelliget hæc?

Pro vltimo complemento omnium falſitatum, notare debet Lector, quòd hic Thomas de Ales eſt fictus, & ſimul mendaciter adductus: nam Auctor Franciſcanus Ales, qui ſcripſit vitam Beatæ Virginis Mariæ, fuit Alexander de Ales, de quo diximus num. 13. auctor. 8. ad finem. Turrecremata ergo, vt faceret alium Auctorem contra immaculatam Virginis Conceptionem finxit quemdam Thomã de Ales adſcribendo ipſi opus Alexandri Alenſis, & ab iſto decepti Nomenclatores (mediante Petro Vincentino) ſcribentes poſt ipſum, ſimpliciter errarunt. Hic liber de Vita Beatæ Virginis Alexandri de Ales fuit Toloſæ in Gallia vſque ad ann. 1496. vel circa, de quo dicit Anton. Cucharus in ſuo Elucidario fol. 136. columna 2. *Frater, & Magiſter illius Scholæ primarius Alexander de Ales, iuxta vitæ terminos tractatum edidit egregium, in quo immunitatem à quolibet crimine, & culpa fuiſſe oſtendit in Sanctiſsima Virgine, qui à Toloſano Magiſtro Ioanne Garric, Doctore huius Ordinis contra nonnullos in Virginem de nouo garrientes in Vniuerſitate Toloſana citra octo annos publicè oſtendit, &c.* in principio 2. part. fol. 52. loquens de Alexandro de Ales ſic inquit: Alexander de Ales, Doctor irrefragabilis, cuius doctrina eſt approbata per Dominum Alexandrum IV. cuius Bulla eſt in Prouincia Franciæ ſuper illud Cant. 4. Tota pulchra eſt amica mea, & macula non eſt in te ait: *Maria Domina mea tota pulchra es, & formoſa,*

mosa, & macula originalis, aut actualis peccati in te nunquam fuit. Item idem super illud Prouerb. 8. cap. Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram, dicit: *Nondum erant abyssi, id est, profunditates peccati originalis, & ego iam concepta eram, id est, præseruata in mente diuina ab omni macula.* Item idem Alexander circa finem vitæ suæ composuit Mariale, quod est Catenatum in choro Episcopatus Tolosani, diuisum in sex libros parciales, & in fine tertii libri cap. penultimo determinat, & tenet Virginem conceptam sine peccato originali, & reuocat quidquid in oppositum dixerat in 3. Sententiarum, & vbicumque contrarium dixit, ibi reuocat, & annullat quem librum reperies in Ecclesia Archiepiscopali Tolosana, vbi Catenatus in medio Chori cum magna diligẽtia seruatur, *& in 3. libro de Vita Beatæ Virginis*, super illud Prouerb. 8. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquiis antequam terra fieret: idem tenet præfatus Doctor, scilicèt, Virginem conceptam sine originali, ex quo ab æterno fuerat ordinata, & præseruata, &c. Hucusque Cucharus, ex quibus vltimis verbis constat librum Vitæ Beatæ Virginis fuisse elaboratum ab Alexãdro de Ales, & non à Thoma. Vide num. 13.

THOMAS De Aquino, Sanctus, ac Angelicus Doctor Ecclesiæ, Ordinis Prædicatorum, in 3. Sentent. distinct. 3. art. 1. & 2. & in 3. part. Summæ, quæst. 27. artic. 2. 3. 4. 5. & 6. & in 4. Sent. dist. 6. quæst. 1. artic. 1. & dist. 43. quæst. 1. & Quodlib. 6. quæst. 4. vel 5. artic. 1. & 12. quæst. 81. artic. 1. & 3. & in Compend. Theolog. cap. 22. vel 231. & in Exposit. Salutat. Angel. & in quæst. de Veritate quæst. 24. art. 9. & quest. 27. art. 7. & in Exposit. Orat. Domin. cap. 6. & super Psalm. 13. 50. & 45. *Turrecrem. part. 6. cap. 13. fol. 105. à tergo. Anonym. Auctore 44. & in auctoritatibus latè, Bandel. cap. 23. Deza, fol. 37. à tergo. Capreolus, Spina part. 6. cap. 3. Caietan. cap. 3. fol. 72. Vincent. Gryfald. Brixiensis, Melch. Canus, S. Antonin. Barlet. Iustin. Miechouien.*

VERITAS 296.

HIC Sicut est primus, ac præcipuus Doctor inter omnes Theologos, & vt talis ab Aduersariis in hac materia allegatus, etiã præcipuè, ac principaliter erunt ipsius auctoritates examinandæ, ac minutissimè ventilanda verba: quia si in hoc Ecclesiæ Angelo reperimus prauitatem in citationibus, ac sentẽtiis fictis, & adulteratis, nostrũ vndique concludimus intentum, scilicèt, quòd Aduersarii, vt macularent Dei Matrem, Angelorumque Reginam in sua purissima Conceptione, omnes, & singulos Ecclesiæ Sanctos, Patres, Doctores, ac scriptores antiquos, magnos, & paruos, bonos, & malos, pessima intentione vitiarunt, deprauarunt, atque adulterarunt, incipiendo a suo proprio, & Angelico Doctore. Supposito ergo, quòd huius Angelici Præceptoris opera fuerunt diuersis in locis typis mandata, videlicèt Romæ ann. 1581. & 1570. & 1572. Venetiis 1505. Antuerpiæ 1612. & iterum cum Caietano Venetiis 1537. 1527. & 1486. & Bononiæ recognita per Paulum Soncinatem 1484. Parisiis 1514. in 4. & alibi sæpè. Et semper a Patribus sui Ordinis, in quibus nulla potest esse suspicio, nec recursus ad errata Impressorum, sic incipio.

Sed antequam ad particulares auctoritates descendamus sequendo vestigia Aduersariorũ, vt ipsorum dicta à primis fundamẽtis insequamur, aliqua circa opera, & doctrinã Angeli Doctoris in communi operepretium erit (licèt nõnulla iterum repetamus) iuxta nudam veritatẽ proponere, & stabilire sequentibus obseruationibus. Prima, quòd hæc controuersia immaculatæ Conceptionis inter PP. Prædicatores, & Minoritas exorta fuit, parum post mortẽ Ioannis Duns Scoti, qui vitæ debitum soluit ad ann. 1308. id est, triginta quatuor annis post mortẽ S. Thomæ, cùm enim omnes discipuli, subtilis Doctoris, vt Mayronius, Aureolus, & alii in omnibus scriptis sui Magistri sententiam, præseruationis nouiter in Scholis exortam pro viribus tuerentur, dimicarunt ex aduerso ex Dominicana Familia Ioannes de Neapoli, Petrus de Palude, &c. & sic pro vtraque parte in dies insurgebant patroni, ac defensores quousque ad annum 1380. res in apertum contentionis desidium conuersa est in Vniuersitate Parisiensi, ex occasione cuiusdam Resumptæ relatæ ex arrupto in Sorbona publicè coram tota Academia à Fratre Ioanne de Montesono, & altero libello cuiusdam Fratris Ioannis Thomæ, & aliorum Fratrum Ordinis Prædicatorum, de quibus diximus in Triturationc num. x. & xv. & in Ventilat. num. 158. in hac ergo prima, ac magna controuersia præcipuè allegabant Mõtisoniſtæ pro sua opinione opera, & doctrinã S. Thomæ esse iam approbatam ab Ecclesia, non sic opera, & doctrinam Scoti: pro cuius verificatione adducebant litteras Vrbani Papæ, & alias Stephani Episcopi Parisiensis, & tertias eiusdem Vniuersitatis Parisiensis; sed requisiti iuridicè, imò coacti per censuras à Doctoribus, & Iudicibus Academiæ, nunquam Montisoniſtæ tales approbationes manifestarũt, nec ostẽdere potuerunt, vt referunt Ioannes Vitalis, & Alanus testes oculati ad finem suorum Opusculorum.

Obseruatio secunda est, quòd ab illo anno

no 1380. vſque ad 1430. fuit hæc controuerſia quaſi ſopita, ſed tempore Concilii Baſilienſis iterum redit excitantibus illam Ioanne de Montenigro, & Ioanne de Turrecremata in nomine totius ſuę Religionis, & pro ipſa ſcripſerunt latiſsimè, ſed nihil dixerunt de approbatione doctrinæ Sancti Thomæ, vt videre eſt in ipſo libro Turrecrematæ loco ſuprà citato. Ad annum verò 1470. tempore Sixti IV. ſuprà omnem modum exarſit iterum in Lombardia prædicta controuerſia, tuncque ſurrexit quidam Anonymus, Ordinis Prædicatorum, & occultato proprio nomine edidit librum pro ſua opinione, in quo introduxit fictiones, ac falſitates in toto hoc libro detectas, & inter alias via 3.par.2.fol.113. poſt quādam auctoritatem Clementis Papæ penitùs fictam, vt ſuo loco diximus, ſic proſequitur: *Secuntur litteræ Papales commendantes, & approbantes doctrinam Sancti Thomæ de Aquino, Ordinis Prædicatorum. Item Sanctus Thomas de Aquino, Doctor clariſsimus, Vniuerſitatis Pariſienſis iubar ſingulariſsimum, ac totius Eccleſiæ lumen ſplendidiſsimum, cuius doctrinam, non dubito, ſed firmiter credo igne Sancti Spiritus fuiſſe examinatam; in multis ſuæ dictæ doctrinæ libris tenuit, & docuit, Beatam Virginem fuiſſe in originali peccato conceptam; verum antequam eius ſanctiſsima dicta ferantur in medium, prius teſtimonium inducere volo, quòd Summi Pontifices, & Vniuerſitas Pariſienſis de ſua dicta doctrina protulerunt, & primo videamus quid dicat Vrbanus in Bulla translationis corporis Sancti Thomæ, cuius tenor talis eſt.* Et deindè adducit Bullam Vrbani Papæ abſque eo quod dicat, quis fuerit talis Vrbanus, vel quo anno expedita fuerit, vt illam dedimus in Trituratione folio 12. & ſtatim adducit Anonymus iſte aliam auctoritatem cuiuſdam Innocentii Papæ ſic: *Commendatio Innocentij Papæ de eodem. Innocentius Papa in ſermone Beati Thomæ, qui incipit: Ecce pluſquam Salomon hic, ſic dicit: Huius Doctoris ſapientia præ cæteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum, ita vt nunquam, qui eam tenuit inueniatur à tramite veritatis deuiaſſe, & qui eam impugnauit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus. Hæc ille.* Deindè adducit prædictus Anonymus litteras Vniuerſitatis Pariſienſis, & Stephani Epiſcopi, vt extant ſupra in Trituratione folio 11. & poſt omnes iſtas litteras, commendationes, & approbationes proſequitur Anonymus ſuum propoſitum aſſumptum ſic: *Incipiunt dicta Sancti Thomæ de Aquino explicantia, Beatam Virginem fuiſſe in originali peccato conceptam*, & adducit auctoritates omnes, quas reperire potuit in ſuo S. Doctore, vt ſtatim videbimus.

Obſeruatio tertia, quòd poſteà, ſcilicèt, ad annum 1480. ſcripſit alterum librum pro ſua opinione Vincentius Bandellus de Caſtronouo, & poſt alia multa perueniens ad ſuos Auctores ſic inquit: *Floruerunt etiam quam plures in Theologia Doctores clariſsimi de Ordine Prædicatorum, qui eandem veritatem ſunt proteſtati. In primis Sanctus Thomas de Aquino lumen totius Eccleſiæ, cuius doctrina eſt per Vrbanum Papam, & Innocentium, & Vniuerſitatem Pariſienſem approbata, in 3. Sentent. diſtinct. 3. &c.* Et ſic proſequitur referendo auctoritates Sancti Thomæ. Eadem verba nulla mutata ſyllaba in propoſitis verbis, & auctoritatibus habet Petrus de Vincentia, ex quo etiam conſtat, quòd vnus tranſcripſit ab alio, vt notaui in Trituratione, & conſtat etiam, quòd finis vnicus, ac totalis quare omnes prædicti Monriſoniſtæ, Anonymus, Bandellus, & & Vincentia adduxerunt, vel potiùs finxerunt relatas approbationes, vel commendationes doctrinæ Sancti Thomæ, fuit ſolummodo, vt cum, & ex illis tanquam per inſtrumenta ſanctiſsimè dicta, & doctrinam igne Spiritus Sancti examinatam probarent, atque ſtabilirent iam per organum Sancti Thomæ fuiſſe cœlitus determinatum Beatam Mariam contraxiſſe peccatum originale. Iſte enim fuit vnicus finis approbationum, & adinuentionum prædictarum litterarum.

Obſeruatio quarta eſt, quòd poſt iſtos circa annum 1490. quidam Petrus de Bergamo, etiam Lombardus, ſicut præcedentes, edidit Tabulam, ſeu indicem omnium operum Sancti Thomæ, & concilationem locorum, vt videre eſt in editionibus Romana anni 1571. & Venetiana anno 1593. atque in omnibus modernioribus, & in prima fronte, ſeu pagina prædictæ Tabulæ appoſuit verba, approbationem, ſeu commendationem illam Innocentii Papæ, vt extat in Anonymo nulla altrerata littera. Item & reſcriptum Stephani Epiſcopi Pariſienſis, ſed iſtud ita vitiatum, & additum, vt penè videatur diſtinctum ab illo adducto ab Anonymo, vt ex ipſismet in Trituratione potis, folio 12. & 36. inter ſe collatis conſtare poteſt.

Obſeruatio quinta eſt, quòd omnes iſtæ approbationes, ſeu commendationes doctrinæ Sancti Thomæ, præcipuè verò, ac principaliter illa Innocentii Papæ nullum aliud principium, aut originem habuit, niſi ab illo incognito Anonymo, poſteà cognito Bandello, qui omnes Sanctorum Patrum auctoritates vitiauit, & finxit, introducendo quam plures de nouo, quæ nunquam fuerunt in rerum natura, vt in hoc libro millies demonſtratur, à quo ſui ſequaces poſteà decepti abſque aliquo alio examine, vel inquiſitione ve-

ritatis diſeminarunt ipſas per diuerſos Libros, Concluſiones, atque Sermones, introducentes illam Innocentii adhuc in Officio Eccleſiaſtico, ac Breuiariis, impreſsis poſt Decretum Gregorii XV. de Conceptione (nam anteà in nullo erat) vt ſic quæ priùs excogitata fuerant ab vno incognito Bandelli-Anonymo ad maculandam Dei Matrem Angelorum, & hominum Reginam, Virginem Mariam in ſua Conceptione, ad idem haberet medium, & finem. Quiquidem Anonymus non tantum finxit, vitiauit, & adulterauit ſub occulto nomine Auctores extraneos, introducendo auctoritates, quæ nunquam fuerunt, ſed etiam corrumpendo proprios, ac propriiſsimi ſui Angelici Doctoris doctrinam *igne Spiritus Sancti examinatam, atque eius ſanctiſsima dicta* in auditis additionibus, atque variis impoſturis maculando, vt in auctoritatibus ab ipſo, & ſuis ſequacibus adductis, ſtatim demonſtrabimus: quæ omnia confirmantur ex declaratione facta ſub iure iurando à Ioanne Thoma, de qua ſuo loco latè diximus.

Obſeruatio ſexta eſt, quòd non omnia Opuſcula, tractatus, ac libri, qui modo extant ſub nomine Sancti Thomæ, & circunferuntur inter opera illius, ſunt Angelici Doctoris, igne Spiritui Sancti examinata, & ſanctiſsima dicta, quia aliqua, & non pauca ſunt cuiuſdam Thomæ Anglici, alia autem Reginaldi; atque alia aliorum, vt vnanimi conſenſu fatentur omnes Scriptores Dominicani, de quo latè Antonius Senenſis in Bibliotheca folio 239. & 243. & Sixtus Senenſis libro 4. Bibliothecæ ſanctæ in Thoma Anglico, & nos infrà, vndè Michael Pius parte 2. libro 1. columna 80. ad huius aſſerti comprobationem ſic Italicè inquit: *E quiui notiſi, che i libri oue ſi antepone la ſtella, non ſono ſtimati da alcuni di S. Tomaſo, ma de Fra Tomaſo Ingleſe, detto comunemente, Thomas Anglicus. Il Caſtiglio vuole, che queſto Sancto habbi compoſto ſopra queſti libri ſi, ma che le ſue compoſitioni, non ſi trouino in luce, & che quelli, che comunemente ſono ſtimati ſuoi, ſiano del predetto Dottore Anglico, & che li Stampatori in vece di Tomaſo Dottore Anglico, habbino poſto, Tomaſo Dottore Angelico, &c.* Et infrà inquit: *E chi sà che l' opere predette, ò parti di loro non ſiano di S. Tomaſo inſegnante, & di altri, che riceuendole dalla bocca di lui, è ſcriuendoli, non le tranſcrueſſero poſcia, accomodandole ſecondo il loro propio ſtile? Imperoche vedeſi vna ſimile coſa in altre opere di queſto Sancto perche la ſua iſpoſitione ſopra S. Matheo fù recompilata, è poſta nello ſtile oue al preſente ſi troua, non ſenza molti deffetti, da Fr. Pietro de Andria ſuo diſcepolo, & l' iſpoſitione ſopra S. Gioanni (tolta nei quinque primi capi, che egli ſcriſſe di ſua mano) fù mentre leggeua, raccolta da F. Reginaldo ſuo compagno, è diſcepolo, è coſi datta in luce ſotto il nome di San Tomaſo è tanto fece l' iſteſſo Fr. Reginaldo della iſpoſitione de i libri dell Anima & della iſpoſitione delle Epiſtole di San Paliolo, toltone l' Epiſtola a i Romani, le due de Corinthi, et vndeci capitoli di quella à gli Hebrei che fuerono col proprio ſtile, & con la propria mano detate è compoſte da San Tomaſo, &c.* Quibus adde, quòd ſuam Summam Theologiæ morte præuentus non potuit Sanctus Thomas complere, vt in ipſius principio dicitur, ſed Albertus de Brixia vltimam manum impoſuit, vt diximus ex ipſis ſuprà num. 7. idem dicitur de Compēdio Theologiæ, exiſtente in principio tomo 17. vbi habetur: *Hucuſque compilauit Sanctus Thomas de Aquino breuem compilationem Theologiæ, ſed proh dolor! morte præuentus, eam ſic incōpletam dimiſit.* Librum Perihermeniarum etiam fuit completus à quodam Thoma de Suetonia, vt affirmat Antonius Senenſis folio 241. Salmanticę anno 1553. in folio per Andræam Portanarium editus eſt liber ſub hoc titulo: *Additiones Sancti Thomæ ad tertiam partem, &c.* Idem dicunt de aliis quàm plurimis libris, vndè difficillimum eſſet velle nunc aſsignare certo, ac infallibiliter genuina, ac legitima opera Angelici Doctoris.

Obſeruatio ſeptima ſit, quòd non tantum in libris, ſed etiam in clauſulis, ſententiis, ac ipſis verbis fuit eadem confuſio, circa alterationes, mutationes, variationes, additiones, atque diminutiones litteræ, ſeu textus, vt ipſimet Patres Prædicatores, fatentur Hieronymus Vielmus, Franciſcus Garcia, Vincentius, Conradus, Viguerius, Ambroſius Catharinus paſsim in ſuis Opuſculis. P. Petrus Bergomenſis multa correxit in operibus ſuprà relatis, & in expoſitione ſuper Epiſtolas Pauli, de qua infrà. Item in impreſsione Pariſienſi Tertiæ Partis S. Thomæ, anno 1514. ſic dicitur: *Tertia pars Summæ præclariſsimi Doctoris Sancti Thomæ cum additionibus, &c. Nouiter per Reuerendum Patrem Fratrem Petrum de Nouimagio, & Fratrem Vincentium de Haerlen, &c. ſcoriis, quibus præcipuè additiones erant ſuffuſæ auulſis, &c.* Hæc præſtiterunt illi duo Patres Dominicani ad annum 1514. Nota autem, quid dixerit Bartholomæus de Spina in ſequenti impreſsione eiuſdē Tertiæ Partis facta Romæ anno 1534. vbi in principio magnis characteribus dicit: *Poſt nouiſsimam impreſsionem infinitis locis, non tantum integræ ſententiæ, verumetiam lineæ plenæ deficiebant, à benè docto Theologo multorum antiquorum exemplarium collatione cunctis, quibus vndique redundabat erroribus depurgata, &c.* & ann. ſequēti ſcilicèt 1537. Venetiis expēſis Lucētonii Iuntę fuit ex-

cuſſa

cussa Secunda secundę, vbi in principio dicitur: *Pariter, ac multis sedulò collatis antiquis exemplaribus diligentissimè recognita, cunctisque erroribus expurgata additis innumeris, quæ in integrum deficiebant sententijs Secundæ secundæ, &c. Post nouissimam excussionē (in qua quam plurimis in locis lineæ plenæ, nedum sententiæ integræ deerant) antiquis codicibus, collatis pristinæ integritati, à benè docto Theologo plenissimè restituta.* Ille autem benè doctus Theologus fuit Bartholomæus de Spina, Pisanus, vt dicitur ibidem in Epistola præliminari ad Summum Pontificem, quæ incipit: *Nunquam desitit, &c.* Item in impressione posteà facta tempore Pii V. Summi Pontificis facta est alia vniuersalissima correctio operum Sancti Thomæ, &c. (nolo adducere pro confirmatione huius asserti illa omnia, quæ inuenire potest Lector, in Patre Ioanne Baptista Poza lib. 4. tractat. 3. & 4. & 5. à folio 907. vsque 985. & quæ modo laborat R. P. Hyppolitus Marraccius circa hanc materiam, quia licèt illa sint principia, per se nota sunt communia, & vniuersalia, nos autem suppositis his ad singularia tendimus) Hæc autem alteratio tàm in libris, & Opusculis, quàm in verbis, ac sententiis processit ex duplici capite, vt notat Sixtus Senensis, folio 304. & Antonius Senensis, fol. 243. tum propter nominis similitudinem, nam cùm in Religione Prædicatorum essent multi viri docti vocati hoc nomine; Amanuenses, Scriptores, ex vna parte, Impressores, ex alia, vel honoris, vel lucri causa opera aliorum subscribebant nomine Thomæ de Aquino, hic inquit Sixtus Senensis: *Paulatim effectum est, vt per incuriam, & errorem Thomæ Anglici scripta, Thomæ Angelici titulo notarentur, &c.* & hinc etiam factum est, vt Compendium Theologię, quod in aliquibus originalibus manuscriptis extat sub nomine Thomæ de Suetonia Anglici, de quo nos infrà, inueniatur etiam sub nomine Thomæ Angelici, & sic exorta est confusio in aliquibus operibus, & Opusculis: variatio autem in sententiis, ac verbis originem habuit ex alio capite, scilicèt, quia cum opera Sancti Thomæ in tanto fuissent semper pretio habita, & æstimatione, tàm formaliter, quàm materialiter, vtpotè norma, & exemplar omnium veritatum, &c. & ab eius magisterio, vsque ad exortum Typographiæ transissent duo integra sæcula, in illo spatio ducentorum annorum tàm Magistri, quàm discipuli, atque Amanuensis ad hoc solùm destinati continuò omnes incessanter transcribebant, transcribendo variabant, & variando crespitabant in verbis, & errabant à sententia. Deindè vnus extrahebat tantùm conclusiones, alter sententias, alter omnia opera reducebat ad compendium, auferendo, vel addendo pro libito, ex quibus ego vidi plura originalia sic manuscripta, & extant in Bibliothecis Vaticana, Ambrosiana, Medicæa, Regali Scorialis, S. Ecclesiæ Toletanæ, S. Francisci de Ripa, & alibi per alias sparsim.

Obseruatio vltima sit, quòd inter has variationes communes, ac vniuersales, inueniuntur aliqua vitia per se nota, clara, ac euidentia, in particulari, ac individua materia Conceptionis Virginis Mariæ, tàm in originalibus manuscriptis, quàm in impressis, sed relictis manuscriptis propter rationes superiùs dictas, & loquendo de impressis, quæ solùm hunc fidem conciliare possunt, vtpotè iam vita, reuisa, & examinata à tot, tantisque doctissimis Patribus Ordinis Prædicatorum. Iacobus Albertus Castrensis, huius præclarissimæ Religionis Pater recognouit, ac edere curauit expositionem Angelici Doctoris super Epistolas Pauli, vt videre est in impressione Venetiana, apud Hieronymum Scottum, anno 1548. in folio, & super Epistolam ad Galatas, capit. 3. lectione 6. folio 482. extant hæc verba: Virum de mille vnum reperi, scilicèt, Christum, qui esset sine omni peccato; mulierem autem ex omnibus non inueni, quæ à peccato omnino immunis esset ad minus originali, vel veniali: *Excipitur purissima, & omni laude dignissima Virgo Maria, &c.* Et ad marginem extat hæc nota: *Vide hic esse de mente Sancti Thomæ, nullum habuisse peccatum Beatā Christi Matrem, nec etiam originale.* Hæc eadem verba extant in Parisiensi vetusta, anni 1529. apud Ambrosium Sitanis, existente in conuētu Minimorum Tolosensium, vt refert testis oculatus Petrus Posintus, fol. 160. & in Parisiensi, ann. 1532. & Venetiana, anni 1555. P. Syluester de Saauedra, numero 693. folio 357. adducit aliam impressionem Parisiensem ex Officina Oudini Petit. anno 1541. Poza folio 980. adducit tres, quibus adde à nobis ocularitèr visas, de quibus diximus in Ventilabro, in principio. Attamen eadem expositio super Epistolas Pauli fuit edita Basileæ apud Vvolfangium Lachner, anno 1494. in folio sub hoc titulo: *Feliciter incipiunt Commentaria clarissimi Doctoris, Angelicique, ac communis Sancti Thomæ de Aquino, Ordinis Prædicatorum, super Epistolas sanctissimi gentium Doctoris Pauli, correcta, emendataque summa cum diligentia, ac ingenti solicitudine per me Fratrem Petrum de Bergamo, Ordinis Fratrum Prædicatorum, sacræ paginæ minimum professorem, &c.* Et in hac impressione totaliter manent expuncta suprà-posita verba pro immaculata Virginis Conceptione, & in aliis visis, ac recognitis à Patre Fratre Remigio Florentino: cum ergo omnes isti Reuisores fuerint ex Ordine Prædicatorū: igitur inter ipsos iam fuit alteratio textus S.

Thomæ? Accipite aliud exemplum, Ioannes Bonnardus, Ordinis Prædicatorum, qui floruit paulum post Sanctum Thomam in illa sua celebri Summa Prædicantium dicta, de qua nos latè infrà; loquens de sententia Sancti Thomæ 3. par. quæst. 27. articulo 2. circa Conceptionem Virginis inquit: *Ponit eius sanctificationis excellentiam quantum ad temporis prioritatem in hoc quòd sanctificata fuit in sua animatione, id est, in coniunctione animæ cum corpore, &c.* Hæc verba modo non extant in illa quæstione, & articulo Sancti Thomæ: ergo aliquis illa abstulit? Item Rsl. DD. Thomas de Vio Caietanus, doctissimus, ac vnicus interpres mentis Sancti Thomæ in explanatione eiusdem 3. partis artic. 2. colum. 2. littera K. proponit sibi hanc obiectionem: Dubium occurrit, quia non videtur sequi ex præmissis: nam ex hoc quòd Beata Virgo non fuit sanctificata ante animationem, non sequitur quòd sanctificatio eius fuerit post animationem; stat enim quòd nec ante, nec post, *sed in ipso instanti infusionis animæ fuerit sanctificata*, vt multi moderni tenent. Ad hoc dicitur, quòd aliud est, discutere materiam hanc absolutè, & aliud in quantum ex hac littera infertur talis conclusio corollarie. Nam absolutè loquendo inter illas duas positiones extremas, scilicèt, quòd fuerit sanctificata, vel ante infusionem animæ, vel post infusionem animæ, est positio media, quòd fuit sanctificata *in instanti infusionis animæ, cuius opinionis Auctor hìc non meminit, quia tempore suo non erat adinuenta*, omnibus communiter tenètibus Beatam Virginem cōceptam in peccato originali, & ideo, vt videtur reprobantibus sanctificationem carnis eius ante infusionem animæ, vt in hac littera patet, &c. Hucusque Caietanus. Si ergo standum sit originalibus impressis Sancti Thomæ, nunc existentibus, verba signata in hac auctoritate Caietani sunt falsa, & contra omnem veritatem dicta; nam quomodo tempore Sancti Thomæ non erat adinuenta positio, seu quæstio illa media, an Virgo Maria fuerit sanctificata in ipso instanti infusionis animæ, quādo in 3. Sentent. distinct. 3. articulo 1. vt statim videbimus, extant hæc verba: *Sanctificatio Beatæ Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animæ, quia gratiæ capax nondum erat, nec etiam in ipso instanti infusionis, &c.* Et in Epitome sententiarum ad Annibaldum inquit: *Beata Virgo nec ante Conceptionem, nec in Conceptione ante animæ infusionem sanctificata fuit, quia proprium subiectum gratiæ sanctificationis est anima, nec in ipso instanti infusionis animæ, &c.* & alia quam plura huiusmodi in 3. parte, & in Compendio Theologiæ de quibus sigillatim latè loquemur infrà? Ergo, vel Caietanus non viderat, aut legerat Sanctum Thomam, vel clausulæ istæ sententiæ, ac verba loquentia formaliter, ac directè de instanti infusionis animæ, seu puncto ipso animationis suo tempore non erant adhuc intrusæ in operibus Sancti Thomæ, sed postea fuerunt additæ, vel à Patre Fratre Thoma Nerio, Ordinis Prædicatorum, vt vult Sylvester de Saauedra de Sacra Deipara, disput. 16. sect. 17. numero 695. folio 357. *Quilla*, inquit, *edenda curauit, abstulit forsitan verba aliqua Sancti Thomæ, in quibus erat pia sententia; potuit enim fieri, vt illa enumerauerit inter errores, quibus Typographorum cura, aut incuria Comentarij illi erant vitiati, &c.* Et infrà numero 697. loquens de auctoritate existente in 3. Sentent. distinct. 3. quæst. vnica, articulo 1. inquit: *Verba illa forsan addita fuisse à Fr. Thoma Nerio, &c.* Et infrà: *Ex his duo inferuntur. Primum Thomam Nerium de suo addidisse 3. distinct. 3. quæst. vnica, articulo 1. in corpore illa verba (nec in ipso instanti infusionis animæ) credibile enim non est, Caietanum, insignem Thomistam Sententiarios ad Annibaldum non vidisse. Si enim legisset, non diceret illam opinionem, hoc est, nostram sententiam tempore Sancti Thomæ non esse adinuentam.* Et si non Thomas Nerius, potuit ista addere Frater Petrus de Nouimagio, vel Bartholomæus de Spina inter illas scorias, expurgatas, suffusas, & aullas, errores, & additiones innumeras, lineas plenas, ac integras sententias, quæ deficiebant, & illi collationatores, ac revisores de nouo restituerunt: vt constat ex ipsorum ore, ac verbis in suppositione antecedenti. Et si doctissimus Pater Saauedra hoc tribuit Fr. Thomæ Nerio: P. Petrus de Alua hoc adscribit Fr. Bartholomæo de Spina: Tum, quia hic correxit opera Sancti Thomæ post mortem Caietani: Tum, quia hic fuit acerrimus oppugnator mysterii immaculatæ Conceptionis, vt tria, imò quatuor eius Opuscula de hac materia edita indicant, in quibus à dextris, & à sinistris sparsit verba, sententias, & lineas integras, fictas, & falsas, & ab omni veritate prorsus alienas contra immaculatam Conceptionem, vt in hoc libro detegimus, quale ergo fidedignum nobis præstat testimonium, quòd in operibus Sancti Thomæ hoc ipsum non fecerit? Spina, qui ad annum 1546. cùm esset prouectæ ætatis, ac Magister sacri Palatii, edere curauit librum de Conceptione, Ioannis de Turrecremata, & illum vitiauit à primo vsque ad vltimum verbum nouis adinuentionibus, atque falsis imposituris; ad annum 1534. quando erat iunior, & non Magister sacri Palatii oblata tam opportuna occasione in sua noua impressione; quid non ageret, & adderet in operibus Sancti Thomæ pro introductione suæ opinionis de

sancti-

ſanctificatione? Spina, qui ad annum 1535. in particulari Opuſculo edito etiã Venetiis (quãdo actualiter excudebat opera Sancti Thomæ) ita pungit Caietanum, ſolùm quia dixerat noſtram ſententiam eſſe probabilem, &c. quid non moliretur in operibus Sancti Thomæ, vt ex ipſis oſtenderet, Caietanum loquutum fuiſſe contra expreſſam mentem Angelici Doctoris? Item concludo fuiſſe Spinam vitiatorem operum Sancti Thomæ hac vnica forè euidenti, ac palpabili ratione, ſi verba illa: *nec etiam in ipſo inſtanti infuſionis animæ, &c.* quæ ſunt clarè, & apertè expreſſa pro opinione Aduerſariorum, ac directè, & formaliter contra noſtram ſententiam præſeruationis, & extant in operibus Sancti Thomæ in 3. libro Sentent. diſtinct. 3. adeò trito, ac communi, atque in illo Opuſculo, ſeu Reſcripto ad Annibaldum, de quo ſæpiſsimè. Turrecremata mentionem facit, & omnes ſcribentes poſt ipſum, & de prædictis verbis: *Nec etiam in ipſo inſtanti infuſionis*, &c. adducendo alias auctoritates S. Thomæ, nullam fecerunt mentionem Montiſoniſtę ſcribentes ad ann. 1380. nec Sanctus Antoninus ſcribens ad ann. 1449. nec Barlete ſcribens poſt ipſum. Nec Vincẽtius Bandellus, nec Petrus de Vincentia ſcribentes ad annum 1480. nec vnam, nec alteram, & idem dico de Correctore, ſeu Continuatore Bandelli, qui ſcripſit ad annum 1502. & nouis additionibus reſperſit totum opus Bandelli, nec tandem Caietanus ſcribens ſuum Opuſculum de Conceptione ad ann. 1515. & Commentaria Sancti Thomæ ad annum 1520. ſed potiùs affirmat, quòd tempore Sancti Thomę talis quæſtio non erat adinuenta: ſed primus, qui prędictam adduxit fuit Turrecremata (at de hoc non eſt curandum, quia liber illius fuit excuſſus cura, ac ſolicitudine ipſius Spinę, qui alia innumerabilia falſa in ipſo introduxit) & ſecũdus, qui illam adduxit, fuit Anonymus ſcribens ad ann. 1470. Anonymus inquam, ille de quo ſuprà, qui recollegit ex ſuo Sancto Thoma vſque ad apices, & addidit vitia ſine numero ſolùm ex 3. Sent. non verò, ex Opuſculo ad Annibaldum, vt infrà videbimus. Ergo verba illa introducta fuerũt in operibus Angelici Doctoris poſteà, ab Spina, vel aliquo alio Tribulo: deſumendo illa ab vnico Anonymo (à quo etiam tranſcripſit Petrus de Bergamo illam fictam auctoritatem Innocentii Papæ) Anonymus verò illam mutuauit à Raynero de Piſis, vt ſuo loco diximus, vel ex opere ad Annibaldum, quod in rei veritate non eſt Sancti Thomæ, ſed alterius poſterioris, vt infrà demõſtrauimus? Et hæc dicta ſufficiant de vitiis intruſis in textu S. Thomæ in communi, quia deſcendendo ad particularia, hæc, & alia multo maiora nos expectant.

Primam auctoritatem ſic adducunt Aduerſarii: Dicta Diui Thomæ ſuper veritate propoſiti principalis. Dicit enim primo in 3. Sentent. diſt. 3. art. 1. vbi quærens: An Beata Virgo ſanctificata fuerit, antequam Conceptio carnis finiretur? Poſtquam declarauit quòd non, dicit ſic: *Virgo Beata in originali peccato fuit concepta, propterea idem Bernardus ad Lugdunenſes ſcribit, Conceptionem illius celebrandam non eſſe, quamuis in quibuſdam Eccleſiis ex deuotione celebretur, non conſiderando Conceptionem, ſed potiùs ſanctificationem, qua, quando determinatè fuerit, in certũ eſt.* Hæc eſt prima auctoritas, adducta ab Aduerſariis ex Angelico Doctore, pro cuius intelligentia notare debet Lector, quòd in illo 3. Sent. diſt. 3. artic. 1. in primo Articulo hoc quærit S. Thomas: *Vtrùm Beata Virgo fuerit ante ſanctificata, quàm conceptio eius finiretur*, de qua autem Conceptione loquatur Angelicus Doctor ſtatim exprimit, dicens: *Ad primum ſic proceditur. Videtur quòd B. Virgo ſanctificata fuerit, antequam conceptio carnis eius finiretur: ſicut enim dicit Apoſtolus Roman. 11. Si radix ſancta, & rami; ſed parentes comparantur ad prolem conceptam, ſicut radix ad ramos: ergo ſanctificatis parentibus Virginis, ſanctificatio ad ipſam peruenisſet: ſed ſi in parentibus ſanctificata eſſet, ſanctificatio Conceptionem eius præceſsiſſet*, &c. Et infrà inquit: *Sed contra, quod non eſt, non poteſt ſanctificari; ſed B. Virgo non fuit, antequam conciperetur in vtero matris ſuæ: ergo.* Et infrà: *Vlteriùs videtur, quòd ante animationem ſanctificata fuerit.* Et infrà in Reſolutione inquit: *Ad primam ergo quæſtionem dicendum, quòd nullo modo in parentibus ſanctificari potuit, nec etiam in ipſo actu Conceptionis eius*, &c. Sequentia damus infrà auctoritate 11. Vide ibi. In corpore autem huius Reſolutionis adducit verba ſuprà allegata ab Aduerſariis. Ex quibus colligitur, quod in hoc Articulo 1. vbi Angelicus Doctor tres quæſtiones proponit, & inculcat, vt dicam auctoritate ſequenti. Prima eſt, an Virgo Maria potuerit ſanctificari in ſuis parentibus, vel in ipſo actu generationis, antequam eius carnalis conceptio perficeretur in vtero matris ſuæ, id eſt, antequam embryon diſponeretur ad receptionem formæ, hanc autem receptionem ſeminis in vtero materno, non ſolùm hic, ſed alibi millies vocat Angelicus Doctor abſolutè, & ſimpliciter Conceptionem, tàm hic, quàm in 3. parte quæſt. 27. artic. 1. vbi dicit: *Ad primum ergo dicendum, quòd etiam in Beata Virgine priùs fuit id quod eſt animale, & poſt id quod eſt ſpirituale, quia priùs fuit ſecundùm carnem concepta, & poſteà ſecundùm ſpiritum ſanctificata.* Vbi expreſsè vocat generationem carnalem, Conceptionem, animationem verò,

& infusionem gratiæ, sanctificationem. Vide infrà auctoritatem 5. Cùm ergo hæc Conceptio carnalis facta fuerit die 8. Decembris, prosequitur eruditè, ac consentaneè Angelicus Doctor, dicens: *Et ideò sic in statu vitæ parentes eius curati non fuerunt, vt prolem suam sine originali peccato concipere possent, & ideo Beata Virgo in originali peccato fuit concepta, propter quod Beatus Bernardus ad Lugdunenses scribit, Conceptionem illius celebrandam non esse, quamuis in quibusdam Ecclesiis ex deuotione celebretur, non considerando Conceptionem, sed potiùs sanctificationem, quæ quando determinatè fuerit, incertum est.* Hæc est tota resolutio Diui Thomæ, ex qua constat primo, quod Aduersarii astutè prætermiserunt prima auctoritatis verba, vt sic legentes, existimarent, quòd loquebatur de conceptione animæ, quando ipse expressè, ac clarè loquitur de conceptione carnis, & de parentibus, qui non absque originali peccato concipere poterant prolem suam, id est, libidine concupiscentia, & carnis inordinata delectatione, vt constat ex verbis eiusdem, ibidem dicentis: *Sed post statum naturæ corruptæ non potuit esse commixtio sexuum sine libidine: cùm ergo libido illa, quæ est filia peccati, ex peccato primorum parentum proueniens, sit causa originalis peccati in prole, vt Augustinus dicit, videtur quòd non potuit Beata Virgo sanctificari, nisi post Conceptionem.* Ergo ibi solùm loquitur de peccato originali in causa? siuè de originali culpa, inordinatione, inhonestate, &c. generationis actiuæ parentum? Hic enim erat communis, & vsitatissimus modus loquendi apud priscos Theologos: & Angelicus Doctor de hoc agit in prima quæstione huius articuli, quæ in rei veritate non est ad rem, sed præambula, vt de se patet; ideo cauillosè addiderunt Aduersarii illud: vbi quærens, an Beata Virgo sanctificata fuerit *antequam* Conceptio carnis finiretur, *postquam declarauit quod non, dicit sic:* nota has signatas voces, quia verba Sancti Thomæ non sunt *postquam*, sed in ipsamet declaratione, an fuerit sanctificata *antequam* Conceptio carnis finiretur, sicque verba Sancti Thomę loquentis *antequam*; ipsi fecerunt, *postquam*: vide si est paruum hoc primum vitium. In secunda quæstione tangit Angelicus Doctor alium difficultatis punctum de sanctificatione non *antequam*, neque *postquam*, sed de ipsa Conceptione carnali, quando actu generabatur Maria, seu concipiebatur semẽ decisum à Patre in vulua Matris, vt in auctoritate secunda dicemus. Secundo, addiderunt illud, *Idem Bernardus*, quasi iterum fuerit in illa quæstione adductus Bernardus, quod falsum est, & ideò Sanctus Thomas dicit, *propter quod Beatus Bernardus, &c.* absque ly, *idem*. Tertio, prætermiserunt verbum illud, *determinatè*. Hæc sunt tria vitia litteræ; de sensu autem, ac sententia Diui Thomæ, vide Lector, quæ dicimus in auctoritate sequenti.

Secundam auctoritatem sic adducunt: Item idem in eodem Articulo: *Sanctificatio*, inquit, *Beatæ Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animæ, quia nondum gratiæ capax erat, nec in ipso instanti infusionis; vt scilicèt, per gratiam tunc sibi infusam præseruaretur, ne culpam originalem incurreret: Nam Christus hoc singulariter in humano genere habuit, vt redemptione non indigeret, quia caput nostrum est; sed alijs omnibus conuenit redimi per ipsum; hoc autem esse non posset, si aliqua alia anima inueniretur, quæ nunquam peccati macula infecta fuisset. Et ideo nec B. Virgini, nec alicui alterì Sanctorum, præter quam Christo hoc concessum est. Hæc enim summa puritas soli homini Deo debebatur, vt ipse quasi vniuersalis Redemptor humani generis nulla vnquam peccati seruitute teneretur, cui competebat omnes à peccato redimere. Vndè non hanc puritatem Christi, sed maximam sub hac Virgo Mater eius debuit habere. Hæc ille.* Auctoritas verò Sancti Thomæ sic se habet: *Ad secundam quæstionem dicendum, quod sanctificatio Beatæ Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animæ, quia gratiæ capax nondum erat, nec etiam in ipso instanti infusionis, vt scilicèt, per gratiam tunc sibi infusam conseruaretur, ne culpam originalem incurreret, Christus enim hoc in humano genere singulariter habet, vt redemptione non egeat, quia caput nostrum est, sed omnibus conuenit redimi per ipsum, hoc autem esse non posset, si alia anima inueniretur, quæ nunquam originali macula fuisset infecta. Et ideo nec Beatæ Virgini, nec alicui, præter Christum, hoc concessum est.* Et post plura respondendo ad 3. argumentum, sic dicit: *Ad tertium dicendum, quod hæc puritas soli homini Deo debebatur, vt ipse quasi vnicus Redemptor humani generis nullæ peccati seruitute teneretur. Cui competebat omnes à peccato redimere: Vndè non hanc puritatem, sed sub hac maximam Virgo mater eius habere debuit.* Hæc Diuus Thomas, ex quibus patet, quòd ex duobus locis diuersis, ac inter se distantibus vnam, atque continuam auctoritatem dolarunt. Secundo, quod satis audacter, vbi S. Thomas habet, *conseruaretur*; ipsi adulterando, apposuerunt, *præseruaretur*. Tertio, vbi Sanctus Thomas de præsenti, *habet*; ipsi transtulerunt de præterito, *habuit*. Quarto, Sanctus Thomas inquit, *Redemptione non egeat*; ipsi autem, Redemptione non *indigeret*, sunt enim verba diuersa: Egeo, & indigeo, nam egere est, quomodocumque rei opus habere, & vt dicit Ioannes de Ianua in suo Catholicon, fol. 125. colum. 4. multoties egemus rei, quam

quam habemus: indigere autem, eſt, neceſsitas rei non habitæ; inde eſt, quòd pauperes, & miſerrimi vocantur indigentes, non egentes, quia illud reſpicit perſonam, ſed hoc tantum rem. Quinto, vbi S. Thomas, *ſed omnibus*; ipſi, ſed *alijs* omnibus, addito ly, *alijs*. Sexto, S. Thomas, *ſi alia anima*: Aduerſarii vero, *ſi aliqua* alia anima; eſt enim emphaticum ly, *aliqua*, vt excluderent exceptionem particularem. Septimo vbi S. Thomas, *originali macula*; ipſi, pro *originali*, appoſuerūt *peccati* macula præſentiētes, poſſe eſſe originalē maculam, abſque eo quod eſſet peccati macula, vt eſt in generationibus licitis, in quibus eſt originalis macula, quia eſt in honeſtas, libido, concupiſcentia, &c. natæ ab originali pecato, tamen actus ille, licèt inordinatus, non eſt originale peccatum, ſed effectus reſpectu Adami, & cauſa reſpectu filiorū, & hinc exorta eſt tota æquiuocatio antiquorū, quæ eſt frequēs lapſus præſentium. Octauo, addiderunt illud, *alteri Sanctorum*, quæ verba non extant in D. Thoma. Nono, prætermiſerunt 17. lineas vt ſuam continuarent auctoritatem. Decimo, vbi S. Thomas, *quod hæc puritas*; ipſi ſic, hæc *autem ſumma* puritas, vt indicarent illam eſſe ſummam puritatem capitis, ad quam Maria pertingere non poterat. Vndecimo, vbi S. Thomas, *vnicus Redemptor*; ipſi aſtutè, *vniuerſalis* Redemptor; quia vnicus reſpicit Chriſtum, & vniuerſalis, homines redemptos. Duodecimo, vbi S. Thomas, *nulla peccati ſeruitute*; ipſi ſic, nulla *vnquam* peccati ſeruitute, addito aduerbio ly, *vnquam*, quo totam vitiarunt ſententiam. Decimotertio, addiderunt etiam ly, *Chriſti*. Demptis ergo his tredecim vitiis, circa litteram alia cōcordant cum originali D. Thomæ: ſunt igitur iam adiunctis tribus præcedentis auctoritatis, 16. vitia.

Pro indaganda autem mente S. Thomæ, iuxta veritatem, quam ſemper ſequimur, dico; quòd in illo primo articulo tres proponit Angelicus Doctor quæſtiones, quarum prima eſt: vtrum B. Virgo Maria potuerit ſanctificari in parentibus, vel antequam finiretur in vtero Matris ſuæ conceptio eius carnalis, id eſt, antequā fuiſſet, vel dici poſſet verè, ac realiter Virgo Maria? Ac ſi diceret, vt alibi expreſsè inquirit. An potuerit ſanctificari in parentibus, & ex hac quæſtione, & reſolutione illius quæ incipit: *Ad primam ergo quæſtionem dicendum, quòd nullo modo in parentibus ſanctificari potuit, neque etiam in ipſo actu Conceptionis eius*, &c. Ex hac ergo remotiſsima quæſtione adduxerūt Aduerſarii primam auctoritatem ſuprà poſitam. Secunda quæſtio illius articuli eſt, an ante animationem potuerit ſanctificari? Quam ſic proponit Angelicus Doctor: *Vlteriùs videtur, quòd ante animationem ſanctificata fuerit. Ambroſius enim dicit Lucæ 1. de Ioanne Baptiſta: Nondū illi inerat ſpiritus vitæ, & iam inerat Spiritus gratiæ; ſed ſpiritus vitæ anima eſt: ergo in Ioanne Baptiſta gratia animam præuenit: Sed quod Ioanni Baptiſtæ conceſſum eſt, dubitari non debet Beatæ Virgini conceſſū eſſe: ergo & ipſa ante animationem ſanctificata fuit. 2. Præterea Hieremiæ 1. dicitur: antequam te formarem in vtero, noui te; nec loquitur ibi de notitia, quæ bonos, & malos cognoſcit, quia per hoc nulla prærrogatiua oſtenderetur ipſius Hieremiæ, ad quem dicta verba proferuntur: ergo oportet intelligi de notitia approbationis: Sed hæc notitia eſt ſolùm bonorum, & habentium gratiā: ergo Hieremias, antequam formaretur, gratiam habuit: ergo & antequam animaretur, quia anima non infunditur, niſi formato puerperio: ergo multo amplius ante animationem B. Virgo ſanctificata fuit. 3. Præterea Anſelmus, lib. de concepta Virginali dicit: Decebat, vt illius hominis Conceptio de Matre puriſsima fieret, qua ea puritate niteret, qua maior ſub Deo nequit intelligi: ſed maior puritas fuiſſet in ea, ſi anima eius nunquam infectionem peccati originalis habuiſſet, quam ſi ad aliquod tempus habuerit, & poſtmodum mundata fuerit: ergo anima illa nunquam originali peccato infecta fuit, aut igitur caro ſanctificata fuit ante animationem, vel ſaltem in ipſo inſtanti confuſionis animæ gratiam ſuſcepit, per quam immunis à peccato originali eſſet. Sed contra in partibus hominis eſt talis ordo, quòd anima eſt Deo propinquior, quàm corpus, ſed virtus alicuius agentis priùs peruenit ad ea, quæ ſunt ſibi propinquiora, & per ea ad magis diſtantia: ergo gratia ſanctificationis à Deo venit ad corpus per animam: ergo antequàm animaretur ſanctificari non potuit. Præterea, contraria nata ſunt fieri circa idem. Sed gratia ſanctificationis præcipuè originali peccato opponitur: cùm ergo ante animationem in prole peccatum originale eſſe non poſsit, quia proprium ſubiectum culpæ eſt anima rationalis, videtur quòd ante animationē B. Virgo ſanctificata non fuerit.* Hucuſque S. Thomas de ſecūda quæſtione, ad quā reſpondit ſic: *Ad ſecundā quæſtionem dicē dū, quòd ſanctificatio B. Virginis non potuit eſſe decenter ante infuſionem animæ*, &c. Et proſequitur vt ſuprà diximus in propoſita auctoritate, quæ etiam eſt extra rem. Tertiam quæſtionem ſic introducit: *Vlterius videtur, quòd nec etiam ante Natiuitatem ex vtero*, &c. Ad quā ſic reſpondit: *Ad tertiam quæſtionem dicendum, quòd B. Virgo ante Natiuitatem ex vtero ſanctificata fuit*, &c. Et proſequitur probādo hoc. Ex his ergo ſtabilitis fundamentis ſecundùm veritatem

Deducimus ſequentia ex legitimis, ac neceſſariis illationibus. Primum, quod Angelicus Doctor in toto ſuo 3. Sententiarum diſt. 3. neque in articul. 1. citato ab Aduerſariis, neque in his dua-

duabus auctoritatibus directè formaliter, & ex profesſò, tractat quæſtionem, ac punctum prin cipale noſtræ controuerſiæ, ſcilicèt, an Virgo Maria fuerit ſanctificata in ipſo inſtanti anima tionis, aut in ipſo potuerit ſanctificari, ſeu an præſeruata fuerit à peccato originali, vel ip ſum contraxerit? nam in prima quæſtione ſolũ agit: An potuerit ſanctificari in parentibus, vel in ipſo actu generationis, vel conceptionis car nalis, id eſt, die 8. Decembris, antequam fœtus formaretur in vtero? In ſecunda quæſtione in quirit, vtrum potuerit ſanctificari ante anima tionem, id eſt, à congulatione ſeminis, vſque quo embryon fuit vltimatè diſpoſitum, & per fectè organizatum antè animæ infuſionem? In tertia quæſtione inquirit, an fuerit ſanctifica ta ante Natiuitatem ex vtero, id eſt, poſt infuſio nem animæ, antequàm ex vtero materno exi ret in lucem? Ergo S. Thomas in hoc articulo, & quæſtionibus non tangit directè, & ex profeſsò quæſtionem principalem, ac præcipuam huius controuerſiæ, an ſcilicèt Virgo Maria fuerit ſanctificata, vel potuerit ſanctificari in ip ſomet primo inſtanti animationis? Dico ſecũ do, quòd incidenter in reſolutione 2. quæſtio nis reſpondit directè, ac formaliter, ſeu, vt com muniter dicitur in propriis terminis, ad quæ ſtionem noſtram, ac principale punctum, cùm dicit: *Ad ſecundam quæſtionem dicendum, quòd ſanctificatio B. Virginis non potuit eſſe decenter ante infuſionem animæ, quia gratiæ capax non dum erat*, nota ſequentia, quia iam reſpondit directè, *ſed nec etiam in ipſo inſtanti infuſionis, vt ſcilicèt per gratiam tunc ſibi infuſam, conſer naretur, ne culpam originalem incurreret, &c.* Hic expreſsè, clarè, ac diſtinctè exprimitur, quòd B. Virgo Maria non potuit ſanctificari decenter ante animæ infuſionem, *nec etiam in ipſo inſtanti infuſionis*, quæ verba directè ſunt ad quæſtionem, ac formaliter, abſque vlla tergi uerſatione videntur concludere: ergo B. Maria contraxit peccatum originale. Tertio dico, quòd ex hac auctoritate, & verbis, cum ſufficiẽ tiſsimo fundamento citant, & adducunt Ad uerſarii pro ſua ſententia Angelicum Doctorem, & per conſequens omnia alia fuerunt ſu perflua, & ſine vllo fundamẽto adducta. Quar to, eadem veritate dicimus, quòd in toto illo articulo non ſunt alia verba, ex quibus directè, vel indirectè circa præcipuum, ac principa le noſtræ controuerſiæ punctum poſsit colligi mens S. Thomæ, vndè ſi illa ſeptem ſuppoſi ta, & intruſa verba, ab aliquo imperito idiota addita, auferantur, in toto articulo, quæſtione imò neque integra diſtinctione vllum remanet veſtigium de controuerſia, quæ nunc in Scholis exagitatur, & idem dico de illis verbis: *Si alia anima inueniretur, quæ nunquam originali ma culam fuiſſet infecta*, quia hæc etiam reſpiciunt di rectè controuerſiæ punctum, propter illam vo cem *anima*. De illis, autem verbis contentis in argumento 3. in auctoritate Anſelmi, ſcilicèt: *Aut igitur caro ſanctificata fuit ante animationem, vel ſaltẽ in ipſo inſtanti confuſionis animæ, &c.* Etiã dico fuiſſet addita & intruſa in textu S. Thomæ, de quibus ſpecialiter agimus infrà in cenſura huius auctoritatis, vbi videbimus palpabiles tenebras, & confuſiones.

Vndè dico (ſalua omni temeritate) & aſſerti uè affirmo, quod verba illa: *Sed nec etiam in ip ſo inſtanti infuſionis, &c.* tam in 3. Argumẽto, quam in Reſolutione contenta fuerunt addita, & ab aliquo plagiario indocto intruſa. Quod nunc probo rationibus (quia infrà auctorit. 5. & in cenſura huius ſecundæ auctoritatis demõ ſtrabitur exemplis, atq; auctoritatibus) Primo, quia Angelicus Doctor in tota illa quæſtione ſolùm intendit probare, Virginem Mariam nõ fuiſſe ſanctificatam ante animationem, hoc proponit in titulo, hoc conatur perſuadere in argumentis, & in reſponſionibus ad obiectio nes, in quibus omnibus nullam aliam conſe quentiam deducit, niſi illam: ergo non fuit ſan ctificata ante animationem. Lege totam quæ ſtionem ſuprapoſitam: nam propter hoc illam tranſcripſi de verbo ad verbum: Ergo ſi illa pau ca verba intruſa nullam habent connexionẽ cũ antecedẽtibus, nec cũ conſequẽtibus: igitur vel Angelicus Doctor loquutus fuit extra propoſitã materiã, vel fuerũt ſuperaddita ab aliquo. Secũ do, probatur ex ipſiſmet verbis, nã ſunt in con grua, friuola, & nullius cohærentiæ inter ſe; etenim directa, & formalis reſponſio ad propoſi tam quæſtionem, erat hæc: *Ad ſecundam quæ ſtionem dicendum, quòd ſanctificatio B. Virginis non potuit eſſe ante infuſionem animæ, quia gra tiæ capax nondum erat*, vndè illud, *decenter*, & illud, *ſed nec etiam in ipſo inſtanti infuſionis, vt ſcilicèt per gratiam tunc ſibi infuſam conſerua retur, ne culpam originalem incurreret*, abſque dubio fuerunt addita, vel ſunt coaptanda, vt ex tant in originali manuſcripto Rayneri de Pi ſis, vt videre eſt ſuprà fol. 708. col. 2. in princi pio. Nam loquendo de inſtanti animationis, quomodo, vel ad quid ingreditur vox illa, *de center*? Etenim propter illam vocem vna propoſitio contradicit alteri: Si materia illa non erat capax gratiæ: ergo neque decenter, neque indecenter poterat ſanctificari: qui dicit, & affir mat: hoc decenter non poteſt fieri, ſupponit, quòd indecenter poterat: qui verò dicit: Petrus non eſt capax huius rei, ſupponit quòd nec de center, nec indecenter poteſt illam habere: ma teria illa ante animationem ab intrinſeco, & ex natura ſua non erat capax ſanctificationis, ſicut lapis non eſt capax gratiæ, nec rationabi litatis: ergo ſtupidus eſſet qui diceret: lapis non poteſt eſſe decẽter rationalis, quia lapis ex ſe ab intrin-

intrinſeco non eſt capax rationabilitatis. Item duo dicuntur hìc, & quòd Virgo non potuerit ſanctificari ante animationem, & quòd nec in ipſa animatione, & aſsignatur duplex cauſa, ſcilicèt, quia non potuit eſſe decenter, & quia gratiæ capax nondum erat, & ex vtroque pede claudicat propoſitio; quia in inſtanti animationis erat capax gratiæ, quod nullus Diſcipulus S. Thomæ hucuſque negauit, nec negare poteſt, poterat tamē eſſe decēs, vel non eſſe decēs: Sed ante animationem nulla erat decentia, nec indecentia, nec poterat eſſe, quia eſt de ſubiecto non ſupponente; at erat alia cauſa, ſcilicèt, quia non erat capax gratiæ: ergo qui hoc addidit, parum ſciebat de impoſsibilitate morali, & phyſica. Tertio, probatur ex illo verbo, *conſeruaretur*, ſi in inſtanti infuſionis fuiſſet data animę Mariæ gratia, quo modo, vel qualiter *cōſeruaretur, nè culpam originalem incurreret?* Conſeruatio ſupponit tempus, & continuam ſucceſsionem, ſed data gratia in inſtanti infuſionis, originalis macula preſcriberet; ad quid ergo conſeruaretur, quid conſeruaretur, nè culpam originalem incurreret? Videntes ergo aſtutus Bandellus, Anonymus, & eius ſequaces, quòd hoc verbum barbaricè erat in textu intruſum, ſcilicèt, *conſeruaretur*, emēdauit, & correxit, dicens, *præſeruaretur*, & benè ad rem, quia ſic facit genuinum ſenſum. Creditis nè ergo, ò Patres mei! quòd intellectus, & calamus Angelicus S. Thomæ, indiguit correctionibus illius Anonymi? Item, quia verba illa tertii argumenti: *Vel ſaltem in ipſo inſtanti confuſionis animæ*, vbi dicendum erat *infuſionis*, non facit ſenſum. Sed de hoc latè infrà in cenſura huius auctoritatis. Quarto probatur efficacius: Quia Bandellus addidit in principio capit. 33. latè ſuum S. Thomam, cuius refert ad litteram quinque auctoritates, ex 3. Part. & ex Quod. 6. ex Compend. Theolog. & ex Sal. Angel. quarum prima eſt ex 1. Sent. diſt. 3. art. 1. & incipit: *Virgo B. fuit in originali, &c.* Quā ad litteram dedimus in auct. antecedenti. At de hac quæ extat in eodem articulo & eſt expreſsiſsima inter omnes alias, imò, vnice expreſſa, quia non eſt altera clara, & formalis pro ipſis, propter illa ſex verba: *Nec etiam in ipſo inſtanti infuſionis*, & de hac nullam facit mentionem: igitur ſuo tempore non erat in originalibus ab ipſo viſis. Quinto, quia nec in ſecundo opere, ab eius Correctore, ſeu Continuatore, nec in tertio Petri de Vincentia, nec aliquo alio ex antiquis Scriptoribus extat hæc auctoritas S. Thomæ: ergo ſignum eſt, quòd non in omnibus antiquis originalibus erant prædicta verba. Sexto, & efficacius, nam Bandellus, & eius Continuator, atque etiam Petrus de Vincentia addiderunt hęc verba: *Nec in ipſo inſtanti animationis, &c.* in 3. parte, quæſt. 27. vt videbimus infrà auctoritate 5. contra veritatem, & mentē S. Thomæ adulterando eius textum; ſi ergo prædicta verba eſſent in 3. Sententiarum, quare hic illam prætermitterent, & ibi illam fingerent? Perpende vim huius rationis, quia videtur concludere. Septimo, quia Angelicus Doctor in tribus diuerſis locis recapitulauit illa, quæ docuerat in Sentētiariis, ſcilicèt, in 3. part. & in duobus Cōpendiis Theologiæ, vno impreſſo, & altero manuſcripto, & in nullo iſtorum appoſuit illam clauſulam: *Nec etiam in ipſo inſtanti infuſionis, &c.* Igitur iſta non erāt, nec extabant in Sententiariis. Octauo, quia S. Thomas in Sētentiariis ſecutus eſt in omnibus, & per omnia veſtigia ſuorum magiſtrorum Alberti Magni, atque Alexandri Alenſis, & in hac 3. diſt. tranſcripſit verba ad litteram, vt etiam notauit Dionyſius Carthuſianus in 3. diſt. quæſt. 1. de Conceptione Virginis, §. *Propterea ſcripta S. Thomæ ſuper dubijs iſtis prorſus concordant dictis Alexandri, & Bonauenturæ, &c.* Sed in Alexandro Alenſi, & Bonauentura non extat clauſula illa: *Nec etiam in ipſo inſtanti infuſionis.* Vt ſuis locis notauimus, imò ſemper illam addiderūt ex propriis Aduerſarii: ergo eodem modo fuit addita in S. Thoma. Nono, quia hæc eadem numero verba *in ipſo inſtanti infuſionis*, atque illud verbum, *conſeruaretur*, inueniuntur in Sūma Rayneri de Piſis, & ibi iudicantur fuiſſe addita, & intruſa, vt diximus num. 265. ad finem: ergo idem præſumere poſſumus de illis exiſtētibus in D. Thoma. Vltimo probatur demonſtratiuè: inſignis Comentator Angelici Doctoris Caietanus in 3. part. quæſt. 27. art. 2. §. *Ad hoc dicitur, &c.* ſic inquit: *Nam abſolutè loquendo, inter illas duas poſitiones extremas, ſcilicèt, quod fuerit ſanctificata vel ante infuſionē animæ, vel poſt infuſionē animæ, eſt poſitio media quòd fuit ſanctificata in inſtāti infuſionis animæ, cuius opinionis Auctor hic nō meminit, quia tempore ſuo non erat adinuenta, &c.* Ex quibus Caietani verbis duo deducūtur. Primum quòd antiqui ſolùm impugnabāt ſanctificationem carnis ante animationem, quòd iuxta demonſtratum in toto hoc libro veriſsimum eſt. Secundum, quòd tempore S. Thomæ, & aliorum nō erat adinuentum illud, an Virgo Maria fuerit ſanctificata in inſtanti infuſionis animæ: hoc autem dictum Caietani falſum eſſet, ſi in S. Thoma eſſent ſuo tempore propoſita verba, *nec etiam in ipſo inſtanti infuſionis*: ergo poſteà fuerunt addita ab illis, de quibus ſuprà diximus. Et ſi iſta non vos conuincunt, ſuſpendite iudicium vſque ad 5. & 6. auctoritatem, & in cenſura huius auctoritatis ad finem, §. *Item ſecunda auctoritas.*

Tertiam ergo ſic adducunt: Item idem in ſequenti articulo: *Duplex ergo ſanctificatio Virginis fuiſſe dignoſcitur, prima, qua in vtero ſanc-*

cti-

ctificata fuit, secunda in Conceptione fuit Saluatoris, & quia sanctificatio emundationem à culpa dicit, quæ sine gratia esse non potest gratiæ autē est, firmitatem quandam efficere, ideò effectus sanctificationis est duplex, videlicèt, emundare, & confirmare, quantum autem ad vtrumque effectum secunda sanctificatio primam excessit. In prima enim, vt communiter ab omnibus tenetur, ab originali fuit purgata peccato, quantum ad reatum, & maculam personæ fomes autem peccati, etiam post primam sanctificationem, per essentiam remansit in ea, sed ligatus, & impeditus per gratiam sanctificātem, ne in peccatum declinaret, aut à bono retraheret. Per secundam autem sanctificationem, fomes ille essentialiter subtractus est. Prima autem Virginis sanctificatio aliorū sanctificationibus excellētior fuit. Quod sic patet: nam in sanctificatione generali, quæ fit per legem communem in Sacramentis, tollitur quidèm culpa, sed remanet fomes solutum inclinans ad peccatum mortale, & veniale. In alijs verò in vtero sanctificatis non remanet solutus fomes vt inclinat ad mortale, remanet tamen solutus, vt inclinat ad veniale peccatum, sicut patet in Ioanne Baptista, & Hieremia, qui peccatū veniale habuerunt; sed non mortale. In sanctificatione verò Virginis fomes remansit legatus quantum ad inclinationem ad peccatum mortale, & veniale, & quod plus, est gratia sanctificationis, vt dicitur, non solùm repræsit motus illicitos in ipsa, sed etiam in alijs efficaciam habuit ita vt quamuis esset pulchra corpore, à nullo vnquam concupisci potuerit; & ideò sicut in prima sanctificatione Virginis quædam fuit emundationis inchoatio, remoto originali peccato quātum ad culpam; ita etiam fuit in ea quædam inchoatio confirmationis, quia per gratiam sanctificātem immunitatem à peccato deinceps consecuta est, quæ quidèm immunitas à tribus causabatur. Primo, ex ligatione fomitis, qui ad malum eam non inclinabat. Secundo, ex inclinatione gratiæ, quæ eam in bonum ordinabat, quāuis per eam nondum esset eius liberum arbitrium in fine vltimo stabilitum, sicut est in Beatis, qui ad finem vltimum peruenerunt. Tertio, causabatur ex conseruatione Diuinæ prouidentiæ, quæ eam intactam custodiuit ab omni peccato, sicut & in primo statu hominem ab omni nociuo protexisset. In secunda verò sanctificatione, & emundatio, & confirmatio in bono, quæ in primo fuerat inchoata, quodammodo consummata est, secundùm perfectionem patriæ: quod sic patet. Nam in prima sanctificatione ablata fuit inclinatio fomitis, remanente essentia eius, in secunda verò subtractus fuit ille fomes totaliter, remanentibus adhuc pœnalitatibus ex peccato causatis, à quibus omnibus plenè liberata est per gloriam Assumptionis. Similiter ex altera parte, in prima sanctificatione collata fuit gratia inclinans liberum arbitrium efficaciter ad bonum, quamuis non esset sufficiens ad tollendum eius flexibilitatem in malum, quam flexibilitatem etiam homo in statu innocentiæ habuit, & Angeli antequam essent Beati. In secunda verò sanctificatione gratia superaddita fuit, quæ potentiam liberi arbitrij implenit, vt in malum de cætero flecti non posset, non quidèm liberum arbitrium tollendo, sed eius defectum auferendo. In Assumptione verò ipsius per gratiam perfectam, in gloriam transeuntem, vltimo fini coniuncta est, ex quo immobilitas causatur liberi arbitrij. Hæc Aduersarii ex D. Thoma.

Vt brevitati consulamus (quia hæc auctoritas latissima est, & ad illam regulandam necesse esset, integrum trāscribere articulum 2. quia ex toto illo ipsum fabricarunt) supposito textu S. Thomæ, quem passim inuenire poterit Lector, solùm indicabo illa, in quibus à veritate præsens auctoritas discrepat. In illo ergo 2. articulo, cuius titulus est: *Vtrum Beatissima Virgo per sanctificationem in vtero fuerit totaliter ab originali mundata?* In quo solùm tres excitat quæstiones. Primam principalem propositam in articulo. Secundam, vtrum per sanctificationem in vtero immunitatem à peccato actuali consecuta fuerit. Tertiam, vtrum per secundam sanctificationem, quæ in Conceptione Saluatoris fuit confirmationem in bono consecuta fuerit? Et examinatis his tribus inquit: *RESPONDEO. Ad primam quæstionem dicendum, quod duplex sanctificatio Virginis esse dignoscitur, &c.* Et prosequitur auctoritas, vt refertur ab Aduersariis, exceptis sequētibus vitiis. Primo addiderunt ly, *fuit*, & mutauerunt ly, *facere*, in, *efficere*. Secūdo, vbi S. Thomas, & benè, *gratiæ autem*; ipsi in nominandi casu, *gratia*, sed hic potuit esse error Typographiæ. Tertio, S. Thomas, *sanctificationis in generali*, ipsi prætermiserunt illud, *in generali*. Quarto, vbi Sanctus Thomas, *perfecit primam*; ipsi sic, *primam excessit*. Videquantum inter se distent in omnibus, *perfecit*, & *excessit*. Quinto, vbi S. Thomas, *secundùm quod*; ipsi totam syncoparunt in ly, *vt*. Sexto, vbi Thomas, *à peccato originali quantum ad maculam, & reatum purgata fuit*; ipsi sic, ab originali fuit purgata peccato, quantum ad reatum, & maculam *personæ*. Nota, Lector, si execrabilior adulteratio excogitare poterat ipsemet primus inimicus homo, addentes illud *personæ*, vt determinarent maculam existentem iam in persona ipsa Virginis, & transmutantes totum textum Angelici Doctoris. Septimo, immediatè post prosequitur S. Thomas sic: *Sed de emūdatione eius à fomite diuersimodè opinantur: quidam enim dicūt, &c.* Vbi latè refert aliquas sententias circa extinctionem fomitis, quæ omnia cauillosè, & astutè prætermiserunt Aduer-

uersarii. Octauo, vbi S. Thomas post quadraginta octo lineas, prosequitur sic: *Vnde relinquitur, vt alij dicunt, quòd fomes per essentiam post primam sanctificationem remansit: sed impeditus per gratiam sanctificantem, ne in peccatum inclinaret, aut à bono retraheret*; ipsi continuarunt antecedentibus vna continua, ac indiuisibili oratione; nec hoc fecerunt legaliter; nam Nono, prætermiserunt illud, *vnde relinquitur, vt alij dicunt*, vt habilirent illam esse sententiam D. Thomæ, auferēdo diuersitatem opinionum. Decimo, vbi S. Thomas, *quod fomes per essentiam*; ipsi abstulerunt ly, *quod*, & addiderunt ly, *peccati*, & ly, *etiam*, quod non recta intentione factum est. Vndecimo, addiderunt illud, *in ea*, vt in illo relatiuo includerēt Mariam, quā non expressérat S. Thomas. Duodecimo, vbi S. Thomas, *sed impeditus*; ipsi, sed *ligatus*, & impeditus: de aliis vitiis, ac transmutationibus verborum non curamus. Decimotertio, ante illa verba, *per secundam autem*, prætermiserunt duas lineas. Decimoquarto, ex corpore articuli transierunt ad Responsionem quarti argumenti, vt suam continuarent auctoritatem, prætermittendo decem & octo lineas. Decimo quinto, vbi S. Thomas, *Ad quartum dicendum, quòd illa sanctificatio B. Virginis excellentior fuit, &c.* ipsi sic, *Prima autem Virginis sanctificatio*, quo suam declararunt intētionem. Decimosexto, vbi S. Thomas, *in sanctificatione enim, quæ fit per legem communem in Sacramentis*; ipsi addiderunt in sanctificatione illud, *in generali*. Decimoseptimo, vbi S. Thomas, *remanet fomes inclinans*; ipsi sic, remanet fomes *solutus*, nota differentiam inter, *inclinās*, & *solutus*? Decimooctauo, vbi S. Thomas, *in sanctificatis in vtero non manet fomes*; Aduersarii sic, *in alijs verò* in vtero sanctificatis non manet *solutus* fomes, iterum redeunt ad solutiones, quia solutæ, & dissolutæ diuagabant falsitates. Decimonono, omnia sequentia verba manent alterata, ac vitiata, à quibus supersedeo; quia agunt de sanctificatione Ioānis, & Hieremiæ. Vigesimo, vbi S. Doctor, *sed in B. Virgine inclinatio fomitis omninò sublata fuit*, Aduersarii sic, *in sanctificatione verò Virginis fomes remansit ligatus*. Vtinam & vestra ligaretis verba ad verum textum, quia non esset tanta differentia inter vtramque sententiam! Vigesimoprimo, ex Responsione ad quartum transierunt ad secundam quæstionem prætermissa tota Responsione ad quintum. Vigesimosecundo, vbi S. Thomas, *quantum ad culpam, & ligato fomite*, ipsi prætermiserunt ly, *ligato fomite*. Vigesimotertio, verba illa, *in secunda verò sanctificatione*, desumpserunt ex tertia quæstione, prætermittendo viginti lineas. Vigesimoquarto, addiderunt ex proprio cerebro verba illa: *Quæ in primo fuerant inchoata*, quæ non extant in S. Thoma. Vigesimoquinto, abstulerunt ly, *gloriosa*, quia erat epithetum honorificum Virgini Mariæ. Vigesimosexto, vbi S. Thomas, *in secunda verò fuit extinctus ipse fomes*; Aduersarii sic, in secunda vero *substractus* fuit *ille* fomes *totaliter*. Vigesimo septimo, vbi S. Thomas, *vt in cōtrarium flecti*, ipsi, vt in *malum de cætero*. Vigesimooctauo, tota vltima clausula manet vitiata, cuius verba non regulamus ad veritatem, quia pro nostro Cōceptionis assumpto sunt vitia parui momēti. Inuenimus igitur in propositis tribus auctoritatibus quadraginta quatuor vitia præcipua, alia verò minoris momenti sunt triginta, de quibus non curamus.

Quartam auctoritatem sic adducunt: Item in solutione articulorum: *Si*, inquit, *B. Virgo ante Christi passionem mortua fuisset, ad Dei visionem non fuisset admissa, sicut nec alij Sancti Patres, quamuis enim in illis remotus fuisset reatus ad personam pertinens, remanebat tamen reatus naturæ, qui per Christi passionem sublatus est, & ideò esse sine peccato dicitur, esse proprium Christo, qui nec originali, nec actuali peccato vnquam fuit infectus: Virgo autem Mater eius fuit quidem originali peccato infecta, à quo antequā nasceretur, fuit mundata, sed ab actuali peccato omninò fuit immunis, quam immunitatem consecuta est per ligationem fomitis, & gratiam sanctificantem, & per custodiam Diuinæ prouidentiæ, sine qua etiam fomite omninò extincto peccare potuisset, sicut Adam peccauit, qui fomitem non habebat. In secunda verò sanctificatione ablata est potentia peccandi. Sed est sciendum, quòd potentia peccandi potest dupliciter auferri, vno modo, quia liberum arbitrium vltimo fini coniungitur, qui ipsum superimplet, vt nullus in eo defectus remaneat, & hoc modo potentia peccandi tollitur per gloriam consummatam, & ideò in nullo viatore ponitur potentia peccandi hoc modo..... Aliomodo tollitur potentia peccandi per hoc quòd alicui tanta gratia infunditur, quòd omnem defectum auferat aliquo modo. & hoc modo in B. Virgine, quando concepit Filium ablata est potentia peccandi, quamuis in statu viæ remaneret.* In hac auctoritate sunt sequentia vitia, & primo est illud, *in solutione articulorum*, quia S. Thomas nullam solutionem habet articulorum: si autem voluerunt dicere, quod hæc verba desumpta erant ex diuersis solutionibus articulorum, vt reuerà factum est, non debebant dicere, *in solutione*, sed in solutionibus, nec etiam *articulorum*, sed articuli, quia ex solo vno articulo desumptæ fuerunt. Secundùm vitium sit, quòd prima verba desumpserunt ex 1. quæst. in Responsione ad primum argumentum, sed auferentes ly, *quod*, & in S. Thoma est, *non admitteretur*. Itē vbi Aduersarii, *Sancti Patres*: S. Thomas habet,

bet, *antiqui* Patres, mutarunt etiam ly, *eis*, & ly, *esset*, in illud, *illis*, &, *fuisset*. Tertium vi iuni cit quia illa, *& ideò esse sine peccato*, addita sunt falso ex proprio cerebro, vt continuarent auctoritatem cum sequentibus verbis. Quartum, à Responsione primi argumẽti quæstionis primæ, continuò calamo & oratione, transierunt ad Responsionem tertii argumenti secundæ quæstionis. Quintum, quòd vbi S. Thomas, *quia ipse nunquam, nec actuali, nec originali macula*; Aduersarii sic, *qui*, nec originali, nec actuali *peccato*, & quod omnia hæc fuerint facta ex destinato animo, ex ipsis verbis constat. Sextum, vbi S. Thomas, *à peccato actuali omni nò immunis fuit*; ipsi transmutantes dixerunt, *sed ab actuali peccato omninò fuit immunis*, alia etiã sunt ibidẽ vitia minoris momenti. Septimũ, quòd ex respõsione ad argumentũ 3. secundæ quæstionis transierunt continuatis verbis ad responsionem argumenti primi tertiæ quæstionis. Octauum, quod omnia illa verba coaptarunt secundùm suum genium, & ad suum propositum: nam in S. Thoma non extant, vt ab ipsis proponuntur; sed sic: *Ad primum ergo cõtra hoc obiectũ dicendum, quòd in prima sanctificatione consecuta est immunitatem à peccato, nõ per gratiam confirmantem, sed per ligationem fomitis ad malum inclinantis, & per custodiam Diuinæ prouidentiæ, sine qua etiam fomite omninò extincto, peccare potuisset, sicut & Adam peccauit, nisi esset in ea gratia consumata.* Confer verba verbis, & videbis in quantis differunt. Nonum, verba illa, *in secunda verò sanctificatione ablata est potentia peccandi*, omnia sunt ficta, & ab ipsis addita, quia non extant in S. Thoma, nisi dicamus esse multiplicata cum infrà positis in penultima linea. Decimum, respõsionem primi argumenti tertiæ quæstionis cõtinuarunt cum responsione ad secundùm eiusdem quæstionis, in qua etiam aliqua vitiarunt, nam prætermiserunt ly, *puro*, item vbi S. Thomas *sic peccandi potentia soluitur*; ipsi sic, *ponitur potentia peccandi hoc modo.* Item tacuerunt omnia sequentia verba: *Vt cum absolutione potentiæ peccandi tollatur potentia moriendi, nisi in Christo, in quo dispensatiuè remansit, ad opus redemptionis complendum.* Item, nescio quid velint significare in illo spatio prætermisso, quasi ibi aliqua verba deessent, quæ in S. Thoma legi non possent, sed in rei veritate non desunt. Nec etiam intelligo illa duo verba interposita, *aliquo ar.o.* cum abbreuiatura: integra enim clausula sic se habet in Angelico Doctore: *Alio modo auferetur per hoc, quòd gratia tanta infunditur, quæ omnem defectum tollat, & sic in B. Virgine, quando concepit Dei Filium, ablata est peccandi potentia, quamuis in statu viæ ipsa Virgo remaneret*, in solis ergo verbis huius vltimæ clausulæ sunt alia septem vitia, sed reputando illa omnia pro vno, si vndecim hæc adiungas præcedentibus quadraginta quatuor, inuenimus iam in quatuor auctoritatibus suprapositis quinquaginta quinque vitia, & adulterationes magnas.

Quintam auctoritatem sic adducunt: Item in 3. part. quæst. 27. artic. 2. *Sanctificatio*, inquit, *Beatæ Virginis non potest intelligi ante animationem, nec in instanti animationis, sed post animationem, aliter enim non incurrisset maculam peccati originalis, & per consequens non indiguisset redemptione, & saluatione facta per Christum, quod est inconueniens. Hæc ille* ibi, & articul. 3. & 5. Hucusque Bandellus, & cum ipso cæteri scribentes post illum. Anonymus verò istam adducit sic: *Sanctificatio*, inquit, *Beatæ Virginis, ante animationem eius intelligi non potest, duplici ratione. Primo quidèm, quia sanctificatio, de qua loquimur, non est nisi emundatio a peccato originali. Sanctitas enim est ab omni immunditia, perfecta, & immaculata munditia, vt dicit Dionysius 12. cap. de Diuinis nominibus, culpa autem non potest emundari, nisi per gratiam, cuius subiectum est sola creatura rationalis: ideò ante infusionem animæ rationalis B. Virgo sanctificata non fuit. Secundo, quia cùm sola creatura rationalis sit susceptiua culpæ, ante infusionem animæ proles non est culpæ obnoxia, & sic quocumque modo Beata Virgo ante animationem sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpæ, & tunc non indiguisset redemptione, & saluatione facta per Christum, de quo dicitur Matthæi 1. Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Hoc autem est inconueniens, quod Christus non sit Saluator omnium, vt dicitur 1. ad Timoth. 4. Vndè relinquitur, quod sanctificatio Virginis fuerit post eius animationem. Hæc ille.* Pro examinanda veritate huius auctoritatis, quia iam peruenimus ad præcipuam partem, & quæstionem Sancti Thomæ, dico, quod in 3. parte, præallegata quæstion. 27. cuius titulus est: *De Beata Virginis Mariæ sanctificatione, in sex articulos diuisa.* Articuli sunt sequentes: Primus, *Vtrum Beata Virgo Mater Dei, fuerit sanctificata ante Natiuitatem ex vtero?* Secundus, *Vtrum fuerit sanctificata ante animationem?* Tertius, *Vtrum per huiusmodi sanctificationem fuerit sibi totaliter sublatus fomes peccati?* Quartus, *Vtrum per huiusmodi sanctificationem fuerit consecuta, vt nunquam peccaret?* Quintus, *Vtrum per huiusmodi sanctificationem adepta fuerit plenitudinem gratiarum?* Sextus, *Vtrum sic sanctificari fuerit proprium sibi?* Isti sunt sex Articuli, & omnia quæ habet Angelicus Doctor, de sanctificatione Mariæ: require, ò Lector! amore Dei iterum legendo proposita, an inuenias præcipuam, ac principalem quæstionem nostræ contro-

trouerſiæ? Vtrum, ſcilicèt, Virgo Maria ſanctificata fuerit, vel potuerit ſanctificari in ipſo inſtãti infuſionis animæ, vel animationis? Cũ hic non extet neque in 3. Sent. diſt. 3. vt ſuprà notauimus, colligitur clarè quod S. Thomas, non tetigit ex profeſſo punctum, & ſcopum præſentis controuerſiæ. Vtrum autem hoc fecerit ſaltem incidenter, hoc opus, hìc labor. Ille Thomiſta clarus, & Dominicus occultus in curſu Salmãt. fol. 640. à veritate victus, inquit, de S. Thoma: *Quòd verò fuerit in gratia, vel in peccato concepta, neque directe aliquando quæſiuit, neque omninò per ſe examinauit, nec circa hoc nimium fuit ſolitus, &c. Sed euertit accurate illam quæ ponebat Virginem ſanctificatam ante animationem.* Et in hoc verum dixit, ſicut etiam affirmat Caietanus in Cõmentario huius articuli? Vide etiã quæ dicimus infrà, poſt omnes auctoritates, ad finem: nam ibi mirabilia te expectant.

Hoc ergo prænotato. Auctoritas adducta ab Aduerſariis eſt deſumpta ex articulo 2. vbi quæritur: *Vtrum Beata Virgo fuerit ſanctificata ante animationem?* Et ſic ex præfixo ſcopo in titulo, conſtat quod auctoritas eſt extra rem, & punctum noſtræ controuerſiæ. Nam ſanctificatio ante animationem ad quid? Vitia verò contenta in hac auctoritate ſunt ſequentia. Primo, vbi Anonymus: *Sanctitas enim eſt ab omni immunditia perfecta & immacula mũditia.* S. Thomas ſolùm dicit: *Sanctitas enim eſt perfecta munditia*, licet in 3. Sent. diſt. 3. artic. 1. ſic eam diffinit ex eodem Dionyſio: *Sanctitas eſt ab omni immunditia libera, & perfecta, & immaculata munditia.* Diffinitio autem, vt extat in S. Dionyſio, in vltima impreſſ. tomo 1. folio 866. ſic ſe habet: *Sanctitas igitur (vt more noſtro loquar) eſt ab omni ſcelere libera, & omninò perfecta, & omni ex parte immaculata puritas.* Adhuc hic latet anguis, ſed tranſeat. Secundo, auctoritas tota eſt vitiata; præcipuè quia ex proprio cerebro, & abſque vllo timore, addidit illam clauſulam: *Nec in inſtanti animationis*, quæ eſt ſcopus totius controuerſiæ, & hæc verba non extant in Angelico Doctore, nec in originalibus impreſsis, nec manuſcripto exiſtente in Bibliotheca Regia Eſcorialis 11. D. 8. neque in aliquo alio. En Lector, inuenimus ipſiſſimamet verba, quæ in 3. Sentent. etiam fuerunt addita in textu Sancti Thomæ, vt notauimus auctoritate 2. Et in Alberto Magno numero 8. Anct. 3. & in Alexan. Alenſi numero 23. auct. 2. Cognoſcens enim Bandellus quod in rei veritate in tota hac quæſtione, in ſex articulos diuiſa non tangebatur, neque in propriis terminis, neque ſaltem incidenter, præcipuum, ac principale, atque vnicũ & totale præſentis controuerſiæ punctũ, quia S. Thomas ſolùm dicebat: *Sanctificatio B. Virginis non poteſt intelligi ante eius animationem, duplici ratione*, ipſe ipſuper addit: *nec in inſtanti animationis.* Et ſi hoc factum eſt in 3. part. quæ eſt Sancta Sanctorum in operibus Thomæ, ad quid diſcurrimus de 3. Sententiarum? Nec fuit ſola hæc adulteratio, ſed alia execrabilior. Nam in textu S. Thomæ antequam macularetur (ſi credendum eſt Ioanni Bromiardo antiquo, & docto Ordinis Prædicatorum ſcriptori) hæc tertiæ partis verba quæſt. 27. art. 2. ſic ſtabant: *Sanctificatio B. Virginis non poteſt intelligi ante animationem, ſed in ipſa animatione, id eſt, in cõiunctione animæ cum corpore, &c.* Venit quidã. N. & abſtulit verba illa: *Sed in ipſa animatione, id eſt, coniunctione animæ cum corpore, &c.* Et ſuperueniens Bandellus ſuperaddidit illud: *Nec in inſtãti animationis.* Sicque à terra illa benedicta, Thomiſtica, & agro Angelico vnus auulſit quæ erant pro noſtra ſententia expreſſa, & alter plantauit quæ erant pro ſua opinione, vt ſic eſſet falſitatis coccum bis tinctum in ſanguine Agnæ. Sed de hoc iterum redibit ſermo infrà. Tertio, etiam vitiauit auctoritatem, ex reſpõſione ad 4. argumentum, nam in S. Thoma ſic extat: *Et ideò ſi parentes B. Virginis fuerunt mũdati à peccato originali, nihilominus B. Virgo peccatum originale contraxit, cùm fuerit concepta ſecundùm carnis concupiſcentiam, ex cõmixtione maris & fœminæ.* Hæc ſunt verba S. Thomæ, quibus reſpondit ad argumentum 4. quod tale eſt: *Præterea Apoſtolus dicit Roman. 11. Si radix ſancta, & rami: radix autem filiorũ ſunt parentes eorum, potuit ergo B. Virgo ſanctificari & etiam in ſuis parentibus ante animationem.* Hoc etiam argumentum ad litteram adducit S. Thomas in 3. Sent. art. 1. in 1. quæſt. vbi quærit vtrũ Virgo ſanctificata fuerit antequam conceptio carnis eius finiretur? Cõſtat ergo ex titulo quæſtionis, & cõcluſione, & argumento, & ex ipſamet ſolutione, quòd S. Thomas hìc nõ loquitur de peccato originali cõtracto in animatione, ſeu animæ infuſione, quam modo vocamus Cõceptionem: ſed de ſorde, fomite, ac pruritu ex ardore libidinis, & cõcupiſcentiæ parẽtum relicto in ſemine, embryone, ac carne genita prolis & fœtus: hanc enim generationẽ carnalẽ ſemper & vbique, ac millies ore pleno vocat S. Doctor cõceptionẽ abſolutè & ſimpliciter, & ſic in 3. diſt. 3. ad 3. ſecũdæ quæſtiunculæ, inquit: *Dicẽdum quod cõcubitus, quo B. Virgo cõcepta fuit, meritorius creditur, &c.* Cũ concubitu cõiungit conceptionem, vide etiam ſuprà auctoritatem 1. ſicut etiam illud relictum in carne genita vocat peccatũ originale, & ſic tam hæc, quam aliæ auctoritates deſumptæ ex hoc articulo non ſunt ad rem, neque ex illis poteſt deduci argumentum efficax: Siquidem omnes tendunt ad ſanctificationem ante animationem, vt ex ipſiſmet verbis conſtat, & in hoc non eſt neceſsè terere tempus, quia eius Commenta-

tor Caietanus sic intelligit, & explicat S. Thomam; vide ibi.

Sextam auctoritatem sic adducunt: Item in eodem articulo, in responsione 2. argumenti: *Si*, inquit, *anima B. Virginis nunquam fuisset originalis peccati contagio inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundùm quam est omnium hominum Saluator vniuersalis, & ideò sub Christo qui saluari non indiguit, tanquam vniuersalis Saluator, maxima fuit puritas B. Virginis, nam Christus non contraxit peccatum originale, sed in ipsa sui Conceptione fuit sanctus secundum illud Luc. 1. Quòd enim ex te nascetur Sanctum, &c. Sed B. Virgo cõtraxit quidem originale peccatum, sed ab eo fuit mundata, antequã ex vtero nasceretur. Et hoc significatur Iob 3. vbi de nocte originalis peccati dicitur: Expectet lucem, id est, Christum, & non videat, quia nihil inquinatum incurrit in illum, vt dicitur Sapient. 7. Nec ortum surgentis Auroræ, id est, B. Virginis, quæ in sui ortu ab originali peccato fuit immunis.* In hac auctoritate sunt vitia sequẽtia. Primum, quod addiderunt illud omnium *hominum*; nam in originali solùm est *omnium*. Secundum, vbi S. Thomas, *nam Christus nullo modo contraxit originale peccatum*, in quibus indicat peccatum originale contrahi diuersis modis, secundùm suum loquendi modũ, scilicèt, in carne, ex generatione carnali, & cõcupiscentia parentum; & etiam in anima, ex carnis infectæ informatione, Aduersarii astutè, abstulerũt ly, *nullomodo*. Tertio, quia hæc quæ S. Thomas adducit ad probandum Virginem cõtraxisse peccatum originale causale ante animationem, id est, in ipsa sua generatione, à quo solus Christus fuit immunis, quia genitus fuit absque libidine, concupiscentia, vel vlla carnis delectatione (quam tam S. Thomas, quã alii Doctores antiqui, vocabant originalem maculam, culpam, peccatum) Aduersarii adducũt ad probandum originale formale, contractum in animatione prolis. Hoc constat ex titulo quæstionis, ex ipsa conclusione D. Thomæ, & denique ex argumento ad quod respõdit Angelicus Doctor, quod sic se habet: *Secundo præterea cõueniens fuit (sicut Anselmus dicit in libro de Cõcep tu Virginali) vt illa Virgo ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi, vnde & Cãticorum 4. dicitur: Tota pulchra es, Maria, & macula non est in te; sed maior puritas fuisset B. Virginis, si nũquam anima eius fuisset inquinata contagio originalis peccati: ergo hoc ei præstitum fuit, vt antequam animaretur, caro eius sanctificaretur.* Cùm ergo argumẽtum loquatur de sanctificatione carnis ante animationem, hunc tendit etiam solutio. Fateor, atque profiteor, quod verba S. Thomæ indicant, quod si caro non fuit sanctificata ante animationem, quod anima B. Virginis fuit contagio illo originalis peccati existente in carne inquinata, de quo pronunc non curo; quia solùm desidero ostendere, quòd S. Thomas nec in 3. part. hìc, nec in 3. Senten. nec ex professo, neque saltem incidẽter, tetigerit quæstionem hanc: Vtrum B. Virgo potuerit sanctificari, vel sanctificata fuerit in ipso instanti infusionis animæ, seu animationis, quod etiam fatetur eius Cõmentator Caietanus, vt sæpè notaui. Nam cum ipse dicat in 3. Sent. art. 1. quæ. 2. impugnans quod ante animationem non fuerit sanctificata: *In partibus hominis est talis ordo, quòd anima est Deo propinquior quã corpus; sed virtus alicuius agẽtis prius peruenit ad ea quæ sunt sibi propinquiora, & per ea ad magis distantia: ergo gratia sanctificationis à Deo venit ad corpus per animã: ergo antequam animaretur sanctificari nõ potuit.* Ecce quomodo probat Angelicus Doctor, & quidẽ optimè, quod caro nõ potuit esse prius sancta, quàm anima, neque ex corpore redundare sanctitatem in animam, sed è contrà: probat ergo euidẽter, quod anima non potuit sanctificari ex carne. Sed an anima in primo instanti suæ creationis, & infusionis potuerit esse sancta, & in ipso instanti sanctificare carnem, neque inquirit, neque ventilat, nec saltem minimum pro hac præcipua difficultate adducit verbum. Quia vt inquit Caietanus, *cuius opinionis Auctor hic non meminit, quia tempore suo non erat ad inuenta, &c.* Et si quãdo scripsit tertiam partem, & quæstionem hãc, quòd fuit ad vltimum vitæ suæ terminum (nam propter mortem hanc incompletam derelinquit, quam posteà perfecerunt Albertus de Brixia, & alii) quomodo in 3. Sent. quando inuenis diceret illud, *nec etiam in ipso instanti infusionis animæ.* Vt nũc extat in prædicto 3. Senten.

Septimam auctoritatem sic adducunt: Item idem in responsione ad 4. argumentum dicit: *Est*, inquit, *sanctificatio vna, videlicet totius naturæ, secundùm quam tota humana natura ab omni corruptione culpæ, & pœnæ liberatur, & hæc erit in resurrectione. Alia verò est sanctificatio personalis, quæ non transit in prolem carnaliter genitam, quia talis sanctificatio non respicit carnem, sed mentem, & ideò licet parentes B. Virginis fuerint per talem sanctificationem mundati ab originali peccato, nihilominus tamè B. Virgo ex ipsis genita originale peccatum cõtraxit, quia fuit concepta per carnis concupiscentiam, ex cõmixtione parentum, quæ est causa originalis peccati in prole. Dicit enim Augustinus in 1. de Nuptijs, & cõcupiscentia: omnẽ carnem, quæ de concubitu nascitur carnẽ esse peccati. Hæc ille.* In hac auctoritate, illa absoluta: *Et ideò licet parẽtes*, in S. Thoma est cõditionalis: *Ideò si parẽtes.* Secũdo, addiderũt verba illa, *per talẽ sanctificationẽ.* Cũ ergo hæc auctoritas licet magis lata coincidat cũ auctorit. 5. suprapositã, nihil spetiale in

ea

ea occurrit nisi solũ quod ex hoc vno articulo 3. partis adducũt tres auctoritates (& si totus articulus nõ est ad rem: ergo neq; partes) in quibus sunt octo vitia capitalia, quæ adiuncta antecedẽtibus sunt omnia hucusque 63.

Octauam auctoritatem sic adducunt ex eadẽ quæst. 27. art. 3. *Per primam*, inquit, *sanctificationem, quæ fuit in vtero, non sublata fuit Virginis fomes peccati secundùm essentiam, sed remansit in ea ligatus, non quidem per actum rationis suæ, sicut in viris sanctis, quia pro tunc ipsa nõ habuit vsum liberi arbitrij, hoc enim fuit speciale priuilegium Christi, quod in vtero Matris perfectè vsum liberi arbitrij habuit; sed hoc fuit per abũdantiã gratiæ, quam in sanctificatione recepit, & per diuinã prouidentiã, sensualitatem eius ab omni motu inordinato prohibentem. Postmodum vero in ipsa conceptione carnis Christi, in qua primo debuit refulgere immunitas peccati, credendum est, quod ex prole redundauerit in Matrem, totaliter fomite sublato, & hoc significatur Ezechiel. 43. vbi dicitur: Gloria Israel ingredietur per viam orientalem, id est, per B. Virginem, & terra, id est, caro ipsius, splendebit à Maiestate eius, id est, Christi. Hæc ille.* Hæc auctoritas est in artic. 3. vbi S. Thomas quærit: *Vtrum per sanctificationem fuerit B. Virgini fomes totaliter sublatus?* Cuius resolutio sic incipit: *Respon. dicendum, quod circa hoc sunt diuersæ opiniones.* Et ad finem concludit: *Et ideò videtur melius dicendũ, quod per sanctificationem in vtero, &c.* Primo ergo quod S. Doctor dicit dubitatiuè, Aduersarii auferendo verba, fecerunt conclusionem absolutè affirmatiuam. Secundo, addiderunt ly *primam*, quæ vox non extat in S. Thoma. Tertio, abstulerunt hãc clausulam: Non habuit vsum liberi arbitrii, *adhuc in ventre Matris existens.* Quarto, addiderunt totum illud de Christo, *qui in vtero Matris perfectè vsum liberi arbitrij habuit*, quod licet verum sit, non tamen extant hæc verba in S. Thoma. Quinto, prætermiserunt illud, *& etiam perfectus.* Alia etiam restant parui momenti vitia. Iam ergo sunt 68. vitia. In hac auctoritate solùm dicit S. Thomas, quod per sanctificationem non fuit sublatus à Virgine fomes secundùm essentiam: ex quo solùm illatiuè arguũt Aduersarii: habuit Maria fomitem quoad essentiam: ergo & originale, quia fomes non potuit causari, nisi à peccato. Sed de hoc in Caietano.

Nonam auctoritatem adducunt sic: Item eadem quæst. arti. 5. ad 2. argumẽtum dicit: *Quod sicut in rebus naturalibus inuenitur triplex perfectio. Prima quidem est perfectio dispositionis, puta quando materia est perfectè disposita ad formam, secũda est pefectio formæ iam adeptæ, quæ est potior, & perfectior quã illa, quæ disponebat ad formam ignis. Tertia autem est perfectio finis vltimi iam consecuti, sicut ignis tunc habet perfectissimè suas qualitaes cùm ad locum suum peruenerit. Similiter enim in B. Virgine fuit triplex consideratio gratiæ. Prima quidem quasi dispositiua, per quam reddebatur idonea ad hoc quod esset Mater Christi, & hæc fuit perfectio sanctificationis in vtero. Secũda verò perfectio gratiæ fuit ex præsentia Filij Dei in eius vtero Incarnati. Tertia verò est perfectio finis, quam habuit, quãdo assũpta fuit in gloria, quòd autem secũda perfectio sit potior prima & tertia quam secunda, patet dupliciter. Vno quidem modo per liberationẽ à malo: nam per primam sanctificationem fuit liberata à culpa originali, in Conceptione autẽ Filij Dei fuit totaliter liberata à fomite peccati; in sua verò glorificatione fuit etiam liberata ab omni pœnalitate, & miseria. Alio modo hoc patet ex ordine ad bonũ: nam in prima sui sanctificatione adepta est gratiam inclinantem ad bonum, in Conceptione verò Filij Dei collata est ei gratia cõfirmãs eam in bono, in sui vero glorificatione confirmata est eius gratia, perficiens eam in fruitione omnis boni. Hæc ille.* Hoc enim dicit art. 4. ad primũ, & art. 6. dicit quod prima sanctificatio eius maior fuit quam Hieremiæ, & Ioannis Baptistæ. Idem dicit in 4. Senten. dist. 6. quæst. 1. artic. 1. Hucusque Aduersarii.

Beatus ergo Thomas, in illo artic. 5. cuius titulus est: *Vtrum B. Virgo per huiusmod sanctificationẽ, adepta fuerit plenitudinem omnium gratiarum?* proponit tale argumentum. Secundo: *Præterea ei quod est plenum, & perfectum, nõ restat aliquid addendum, quia perfectum est cui nihil deest, vt dicitur in 3. physic. sed B. Virgo postmodum additionem gratiæ suscepit, & quando Christum concepit (dictum est enim Lucæ 1. Spiritus Sanctus superueniet inte) & iterum quãdo in gloria est assumpta: ergo videtur quòd non habuerit in sua prima sanctificatione plenitudinem gratiarum.* Ad quod argumentum respodit, propõsita verba ab Aduersariis adducta, in quibus cõmiserunt vitia sequentia. Primo, tota illa prima clausula est vitiata, & addita quam plura verba quæ non extant in S. Thoma. Secundo, vbi Angelicus Doctor, *in Virgine fuit triplex perfectio gratiæ*, Aduersarii, nescio quo fine, & genio dixerunt: triplex *consideratio*, quasi fugientes à perfectione gratiæ Mariæ, vel perfectio gratiæ Mariæ consisteret non in re, sed solùm in consideratione. Tertio, addiderũt ly *in vtero*. Quarto, vbi S. Thomas solùm dicit, *mundata à fomite*, ipsi, *liberata à fomite peccati*, fortè quia plus exprimebat ipsorum intentum, *liberata*, quam *mundata*; & addentes ly *peccati*. Quinto, addiderunt ly, *pœnalitate*. Sexto, vbi Sanctus Thomas, *In Conceptione autem Filij Dei consumata est eius gratia*; ipsi sic, *collata* est *ei* gratia, fortè abhorrentes videre in Maria, ex suo S. Thoma consummationem gratiæ, quia aliàs illam tribuerat Sanctus Thomas Chri-

ſto Domino, & quòd hoc non fuerit factum ex ſimplicitate, patet ex ſequenti vitio, & ſit Septimum. nam conſequenter, loco, *conſummata*, ipſi dixerũt *cõfirmata*. Octauo, ad illud quod adducunt: *Hoc idè dicit articul. 4. ad primum*, dico quod ibi ſolùm ſunt hæc verba: *Ad primum ergo dicendum quòd in B. Virgine poſt ſanctificationem in vtero remãſit quidem fomes peccati ſed ligatus, ne ſcilicèt prorrumperet in aliquem actum inordinatum* Si ergo propter hæc verba poteſt affirmari: *Hoc idem dicit*, id eſt, Virgo Maria fuit concepta in peccato originali, Lector iudicet. Nono, fatemur quod Sanctus Thomas in prædallegato articulo 6. ad primum dicit, quod Beata Virgo ampliorem ſanctificationis gratiam obtinuerit, quam Ioãnes & Hieremias, ſed negamus quod aliquid amplius dicat, vel ſumat in ore primam ſanctificationem. Decimo, ad illud quod ſuperadduntur: Idem dicit in 4. Sent. diſt. 6. artic. 1. dicimus, quod ibi quærit S. Doctor, *Vtrum Natiuitas ex vtero in baptizando ſit expectanda?* Atque in toto articulo nec verbum quidem habet de Virgine Dei Matre, vel de eius ſanctificatione. Vndè hæc citatio ſolùm fuit adducta ad angẽdum numerum palearum, & abſque vllo minimo fundamento. Hucuſque ergo in propoſitis nouem auctoritatibus ſunt iam vitia ſeptuaginta octo, & aliqua capitaliſsima, quia ſunt totius auctoritatis.

Decimam auctoritatem ſic adducunt ex Quodlib. 6. quæſt. 4. artic. 1. & ſecundum alios quæſt. 5. *Eſt*, inquit, *conſiderandum quòd vnuſquiſque peccatum originale contrahit, ex hoc quod fuit in Adam ſecundum ſeminalem rationem, ſicut dicit Auguſtinus 10. ſuper Geneſ. ad litteram, omnes autem illi in Adam fuerunt ſecundum ſeminalem rationem, qui non ſolùm ab eo carnẽ acceperũt, ſed etiam ſecundum naturalem modum originis ab eo ſunt propagati. Si autem proceſsit ab Adam Beata Virgo, quia nata fuit per commixtionem ſexuum ſicut & cæteri, & ideò concepta fuit cum originali peccato, & includitur in vniuerſitate eorum, de quibus Apoſtolus dicit ad Roman. 5 in quo omnes peccauerunt, à qua vniuerſalitate ſolus Chriſtus excipitur, qui in Adam non fuit ſecundùm ſeminalem rationem, alioquin ſi hoc alteri conueniret quam Chriſto, non indigeret redemptione facta per Chriſtum, & ideò non tantum debemus dare Matri, quod aliquid ſubtrahatur honori filij, qui eſt Saluator omniũ hominum, vt dicit Apoſtolus 1. Timoth. 4. Quamuis autem B. Virgo in originali peccato concepta fuerit, creditur tamẽ in vtero ſanctificata, antequam nata, & ideò circa celebrationem Conceptionis eius, diuerſa cõſuetudo Eccleſiarum inoleuit. Romana enim Eccleſia, & plurimæ aliæ cõſiderantes Conceptionẽ eiuſdem Virginis in originali peccato fuiſſe, feſtũ Conceptionis non celebrant. Aliquæ verò conſiderantes ſanctificationem eius in vtero, cuius tempus ignoratur, celebrant Cõceptionem. Creditur enim, quod quàm cito poſt Conceptionem, & animæ infuſionem fuerit ſanctificata. Vndè illa celebritas non eſt referenda ad Conceptionem ratione Conceptionis, ſed potius ratione ſanctificationis. Sic ergo non eſt celebranda Conceptio prædicta, quia fuerit ſine peccato originali concepta, ſed quia fuerit in vtero ſtatim poſt Conceptionem ſanctificata. Non enim per hoc tollitur, quin fuerit ſpecialius cæteris Sanctis præparata; quia in ipſa ſanctificatione copioſius cæteris munus gratiæ accepit, vt non ſolùm purgaretur à peccato originali, ſed vt tota eius vita redderetur immunis ab omni peccato, tam mortali, quam veniali, vt dicit Anſelmus, & Bernardus, & hactenus.* Hæc auctoritas extat Quodlib. 6. quæſt. 5. art. 7. tom. 8. ad finem, cuius titulus eſt: *Vtrum liceat celebrare Cõceptionem Dominæ noſtræ?* fol. mihi 40. & in origin. antiquo Venetiano impreſ. anno 1495. fol. 33. col. 4. & ſic eſt primũ vitiũ quod non extat quæſt. 4. nec art. 1. vt Aduerſarii dicunt. Secũdo, quod reſolutio S. Thomæ, ſic incipit: *RESPON. Dicendum quòd hic inducuntur duæ quæſtiones, vna principalis, altera acceſſoria, ſcilicèt, an B. Virgo fuerit concepta cum originali, quod opportet primo determinari; eſt ergo conſiderandum, &c.* quæ verba prætermiſſa fuerunt ab Aduerſariis. Tertio, vbi S. Thomas, *vt Auguſtinus dicit ſuper Geneſ. ad litteram*; ipſi ex proprio cerebro ſignarunt caput dicentes; vt dicit Auguſtinus *decimo*. Quarto, vbi S. Thomas, *de quo*; ipſi in plurali, de *quibus*. Quinto, vbi ipſi, *alioquin ſi hoc alteri conueniret*; in S. Thoma extat ſic, alioquin ſi hoc alteri *non* conueniret, addita negatione *non*, ſi autẽ hic fuerit error typographiæ, vel prophetizare neſcientes quid dicerent, ipſi videant: ego dicerem hoc ſecundum. Sexto, addiderunt illud, *facta per Chriſtum*. Septimo, vbi Sanctus Thomas, *Beata Virgo in originali concepta fuerit*; ipſi addiderunt, *peccato*: Nota Lector, & millies nota quòd ſemper, & vbique addiderunt Aduerſarii hanc vocẽ PECCATVM. Octauo, addiderunt etiam illam cauſalem, non eſt *ideò* celebranda. Nono, ſine vllo timore addiderunt illud, *ſed quia fuerit in vtero ſtatim poſt Conceptionem ſanctificata*, hæc enim verba non extant in S. Thoma nec veſtigium illorum. Decimo, addiderunt illud, *& Bernardus*, in textu enim ſolùm de Anſelmo fit mentio. Alia autem ſunt minoris momenti vitia, quæ gratis omittimus. Si ergo hæc decem addas ſuperioribus, iam ſunt octoginta duæ adulterationes capitales. De huius auctoritatis ſenſu, vide infrà in cenſura.

Vndecimam auctoritatem ſic adducunt ex 4. Sent. diſt. 43. quæſt. 1. artic. 4. ad 3. vbi ſic dicit

cit: *Erroneum eſt dicere, quòd aliquis ſine peccato originali concipiatur, præter Chriſtum, quia talis non indigeret redemptione, quæ eſt facta per Chriſtum, & ſic Chriſtus non eſt omnium hominum Redemptor, & ideò non poteſt ſine errore poni, quòd aliquis ſine peccato concipiatur. Hæc ille.* Veritas verò eſt quod in 4. Sent. diſt. 43. art. 4. vbi quærit Angelicus Doctor: *Vtrum mors erit terminus à quo reſurrectionis in omnibus?* proponit hoc argumētū 3. *Præterea Auguſtinus in Ench. dicit, quòd quatuor vltimæ petitiones orationis Dominicæ ad præſentē vitā pertinent, quarū vna eſt: Dimitte nobis debita noſtra: ergo Eccleſia petit in hac vita ſibi omnia debita relaxari: ſed Eccleſiæ oratio non poteſt eſſe caſſa, quin exaudiatur Ioann. 14. Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis: ergo Eccleſia in aliquo huius vitæ tempore omniū debitorum remiſſionem conſequetur: ſed vnum de debitis, quo pro peccato primi parentis aſtringimur, eſt quòd naſcimur mortali peccato; ergo aliquando hoc Eccleſiæ Deus præſtabit, quòd homines ſine peccato originali naſcentur, ſed mors eſt pœna originalis peccati: ergo aliqui homines erunt circa finem mundi, qui non morientur, & ſic idem quod prius.* Ad hoc argumentum ſic reſpondit Diuus Thomas: *Ad tertium dicendum, quòd hoc eſt erroneum dicere, quòd aliquis ſine peccato originali concipiatur præter Chriſtum; quia ille qui ſine peccato originali cōciperetur, non indigeret redēptione, quæ facta eſt per Chriſtum, & ſic Chriſtus non eſſet omnium hominum Redēptor: nec poteſt dici, quòd non hac redemptione indiguerūt, quia præſtitum fuit eis, vt ſine peccato conciperentur, quia illa gratia facta eſt parentibus, vt in eis vitium naturæ ſanaretur, quo manente, ſine originali peccato generare nō poſſent, vel ipſi naturæ, quæ ſanata eſt.* Hæc ſunt integra verba illius ſolutionis S. Thomæ, in quibus quoad litterā ſunt vitia ſequentia. Primo, vbi S. Thomas, *dicendum quod hoc eſt erroneū*; ipſi abſolutè, *erroneum eſt dicere.* Secundo, prætermiſerunt illā clauſulam, *quia ille qui ſine peccato originali cōciperetur.* Tertio, falliſſimè addiderunt illam, *& ideò nō poteſt ſine errore poni, quòd aliquis ſine peccato concipiatur*, cuius nec iota extat in S. Thoma. Quarto, falsò prætermiſerunt verba illa in textu continua ſucceſſione poſita: *Nec poteſt dici, quòd nō hac redēptione indiguerūt, quia præſtitum fuit eis, vt ſine peccato cōciperentur, quia illa gratia facta eſt parentibus, vt in eis vitium naturæ ſanaretur, quo manente ſine originali peccato generare non poſſent, vel ipſi naturæ quæ ſanata eſt.* Et hoc fecerunt ſentientes, quòd verba iſta S. Thomæ plus detruebant de ſua opinione, quam ipſi in illa ædificare poterant cum omnibus autoritatibus vitiatis, ſuprà poſitis, & ponendis.

Attēde ergo, ò Lector! quia exiſtimo me inuenisse in Angelico Doctore redēptionem præſeruatiuam, contra quam Aduerſarii clamant. Dicit igitur S. Thomas, quòd eſt erroneum dicere, quod aliquis ſine peccato originali concipiatur, præter Chriſtū, quia ille qui ſine peccato originali conciperetur, non indigeret redēptione, quæ facta eſt per Chriſtum, & ſic Chriſtus non eſſet omnium hominum Redēptor. Hæc ipſius verba ſunt ad litteram, & clariſſima, compone modo ſequentia verba: *Nec poteſt dici, &c.* quæ ſic neceſſario ad litteram debent intelligi, & explicari. Dato, & admiſſo, quòd eſſent aliqui, vel aliqnis, qui ſine peccato originali cociperetur, vel conciperētur, vt proponit argumentum, tunc nec eſſet verum, *nec poteſt dici, quòd tales non hac redēptione facta per Chriſtum indiguerunt, quia* & ſi *præſtitum fuit eis, vt ſine peccato conciperentur*, vt vult argumentum adhuc illi dicerentur, & eſſent verè, ac realiter redempti, *quia illa gratia facta eſt parentibus*, ſcilicèt, *vt in eis vitiū naturæ ſanaretur, quo* vitio *manente* in parentibus, *generare non poſſent* filios ſuos *ſine originali peccato, vel* ſaltem fuit gratia facta *ipſi naturæ, quæ ſanata eſt.* Cùm ergo generare filios ſine peccato originali, fuerit gratia facta, vel ipſis parentibus, vel ipſi naturæ, ſemper illi filii geniti dicerentur, & eſſent per gratiam Saluatoris liberati à peccato originali, & verè redempti. Hæc meo iudicio, eſt litteralis, ac grāmatica lis ſenſus iſtorum verborum S. Thomæ: igitur Angelicus Doctor admittit redemptionem in præſeruatis à peccato originali? Patet euidenter ex littera, & grammaticali ſenſu; lege iterum, & millies textum. Agedum Patres mei, ergo quod concedit veſter Doctor, ac Magiſter Angelicus in plurali, concedite vos in ſingulari, & quod non negat in filiis, ſaltem de poſsibili, concedite Matri de facto, & dicite ſic, cum verbis veſtri Angelici Doctoris: Virgo Maria fuit concepta abſque originali peccato, *nec* propter hoc *poteſt dici, quòd non hac* Chriſti *redemptione indiguerit, quia præſtitum fuit ei, vt ſine peccato conciperetur, quia illa gratia facta eſt parentibus* Ioachimo, & Annæ, *vt in eis vitium naturæ ſanaretur, quo* vitio *manente ſine originali peccato generare nō poſſent* Mariam, *vel* ſaltem dicite, quòd fuit *gratia* redemptionis, *facta ipſi naturæ, quæ* natura redemptione, & gratia per Chriſtum *ſanata eſt* in Anna, propter Mariam.

Quod autem hæc doctrina cohæreat cum dictis ab ipſo S. Thoma in 3. Sent. diſt. 3. art. 1. ad primam quæſtionem, quærens, an in parētibus ſuis ſanctificari potuerit Maria, ſic cōprobatur ex ipſius verbis. *Quòd nullomodo in parentibus ſanctificari potuit, neque etiam in ipſo actu Conceptionis eius. Conditio enim ſpecialis perſonalis à parentibus in prolem non tranſit, niſi*

ſit ad naturam corporalem pertinens, vt Grammatica patris in filium non tranſit, quia perfectio perſonalis eſt: vnde & ſanctificatio parentum in Beatã Virginem transfundi non potuit, niſi curatum eſſet in eis, non ſolùm id quod perſonæ eſt, ſed etiam id quod eſt naturæ, in quantum huiuſmodi, quod quidèm Deus facere potuit, ſed non decuit, perfecta enim naturæ curatio ad perfectionem gloriæ pertinet. Et ideò ſic in ſtatu viæ parentes eius curati non fuerunt, &c. Et proſequitur ſicut ſuprà auctoritate prima, & infrà in ſolutione ad primum argumentum inquit: *Parentes autem Beatæ Virginis, radix eius fuerunt per actum naturæ propagationi deſeruientem, vnde niſi natura in eis ſanctificata fuiſſet, non potuit ex eis ſancta proles concipi, ſed vitiata propter vitium naturæ in eis remanens, non autem fuit in eis natura ſanctificata.* In reſponſione verò ad 2. & 3. idem dicit, ſcilicèt, quod in parentibus non fuit ſanctificata natura, ſed ſolùm perſona: cùm ergo ſemper dicat illam ſanctificationem naturæ eſſe poſsibilem, vt exprimunt illa verba: *Quod quidèm Deus facere potuit, ſed nõ decuit,* tenebatur oſtendere, quare non decuit, & ſi dicant quòd cauſa eſt illa: *Perfecta enim naturæ curatio, ad perfectionem gloriæ pertinet:* ergo imperfecta curatio naturæ poteſt fieri in via. Deindè adhuc in via potuit eſſe hæc perfecta naturæ curatio, ſecundum D. Thomam: nam in 2. artic. reſpondendo ad 3. inquit: *Quòd ſi per impoſsibile ponatur, B. Virginem poſt ſecũdam ſanctificationem alium filium, ex carnali copula cõcepiſſe, ille filius peccatũ originale habuiſſet, nõ ex parte matris, ſed ex parte patris: ſi verò ponatur illum patrem pari modo ſanctificatum fuiſſe, ſicut B. Virgo in ſanctificatione ſecunda, ille filius peccatum originale non habuiſſet.* Ergo iam S. Thomas in ſtatu viæ admittit talem ſanctificationem in patre, & matre, quod ſanctificata in eis natura poſſent generare purum hominem per copulam carnalem abſque peccato originali? Iſtæ ſunt mathematicæ demonſtrationes in doctrina S. Thomæ. De hac etiam ſanctificatione naturæ agit 3. part. art. 2. ad 4. ergo ſi S. Thomas admitteret hanc naturæ ſanctificationem in parentibus Virginis, nulla eſſet inter nos controuerſia: non conceſsit, quia non decuit, & non decuit, quia hoc eſt priuilegium patriæ, & quanta patriæ priuilegia habuit Maria in hac vita? Vidit Diuinam eſſentiã, quod ſolùm eſt priuilegium patriæ, & ſic diſcurre per alia.

Duodecimã auctoritatem ſic adducunt ex 1. 2. queſt. 81. art. 1. vbi ſic dicit: *Secundùm Fidem Catholicam eſt tenendum, quòd primum peccatum primi parentis originaliter tranſit in poſteros; cõtrarium autem eſt hæreſis Pelagiana.* Hæc verba adduxerunt contra Immaculatam Conceptionem Mariæ, & actualem contractionem peccati originalis, & ex ipſis numero hoc eodem anno 1659. vult id ipſum deducere Pater quidam Carmelitanus ſolo prætextu ſui debiti. Verba autem S. Thomæ allegata quæſt. & art. vbi quærit: *Vtrum primum peccatum primi parentis traducatur per originem in poſteros?* In reſolutione ſic dicit: *RESPON. Dicendum, quòd ſecundùm Fidem Catholicam eſt tenẽdum, quòd primũ peccatum primi hominis originaliter trãſit in poſteros: propter quod etiam pueri mox nati deferuntur ad Baptiſmum, tanquam ab aliqua infectione culpæ abluendi: contrarium eſt autem hæreſis Pelagianæ, vt patet per Auguſtinum in plurimis ſuis libris, &c.* Hæc ſunt S. Thomæ verba, ex quibus patet, quod hic fuit vna ſola adulteratio, ſed peſsima, nam illud, *contrarium autem eſt hæreſis Pelagiana,* coniunxerunt cum prima clauſula, auferentes de medio totum illud, *propter quod etiam pueri mox nati deferuntur ad Baptiſmum, tanquam ab aliqua infectione culpæ abluendi.* Hæreſis enim Pelagii erat circa hoc de pueris baptizandis, affirmabat enim Iulianus cum omnibus Pelagianis pueros recẽtet natos nullam habere maculam, à qua eſſent abluẽdi per regenerationis lauacrum. Vt ſæpè notatum eſt vide nu. 34. & 146.

Decimamtertiam auctoritatem ſic, ex eadem quæſt. art. 3. *Secundùm Fidem Catholicam firmiter eſt tenendum, quòd omnes homines, præter ſolum Chriſtum, ex Adam deriuati, peccatum originale contrahunt, alioquin redemptione non indigerent, quæ eſt facta per Chriſtum, quod eſt erroneum.* Ad hanc auctoritatem, quæ extat citata quæſtione, & artic. dicimus, quod ſolam habet vnam, ſed peſsimã adulterationem: nam prætermiſerunt verbum, *ex Adam*, inquit enim S. Thomas ſic: *Ex Adam deriuati peccatum originale ex Adam contrahunt*, ſic enim hæc propoſitio Angelici Doctoris eſt eadẽ cum illa Pauli: omnes in Adam peccauerunt. Diuerſum eſt autem, peccatum originale *ex Adam* contrahere, quàm dicere abſolutè, vt dicunt Aduerſarii, *peccatum originale contrahunt.* Vt videat, Lector, quo paruo fundamento adduxerint Aduuerſarii hanc, & antecedentem auctoritatem pro ſua opinione legat ponenda infrà ex ſuo vnico Expoſitore Angelici Doctoris, Caietano, vt ſic videant quod hæc ſola vnica auctoritas, cauſa totalis fuit, vt tot vitia committerentur in textu Sancti Thomæ, vt ibi dicam. Adiunctis ergo vitiis in his tribus auctoritabus cõmiſsis cum octogintaocto antecedentibus, iam ſunt 94.

Auctoritatem decimamquartam ſic adducunt ex Compendio Theologiæ, quod incipit: *Æterni Patris Filius*, cap. 231. vbi ſic dicit: *Quia igitur Maria Virgo Beata facta eſt Mater Filij Dei de Spiritu Sancto Concipiens decuit, vt excel-*

cellentiſsima puritate mundaretur, per quam congrueret tanto myſterio, & ideò concedendum eſt, eam ab omni labe peccati actualis fuiſſe immunem, non tantum mortalis, ſed etiam venialis, quod nulli Sanctorum conuenire poteſt poſt Chriſtum, cum Apoſtolus Ioannes dicat: Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt; ſed de B. Virgine Matre Domini intelligi poteſt, quod in Canticis dicitur: Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te, nec ſolũ à peccato actuali immunis fuit, ſed etiam à peccato originali ſpeciali priuilegio mundata. Opportuit ſiquidẽ, vt cum peccato originali conciperetur, vtpotè quæ ex vtriuſque ſexus commixtione concepta fuit. Hoc enim priuilegium ſibi ſoli ſeruabatur, vt Virgo conciperet Filium Dei. Commixtio autem quæ ſine libidine eſſe nõ poteſt, poſt peccatum primi parentis tranſmittit originale peccatum in prolem. Similiter etiam, quia ſi cum peccato originali concepta non fuiſſet, non indigeret per Chriſtum redimi, & ſic Chriſtus non eſſet omniũ hominum vniuerſalis Redemptor, quod derogat dignitati Chriſti: eſt ergo tenendum quòd cum peccato originali concepta fuit, ſed ab eo quodã ſpeciali modo purgata, vel mundata fuit, vt dictum eſt. Quidam enim à peccato originali purgantur poſt natiuitatem ex vtero, ſicut qui in Baptiſmo ſanctificantur. Quidam autem quodã priuilegio gratiæ, & in maternis vteris ſanctificati leguntur, ſicut de Hieremia, & Ioanne Baptiſta dicitur. Quod autem præſtitũ eſt Chriſti Præcurſori, & Prophetæ, denegatum eſſe credi nõ debet matri ipſius; & ideo creditur in vtero ſanctificata, ante ſcilicèt, quam in vtero naſceretur. Non autem talis ſanctificatio præceſſit infuſionem animæ, ſic enim nunquam fuiſſet in originali peccato ſubiecta, & redemptione non indiguiſſet, non enim ſubiectum peccati eſſe poteſt niſi creatura rationalis. Similiter, & ſanctificationis gratia perprius in anima radicatur, nec ad corpus poteſt peruenire, niſi per animam, & ideò poſt infuſionem animæ credendum eſt eam ſanctificatã fuiſſe, eius autem ſanctificatio amplior fuit quam aliorum in vtero ſanctificatorum. Aly nãque in vtero ſanctificati, ſunt ab originali peccato mundati, non tamen eis præſtitum eſt, vt poſſint non peccare, vt ſaltem venialiter. Sed B. Virgo Maria tanta abundantia gratiæ ſanctificata fuit, vt deinceps ab omni peccato ſeruaretur immunis, non ſolùm mortali, ſed etiam veniali. Et quia actuale peccatum interdũ ex ſurreptione contingit, ex hoc ſcilicèt, quòd aliquis motus inordinatus concupiſcentiæ inſurgit, aut alterius paſſionis præueniens rationem, & ob hoc primi motus dicuntur eſſe peccata; cõſequens eſt, vt quia B. Maria Virgo nunquam venialiter peccauit, quod inordinatos paſſionum motus nunquam ſenſerit: contingunt autem huiuſmodi motus inordinati ex hoc, quòd appetitus ſenſitiuus, qui eſt harum paſſionum ſubiectum, non ſic ſubijcitur rationi, quin in aliquid interdum præter inordinationem rationis moueatur, & quandoque eſt intra rationem, in quo cõſiſtit actus peccati. Sic igitur fuit in B. Virgine appetitus ſenſitiuus rationi ſubiectus per virtutem gratiæ ipſam ſanctificantis, vt contra rationem nunquam moueretur, poterat tamen habere aliquos motus ſubiectos, non præordinatos à ratione. In Domino autem Ieſu Chriſto aliquid amplius fuit; ſic enim inferior appetitus in eo rationi ſubijciebatur, vt ad nihil moueretur niſi ſecundùm ordinẽ rationis, ſecundùm ſcilicèt quod ratio ordinabat, vel permittebat appetitum inferiorem moueri proprio motu; hoc autem videtur ad integritatem primi ſtatus pertinuiſſe, vt inferiores vires totaliter rationi ſubderentur, quæ quidèm ſubiectio per peccatum primi parentis eſt ſublata, non ſolùm in ipſo, ſed etiam in alijs, qui ab ipſo ſeminaliter deſcendentes contrahunt originale peccatum, in quibus etiam poſtquam ab originali culpa mundantur per gratiæ ſacramentum, remanet rebellio, vel inobedientia inferiorum virium ad rationem, quæ dicitur fomes peccati, qui in Chriſto nullatenus fuit, ſecundùm prædicta. Sed quia in Beata Virgine non erant inferiores vires totaliter rationi ſubiectæ, vt ſcilicèt non haberent à ratione non præordinatum vllũ motum, tamen ſic cohibebantur & reprimebantur per virtutem gratiæ, vt nullomodo contra rationem mouerentur, propter quod ſolet dici, quòd in B. Virgine, poſt primam ſanctificationem remanſit quidèm fomes peccati ſecundùm ſubſtantiam, ſed ligatus. Si autem per primam ſanctificationem ſic fuit contra omnem motum peccati munita, multo magis & creuit gratia, & fomes peccati eſt debilitatus, vel etiam totaliter ſublatus Spiritu Sancto in ipſam ſecũdùm verbum Angeli ſuperueniente ad corpus Chriſti ex ea formandum, vndè poſtquam eſt facta ſacrariũ Spiritus Sancti, & habitaculum Filij Dei, nefas eſt credere non ſolùm aliquem motum peccati in eam fuiſſe, ſed neque etiam carnalis concupiſcentiæ delectationem fuiſſe expertam, ſicut dicit Claudius. Hæcille. Hæc verba adducta ex Compendio Theologiæ habent vitia ſequentia. Primo, quod non extant cap. 231. nec cap. 22. vt dicit Turrecremata, ſed cap. 224. tom. 17. Secundo, quia ſic incipiunt: *Quia igitur, vt ex prædictis apparet*, quæ verba prætermiſerunt. Tertio, vbi Sanctus Thomas, *tanto filio*; ipſi, *tanto myſterio*. Quarto, vbi Sanctus Thomas, *& ideò credendum eſt*; ipſi corrigentes textum Sancti Thomæ dixerunt, *concedendũ eſt*, cùm in rei veritate non ſolùm concedendum, ſed etiam credendum ſit, Mariam nullum habuiſſe peccatum actuale. Quinto, vbi dicunt, *ſed etiam à peccato originali*, addiderunt ly, *à*

pec-

peccato, quod ſemper, & vbiq; fecerũt. Sexto, vbi Sanctus Thomas, *commixtio autem ſexus*, prætermiſerunt ly, *ſexus*. Septimo, Angelicus Doctor tantum, *purgata*; ipſi verò addiderunt, *vel mundata fuit*, *vt dictum eſt*, vt ſic includeret etiam mundationem. Octauo, prætermiſerunt auctoritatem Scripturæ de ſanctificatione Hieremiæ. Nono, etiam illam S. Ioannis, quas ex Propheta, & Luca adducit S. Thomas, ſed iſta *duo* parui momenti ſunt. Decimo, vbi S. Thomas, *ex vtero*; ipſi *in* vtero, quæ ſunt valdè diuerſa, & ſi non eſſet error typographiæ iſta pro noſtra fuiſſent ſententia, clarè, & apertè. Vndecimo, vbi ipſi, *actuale*, in textu eſt, *veniale*. Duodecimo, vbi Aduerſarii, *ipſam* ſanctificantis, vt faceret relationem ad Mariam in Sancto Thoma eſt, *ipſum*, id eſt, appetitum. Decimotertio, prætermiſerunt illud, *ſed ſecundùm ordinem rationis*. Decimoquarto, cauillosè ſatis addiderunt illud, *ſeminaliter deſcendentes*, vt ſic introducerent ſuum propoſitum expreſsioribus verbis. Decimoquinto, vbi Sanctus Thomas, *poſtquam à peccato mundantur*; ipſi, poſtquam ab *originali culpa*, nota differẽtiam maximam. Decimoſexto, illa obſcura ſententia in Aduerſariis, *vt ſcilicèt non haberent à ratione non præordinatum vllum motum*, ſic extat clara in textu, *vt ſcilicèt nullum motum haberet, à ratione non præordinatum*. Decimoſeptimo, vbi Sanctus Thomas, *cohibebantur*; ipſi addiderunt, *& reprimebantur*. Decimooctauo, vbi textus, *poſt ſanctificationem*; ipſi addiderunt ly, *primam*. Decimo nono, poſt illud verbum, *ligatus*, addiderunt verba ex alio capite, deſumpta ſcilicèt, ex capit. 225. vbi agit Sanctus Thomas de perpetua virginitate Matris Chriſti, ſicque ex duplici, diſtincto, vel diſtinctis capitibus vnam fabricarunt auctoritatem continuam. Vigeſimo, vbi Sanctus Thomas, *exercuit*; ipſi, *creuit*. Vigeſimoprimo, illa verba, *ſicut dicit Claudius*, ficta ſunt, quia talia non extant in Sancto Thoma: etenim verba vltima ſic extant in originali: *fuiſſe expertam, & ideò abominandus eſt error Eluidi, qui etiam, &c.* Vndè autem venerit huc ille Claudius, vel quis fuerit nec inuenire, nec diuinare potui, neque in toto capite eſt tale nomen, imò neque in toto Compendio. Nulla enim excuſatio eis eſſe poteſt, niſi dicant, quod ex Eluidio hæretico pugnante contra viginitatem Marię, voluerunt facere Auctorem Claudium contra Conceptionem, & hunc citatum, & adductum in S. Thoma contra omnem veritatem. Vigeſimo ſecundo, hoc Compendium Theologiæ non eſt Sancti Thomæ, vt diximus in Hugone de Argentina num. 124. & dicemus latiùs infrà, in Thoma de Suetonia num. 299. Si ergo vitia hic commiſſa ab Aduerſariis in ſola littera adiungas præcedentibus, erunt 115.

Decimam quintam auctoritatem ſic addẽcunt: Item in expoſitione Salutationis Angelicæ ſic dicit Sanctus Thomas: *Beata Virgo exceſſit Angelos in tribus, & primo in plenitudine gratiæ, quæ maior fuit in B. Virgine, quam in aliquo Angelo, & ad hoc inſinuandum Angelus ei reuerentiam exhibuit dicens: Aue gratia plena, quaſi dicens: Ideò tibi exhibeo reuerentiã, quia me excellis in plenitudine gratiæ. Fuit enim plena gratia, quantum ad duo: nam gratia datur ad malum euitandum, & ad bonum operandum, & quantum ad hæc duo, perfectiſsimã gratiam habuit Beata Virgo; nam ipſa omne peccatum magis euitauit, quam aliquis Sanctus poſt Chriſtum. Peccatum enim, aut eſt originale, & ab iſto mundata fuit in vtero, aut mortale, aut veniale, & ab iſtis libera fuit. Vndè in Canticis dicitur: Tota pulchra es amica mea, & macula nõ eſt in te. Et Auguſtinus in libro de Natura, & Gratia: Excepta, inquit, hac Virgine gloriosa, ſi omnes Sancti, & Sanctæ congregari poſſent, & interrogarẽtur, an peccatum haberent? Vna voce clamarent: Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, &c. Sed Chriſtus exceſsit Beatam Virginem in hoc, quòd ſine peccato originali cõceptus, & natus eſt, B. autem Virgo in originali peccato concepta fuit, ſed nõ nata. Ipſa enim omnium virtutum opera exercuit. Alij enim Sancti ſpecialia habent dona, quia alius humilis, alius caſtus, alius miſericors, &c. & ideò ipſi dantur nobis in exemplum ſpecialium virtutum, ſicut B. Nicolaus in exemplum miſericordiæ, B. Iob in exemplum patientiæ, & Apoſtoli in exemplũ conſtantiæ, & ſic de alijs. Sed Beata Virgo proponitur in exemplum omnium virtutum, quia in ea reperies exemplum humilitatis Lucæ 2. Reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ. Item exemplum virginitatis: Quoniam virum non cognoſco, & fidei: Beata quæ credidiſti, & exemplum ſpei, & omnium virtutum, Eccleſ. In me omnis ſpes vitæ, & virtutis, & ſic B. Virgo fuit plena gratia quantum ad animam, ex remotione mali, & ex operatione boni. Secundo fuit plena gratia quantum ad refluentiam animæ ad corpus; nam magnum eſt in Sanctis habere tantum de gratia, quòd ſanctificet animam, ſed anima Beatæ Virginis ita fuit plena gratia, quòd refudit gratiam in carne, vt ab ipſa extirparet, & extingueret fomitem, & de ipſa Filium Dei conciperet: Et ideò dicit Hugo de Sancto Victore quòd in corde eius amor Sancti Spiritus ſingulariter ardebat: ideò in carne eius mirabilia faciebat, in tantum quòd de ea Deus, & homo naſceretur: ſic ergo plena eſt gratia B. Virgo, quia ſicut dicit Hieronymus: In alijs Sanctis Dei gratia per partes diuiſa eſt, in Maria autem ſe tota infudit plenitudo diuinitatis, & propter hoc exceſsit Angelos in plenitudine gratiæ. Et ideo cõuenienter appellatur Maria, quæ interpretatur illuminatiua in ſe, &*

illu-

illuminatrix quantũ ad alios. Vndè aſſimilatur Soli, & Lunæ: Pulchra vt Luna, electa vt Sol. Secundo, exceſsit B. Virgo Angelos in familiaritate diuina, ideò hoc deſignans Angelus dixit: Dominus tecum. Quaſi dicat: Ideò tibi exhibeo reuerentiam, quia familiarior Deo es quàm ego; nam Dominus eſt tecum: Dominus, inquit, Pater tecum eſt, vt idem ſit filius tuus, & Dei Patris, Lucæ 1. Quod enim ex te naſcetur Sanctum, Filius Dei vocabitur, quod nullus Angellus, nec aliqua creatura vnquam habuit. Dominus autem filius tecum eſt, quia in vtero tuo illum concipies, Iſaiæ: Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Iſrael: Et ecce Virgo pariet, & concipiet filium. Et quòd Dominus, aut Spiritus Sanctus tecum ſicut in templo, vndè dicitur: Templum Domini, ſacrarium Spiritus Sancti, quia concepit de Spiritu Sancto, Lucæ 1. Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, &c. Sic ergo familiarior eſt B. Virgo cum Deo, quàm Angelus; quia cum ipſa Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus, tota Trinitas. Et ideò de ea cantatur: Totius Trinitatis nobile triclinium: vndè benè ſibi cõuenit hoc nomẽ Maria, quod interpretatur: Domina, ſcilicèt Angelorum, & hominum. Tertiò, exceſsit Angelos puritate: fuit enim pura quantum ad culpam, vt dictum eſt, & quantum ad pœnam. Tres enim maledictiones datæ ſunt hominibus propter peccatũ. Prima data eſt mulieri, quòd cum corruptione conciperet, & in grauamine fœtum portaret, & in dolore pareret. Sed ab hac maledictione Beata Virgo fuit immunis, quia ſine corruptione concepit, in ſolatio portauit, & cum gaudio peperit. Iſaiæ: Germinans germinabit lætabunda, &c. Secunda data eſt homini, quod in ſudore veſceretur pane ſuo; ab hac fuit immunis B. Virgo, quia ſoli Deo vacabat, &c. Tertia fuit communis omnibus, vt in puluerem reuerteretur, & ab hac fuit immunis, quia cum corpore aſcendit in cœlum. Sic igitur immunis fuit ab omni maledictione. Ideo benedicta inter mulieres. Hæc Beatus Thomas vbi ſuprà. Opuſculum hoc extat in operibus Sancti Thomæ, tom. 17. & eſt in ordine 8. a folio 75. vitia autem ab Aduerſariis commiſſa in ipſo ſunt pauca, & parua, ſed enumera, & pondera illa ſic. Primo, vbi Sanctus Thomas: *dicitur autem B. Virgo plena gratia quantũ ad tria*; ipſi ſic, *fuit enim* plena gratia quantum *ad duo*, auferentes à Deipara vnam gratiæ plenitudinẽ. Patres mei, iſte, & alii ſimiles errores, non fuerunt lapſus calami, ſed lapſus, &c. nam ſi Sanctus Thomas affirmat, fuit plena gratia quantum *ad tria*, quomodo, aut quare vos dicitis, *quantum ad duo*, &c. Secundo, eadem intentione prætermiſerunt illud: *Primo quantum ad animam, in qua habuit omnem plenitudinẽ gratiæ*: Ecce, ecce, ecce Lector plenitudo prætermiſſa: quid tibi videtur, iam ceſſat liuor, & plaga? Tertio, prætermiſerunt illa verba Auguſtini, *excepta, inquam, hac Virgine, de qua propter honorem Domini, cum de peccato agitur, nullam prorſus volo habere quæſtionem*, fuit hoc ſimpliciter factum? Vel eſſet credibile, niſi hac palpabili demõſtratione oſtẽderetur? Quarto, vbi Sanctus Thomas, *quod ſine originali conceptus*; ipſi ſic, quod ſine originali *peccato* conceptus, addentes ly, *peccato*, vt ſic indicarent, D. Thomam non loqui (vt loquitur) de originali generatione, & carnali conceptione, ſed de originali peccato expreſsè, & aſſertiuè. Quinto, eadem falſitate, vbi Sanctus Thomas, *Virgo in originali concepta eſt*; ipſi ſic, Virgo in originali *peccato* concepta *fuit*, vt ſic ſemper introducerent peccatum contra mentem Sancti Thomæ, & confunderent primam, & ſecundam Conceptionem. Sexto, addiderunt totum illud, *Beatus Iob in exemplũ patientiæ, & Apoſtoli in exemplum conſtantiæ, & ſic de alijs*. Septimo, prætermiſerunt illud *Lucæ 1. Ecce Ancilla, & poſt.* Octauo, addiderunt illud, *& fidei: Beata quæ credidiſti, & exemplum ſpei*, & omnium virtutum, *Eccleſ. in me omnis ſpes vitæ, & virtutis*, ex quibus omnibus in S. Thoma ſolùm ſunt illa duo verba: *Et omnium virtutũ.* Nono, vbi Sanctus Thomas, dicit: *Sic ergo plena eſt gratia B. Virgo, & quantum ad boni operationem, & quantum ad mali vitationem*; Aduerſarii dicunt, *& ſic B. Virgo fuit plena gratia quantum ad animam, ex remotione mali, & ex operatione boni.* Nota amore Dei, quantum diſtent inter ſe vitare malum, & remouere malum; nam vitare eſt omni modo excludere, remouere autem ſonat iam introductum expellere; ideòque vitationem mali tranſmutarunt in remotionem, nolentes ſuſtinere, quòd ab anima Mariæ fuiſſet euitatio mali, ſed remotio, ſeu nolẽtes quod in ipſa gratia præueniens euitauerit malum, ſed ſubſequens remoueret, fuerunt iſta caſu facta? Decimo, vbi Sanctus Thomas, fuit plena gratia quantum ad *redundantiam*; Aduerſarii, quantum ad *refluentiam*: nota terminum refluentiæ, & hoc non fuit abſque ſua ſecunda intentione, ò Patres, Patres! Vndecimo, vbi Sanctus Thomas, *quantum ad redundantiam animæ, vel carnem ad corpus*; ipſi ſolum, *refluentiam* animæ ad corpus, vt ſic auferrent à S. Thoma omne veſtigiũ redundãtis gratiæ ab anima in carnem, & corpus, quia hoc videbatur reſpicere immunitatẽ, ſeu ex hoc poterat deſumi argumentum pro eius immaculata Conceptione. Duodecimo (perpende ſequentem execrabilem adulterationem) vbi Sanctus Thomas, *quod ex ea refudit gratiam in carne, vt de ipſa conciperet Filium Dei*; Aduerſarii ſic, refudit gratiam in carne, *vt ab ipſa extirparet, & extingueret fomitem*, & de ipſa

Filium

Filium Dei conciperet. Esset ne hoc credibile, nisi euidenter constaret ex ipsis verbis in medium adductis, quam excusationem potest habere hæc detestanda fictio, aut falsitas? Decimotertio, post illa Hugonis verba: *Deus, & homo nasceretur*, prætermiserunt 14. lineas. Decimoquarto, addiderunt totam sequentem clausulam: *Sic ergo plena est gratia B. Virgo, quia sic dicit Hieronymus: in alijs Sanctis Dei gratia per partes diuisa est, in Maria autem se tota infudit plenitudo Deitatis*, quorum verborum nec vnum quidem extat in Sancto Thoma. Decimoquinto, vbi Sanctus Thomas sic: *Ergo plena est gratia, & excedit Angelos in plenitudine gratiæ, & propter hoc conuenienter vocatur Maria, quæ interpretatur illuminata in se, vndè Isaias 58. Implebit splendoribus animam tuam, & illuminatrix in alios, quantum ad totum mundum, & ideò assimilatur Soli, & Lunæ*; Aduersarii sic, *& propter hoc excessit* Angelos in plenitudine gratiæ, & *ideò* conuenienter *appellatur* Maria, quæ interpretatur illuminatiua in se, & illuminatrix *quantum ad* alios, *vndè* assimilatur Soli, & Lunæ: *Pulchra vt Luna, electa vt Sol*, in qua clausula aliqua prætermiserunt, aliqua addiderunt, & reliqua mutarunt, sicut & in sequenti, vsque ad illud: *Tertio, excedit Angelos, &c.* exclusiuè, in qua sunt aliqua vitia parui tamen momenti pro nostro Conceptionis scopo. Decimosexto (& nota vitia huius clausulæ, quia interest pro infrà dicendis in censura huius auctoritatis) vbi Sanctus Thomas, *quia B. Virgo*; ipsi prætermiserunt causalem, *quia*. Decimo septimo, etiam prætermiserunt illud, *non solùm erat pura in se, sed etiam procurauit puritatem alijs*. Decimo octauo, consequenter etiam malitiosè tacuerũt illud, *ipsa enim purissima fuit*, semper enim omiserunt terminos istos, purissima, & immaculata, si hoc fuit simplicitas, ipsi videãt. Decimonono, addiderunt illud, *vt dictum est*. Vigesimo, prætermiserunt illam clausulam: *Quia ipsa Virgo nec mortale, nec veniale peccatum incurrit*, & hic latet anguis, vt infrà latè videbimus, quia verba ista sunt cardo totius præsentis auctoritatis. Vigesimo primo, addiderunt ly, *ab hac maledictione*. Vigesimo secundo, tacuerunt ly, *Saluatorem*. Vigesimo tertio, etiam prætermiserunt ly, *vultus*. Vigesimo quarto, sub silentio transierunt illud, quia vt dicit Apostolus 1. Corint. 7. *Virgines solutæ sunt à cura huius mundi, & soli Deo vacant*. Vigesimo quinto, in textu non est illud, *quia soli Deo vacabat*. Vigesimo sexto, vbi Sanctus Thomas, *fuit communis viris, & mulieribus*; ipsi sic, fuit communis *omnibus*. Vigesimo septimo, in clausula sequenti prætermiserunt ly, *B. Virgo*, & vbi Sanctus Thomas, *assumpta*; ipsi, *ascendit*. Vigesimo octauo, prætermiserunt totum hoc: *Credimus enim, quòd post mortem resuscitata fuerit, & portata in cœlum. Psal. 131. Surge Domine in requiem tuã, tu & Archa sanctificationis tuæ*. Vigesimo nono, Angelicus Doctor, *in mulieribus*; ipsi, *inter mulieres*. Trigesimo derelinquentes incompletam orationem, prætermiserunt sequentia, quæ in S. Thoma sic continuo sequuntur: *Et ideò benedicta in mulieribus, quia ipsa sola maledictionem sustulit, & benedictionem portauit, & ianuam Paradisi aperuit, & ideò conuenit nomen Maria*. Iam ergo vides, ò Lector! quòd in hac sola vltima clausula à verbis illis: *Quia ipsa Virgo, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit*, commiserunt Aduersarii quatuordecim vitia, id est, à 16. vsque vltimam 30. quod memoriæ mandare debes pro infrà dicendis. Vitia ergo ab Aduersariis commissa in suprà positis quindecim auctoritatibus (cum hac enim vltima totaliter perfit arithmetica) sed quia tantum in particulari retulimus triginta, illa solùm adiungimus præcedentibus, & sic erunt 145. vitia, & adulterationes commissæ in textu S. Thomæ, & solùm vt macularent Dei Matrem.

Decimam sextam auctoritatem sic: Item in quæstionibus de veritate, quæst. 24. art. 9. sic dicit: *Aliquis potest confirmari in bono dupliciter; vno modo simpliciter, ita quòd habeat in se suæ infirmitatis sufficiens principium, quod omninò peccare non possit, & hoc modo Beati sunt confirmati in bono. Alio modo dicitur aliquis confirmari in bono, per hoc quod ei datur aliquod munus gratiæ, quo ita inclinatur in bonum, quod nõ de facili potest à bono deflecti; non tamen ita per hoc retrahitur à malo, quin omninò peccare non possit, nisi diuina prouidentia custodiente, & protegente: Sicut aliquis dicitur immortalis dupliciter; vno modo quia habet aliquod sufficiens principium in seipso, per quod potest protegi ab omni exteriori nociuo, & hoc modo post Resurrectionem Beati erunt immortales. Alio modo per hoc quod confertur ei aliquod munus, per quod Diuina prouidentia mediante custoditur ab exteriori lasiuo sicut dicitur de immortalitate Adæ, qui dicitur fuisse immortalis, non quòd haberet aliquod principium intrinsecũ, per quod protegi posset ab omni exteriori mortifero, vtpotè ab incisione gladij, & alijs huiusmodi, à quibus tamen Diuina prouidentia protegebatur, & conseruabatur. Primo modo, Christus fuit confirmatus in bono. Secundo modo, Beata Virgo post primam sanctificationem fuit confirmata in bono, vt de cætero non peccaret. Et ideò quamuis humana natura non sit dignior Angelica, tamen alicui homini collata est maior gratia, quàm alicui Angelo. Sicut B. Virgini, cui confirmatio in bono competebat, quia Mater erat diuinæ Sapientiæ, in qua nihil inquinatum incurrit, vt dicitur Sapient. 7. Hæc ille.* Dico ergo, quòd in quæstioni-

bus

bus de veritate, exiſtentibus tom. 8. quæſt. 24. quæ eſt de libero arbitrio art. 9. cuius titulus eſt: *Vtrùm liberum arbitrium in ſtatu viæ poſsit in bono confirmari?* fol. 448. extat præallegata auctoritas, ſed habet ſequentia vitia. Primo, quòd vbi Aduerſarii, *infirmitatis*, Sanctus Thomas habet, *firmitatis*, ſed hic potuit eſſe error typographiæ. Secundo, prætermiſerunt illud, in bono *ratione priùs dicta*. Tertio, vbi Sãctus Thomas, *dicuntur aliqui confirmari*; Aduerſarii de ſingulari, *dicitur aliquis* confirmari, & conſequenter vbi Sanctus Thomas, *eis*; ipſi, *ei*, & deinceps ſemper ipſi de ſingulari, vbi S. Thomas de plurali, quòd abſque dubio fuit factum ex determinata intentione. Quarto, poſt illud, *cuſtodiente*, inquit Sanctus Thomas, *ſicut dicitur de immortalitate Adæ*, hæc enim verba prætermiſerunt Aduerſarii hìc diſponentes illa infrà alio modo. Quinto, addiderunt omnia illa, *ſicut aliquis dicitur immortalis dupliciter. Vno modo quia habet aliquod ſufficiens principium in ſe ipſo, per quod poteſt protegi ab omni exteriori nociuo, & hoc modo poſt reſurrectionem Beati erunt immortales*, quorum nullum extat in S. Thoma, & ſic ſunt tot vitia, quot verba. Sexto, ſimiliter addiderunt illud: *Alio modo, per hoc quod cõfertur ei aliquod munus, per quod diuina prouidentia mediante, cuſtoditur ab exteriori læſiuo*. Septimo, poſt iſta verba ab ipſis ficta, introduxerunt clauſulam illam: *Sicut dicitur de immortalitate Adæ, &c.* quæ fuit ſummum vitiũ. Octauo, in verbis ſequentibus, vbi S. Thomas, *non quod omninò, aliquo ſibi intrinſeco protegi poſſet*, Aduerſarii ſic, non quod *haberet aliquod principium intrinſecum*, abſtulerunt ly, *omninò*, & alia ſiniſtra intentione, variarunt. Nono, addiderunt illud, *protegebatur*. Decimo, etiam addiderunt illud, *Primo modo Chriſtus fuit confirmatus in bono*, quæ verba non extant in Sancto Thoma. Vndecimo, prætermiſerunt hæc verba, conſeruabatur, *& hoc modo aliqui in ſtatu viæ poſſunt confirmari in bono, & non primo modo, quod ſic patet, &c.* Duodecimo, derelinquentes 29. lineas illius reſolutionis artic. 5. ex reſponſione ad primum, tranſierunt ad reſponſionem ſecundi argumenti, continuando illa ſucceſsiuis verbis cum antecedentibus, & hoc non fideliter: nam Decimotertio, prætermiſerunt illa verba: *Ad ſecundum dicendum, quòd dona gratiæ non ſequuntur ordinem naturæ, de neceſsitate*. Decimo quarto, non recta intentione addiderunt illud, *Secundo modo, Beata Virgo poſt primam ſanctificationem fuit confirmata in bono, vt de cætero non peccaret*, notabilis certè fictio! Decimo quinto, poſt illud, *ſicut B. Virgini*, tacuerunt illud, *& homini Chriſto*. Decimo ſexto, vbi Sanctus Thomas, *confirmatio autem in bono B. Virgini competebat*; ipſi ſic, *ſicut* B. Virgini, *cui* confirmatio in bono competebat. Decimo ſeptimo, prætermiſerunt omnia hæc: *Similiter Apoſtolos decuit, quia erant quaſi fundamentum, & baſis totius Eccleſiaſtici ædificij, vndè eos firmos eſſe opportuit*. Hęc ſunt præcipua vitia huius auctoritatis, quæ adiuncta antecedentibus iam ſunt 162.

Quantum verò ad ſenſum, notet hic Lector ſolùm tria. Primum, quod ex hac Sancti Thomæ auctoritate, nec directè, nec indirectè poteſt deduci ſaltem vnum verbum contra immaculatam Virginis Cõceptionem, quam ſolùm adduxerunt, vt multiplicando auctoritates, introducerent illa duo verba ab ipſis ficta, *poſt primam ſanctificationem*. Secundum eſt, quòd in hoc Articulo nititur probare Sanctus Thomas, quod Chriſtus Dominus fuit confirmatus in gratia, & impeccabilis per naturam, & ab intrinſeco, Virgo autem Maria ab extrinſeco, & per gratiæ manutentionem. Si ergo Sãctus Thomas in cõfirmatione in bono, ac impeccabilitate, æquiparat Mariam Chriſto Domino, neque in hoc facit iniuriam filio, nec facit creaturam æqualem Creatori; quia diſtinguuntur in modo: nam Chriſtus fuit per naturam, & ab intrinſeco, Maria per extrinſecum gratiæ priuilegium: quo ergo fundamento iſti Diſcipuli S. Thomæ vibrant cõtra nos paſſim, ac repetitis vocibus, & continuis clamoribus, inſtantiam, ſeu argumentum illud, ſi Maria fuit concepta abſque peccato originali: ergo eſt, vel fuit æqualis Chriſto, & fit iniuria Creatori, &c? Fratres, dicimus, ac reſpõdemus cùm veſtro Angelico Doctore, quod nec æquamus Mariam Chriſto, nec facimus iniuriam filio, quia ipſe fuit immunis à peccato originali, ab intrinſeco, & per eſſentiam; Maria autem ab extrinſeco, & per gratiæ manutẽtionem, huic reconuentioni nullum poteſt eſſe effugium, niſi dicatis: quòd eſt plus præſeruari in vtero, quã confirmari in bono, quod nulla ratione oſtenderetur: imò veſter Seraphinus Cauponi ſentit, quòd eſt magis ſine comparatione confirmari in bono, quàm præſeruari in vtero, dicens in libro: Elucidationis formalis totius Summæ Theologiæ Sancti Thomæ, quæſt. 100. artic. 2. *His verò ſi iunxeris D. Thomam hìc ſecundùm illud expreſsè dicentem, fateberis tutò dici ab omnibus poſſe: quòd Virgo ex ſpeciali priuilegio in vita præſenti fuit confirmata in gratia, & conſequenter, quòd nec etiam peccare venialiter potuit. Quis priuilegium tantum non admiretur, & priuilegio illi de præſeruatione non præponat? Quanto admodum dignius eſt confirmari in gratia, quàm præſeruari à miſeria?* Tertium, notare debes, Lector, quòd ratio aſſignata à priori, à Sancto Thoma, quare Maria fuerit confirmata in bono, atque decens, vt nunquam peccaret, eſt hæc: *Quia Mater erat diuinæ Sapientiæ, in qua nihil inquinatum in-*

cur-

currit. Si hæc est ratio vnica, ac totalis (& verè est) vt reciperet maius priuilegium: interrogo, erat nè, vel fuit Maria magis Mater Sapientiæ in secundo, tertio, vel quarto instanti suæ animationis, quàm in primo? Si hoc priuilegium impeccabilitatis, seu confirmationis in bono, datũ, & concessum est Mariæ, quia futura erat Sapientiæ Mater, si in primo instanti suæ animationis futura erat Mater Sapientiæ, sicut in secundo, tertio, & quarto, quarè concedemus illis, quod non illi? Assignate, amore Dei, rationem. Decebat nè plus Dei Sapientiæ nihil inquinatũ incurrere in Matre pura, in secũdo, vel tertio instanti, quàm in primo? Si hæc non cõcludunt, concludat hoc ille qui potenti brachio suo concluſit oltiis Mare.

Decimam septimã auctoritatem adducũt sic: Item quæst. 25. art. 7. sic dicit: *Corruptio sensualitatis, quæ dicitur fomes, curari non potest nisi per miraculum, cuius ratio est, quia illud quod est naturale, non potest permutari nisi à virtute supernaturali; sed corruptio sensualitatis, qua inferiores vires tendunt in suum obiectum præter ordinẽ rationis, est quodãmodo naturalis homini: ergo talis corruptio non potest remoueri nisi miraculosè supernaturali virtute, hoc faciẽte sicut homo adimmortalitatẽ reduci non potest, nisi miraculosè, & ideò quòd B. Virgo liberata fuerit à fomite, miraculosè fuit. Hæc ille.* Verum est quod eadem quæst. 25. Artic. 7. vbi Sanctus Thomas quærit: *Vtrùm sensualitas in hac vita curari valeat á prædicta corruptione?* Et in resolutione quæstionis habet verba ab Aduersariis adducta, sed seclusis imperfectionibus. Nã primo, vbi ipsi, *corruptio sensualitatis, quæ dicitur fomes, curari non potest nisi per miraculũ*, in Sancto Thoma sic extant, *Dicendum, quòd sensualitas in hac vita* curari non potest, nisi per miraculum: addiderunt ergo illud, *corruptio*, & illud, *quæ dicitur fomes*, quibus totam auctoritatem peruerterunt. Secundo, clausula sequens ad litteram est in Sancto Thoma, vsque ad illud, *sed corruptio*, sed ab hoc verbo vsque ad finem auctoritatis totum est fictum, falsum, & mendaciter excogitatum; quia nisi vnum, vel alterum verbum non reperitur in S. Thoma: vndè non erraret, qui diceret hìc tot esse vitia, quot voces. Tertio, verba illa vltima: *Et ideò quòd Beata Virgo liberata fuerit á fomite, miraculosè fuit*, etiam sunt chimericè ficta. At benè verum est, quòd in principio Articuli sic introducit Angelicus Doctor suam quæstionẽ: *Septimo, quæritur, vtrum sensualitas in vita ista curari posſit à corruptione prædicta, & videtur quòd sic, quia prædicta corruptio vocatur fomes, dicitur autem de B. Virgine, quòd in hac vita fuit totaliter à fomite liberata, præcipuè post Conceptionem filij: ergo sensualitas in hac vita est curabilis.* Hæc ratio fundamentum est, & basis, ad excitandam propositam quæstionem. Si ex his ergo verbis fabricarunt Aduersarii suprapositã (nam alia non sunt, magna, vel parua, vbi Sanctus Thomas saltem nominet Beatam Virginem Mariam) est etiam quartum vitium, quod ex vno integro Articulo transmutando, addendo, atque cõiungendo suprema infimis, vnam finxerunt indiuisibilem auctoritatem. Quintum verò vitium sit, quòd ex toto illo Articulo, vt à Sancto Thoma adducitur, nec directè, nec indirectè potuerunt Aduersarii seligere saltem vnum verbum contra immaculatam Virginis Conceptionem. Hic etiam in enumeratione fallitatum arithmetica vacillat, sed dato, quòd solùm sint quinque, iam erunt 167.

Sed vt ex hoc Articulo Sancti Thomæ euidentiùs cognoscat Lector aliqua ex suprapositis, notare debet, quòd ibi proponit Angelicus Doctor argumentum 5. sic: *Si corruptio ista est incurabilis, aut est ex parte curantis, aut ex parte medicinæ, aut ex parte morbi, aut ex parte naturæ sanandæ: sed non ex parte curantis, scilicèt Dei, quia omnipotens est; neque ex parte medicinæ, quia dicitur Rom. 5. Donum Christi est virtuosius, quàm peccatum Adæ, quo corruptio huiusmodi est inducta, neque ex parte morbi, quia est contra naturam, cum in natura instituta non fuerit; neque ex parte naturæ, vtile enim esset hanc infirmitatem remoueri, cùm ex ea sit homo pronus ad malum, & tardus ad bonum: ergo sensualitas in hac vita est curabilis.* Ad quod sic respondit: *Ad quintum dicendũ, quòd ex parte illorum omnium quatuor cõtigit, quòd sensualitas in hac vita non curetur. Ipse enim Deus, quamuis sit potens, curare tamen secundùm ordinem suæ Sapientiæ disposuit, vt non curetur in hac vita. Similiter donũ gratiæ, quod per Christum nobis confertur, quamuis sit efficacius, quàm peccatum primi hominis, non tamen ordinatur ad remouendam corruptionem prædictam, quæ est naturæ, sed ad remouendum culpã personæ, similiter huiusmodi corruptio, quamuis sit contra statum naturæ primitùs institutæ, est tamen consequens principia naturæ sibi relictæ. Est etiam homini vtile ad vitandum elationis vitium, vt sensualitatis infirmitas maneat, 2. Corinth. 12. Nè magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, & ideò post Baptismum remanet hæc infirmitas in homine, sicut sapiens Medicus dimittit aliquem morbum non curatum, qui non potest curari sine periculo maioris morbi.* Ecce iterum redit Sanctus Thomas ad suam in superioribus repetitã doctrinam, de corruptione naturæ, & perlongè cùm ergo Angelicus Doctor nullam adducat repugnantiam Physicam, aut impossibilitatem intrinsecam ex parte Dei, gratiæ, morbi, & naturæ, sed solùm quandam congruentiam vti-

lita-

ſitatis, ne homo, ſcilicèt, extollatur, non obſtante quòd tota natura in Adamo fuerit læſa, & infirmata peccato originali, fomite, ſenſualitate, &c. Deus ſecundùm ordinem ſuæ ſapiẽtiæ diſpoſuit, quia nullum inuenit periculum maioris morbi, quod natura B. Virginis Mariæ, ex gratiæ ſingulari priuilegio curaretur, ita vt præter naturam fuerit concepta exſterilibus, præter naturam haberet vſum rationis, præter naturam eſſet confirmata in bono, præter naturam conciperet Virgo; præter naturam pareret abſque dolore; præter naturam extingueretur in ea fomes; præter naturam careret ſenſualitate; præter naturam non eſſet incinerata; atque denique præter naturã eſſe Dei Mater. Si in omnibus his fuit in Maria natura curata adhuc ſecundùm phyſicam & exactiſsimam medicinam S. Thomæ, quare ſapientes Medici diſcipuli eius dimittunt morbum non curatum, quando Magiſter ipſorum palàm, & expreſsè affirmat, quod potuit curari & ſine periculo alterius morbi? Et quid eſſet, ſi alia non poſſent ſanari congruenter, ac decenter, niſi illa radice curata? Sed de hoc ſatis.

Decimamoctauam auctoritatem ſic adducunt: Item in expoſitione Dominicæ orationis cap. 6. & ſuper Pſal. 14. dicit: *Nullus homo, præter Chriſtum, & B. Virginem, fuit immunis à peccato originali, à quo per ſanctificationem mũdata fuit.* In hac breui auctoritate ſunt vitia ſequentia. Primum, falſum eſt quod dicunt. *capite 6.* quia B. Thomas in illa expoſitione, quæ eſt in ordine ſeptimum ipſius opuſculum, vt videre eſt tom. 17. fol. 71. non procedit per capita, ſed per petitiones. Secundo, quòd adhuc hæc verba non extant in petitione 6. quæ incipit: *Et ne nos*, ſed in 5. incipiente: *Et dimitte nobis*, vbi ſic dicit Angelicus Doctor: *Aliqui enim fuerunt ita præſumptuoſi, qui dicerent, quòd homo poterat viuere in mundo iſto, ita quòd ex ſe poterat vitare peccata. Sed hoc nulli datũ eſt, niſi ſoli Chriſto, qui habuit ſpiritũ (vel ſpetiẽ) nõ ad menſuram, & B. Virgini, quæ fuit plena gratia, in qua nullũ peccatum fuit, ſicut dicit Auguſtinus, de qua ſcilicèt Virgine, cum de peccatis agitur, nullã volo fieri mentiotionem. Sed de aliis Sanctis nulli conceſſum eſt, quin ad minus veniale peccatum incurreret, &c.* Vide ergo, in quibus conueniat hæc auctoritas cum illa Aduerſariorum, & ſimul excogita, qua conſcientia potuerunt fingere auctoritatem adeò à veritate alienam? Nam in illa tota eſt ficta quoad ſenſum, vt patet diſcurrendo per ſingula; quia ex ſexdecim dictionibus, ſeu vocibus: *Nullus*, eſt vitiata, quia *nulli*, eſt in textu; *homo* non extat; *præter* eſt: *niſi*; illa, *Chriſtum*, eſt, *Chriſto*; illa, *& Beatam Virginem*; eſt, *Beatæ Virgini*, illa, *fuit*, de reliquerunt intactam, & prætermiſerunt, *quæ*; illa, *immunis*, eſt ficta & cum artificio, vt denotarent, quòd in doctrina Angelici Præceptoris hæc propoſitio: *Maria fuit immunis à peccato*, non excludebat originale, ſic etiam fuit illa alia *à peccato originali*, fictiſſima, ſicut & illæ omnes: *à quo per ſanctificationem mundata fuit.* Sunt ergo ad minus decem & octo vitia, quæ addita præcedentibus, erunt 185.

Et hic obiter nota, quòd expoſitio hæc orationis Dominicę non eſt S. Thomæ: nam licèt Angelicus Doctor ſcripſerit expoſitionem Dominicam, non eſt iſta, ſed alia quæ incipit: *Pater noſter, qui es in cœlis. Vnuſquiſque homo*, qui *Patrem clamat*, &c quæ extat manuſcripta antiquis characteribus in mẽbrana, in Bibliotheca Regia Eſcorialis VIII. G. 6. in fol. & concludit ſic: *Explicit expoſitio D. Thomæ de Aquino ſuper Pater noſter*, eſtque breuiſsima, atque diuerſa ab illa ſuprà relata, exiſtente in operibus eius, nec ſunt ibi verba ſuprà poſita circa Conceptionem. Et ſic niſi dicant, S. Thomam ſcripſiſſe duas expoſitiones ſuper orationem Dominicam, quod difficile videtur, illa quæ extat in operibus S. Thomæ non eſt ipſius, ſed alterius incogniti: ac per conſequens, nec adducta auctoritas.

Decimamnonam auctoritatem citant ex Pſalmo 14. ſed nulla adducunt verba, vt videre eſt in antecedenti §. & cauillosè non adduxerunt auctoritatem, quia in præallegato Pſal. fol. 298. ad illud: *qui ingreditur ſine macula*, inquit S. Thomas: *Sine macula, ſcilicèt, mortali quia peccatũ veniale non habet maculã propriè. Eccleſiaſ. 31. Beatus diues qui inuentus eſt ſine macula, ſed in Chriſto, & in Virgine Maria nulla omninò macula fuit, & iſtis appropriatur tẽperantia, &c.* Quo ergo Dei timore auſi ſunt Aduerſarii adducere hæc verba pro ſua ſententia? Nonnè maiori fundamento poſſent adduci pro noſtra? Nam illa vniuerſalis: *In Maria nulla omninò macula fuit*, videtur etiam excludere originalem, ſed cum in rei veritate loquatur de peccatis actualibus, abſolutè non eſt ad rem, niſi dicant, ſic: *In Maria nulla omninò macula fuit*: ergo habuit originalem; quæ conſequentia eſſet ſine conſequentia.

Vigeſimam auctoritatem ſic adducunt ex Pſalmo 45. exponens illud: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*, ſic dicens: *Ciuitas Dei eſt Beata Virgo, in qua Dominus habitauit, ipſam autem Virginem fluminis impetus, ſcilicèt, Spiritus Sanctus lætificauit, quando ipſam ſanctificauit in vtero Matris ſuæ, poſtquam formatum fuit corpus, & creata anima, tunc primò operuit gloria Domini Tabernaculum, vt dicitur Exod. 40. & differt ſanctificatio Virginis à ſanctificatione aliorum Sanctorum, quia aliſic ſanctificati fuerunt, vt de cætero nõ peccauerit mortaliter, tamẽ venialiter peccauerunt*

ſic dicitur Ioannis 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, &c. Beata autem Virgo nec mortaliter, nec venialiter vnquam peccauit, ideò poteſt dici de ea illud Cant.* 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. & ideò dicit: Non commouebitur, nec mortali, nec veniali peccato; & hoc ideò quia adiuuabit eam Dominus manè diluculo, id eſt, adhuc exiſtente in vtero: Et ideò benè dicitur: Auxiliatus eſt ei Dominus in ipſo ortu matutino. Hæc ille.* In hac auctoritate vitiarunt. Primo, principium, nam in S. Thoma ſic inuenitur: *Adiuuabit eam Deus vultu ſuo, id eſt, in contemplatione ſuæ altitudinis. Et poſſunt hæc referri ad Beatã Virginem, quia ipſa eſt ciuitas, in ipſa habitauit.* Secundo, addiderunt aduerbium illud, *quando*, quod non extat in S. Thoma. Tertio, addiderunt ly, *differt*. Quarto, illud, *ideò poteſt dici de ea illud*. Quinto, finxerunt totũ illud: Et ideò dicit, *non commouebitur nec mortali, nec veniali peccato*. Sexto, addiderunt illam cauſalem, *& hoc ideò quia*. Alia ſunt minoris momenti, ſunt ergo iam omnia 191. Quantum verò ad ſententiam, nos non negamus, quòd Maria fuerit ſanctificata *in vtero Matris ſuæ, poſtquam formatum fuit corpus, & creata anima*, nec circa hoc poteſt eſſe vlla controuerſia. An autem hoc fuerit in primo, vel ſecundo inſtanti, non exprimit illud Diuus Thomas, & ſic adducere hanc auctoritatem, fuit ſine fundamento.

Vigeſimam primam auctoritatem adducunt ex quæſtionibus de malo, quæſtion. 4. artic. 6. vbi dicit ſic: *Erroneum eſt dicere, quòd aliquis ſeminaliter, id eſt, per concubitum maris, & fœminæ ab Adam deriuetur abſque originali peccato, ſic enim aliqui homines eſſent, qui non indigerent redemptione facta per Chriſtum. Hæc ille.* In præallegata quæſtione, & articulo, vbi quærit Angelicus Doctor: *Vtrum peccatum originale ab Adam deriuetur in omnes, qui ſeminaliter ab ipſo procedunt?* Sunt verba propoſita ab Aduerſariis, ſed. Primo, vbi S. Doctor de plurali, *aliqui*, ipſi finxerunt de ſingulari, *aliquis*, peſsimè ſatis: nam quod eſſet erroneum hoc affirmare de plurali, etiam nos fatemur, quia priuilegium illud ſolùm fuit conceſſum Virgini in ſingulari. Secundo, conſequenter vitiarunt verbum, *deriuetur*, cum Sanctus dicat, *deriuentur*, vt ſic confirmaretur quod antecedens non fuerat caſu factum. Tertio, addiderunt illud *id eſt, per concubitum maris, & fœminæ*, quæ non extant in S. Thoma, & fuit peſsima addulteratio, ſunt ergo iam vitia 194.

Vigeſimam ſecundam auctoritatem, vel auctoritates (vt nihil intactum relinquamus) adducit Arauxo, prima ſecundæ quæſt. 81. articul. 3. fol. 417. qui non contentus auctoritatibus relatis, ſuperaddidit has ſequentes, videlicèt ex Pſalmo 13. ad illa verba: *Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum*, ſic ait: *Id eſt, vſque ad Chriſtum, quia ipſe ſolus nec peccatum contractum habuit, nec commiſsum. Beata Virgo habuit contractum peccatum, iuxta illud Eccleſ.* 7. *virum de mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni.* Aliam verò ſic: Item Pſalmo 50. ad illud: Et in peccatis concepit me mater mea, dicit Dauid in perſona totius generis humani: *Quia ſolus Chriſtus fuit de facto ſine originali peccato conceptus.* Ac tandem adducit aliam ex Pſal. 45. ſuper illud: *Sanctificauit Tabernaculum ſuum altiſsimus*, inquit Diuus Thomas: *Non quòd aliquando non fuerit ſanctum, ſed quia in ipſa Conceptione ſanctum ipſe formauit, quod fuit ſingulare in Chriſto.* Ex his tribus auctoritatibus, prima ex Pſalmo 13. fideliter eſt adducta, & cum fundamento, loquitur tamen pronunc more antiquorum de prima Conceptione, ſeu generatione. Secunda, ex Pſal. 50. eſt vitiata: nam verba ſic extant in originali. *Tibi ſoli peccaui, quia ſolus eſt ſine peccato, & ſimiliter Chriſtus omninò fuit ſine peccato.* Et infra: *Et ſic quia quidam ſanctificantur in vtero, ſed omnes, præter Chriſtum, concipiuntur in originali: & ideò dicit, quòd non eſt ſanctificatus in vtero, ſed natus in originali, &c.* Vide ergo, quàm corruptum adduxerunt textum? Tertiã auctoritatem fideliter tranſcripſit. Iſtæ ergo vigintiquatuor ſunt omnes auctoritates, quibus nituntur probare Sanctum Thomam apertè, & clarè, ſingulariter, & in indiuiduo luſtinuiſſe Virginem Mariam fuiſſe cõceptam in originali peccato. Vitia autem capitalia, & adulterationes præcipuè in ipſis commiſſę ſunt centum nonaginta octo.

CENSVRA PRÆCEDENTIVM omnium auctoritatũ S. Thomæ: ex his ergo ſic conſtitutis ſecundùm puram, ac irrefragabilem veritatem, Dei nomine inuocato, iudicamus, ex omnibus præallegatis auctoritatibus ſolùm fuiſſe adductas cum aliquali fundamento inſpecto verborum cortice ſequentes, Primam, in qua agit de celebratione feſtiuitatis Conceptionis. Sed ad hanc dicimus, quòd loquitur de conceptione carnali, facta die 8. Decembris, de qua dicit, & affirmat, non eſſe feſtiuandam, niſi per ordinem ad ſanctificationem, quando anima Virginis recepit gratiam. Et hanc eſſe mentem D. Thomæ, conſtat ex titulo quæſtionis, & ex omnibus in illo articulo contentis; hæc enim fuit quæſtio valdè exagitata inter antiquos Doctores, exorta ex illa vniuerſali æquiuocatione, quòd exiſtimarent Lugdunenſes, & aliæ Eccleſiæ celebrantes Conceptionem Virginis die octauo Decembris, id eſt, ante nouem integros menſes ſuę Natiuitatis, feſtiuabãt

idem

idem quod Eccleſia vniuerſalis de Conceptione Chriſti Domini die 25. Martii, vt ex ipſiſmet verbis Auctorum antiquorum demonſtratum eſt ſæpè in hac Ventilatione: ſed pro declaranda mente S. Thomæ in particulari, libet hìc cuiuſdam eius inſignis Diſcipuli verba in medium adducere. Hic eſt Ioannes Bromiart, Ordinis Prædicatorum, qui vixit, vt ait Antonius Senẽſis fol. 133. primo ſæculo ſuę Religionis, id eſt, ad ann. 1260. Ioannes Pitſeus affirmat, eum claruiſſe ad ann. 1382. & idem dicit Ioannes Ballæus fol. 167. Michael Pius, part. 2. lib. 1. exiſtimat floruiſſe ad ann. 1290. Hic ergo ſcripſit quãdam Summam Prædicantium ſatis eruditam, in qua habet ſequentia verba par. 2. cap. 3. artic. 4. num. 28. fol. 13. col. 1. *Filius Dei volens in aliquo loco, & de aliqua muliere naturam noſtram aſſumere, & nobiſcum morari, à principio mundi nullam inuenit pro hoſpitio dignam, quia omnes peccato originali, vel actuali, vel vtroque infectæ erant; & tandem verò in fine mundi hãc mundiſsimam inueniens Virginem, in qua nullũ erat peccatum, vel originale, vel actuale, tanquã gaudens de fortuna optata, dicere potuit: Hæc requies mea, &c.* Nonne vides, quomodo auctor iſte expreſsis verbis affirmat, Virginem caruiſſe peccato originali? Et tamen in eodem libro & loco dicit, Conceptionem Mariæ non eſſe celebrandam, quia fuit in originali peccato. Accipe eius verba, ver. Maria cap. 3. art. 4. num. 33 fol. 13. col. 2. *De eius verò Conceptione, Annuntiatione, & Natiuitate dici poteſt illud Apocal. 21. Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus. H. I. In die namque Conceptionis, & ſanctificationis eius, quæ ſtatim facta fuit vinea dilecto, & Tabernaculum Dei factum, & ſanctificatum fuit, quia illo die ſanctificauit Tabernaculũ ſuum Altiſsimus. Ad hoc nota capitulum Dedicationis, & ſanctificationis, & mundationis, quia feſtũ illud potiùs ſanctificationis, quàm Cõceptionis dici debet, quia ſolemnitas ad punctum ſanctificationis, & nõ Cõceptionis (quia cõcepta fuit in originali peccato) referri debet.* En iterum fatetur Bromiart, quod ſanctificatio Marię fuit facta in inſtanti, & ſimul affirmat, quod Conceptio eius facta fuit in peccato originali, loquitur enim de conceptione carnis, facta die 8. Decembris, cuius ſolemnitas referri debet ad ſanctificationẽ, ſiuè animationem, quando ſtatim facta fuit Maria Tabernaculum Dei. Ergo Doctores antiqui diuerſimodè ſentiebant de peccato originali contracto in animatione, ac peccato originali generationis, ſeu cõceptionis carnalis factæ die 8. Decembris. Vide aliam auctoritatem in Virico de Argentina num. 312. pro hac materia cedro digna.

Item ſecunda auctoritas cum ſufficiẽtiſsimo fundamẽto adduceretur, niſi fuiſſent intruſa prę cipua verba, vt ibi demonſtraui: nam tota illa clauſula. *Nec in ipſo inſtanti infuſionis, vt ſcilicèt per gratiam tunc ſibi infuſam præſeruaretur, (vel conſeruaretur) nè culpam originalem incurreret,* tota fuit addita, quod conſtat, tum ex ſuprà dictis, tum verò potiſsimè, quia hanc eandem quæſtionem propoſitam in 3. Sententiarum ventilat S. Thomas in 3. parte, vt ſuprà viſum eſt auctoritate 5. atque in 3. part. artic. 2. reſolutio Sancti Thomæ eſt vitiata: ergo hoc idẽ ſentiendum erit de ha reſolutione 3. Sententiarum. Minorem ſic probo ex prælegato Ioãne Bromiardo, Ordinis Prædicatorum, qui parum poſt Sanctum Thomam vixit, hic enim in ſua Summa prædicantium, quæ incipit: *Prædicantiũ vita ſecundum S. Gregorium, &c.* Et Typis inuenitur mandata abſque anno, & loco impreſsionis, & Lugduni 1522. & 4. in Venetiis 1586. in 4. & Norimbergiæ 1518. in folio, & 1485. & denique Antuerpiæ 1614. in fol. verbo Maria tom. 2. artic. 2. numero 8. §. *ſed quia,* folio 318. in aliquibus eſt num. 10. fol. 9. agens de Corona Virginis, & duodecim ſtellis, ſeu donis ſingularibus, vel priuilegiis Mariæ ſic inquit: *Secundam, in corona habuit ſtellam, ſeu florem eleuatum ad modum coronæ Regalis, in hoc quòd fuit cæteris eminentiùs, & ſpecialiùs ſanctificata. De alijs enim benè legitur, quòd fuerint in vtero ſanctificati, ſicut de Hieremia, & Ioanne Baptiſta. Non tamen illicò ita fuerunt ſanctificati, quin potuerant venialiter peccare. Ipſa verò tam eminenter ſanctificata fuit, quòd nec mortaliter, nec venialiter peccauit, ſicut patet per S. Thomam in 3. part. de Chriſto, quæſt. 37. art. 6. in eadem etiam quæſt. artic. 2. ponit eius ſanctificationis excellentiam, quantum ad tẽporis prioritatem in hoc quod ſanctificata fuit in ſua animatione, id eſt, in coniunctione animæ cum corpore in vtero Matris ſuæ, & non ante, quia ſanctificatio, & mundatio fit per gratiam, cuius ſubtectum eſt anima, nihil enim eſt capax gratiæ, niſi anima rationalis, ſic ergo ſanctificauit Tabernaculum ſuum altiſsimus, in Pſal. 45. &c.* Hæc ſunt formalia verba Ioannis Bromiardi, vndè Petrus à Valle clauſa in ſuis Diatribis, Diatr. 6. agens de hac quæſt. 27. & art. 2. tertiæ part. ſic inquit: *Itaque textus ille fuit manu adulteratrice contactus, & apud Ioannem Bromiardum, qui floruit anno 1260. vt habet Chronicon Ordinis Prædicatorum, locus ille legitur, vt par eſt. Videſis Bromiardum, in Summa prædicantium, verbo Maria, articul. 2. adducit enim Bromiardus Sanctum Thomam eo loco dicẽtem: Beatam Virginem fuiſſe ſanctificatam non ante animationem, ſed in ipſa prima animatione, ex quo ſequitur excluſio peccati originalis à Deipara, fratres autẽ, ne ibi hoc S. Thomas diceret, & ſibi contradiceret 1. 2. adulterato textu fecerũt, &c.* Cùm ergo S. Thomas ſecundùm allegatum textum Ioannis Bromiardi dixerit, B. Virginẽ

fuiſſe ſanctificatam, *in ſua animatione, id eſt, in coniunctione animæ cum corpore, & non ante*, ſequitur, quòd in 3. Sententiarum addita fuit ab aliqua manu adulteratrice illa clauſula: *Nec in ipſo inſtanti infuſionis, &c.* Et in 3. par. vbi S. Thomas dicebat: *Sanctificatio Virginis ante animationem eius intelligi non poteſt, ſed in ipſo inſtanti animationis, ſiue in coniunctione animæ cum corpore*, Aduerſarii omnia hæc abſtulerunt, & hac peſſima adulteratione negatiua non contenti, aliam ſuperaddiderũt maiorem poſitiuã, dicentes ſic: *Sanctificatio B. Virginis non poteſt intelligi ante animationẽ, nec in inſtanti animationis, ſed poſt animationem*, vt demonſtratum eſt auctoritate 5. vide ibi, & infrà latiſsimè in Caietano, vbi hæc auctoritas ex profeſſo examinatur iterum.

Conſtat etiam illam clauſulam fuiſſe additam ex alia ſimili intruſa in 3. argumento eiuſdem quæſtionis, vbi poſt illam communem auctoritatem S. Anſelmi dicitur: *Ergo anima illa nunquam originali peccato infecta fuit, aut igitur caro ſanctificata fuit ante animationem, vel ſaltem in ipſo inſtanti confuſionis anima gratiã ſuſcepit, per quam immunis à peccato originali eſſet.* Aliqua verba huius illationis, vel totã conſequentiam fuiſſe ab aliquo imperito intruſam haud dubito. Primo, propter rationes ſuperiùs dictas in auctoritate. Secundo, quia in reſpõſione ad hoc argumentum nullam facit Angelicus Doctor mentionem de hac clauſula, quæ principalis eſt, ſed ſolùm ad auctoritatem S. Anſelmi dicit: *Ad tertium dicendum, quòd hæc puritas ſoli homini Deo debebatur, vt ipſe quaſi vnicus Redẽptor humani generis nulla peccati ſeruitute teneretur cõpetebat, omnes à peccato redimere; vnde non hanc puritatem, ſed ſub hac maximã Virgo Mater eius habere debuit.* Signate hìc vbi Angelicus Doctor reſpondit ad illam cõſequẽtiam: *Ergo anima illa nunquam, &c?* Et ſic hæc vſque ad finẽ fuit intrusa in illa auctoritate Anſelmi, quia poſteà præuiderunt eſſe vnicum, & principale noſtræ ſententiæ fundamentum. Itẽ quia nunquam S. Thomas loquitur de *anima*, ſed ſemper de perſona, vt videre eſt in 3. par. Itẽ quia terminus ille, vel ſaltem in ipſo inſtanti *cõfuſionis*, non poteſt eſſe Angelici Præceptoris propter eius incongruentem cõfuſionem materialiter, & formaliter, quia nullum ſenſum facit. Dices (ſicut & ego aliquando exiſtimaui) eſſe errorem Typographiæ, & loco in inſtanti infuſionis, mendoſè appoſitum fuiſſe *confuſionis*, ſed hoc nõ poteſt eſſe, quia in impreſ. Venetiana ann. 1593. apud Dominicũ Nicolũ, & in alia ibidem apud Hieronymum Scotum ann. 1568. eſt *confuſionis*, & eodem modo in Romana ann. 1570. & in nouiſsima Antuerpiæ ann. 1612. recognita per R. P. Coſmã Marcelles, & ſic de aliis: ergo non fuit error Typographiæ, ſed confuſio introducta ab aliquo cõfuſo ſcriptore, quæ ſub illo confuſo termino *cõfuſionis*, patefecit, Deo ſic diſponẽte, quãtæ cõfuſiones fuerunt introductæ in Angelica doctrina S. Thomæ, vt ex ipſa maculārent Dei Matrem. Vide quæ dicimus in Thoma de Vio Caietano ad finem. Auctoritates ex 3. par. quæſt. 27. ſcilicèt, 5. & 6. & 7. & 8. ac 9. demptis fictionibus, atq; adulterationibus in ipſis intruſis nihil dicũt contra Immaculam Cõceptionẽ. De quinta ſumpta ex reſolutione vide latè infra in Caietano, vbi ex profeſſo ventilatur.

Decimam auctoritatem, ex Quodlibeto 6. cum fundamento adducunt Aduerſarii, ſi opus illud Quodlibetorũ eſt S. Thomæ: & hoc noto, quia eximius Quodlibeta illa fuiſſe Iacobi de Viterbio, Ordinis S. Auguſtini, quem aſſutè citant vagè, & indeterminatè, *in quodam ſuo Quodlibeto*, vel Gerardi de Senis eiuſdẽ Religionis, vel Bernardi Clueri, quem etiam citãt in 6. Quodlibeto ſicut hìc, vel Bernardi de Clarámonte, vel Nicolai Traueth, Ordinis Prædicatorum, quos etiam citant in Quodlibetis, ſicut etiam Iacobum de Biblia: quam plura enim opera aliorum fuerunt adſcripta Angelico Doctori, quæ in rei veritate ſua nõ ſunt, vt ipſimet PP. Dominicani fatẽtur, vt infra dicemus: deindè percipere nõ poſſum, quomodo S. Thomas potuerit dicere illud quod continetur in hoc opuſculo: *Romana enim Eccleſia, & plurimæ aliæ conſiderãtes Cõceptionem eiuſdem Virginis in originali peccato fuiſſe, feſtum Conceptionis non celebrant*, cùm Bartholomæus Brixiẽſis Epiſcopus, qui floruit circa ann. 1240. dicat, quòd ſuo tempore iam Eccleſia Romana ſolẽnizabat Conceptionis feſtum, & quòd tali die ipſemet celebrauit ſacrum coram Summo Põtifice, & Cardinalibus. Et Turrecremata ſcribẽs ad ann. 1435. par. 9. cap. 10. fol. 179. dicat: *Notoriè conſtat, apud Sedem Apoſtolicam in Curia Romana annuatim feſtum Conceptionis publicè celebrari, ad quod tàm Domini Cardinales, quã Epiſcopi, & vniuerſi de Curia Maioris cõuentũt, & ità videtur approbaſſe opinionem de puritate Conceptionis, &c.* Sed dato quòd opus iſtud ſit S. Thomæ, facillimè poteſt interpretari de peccatis commiſsis in generatione, ſeu conceptione carnali, & hoc indicat titulus quæſtionis, & ipſamet reſolutio D. Thomę, nam ibi inquirit: Vtrum liceat celebrare Conceptionem Dominę noſtræ? id eſt, illam conceptionem carnalẽ factam die 8. Decẽbris, de qua etiam formaliter egit in 3. Sent. & in 3. part. & ſic introducit, quod pro huius difficultatis reſolutione ſunt examinandæ duæ quæſtiones, vna principalis, prima, ac præcipua, ſcilicèt, an Maria fuerit concepta in peccato originali? Alia verò acceſſoria: vtrùm feſtiuitas illius Conceptionis eſſet celebranda, necnè? Ergo ſi acceſſoria, & ſe-

cun-

cunda est de generatione carnali; prima agit de peccato commisso ante illam generationem, vel in ipsa, non autem de peccato originali cõtracto in animatione, post quadraginta dies? Hęc mihi videtur illatio legitima, sed cum dependeat ab hac, vel illa intelligentia verborum Sancti Thomæ, mihi solùm interest indicare, quòd ex hac auctoritate non concluditur intẽtum Aduersariorum.

De auctoritate decimaquarta sumpta ex Cõpendio Theologiæ affirmo, opus illud non esse S. Thomæ, vt diximus in Hugone de Argẽtina, & latiùs examinabimus in Thoma de Suetonia. Primo, quia dissonat in stylo, ac dispositione ab aliis operibus. Secundo, quia est Epitome, & Compendium doctrinæ S. Thomæ, & sic elaboratum ab aliquo eius discipulo. Tertio, quia non est credibile, Angelicum Doctorẽ edidisse quatuor distincta Compendia Theologię. Quarto, quia ex nullo verbo propositi Compendii potest colligi directè, vel indirectè illud esse S. Thomę; constat fuisse directum cuidam Reginaldo, sed non est necessaria illatio: illud Compendium fuit directum Fratri Reginaldo, S. Thomas habuit socium, seu discipulũ appellatum Reginaldum: ergo illud Compendium est Sancti Thomæ: haberet autem aliqualem apparientiam probabilitatis, si in Ordine Prædicatorum tempore S. Thomæ non esset nisi vnus Reginaldus, sed in illo primo sæculo, scilicèt ab ann. 1220. vsque 1300. fuerunt quinque, vel sex nominatissimi Reginaldi. Nec similiter concludit: S. Thomas elaborauit Compendium, seu Summam Theologiæ: ergo est hoc, quia etiam Summa S. Thomæ est quodam Compendium Theologiæ, & illud Rescriptum ad Annibaldũ, est Compendiũ Theologiæ, & illud manusc. sub nomine S. Thomæ incipiens: *Veritatis Theologiæ sublimitas, &c.* est etiam Compendium, & non est verisimile, quòd Angelicus Doctor ediderit, vt dixi, quatuor Compendia Theologiæ. Quinto, quia hoc Compendium inuenitur manuscriptum in aliquibus Bibliothecis sine Auctoris nomine. Sexto, quia non valet argumentum: S. Thomas morte præuentus relinquit quandam Summã Theologiæ incompletam: hoc Compendium est Summa Theologiæ, & est incõpletum: ergo hoc est S. Thomæ, nõ inquam valet, quia Summa incompletè relicta propter mortem, fuit illa, quę incipit: *Quia Saluator noster, &c.* vt omnes fatentur scriptores, quæ postea fuit completa per Albertum de Brixia, & alios, hoc autẽ Compendium, de quo loquimur nunquam fuit completum. Septimo, quia Nomenclatores antiqui, vt Sixtus Senensis, & alii, qui recesent opera S. Thomæ non enumerant inter illa hoc Cõpendium. Octauo, quia de multis discipulis, & Patribus Ordinis Prædicatorum dicitur, quòd ediderint Summas, seu Compendia Theologiæ, quæ modo non inueniuntur, & fortè hoc est vnum ex illis, vide de hoc etiam numerum sequentem in Thomasino.

Duodecimæ, ac decimæ tertiæ auctoritatum ex 1.2. quæstione 81. intelligentiam inuenies infrà in Thoma de Vio Caietano, vnico interprete Angelici Doctoris, §. vltimo, vbi expressè affirmat quod loquuntur de obligatione, ac debito, & non de actuali contractione: concludẽs sic: *Nec enim solùm redemptione eget actualiter captiuus, sed etiam obnoxius captiuitati. Et hæc benè notabis tu Thomista, ne nimio zelo, non secundùm scientiam accensus, erronea dicas quòd erronea non sunt, cùm de Beatissimæ Virginis Cõceptione disputas, aut prædicas, &c.* Si in hac parte crederes, ò Thomista. Caietano, sicut in aliis eiusdem obseruas præcepta, omnes viginti quatuor auctoritates à te adductas ex operibus S. Thomæ facillime conciliares, præcipuè illas de redemptione. Sed sunt aliqui qui ad tempus credunt, & ad tempus recedunt.

Auctoritas decimaquinta, ex Salutatione Angelica non paruam habet difficultatem, res enim secundùm veritatem ita se habet. In Concilio Basilienſi ad annum 1436. Ioannes de Segouia Contreras, Doctor Hispanus, atque canonicus Toletanus, fecit quandam allegationem satis doctam pro parte negatiua, seu opinione magis pia, in qua pro sua, atque nostra sententia adducit S. Thomã in expositione Salutationis Angelicæ, vbi expressè fatetur Mariam non habuisse originale peccatum. Et vt sic salus ex inimicis, & omnis auferatur scrupulus: do verba ipsius Turrecrematæ par. 12. cap. 15. fol. 260. sic dicentis: Tertium dictum S. Thomæ, quod inducitur ex aduersò in assertionem partis suæ, est illud quod scribitur in expositione Salutationis Angelicæ, vbi dicẽs, quòd B. Virgo excellit Angelos in tribus, dicit inter alia: *Tertio, excedit quantum ad puritatem, quia B. Virgo non solùm fuit pura in se, sed procurauit puritatem alijs. Ipsa enim purissima fuit quantum ad culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit. Item quantum ad pœnam. Tres enim maledictiones datæ sunt hominibus propter peccatum: Prima est data mulieri, scilicèt, quòd in corruptione conciperet, in grauedine portaret, & in dolore pareret. Sed ab his immunis fuit B. Virgo, quæ sine corruptione cõcepit, in solatio portauit, & cum gaudio peperit Saluatorẽ. Isaias: Germinãs germinauit, &c. Secunda data est homini: quòd in sudore vultus sui vescatur pane suo. Ab hac fuit immunis B. Virgo, quia dicit Apostolus ad Corinthios: Virgines solutæ sũt à cura huius mũdi, sed soli Deo vacãt. Tertia fuit cõmunis viris & mulieribus, scilicèt, vt in pluuerem reuerterentur. Ab hac fuit immunis B. Virgo, quia cum corpore ascendit in cœlum.*

Credimus enim, quòd poſt mortem ſuſcitata fuerit, & portata in cœlum. Pſalm. Exurge Domine in requiem, &c. Si ergo immunis fuit ab omni maledictione, & ideò benedicta in mulieribus, quia ipſa ſola maledictionem ſuſtulit, & benedictionem procurauit, & ianuam Paradiſi aperuit, & ideò conuenit ei nomen Maria, &c. Hucuſque Segouia, & ab ipſo Turrecremata, quæ auctoritas regulata cum originalibus impreſsis Sancti Thomæ, nec in vno apice eſſentiali diſcrepat, nam illud, *fuit*, vel, *erat*, & illud, *etiam*, ſunt variationes parui momenti: ſolùm autē differunt eſſentialiter in illo, *quia nec originale*, de hac enim dicit Turrecremata, quòd multis originalibus perſpectis, non eſt inuenta illa particula. Si hoc dictum Turrecrematæ eſt verū, nec nè, ipſe videat: Ego enim ſolùm noto, quod in hac expoſitione Salutationis Angelicę, eſt auctoritas pro opinione Aduerſariorum, & eſt auctoritas pro noſtra ſententia: noſtra non extat in originalibus impreſsis Sancti Thomæ, Aduerſariorum ſic; in noſtra auctoritate ſunt tranſcripta omnia verba S. Thomæ fideliter, ac legaliter: quare ergo, & in vno verbo nō credemus Segouiam, Canonicum Toletanū fuiſſe etiam veridicum, quando in omnibus aliis ita legaliter tranſcripſit verba Diui Thomæ? Aduerſarii autem adulterarunt textum ſui Angelici Doctoris, triginta adulterationibus capitalibus, & ſic non eſſet præſumptio temeraria dicere, quòd fortè fuerunt triginta & vna. Si ab anno 1437. in quo ſcripſit Turrecremata vſque ad annum 1471. in quo ſcripſit Anonymus, additæ ſunt in textu Sācti Thomæ in ſola hac auctoritate ſuper Salutationem Angelicam, triginta falſitates, vt demonſtratū eſt ſuprà, ſolùm vt macularent Virginem, quare ante annum 1437. non potuit eſſe vna? Intellige, ò Lector! & iudica. Tandèm Opuſculum hoc de Salutatione Angelica fuiſſe vitiatum ab his, qui ægrè ferebant D. Thomam noſtræ piæ ſententiæ toties adfauere, affirmat P. Hyppolitus Marraccius in ſua Fide Caietana, fol. 34. & citat Salazarium Tract. de Concept. cap. 42. Caniſium capit. 6. lib. 1. Salmeronem diſput. 51. in Epiſtol. ad Rom. Sed iſti ſunt Auctores moderni, qui paruam fidē præſtare poſſunt in hac materia antiqua, & ſic accipite Anton. Cucharum, Doctorem antiquum in ſuo libro de Conceptione fol. 308. colum. 4. ſic dicentē. Thomas quoque in expoſitione de Angelica Salutatione, dicit: *Ipſa enim Maria puriſsima fuit quantum ad culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.* Vide, & nota, quomodo auctoritates adductæ à noſtris ex Sancto Thoma, nec in littera vna diſcrepant inter ſe?

Auctoritates ex interpretione Pſalmorum aliquæ adductæ ſunt ſine fundamento, illa verò ex Pſal. 13. eſt ad rem, & cum fundamento adducta, ſed cum expoſitio illa Pſalmorū non ſit S. Thomæ, ſed vel Petri de Tarantaſia, de quo vnanimiter affirmant Nomenclatores Dominicani, quòd ſcripſerit ſuper Pſalmos, vel Thomæ Anglici, vt inquit Sixtus Senenſis in ſua Biblioth. Sācta lib. 4. fol. 304. *Vicinitate vocuum quam habēt Anglicus, & Angelicus, factum fuit vt Angelico Doctori, ſcilicèt D. Thomæ ſuppoſita fuerint multa, quæ erant Anglici Doctoris, ſcilicèt Thomæ Anglici.* Idem dicit alter Antonius Senenſis fol. 244. & Michael Pius latè, vt ſuprà dixi, & latius dicam num. 301. ex aliquo iſtorum, vel alterius incogniti exiſtimandum eſt eſſe Commentarium illum in Pſalmos; tum quia ſtyllus non eſt D. Thomæ; tum etiam quia præfatus Sixtus Senenſis affirmat Poſtillam S. Thomæ in Pſalmos incipere ſic: *In omni opere ſuo, &c.* Expoſitio autem illa, quæ circumfertur in operibus Sancti Thomæ non incipit: *In omni opere ſuo*, ſed ſic: *Hic Pſalmus diſtinguitur contra totum opus, &c.* Ergo admiſſo, quòd S. Thomas ſcripſerit ſuper Pſalmos, tamen expoſitio illa, quæ in operibus eius circumfertur, à qua Aduerſarii ſuas extraxerunt auctoritates, nō eſt Sancti Thomæ, ſed alterius, de quo plura poſſem dicere, ſed taceo, quia eſt tempus tacendi, & tempus loquendi.

Ex omnibus ergo hucuſque 24. relatis locis, ſecundùm nudam, ac ſinceram veritatem, cōcluſio eſt, quòd nullibi ex profeſsò hanc tetigit controuerſiam S. Thomas, & quod ex auctoritatibus incidenter prolatis, aliquæ adducuntur ab Aduerſariis, pro ſua opinione cum ſufficienti fundamento, aliæ verò ſine vlla ratione, cauſa, nec veritate. Ex illis adductis cum fundamento, aliquę ſunt vniuerſales, quæ ſolùm à regula generali excludunt Chriſtum Dominum, vel in ipſis regulis generalibus includit omnes homines non excipiendo Virginē Mariam, & iſtæ neque ſunt expreſsę, neque clarę, & ſic etiā ſunt excludēdæ. Quæ autem loquuntur in propriis terminis de Conceptione, Maria, ac originali peccato, maiori ex parte agunt de Cōceptione prima carnali, ſeu generatione facta die 8. Decemb. de Maria, prout in ſemine, vel embryone, antequam animaretur, ac de peccato originali, ſeu concupiſcentia parentū, ac fomite relicto in carne, à quo Maria fuit purgata, ac liberata in ipſa infuſione animæ, ſeu vnione ad corpus, & ſic omnes iſtæ nullo modo militant contra principalem ſcopū huius controuerſię. Vndè ſolū reſtant duę auctoritates, que expreſsis verbis videtur tangere formale difficultatis punctū; ſed cum hę duę ſint intruſæ, fictæ, & adulteratę, vt demoſtratum eſt vide quid reſtat, vel reſtare poteſt in Angelico Doctore? Quibus ſi addas centū nonaginta octo capitales adulterationes, & vitia quibus ſuperſeminatū: opera,

ra, & ſemina pura, ac ſancta verborũ Angelici Doctoris, ſolùm vt pullularet peccatũ vnum in terra illa benedicta Maria, quid dicemus Angelico Doctori? Niſi illud: Domine, nonnè bonu ſemẽ ſeminaſti in agro tuo? Vnde ergo habet zizaniã? Et ipſe quid aliud reſpondebit, niſi illud: Inimicus homo hoc fecit; & benè inimicus homo ſine nomine, quia fuit Anonymus. Interrogo Patres (loquor ſemper in his verbis cùm ſcriptoribus partis aduerſæ, non cùm aliis) ſi S. Thomas ſcripſit, dixit, & ſuſtinuit apertè, clarè, & diſtinctè Virginem Mariam fuiſſe conceptam in peccato originali, qua intentione, fine, ac motiuo additæ fuerunt illę centum nanaginta octo falſitates? Vel enim omnia originalia manuſcripta S. Thomæ erant corrupta, vel aliqua, vel nulla. Omnia non; quia Turrecremata, Segouia, & alii Doctores antiqui ſcribentes ante Typographiam, adducunt auctoritates S. Thomæ, vt modo ſunt impreſſæ, ſi aliqua: ergo nulla fides præſtanda eſt operibus S. Thomæ; quia dubitari poteſt, an ex legitimis, vel nothis tranſcripta fuerint in lucem datis; vel ſi nulla fuerunt vitiata, vnde, quare, vel quomodo excogitata fuerunt tot, tantaque vitia, ac mendacia? vt capitalia ſint 198. alia verò minora 800. & amplius. De auctoritatibus exiſtentibus in operibus S. Thomæ, tam impreſsis, quam manuſcriptis, pro Immaculata Virginis Cõceptione, quę expreſſę, clarę, ac diſtinctę ſunt quinque. De quatuor primis (prima ex 1. lib. Sentent. diſt. 44 quæſt. vnica, art. 3. Secunda ex eodem 1. Sent. diſt. 44. quæſt. artic. 2. ad 2. Tertia, ex eodem 1. diſt. 17. quæſt. 2. art. 4. Quarta, ex opuſculo 61. in tractatu de decem gradibus charitatis, grad. 10. ad finem) latè agit R. Gaſpar Cathalanus, Ordinis Prædicatorum, & deſignatus Epiſcopus Ilerdenſis, in Epiſtola ad D. Michaelem Baptiſtam de la Nuza, Equitem Ordinis S. Iacobi, miſſam ad annum 1651. quæ extat apud Ioan. Euſeb. Nieremb. in lib. Exception. cap. 24. à fol. 374. vſque 383. Quinta, conſtat ex Epiſt. ad Galatas, vt diximus latè in Ventilabro in principio cùm ergo pro noſtra ſententia ſint quinque auctoritates, maiores omni exceptione, & pro contraria opinione ſolùm duæ & illæ ſuſpectæ, dubiæ, ac incertæ, quia conſiſtunt in additione duorum verborum. Iudicet Lector inter quos numerandus ſit S. Thomas?

Pro vltimo huius Angelicæ ventilationis complemento, ad 24. ſupra adductas auctoritates volo addere aliam claram, & expreſſam ab omnibus Aduerſariis, vel à caſu, aut potiùs à cõſilio prætermiſſam, timentes fortè, ne ex illa deueniret veritas in plenam cognitionem ſentẽtiæ, ac mentis S. Thomæ, extat in 3. part. quæſt. 14. artic. 3. vbi quærit: *Vtrum Chriſtus defectus corporales contraxerit*, & introducit articuli difficultatem, ſic: *Ad tertium ſic proceditur: videtur quòd Chriſtus defectus corporales contraxerit. Illud enim contrahere dicimur, quòd ſimul cum natura ex origine trahimus, ſed Chriſtus ſimul cum natura humana defectus, & infirmitates corporales per ſuam originem traxit à matre, cuius caro huiuſmodi defectibus ſubiacebat: ergo videtur, quòd hos defectus contraxerit.* Nota in iſtis primis verbis punctum quæſtionis, ac totius difficultatis ſcopum, *& infirmitates corporales per ſuam originem traxit à matre, cuius caro huiuſmodi defectibus ſubiacebat, &c.* Et etiam illud: *Contrahere dicimur, quod ſimul cũ natura ex origine trahimus.* Ergo trahere originem à matre in, vel cum peccato; contrahere naturam cum originali defectu, ſubiacere defectibus, quia contrahitur natura corrupta damnata, maledicta, filia iræ, originaliter verificantur ſecundum mentem S. Thomæ in generatione carnis à matre ante animationem prolis, quare omnia iſta adhuc prolata formaliter, & expreſsè de Virgine Maria, non concludunt in ipſa peccatum originale, ſed tantum originaliter, id eſt, debitum proximum, quia Chriſtus Dominus, nec originaliter, neque originalè habuit peccatum: Virgo autem Maria habuit originaliter, ſed non originale, id eſt, filius neque in generatione, neque animatione; Maria in generatione, non in animatione: Ieſus neque in carne, neque in anima: Maria in carne, ſed nõ in anima, & ſic filius abſque debito, Maria verò ſic; ſed vltra progrediamur, reſolutionem ſuam proponit ſic: *RESPON. Dicendum, quòd in verbo contrahendi, intelligitur ordo effectus ad cauſam, vt ſcilicèt illud dicatur contrahi, quod ſimul cum ſua cauſa ex neceſſitate trahitur. Cauſa autem mortis, & horum defectuum in humana natura eſt peccatum, quia per peccatum mors intrauit in hunc mũdum, vt dicitur Roman. 5. Et ideò illi propriè dicuntur hos defectus contrahere, qui ex debito peccati hos defectus incurrunt. Chriſtus autem hos defectus non habuit ex debito peccati, quia, vt Auguſtinus dicit exponens illud Ioann. 3. qui de ſurſum venit ſuper omnes eſt, de ſurſum venit Chriſtus, id eſt, de altitudine naturæ humanæ, quam habuit ante peccatum primi hominis. Accepit enim naturam humanam abſque peccato, in illa puritate, in qua erat in ſtatu innocentiæ, & ſimili modo potuiſſet aſſumere humanam naturã abſque defectibus. Sic igitur patet, quòd Chriſtus non contraxit hos defectus, quaſi ex debito peccati eos ſuſcipiens, ſed ex propria volũtate.* Et pergens ad ſolutionem argumẽtorum dicit ſic: *Ad primum ergo dicendum, quòd caro Virginis concepta fuit in originali peccato, & ideò hos defectus contraxit; ſed Chriſtus naturam ex Virgine aſſumpſit abſque culpa. Et ſimiliter potuiſſet naturam aſſumere abſque pœna, ſed voluit ſuſcipere pœnam propter opus noſtræ re-*

redemptionis implendum, vt dictum est. Et ideò habuit huiusmodi defectus, non contrahēdo, sed voluntariè assumendo.

Hæc auctoritas Angelici Doctoris à vobis prætermissa, quia ipsam non vidistis, vel derelicta, vt eam nos non videremus, quomodocūque sit, illa est S. Thomæ, pro vestra sententia, & sic etiam ventilanda erit. Verba equidèm sunt: *Dicendum, quòd caro Virginis concepta fuit in originali peccato; & ideo hos defectus contraxit.* Cùm ergo hic non loquatur de Maria absolutè, & simpliciter, sed expressè de Cōceptione carnis, iam habemus ex Angelico Doctore, quod idem est dicere: caro Virginis concepta fuit in originali peccato, ac si diceret: caro Virginis generata fuit in originali peccato. Hæc caro, interrogo, in quo peccato originali fuit concepta, vel generata? An in peccato originali parentum, vel in illo peccato originali, & macula, qua post duos menses, & amplius, secundùm vestram opinionem fuit infecta anima, vel aliquo tertio alio peccato originali proprio carnis distincto à peccato parentum, & macula animæ? Absque dubio dicere debetis, quod caro Mariæ fuit concepta in peccato originali parētum, quia in carne nec fuit, nec potuit esse proprium peccatum originale; quia anima Virginis in coceptione carnis nondum erat, sicque Christus naturam & carnē ex Virgine assumpsit sine culpa; Maria autem ex Anna assumpsit naturam, & carnem cum culpa: ergo istæ propositiones nudè sumptæ, & vt sonāt, Maria fuit concepta in peccato originali, Maria assumpsit, vel recepit naturam cum culpa à matre sua Anna, non sunt protestatiuæ vestræ opinionis? Siquidèm in sententia vestri Angelici Doctoris sunt idem quòd hæc: caro Mariæ fuit in sua generatione concepta in peccato originali? Item discursus Sācti Thomæ, & optimus, est iste: ideò Christus non cōtraxit defectus pœnæ, & mortis, &c. sed assumpsit, quia non accepit carnem, & naturam à matre Virgine cum peccato illo originali, vel in origine patrato communiter à matribus; at Maria non assumpsit, sed contraxit illos defectus, quia recepit carnem, & naturam cum peccato originali, vel originaliter patrato à matre sua: igitur generata carne Mariæ, licèt anima eius postea præseruaretur, vel non præseruaretur à culpa, & macula originali, ex eo solum, quòd fuit genita à suis parentibus cum peccato originaliter, vel originali contraxit omnes defectus corporales pœnalitatis, mortis, &c. ergo in sententia S. Thomæ expressa, ac clara defectus pœnalitatis, ac mortis, non procedunt à macula animæ, in instanti animationis contracta, sed ab infectione carnis in generatione seminata? Ac perconsequens vestrum decantatum argumētum; Maria est mortua: ergo habuit originale.

sic distinguendum est secundum doctrinam S. Thomæ: habuit originale carnis, concedo: animæ, nego; siuè mortua est propter peccatum originale generationis, cōcedo, animationis, nego. Fuit mortua propter peccatum originale in causa, concedo, in effectu, nego: denique formalissimè distinguendo: fuit mortua quia habuit peccatum originaliter, concedo; originale, nego. Ab hac enim voce originaliter, & originale, exorta est tota æquiuocatio controuersię inter Discipulos D. Thomæ, nam quod ipse cùm omnibus antiquis vocat contrahere peccatum originaliter in carne in conceptione Matris, ipsi retorquent ad peccatum originale animæ in conceptione prolis.

Ad rem nostram secūdùm S. Thomam ideo Maria contraxit defectus naturales corporis, quia eius caro fuit concepta ab Anna in originali peccato, non sic caro Christi à Maria. Videant ergo Aduersarii, an hæc propositio: *Caro Virginis fuit concepta in originali peccato*, sit idem quòd ista: Anima Virginis contraxit originale peccatum, quia si non sunt idem (vt in rei veritate non sunt, quia distinguuntur sicut caro, & anima; causa, & effectus; generatio parētum, & animatio prolis, dispositio, & forma; priùs, & posteriùs, denique tanquam esse, & nō esse, quia quando hæc erat vera: Caro Mariæ concepta est in peccato originali, id est, originaliter causato à Matre; etiam erat vera hæc, anima Mariæ non est) Sanctus igitur Thomas in omnibus suprà positis vigintiquatuor auctoritatibus (exceptis duabus, vel ad summum tribus) loquitur de carne, de Conceptione prima, & peccato originali parentum, libidinis, & cōcupiscentię, sicut loquitur hic, & non de anima, & Conceptione animationis, ac de peccato originali, culpa, & macula prolis, vt volunt Aduersarii. Nam quod Angelicus Doctor in propositione vocat peccatum ex origine; & in resolutione peccatum ex debito, & in responsione peccatum originale per ordinem ad generationem carnis prout concepta à Matre, volunt Aduersarii confundere cùm conceptione prolis, prout dicit vnionem animæ cum ipsa carne: & ideo prætermiserunt hanc auctoritatem: Item sicut loquitur S. Thomas hic, intelligendi sunt Dauid, & Iob, ac sic etiam omnes Sancti, & Doctores Ecclesiæ relati in hac Ventilatione; sic Magister Sententiarum cum suis Expositoribus, demptis quibusdam, qui de peccato originali carnis, & generationis parentum transierunt ad inquisitionem maculæ, & peccati originalis animæ prolis: ac tandem; omnes consequentiæ adductæ à posteriori, vg. Virgo Maria passa est; mortua est; habuit fomitem; sanctificata est; fuit redempta, &c. Secundùm S. Thomam deducunt hanc consequentiam: ergo *caro* Virginis fuit concepta in originali, vel ori-

originaliter in peccato; Aduerſarii verò pro viribus conantur ex illa deducere aliam conſequentiam, ſcilicèt, ergo *anima* Virginis fuit cõcepta in originali peccato; & ſic inter Magiſtrũ, & Diſcipulos non eſt vnio, quia illi vniunt carnem, & animam in peccato, Conceptionem Matris, cùm Conceptione prolis, generationẽ cùm animatione, & originaliter cùm originali. Videte quæ dicemus infrà in Thoma de Vio Caietano vnico Commentatore Angelici Doctoris, ac Expoſitore legitimo doctrinæ eius, & præcipuè circa hoc punctum Conceptionis. Itẽ nota poſt vltimo complemento doctrinæ Angelici Doctoris, quod ſi in ipſa, hæc propoſitio eſt vera: *Caro Virginis cõcepta fuit in originali peccato*, quare & hæc nõ poteſt eſſe vera: *Caro Virginis concepta fuit in originali gratia*? Si caro compatitur cum peccato, quare non etiam cũ gratia? in illo enim ſenſu, in quo verificauerint primam, in eodẽ debent concedere ſecundam, vel aſſignent diſparitatem, per infinita ſęcula ſæculorum.

THOMASINVS, Ordinis Prædicatorum, Doctor Pariſienſis in 3. Senten. diſt. 3. *Turrecrem. part. 6. cap. 29. fol. 119. à tergo, Anonym. Auctore 61. Bandel. cap. 23. Deza fol. 41. Vincentia.*

VERITAS 297.

HVIVS Scriptoris nullus adducit auctoritatem, niſi vnus Turrecremata ſic: Item ad idem eſt eiuſdem Ordinis Pater D. Thomaſinus, qui in 3. Sentent. diſt. 3. ita dicit in forma, cum S. Thoma pariter: *Ante infuſionem animæ B. Virgo ſanctificari non potuit, nec etiam in ipſo infuſionis in inſtanti ſanctificata fuit, vt eam gratia conſeruaret ab originali peccato, nè inficeretur. Chriſtus enim hoc ſingulariter habet in natura humana, quod redemptione non eguit, eo quòd caput noſtrũ eſt: ſed nobis omnibus conuenit redimi per ipſum. Hoc autem non fuiſſet, ſi aliqua anima inuenta eſſet, quæ originali macula infecta non fuiſſet. Et ideò non poteſt dici, quòd B. Virgo fuiſſet ſanctificata in primo inſtanti ſuæ infuſionis. Hæc ille.* Et hæc Turrecremata ex ſuo Thomaſino: quis autem fuerit iſte Thomaſinus, nec ipſe, nec alius declarat. Nomenclatores, Ordinis Prædicatorum ſolùm mentionem faciunt de quodã Thomaſino Ferrarienſi, qui ſcripſit ſuper Sententias, & aliquos Sermones, tam de Sanctis, quam de tempore, & floruit ad annum 1390. Ita Michael Pius part. 2. lib. 2. colum. 24. Leander Albertus lib. 4. fol. 139. Anton. Senenſis fol. 159. Placentinus fol. 435. Geſnerus fol. 801. Cùm ergo nullum alium Thomaſinum habeant Auctorem, ac Scriptorem ſuper ſententias, neceſſario erit hic. At cum opera iſtius non fuerint typis mandata, difficile erit veritatem ad plenum detegere, dicam tamen planè, ac ſinceriter, quid de hoc Thomaſino, ac eius auctoritate ſentio, & attendat Lector.

In operibus excuſsis S. Thomæ ſunt quatuor tractatus ſuper totam Theologiam, quorum primus eſt ſuper Senten. qui extat tom. 6. & 7. & incipit: *Ego ſapientia effundi flumina, &c.* Secundus eſt ille quem cõmuniter vocamus Partes S. Thomæ, & extant tom. 10. 11. & 12. & incipit opus: *Quia catholicæ veritatis, &c.* Tertium eſt Compendium Theologię, quod extat tom. 17. in principio & incipit: *Æterni Patris Verbum.* Quartum eſt illud Compendium Sentẽtiarum, quod extat eodem tom. 17. adfinem, quod incipit: *Tranſite ad me omnes.* Cum his enumera quintum, & eſt illud incipiens: *Veritatis Theologicæ.* Quod etiam dicit eſſe S. Thomæ, & ego illud vidi manuſcriptum ſub eius nomine: ex his quatuor vltima ſunt Compendia Theologiæ, & vt ſæpè dixi, ac exiſtimo etiam quod demoſtraui, non eſt veriſimile Angelicũ Doctorem edidiſſe quatuor Copendia Theologię: ex prædictis ergo quinque tractatibus ſuper Theologiam. Primum & ſecundum recipimus, & abſque vlla controuerſia admittimus, tanquam partus legitimos S. Thomæ. Tertiũ, ſcilicèt, Compendium Theologiæ exiſtimo non eſſe S. Thomæ, ſed ab aliquo Thomaſino fuiſſe elaboratum & adſcriptum D. Thomæ, vt ſupra diximus num. antecedenti 296. ad auctoritatem 14. De quarto, ſcilicèt, Compendio Sẽtentiarũ maior occurrit difficultas, quia ex vna parte videtur eſſe S. Thomæ, ſi quidem eſt dicatũ Hannibaldo Hãnibaldenſi Romano, Epiſcopo Cardinali, qui fuit tẽpore S. Thomæ & extat, vt dictũ eſt, inter opera eius tom. 17. Ex alia vero parte videtur nõ eſſe S. Thomæ, tum quia auctoritatem huius Compendii adduxerunt Aduerſarii ſuprà num. 19. & 20. pro ipſomet Annibaldo, & illã etiam tribuũt cuidam Romano Magiſtro, & cuidam Synibaldo Romano, de quibus nu. 278. & 286. Item ſub nomine Ioannis Sternigacii, & Ioannis Sterigatii, de quibus num. 189. & 190. & hic ſub nomine Thomaſini, vt ſtatim videbimus: ergo hoc Cõpendium ſentẽtiarum non videtur eſſe S. Thomæ. Tum quia in hoc Compendio in 3. Sent. diſt. 3. expreſsè, clarè, ac diſtinctè, dicitur Virginem Mariam non fuiſſe ſanctificatam in inſtanti infuſionis animæ, quod eſt præcipuum noſtræ controuerſiæ punctum, & tamen Aduerſarii adducentes ex S. Thoma viginti quatuor auctoritates diuerſas, ex quibus quamplurimæ ſunt adducte ſine fundamẽto, & veritate, nec ſumunt in ore, nec ſaltem allegant, illam in S. Thoma: ergo ſignum eſt quod hoc opuſculum, ſiuè Cõpen-

pendium Sententiarum apud antiquos non recipiebatur vt opus S. Thomæ, sed vt alicuius Thomasini, tum quia in illo tom. 17. est opusculum 70. de humanitate Christi, quod incipit: *Christus Iesus venit, &c.* Vbi art. 3. qui incipit: *Secundum membrum principale*, agitur expressè, & clarè de sanctificatione Virginis Mariæ in vtero Matris suæ, & tamen Aduersarii de hoc opusculo, & auctoritate nullam faciunt mentionem: ergo signum est quod in illo tom. 17. & vltimo quam plura aggregata fuerunt opuscula, quę non erant S. Thomæ, sed aliquorum, vel alicuius Thomasini, & hæc sunt Compendium Theologiæ, opusculum de Humanitate Christi, & Compendium Sententiarum, nec hoc erit mirũ, quia Augustino, Bernardo, Chrisostomo, & omnibus aliis Sanctis, scriptoribus primæ classis, ferè nullo dempto, ad scribuntur aliqua opera, quæ in rei veritate non sunt illorum: ergo hoc idem potuit contingere in S. Thoma, & quod de facto contingit, ipsimet Nomenclatores fatentur, tam Dominicani, quam alii, quorum auctoritates suprà adducimus ex Sixto Senensi, Antonio Senensi, Michaele Pio, & aliis vnanimiter profitentibus, quod multa opera existentia in illis 17. tomis, non S. Thomæ, sed aliorum habentium idem nomen. Item quia Posseuinus fol. 481. facit Cathalogum de D. Thomæ Aquinatis opusculis, quæ legitimi esse ipsius fœtus existimantur, & in illis non enumerat hoc Compendium Sententiarum. Iuuat huic coniecturæ, quod opusculum hoc non extabat in antiquis impressionibus antè impressionem Romanam Pii V. Pont. Max. ergo opus hoc, de quo agimus, potuit esse istius Thomasini, vel alterius Thomasi, sed sit, vel non sit.

Redeundo ad auctoritatem Turrecrematæ adductam ex suo Thomasino, dico quod S. Thomas in illo 2. rescripto, seu Epitome Sententiarum in 3. dist. 3. quæst. vnica, artic. 1. quærit: vtrum B. Virgo fuerit in vtero sanctificata? Ad quam respondet sic: *Ad hoc dicendum, quod B. Virgo, nec ante Conceptionem, nec in Conceptione, ante animæ infusionem sanctificata fuit, quia proprium subiectum gratiæ est anima, nec in ipso instanti infusionis animæ, quia sic non cõtraxisset originale, sicut nec Christus, & ideò omnibus non conueniret redimi per Christum, sed tãtum sanctificata creditur post animæ infusionẽ, &c.* Si hęc auctoritas sub nomine S. Thomæ typis mandata, est Thomasini vt videtur esse, & fatetur ipse Turrecremata in illis verbis: *Ita dicit in forma cum S. Thoma pariter*, si verba sunt eadem in Thoma, & Thomasino, nulla inueniuntur in Thoma his similia nisi relata, & illa quæ extant in 3. Senten. dist. 3. art. 1. quæ sic se habent: *Sanctificatio B. Virginis non potuit esse [illegible]enter ante infusionem animæ, quia gratiæ capax non dũ erat, sed nec etiã in ipso in instãti infusionis, vt scilicèt per gratiam tunc sibi infusam conseruaretur, ne culpam originalem incurreret, Christus enim hoc singulariter in humano genere habet vt redemptione nõ egeat, quia caput nostrũ est, sed omnibus conuenit redimi per ipsum hoc autem esse non posset, si alia anima inueniretur quæ nunquam originali macula fuisset infecta, & ideò nec B. Virgini, nec alicui præter Christũ hoc concesum est, &c.* Si conferas auctoritatem Thomasini, cum ista S. Thomæ, cognoces esse eandem aliquibus solum verbis mutatis; ostẽdant ergo suum Thomasinũ, & eius auctoritatẽ quia aliqui, qui solum credunt quod vident, existimant, quod tale opus Thomasini non fuerit in rerum natura. Sed quod opus illud Summarium Sententiarum, & Compendium S. Thomæ, vocabant scriptores Thomasinum, ad distinctionem alterius operis magni S. Thomæ, vel Thomasi. Et ex hoc modo loquendi finxerunt hunc Thomasinum contra Immaculatam Conceptionem, & huic sententię subscribo quousque aliud in contrarium appareat.

THOMAS De Linchino, Ordinis Prædicatorum, & Patriarcha Ierosolymitanus, in Serm. Assumption. B. Virginis. *Bandel. cap. 23. Deza fol. 41. à tergo Vincentia, & Paul. Grysaldus.*

VERITAS 298.

DE Hoc Auctore Lenchino, vel Lentino mentionem faciunt Nomenclatores Ordinis Prædicatorum, non verò alii scriptores Ecclesiastici communes, & vniuersales, imò Ant. Senensis in Bibliotheca fol. 241. Alphon. Placent. fol. 435. & 449. Ioan. Michael. Pius lib. 4. par. 1. col. 606. & part. 2. col. 35. & 38. affirmant duos fuisse scriptores in Religione Prædicatorum eiusdem nominis, vnum de Linchino, & alterum Patriarcham Ierosolymitanum, vnus qui scripsit vitam B. Petri Martyris, alter verò sermones de Sanctis. Et Pius facit tertium Raynerum de Lincino, Archiepiscopum Messanensem. Hoc credant pii: nam ego secundùm veritatem existimo, solùm fuisse vnum Thomam de Linchino Archiepiscopum, atque Patriarcham Iesolymitanum, qui ad Religionem, & habitum recepit Sanctum Thomam de Aquino, & floruit ad annum 1251. decessit à vita ad annum 1277. Vincentius verò Bandellus, videns hunc fuisse virum antiquum, classicum, & omni veneratione dignum finxit ipsum scripsisse sermonem, vel sermones, & hac notitia moti, qui post Bandellum scripserunt cernentes, quòd primus, & notus Thomas de Linchino, non scrip-

ſerat ſermones,exiſtimarunt fuiſſe alium,& ſic Auctor iſte multiplicatus eſt in ſuis Bibliothecis, ſed quidquid ſit de Auctore,

Auctoritatem ſic adducunt: Idem tenet D. Thomas de Linchino, Patriarcha Ieroſolymitanus,in Sermone Aſſumptionis B. Virginis ſic dicens: *Beata Virgo poſtquam fuit in vtero Matris à peccato originali mundata, ſemper ab omni actuali peccato illibata permanſit.* Ego ſine aliqua cunctatione exiſtimo hāc auctoritatem eſſe fictam à Bandello. Primo,quia in omnibus redolet eius ſtylum. Secundo,quia ſi talis auctoritas fuiſſe in Thoma de Linchino, illam non prætermitterent Turrecremata, vel S. Antoninus. Tertio,quia nullus Scriptor antiquus de tali Linchino,ſermone,& auctoritate mentionē facit, niſi illi qui ſcripſerunt poſt Bandellum. Quarto, quia in ſacro Ordine Prædicatorum fuit quidam Patriarcha Ieroſolymitanus, ſcilicèt,Petrus de Palude, qui ſcripſit ſermones tā de Sanctis,quàm de Tempore,& in parte æſtiuali,à fol.126.habet enarrationes duas de Aſſumptione B. Virginis: exiſtimo ergo quod cùm Bandellus iam adduxiſſet Petrum de Palude Patriarcham Ieroſolymitanum in 3. Senten. diſt. 3. vt vidimus num. 249. voluit ſermones illos adſcribere alteri Patriarchæ Ieroſolymitano,eiuſdem Ordinis Prædicatorum, & ſic adducere alium teſtem contra Immaculatam Virginis Conceptionem. Si hoc eſt iudicium parum conſonum rationi,illud corrigant,oſtendendo ſermonem & auctoritatem ſui Thomæ de Linchino, vel Lentino,Patriarchæ Ieroſolymitani, quia neque in Petro de Palude, nec in alio Auctore ex Ordine Predicatorum in Sermone Aſſumptionis, vel non Aſſumptionis propoſitam auctoritatem inuenire potuimus. Et interim abſque alio conſcientiæ ſcrupulo exiſtimet Lector, Auctorem Linchinum, fuiſſe ſuppoſitum,Sermonem Aſſumptionis fabricatum,& auctoritatem penitus fictam.

Niſi dicamus quòd Bandellus extraxerit hāc auctoritatem ex quodam Auctore antiquo,appellato Guillielmo Pariſienſi, qui edidit ſermones totius anni ſub titulo · *Poſtillæ maiores*,ſæpè typis mandatæ,de quibus nos latè in noſtra Bibliotheca Virginali,tom.3.fol.53. qui in Sermone Aſſumptionis,incipiente: *In omnibus requiem quæſiui*, &c. ſic inquit: *Quæ eſt iſta quæ procedit quaſi Aurora cōſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol. Hæc enim in vtero ſanctificata in Natiuitate ſua claruit vt Aurora, in Conceptione filij per gratiam confirmata claruit vt Luna, hodiè aſſumpta in cœlum claruit vt Sol*, &c. Si ex hac Bandellus ſuam deſumpſit auctoritatem, propter illa: *In vtero ſanctificata*, quod ex eius genio ſatis credibile eſt,non finxit Sermonem,ſed ſolùm Auctorem, & auctoritatem, ſumpta occaſione ex prædictis verbis in vtero ſanctificata quia vbicunque ipſe legebat præpoſita verba *in vtero ſanctificata*, ſicuti maximus Theologus,& ſuę Religionis Generalis,ſemper deduxit hanc generalem conſequentiam: ergo à peccato originali contracto.

THOMAS De Suetonia,Ordinis Prædicatorum,Doctor Pariſienſis in 4. lib Compendii Theologiæ cap.3. *Anonym. Auctore 73. Bandel. cap.23. Dexa fol.42. Petr. de Vincent. Gryſald.*

VERITAS 299.

HVNC Auctorem ex Leandro Alberto Bononienſi lib.4.fol.136. inter ſcriptores Dominicanæ familiæ enumerant Anton. Senenſis fol.241 Placentinus fol.436. & alii,cuius verba ſunt: *Thomas de Suetonia Anglicus Theologia D. eū Summa Theologiæ à ſe edita, cum Thomaſino Doctore inclito portante commentaria in lib. Sententiarum*, Ioannes Baileus fol.118.& Ioannes Pitſeus fol.378.agunt de hoc tanquam de Auctore Anglo, Geſnerus, ſiuè eius Abbreuiator fol.799.omneſque vnanimiter affirmant ſcripſiſſe Summam,ſeu Compendium Theologiæ. Aduerſarii ex hoc Suetonię Compendio nullam adducunt auctoritatem, ſolùm enim dicunt: *Idem tenet Magiſter Thomas de Suetonia, Doctor Pariſienſis, in Compendio Theologiæ lib. 4. cap. 3.* Et nihil amplius, ſubticuerunt autem auctoritatem,nè ex ipſa deprehēderetur fraus, ſed vndè extraxerunt illud, *Doctor Pariſienſis*, ipſi videant,& hæc de Auctore,opere,& auctoritate.

Scias ergo Lector, quòd antiquitùs fuerunt tria celeberrima opera,ſeu Compendia Theologiæ,vnum quod incipit: *Æterni Patris verbum ſua immenſitate*, & hoc non diuiditur per libros, ſed ſolùm per capita, & habet 246.& cap.224.agit de ſanctificatione Matris Dei, & incipit: *Quia igitur ex prædictis*,& extat in operibus S. Thomæ tom.17.fol.9.& forte hoc Compendium fuit elaboratum ab illo Thoma Anglico,& poſteà fuit adſcriptum Thomæ Angelico. Alterum vero Compendium, cuius præfatio incipit: *Veritatis Theologicæ ſul limitas*, opus autem incipit: *Deum eſſe multis modis oſtēditur*, &c. Diuiditur per libros habet enim ſeptem,& etiam iſti ſubdiuiduntur per capita, & lib.4.cap.4.agit de ſanctificatione materna,& incipit: *Sanctificatio triplex eſt*,hocque extat in operibus S. Bonauēturę,tom.7.à fol.687.(quæ etiā vidi manuſc. ſub nomine S. Thomæ.) Et ſimiliter fuit editum ſub nomine S. Bonauenturæ, olim impreſſum ſeorſim characteribus antiquis Baſileæ anno 1501. in 4. & diuiditur

per

per libros, quod habet ſeptem, ſicut illud manuſcriptum S. Thomæ, & aliud Bonauenturæ, impreſſum in operibus eius, & etiam per Alphabeta, & habet 17. & loco capitulorum habet Rubricas, & lib. 4. Rubr. 3. Alphab. 10. agit de ſanctificatione materna, & incipit: *De ſanctificationes Genitricis filij Dei.* Prologus vero totius operis incipit: *Veteris, ac nouæ legis continentiam;* opus vero ipſum ſic: *Quod autē Theologia ſit ſcientia*, Compendium hoc antiquum in omnibus correſpondet in librorū diſpoſitione, capitulis, ſententiis, ac verbis, vt dixi, cum illo S. Bonauenturæ excuſſo in operibus eius, & illo S. Thomæ manuſcripto. Item hoc Compendium Theologiæ fuit editum ſub nomine Alberti Magni, primo, Venetiis anno 1492. & etiam in nouiſſima impreſſione facta Lugduni anno 1652. tom. 13. a fol. 72. & de ſanctificatione Virginis agit lib. 4. cap. 4. ad litteram, vt in Compendio S. Bonauenturæ. Tertium Cōpendium incipit: *Veritatis Theologicæ ſubtilitas, &c.* & procedit per libros, & capita, & in omnibus eſſentialibus eſt idem met cum illo S. Bonauenturę, Alberti, & S. Thomæ manuſcr. differt tamen in aliquibus verbis, ac lib. 4. cap. 3 agit: *De ſanctificatione Genitricis filii Dei, eſt per ordinem dicendum, ſicut in tabula cōtinetur, & circa primum aduertendum eſt, quòd eſt ſanctificatio triplex, &c.* in omnibus aliis ſicut antecedens. Et licèt hæc duo ſint in aliquibus originalibus manuſcriptis ſub titulo S. Thomæ de Aquino, quis credet, quod Angelicus Doctor ediderit tria Compendia Theologiæ? Eſt ergo magna confuſio circa opus, & maxima circa Auctorem.

De Auctore, ſeu Auctoribus huius Compendii diuerſæ ſunt opiniones. Nam in Bibliotheca Medicea, quę aſſeruatur Florentiæ in Cœnobio Sancti Laurentii, Pluteo xx. extat hoc Compēdium in duobus voluminibus abſque Auctoris nomine. Angelus Rocca Auguſtinianus, in prefatione ad Compendium Sanctæ Bonauenturę ſic inquit: *Ioannes Combis ex Ordine Minorum, iam diù Compendium hoc in lucem emiſit, nec de eius Auctore quidquam ſtatuit. cùm in manuſcriptis antiquis exēplaribus nulli forſan inſcriptum inuenerit. Nec propterea ſine Auctore eſt, imò eo plures eius exiſtimantur Auctores, quò nullus eſt certus. Ioannes enim Trithemius Ægidio Romano illud tribuit, in ſuo de Scriptoribus Eccleſiaſticis Cathalogo. Alij Sanctum Thomam, ſeu eius Magiſtrum Albertum Magnum eiuſdem Auctores opinantur. Sed eſſe Sancti Bonauenturæ opus, ex his perſuadetur. In primis, &c.* Et deinceps probat latè eſſe S. Bonauenturæ. Iam ergo habemus quatuor Doctores, ſeu Patres illius Compendii, quibus adde quintum. Ioannem Coraldum, Epiſcopum Draconenſem, Ordinis Minorum, qui vixit tēpore Ioannis XXII. vt dicit Fr. Franciſcus Vvilier in prologo ad Compendium ſuprà relatum, impreſſum anno 1501. Baſileæ. His adde ſextum, ſcilicèt, Ioannem Ricardum, Epiſcopum Draconenſem, etiam Ordinis Minorum, vt dicunt Turrecremata, & Bandellus, vt vidimus ſuprà num. 185. Septimum adde Ioannem Rigaldum, vel Regaldum, quem S. Antoninus, & Bareleta adduxerunt ſuprà num. 186. An vero iſti tres vltimi ſint vnus, & idem vide numeris citatis. Octauum, cum his enumera Hugonem de Argentina, quē citāt Aduerſarii in hoc Compendio, vt vidimus num. 124. Nonum, adiunge Vlricum de Argentina, de quo Aduerſarii infrà num. 312. quem ſine dubio exiſtimamus tum ex nomine, tum ex opere eſſe idem quod Hugo de Argentina. Decimum, coniunge Hugonem de S. Caro Cardinalem, Ordinis Prædicatorum, de quo dicitur in vita eius, quod ediderit Compendium Theologiæ, an autem ſit hoc, vel aliud editum ſub nomine S. Thomæ, non affirmo. Vndecimum, enumera Polidophorum, vt diximus ſuprà num. 258. ad finem. Duodecimum, iunge Reginaldum Rothomagenſem, de quo egimus ſuprà numer. 266. Decimotertio, adiunge Petrum de Tarantaſia, vt diximus num. 253. ad finem, ſed accipe pro nunc aliud teſtimonium ex Ludouico Iacobo a S. Carolo in Bibliotheca Pontific. lib. 1. fol. 123. loquens de Petro de Tarantaſia: *Omnia D. Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici opera in Compendium redegit. Item ſcripſit Cōpendium Theologicæ, incipiente. Veritatatis Theologicæ. Prodyt Pariſijs 1551. in 12. apud Audoneii Parvum. Tamen variis aliis Auctoribus tribuitur, ſed germanum opus Innocentij eſſe ex variis coniecturis conſtat.* Decimoquarto, Ioānem de Litemberg, de quo num. 179. & Decimoquinto, hunc Thomam de Suetonia. Ecce quindecim antiqui Auctores Compendii, ſeu præſentis Summę Theologiæ.

Ex quibus ſic conſtitutis ſecurè cùm veritātem: Compendium illud S. Thomæ non procedit per libros, neque in capite 3. agit de ſanctificatione Matiæ in vtero matris ſuæ, ſed capite 224. ergo hoc Compendium non poteſt eſſe adſcriptum Thomæ de Suetonia, ſi fiant dum eſt citationibus Aduerſariorum. Et ſi fuerit hoc, iam Auctor illius Compendii eſt cuplicatus, & habet duos Patres, Thomam de Aquino Angelicum, & Thomam de Suetonia Anglicum, & perconequens auctoritas multiplicata: nam illam adduxerunt integram ſuprà num. 296. auctoritate 14. Et fortè vt non deprehenderetur multiplicatio ex verbis, citato Auctore Thoma de Suetonia, prætermiſerunt auctoritatem. Vel hoc Compendium Theologiæ Thomę de Suetonia eſt illud diuiſum per libros, & capita, vt indicare videtur allegatio

Au-

Aduerſariorum, nam citato lib. 4. cap. 4. agit de ſanctificatione Virginis. Ea habemus, o Patres mei! Compẽdium Theologiæ, librum 4. & caput 4. à vobis citatum, ſed vndè probatis, quod hoc Compendium eſt Thomæ de Suetonia? Si Thomæ de Suetonia: ergo non S. Thomæ Aquinatis: Si Thomæ de Suetonia: ergo ſine fundamento eſt impreſſum inter opera Alberti Magni. Si Thomæ de Suetonia, quomodo auctoritatem huius Compendii adduxiſtis in Hugone de Argentina? Si Thomæ de Suetonia: ergo non Petri de Tarantaſia. Denique ſi Thomæ de Suetonia, quomodo Vlrici Argentinẽſis? quomodo Ioannis Coraldi? Richardi, & Rigaldi, & Reginaldi? Et cum verbis vnius Compendii fabricatis vndecim teſtes contra Immaculatam Virginis Conceptionem. Quindecim Patres putatiuos habet hoc Compendium; ſignate patrem verũ, quia hic vnus eſt, & vno oris ſpiritu ſufflabitis tanquã paleas leuiſſimas alios quatuordecim. Auctoritates huius Compendii latè ventilauimus nu. 185.

Sed quia ſuprà nu. 296. in principio diximus ex ipſiſmet ſcriptoribus Ordinis Prædicatorum, quòd non omnia opera impreſſa ſub nomine S. Thomæ, ſunt ipſius, ſed aliorum, dico primo: quòd Cõpendium Theologiæ non eſt D. Thomæ, ſed fortè eſt Thomæ Anglici, qui ſcripſit Sũmam Theologiæ, de qua nos infrà nu. 301. nã ad quid S. Thomas elaboraret tria Compendia Theologiæ? Neque etiam Alberti Magni, ſicut nec Sermones, nec Sũma Theologiæ, neque liber de Laudibus Virginis, neque alia quàm plura, quæ agglomerata fuerunt in hac vltima impreſſione, vt ſuis locis demonſtrauimus, quod Cõpẽdium illud paruũ, quod incipit: *Veritatis Theologicæ*, ſit S. Bonauẽturæ Angelus Rocca Auguſtinianus, Ioan. Cõbis & alii quã plurimi affirmant, & ſic velint nolint manẽt excluſi tãquam teſtes ſuppoſiti Hugo, Vlricus, Suetonia, Polidophorus, Coraldus. Aliud autẽ cõpendiũ magnũ quod incipit: *Veteris, ac nouæ legis*, elaborauit, vt videre eſt nu. 185. Ioan. Coraldus Richardus, Rigaldus, aut Rgeinaldus. Dico ſecundo, quod Thomas de Suetonia ſcripſit Cõmentarios in Pſalteriũ, vt dicit Pitſeus prẽallegato fol. 378. & fortè hoc eſt Pſalterium adſcriptũ S. Thomæ. Tertio dico, quòd Aduerſarii ad omnia ſuprà relata poſſunt breuiter, ac ſufficienter reſpõdere, dicendo Thomã de Suetonia ſcripſiſſe Cõpendium Theologiæ per libros, & capita diſtinctũ, ſed non eſſe illud Cõtentum in operibus S. Thomæ, neq; illud paruũ exiſtẽs in operibus S. Bonauẽturæ, nec illud magnũ impreſſũ Baſileæ, ſed aliud diuerſum. Optimè Patres, oſtẽdite ergo illud: quia excuſſum nõ eſt, & ſi eſt manuſcriptũ, date opus ad manum, videamus ipſum facie ad faciem, ſed fortè dicet ipſe: Non videbit me homo viuens, niſi me quærat in S. Thomæ operibus tom. 17.

THOMAS De Vio Caietanus, Ordinis Prædicatorum, & S. R. E. Cardinalis in Opuſculo de Conceptione. *Ita Paul. Gryſald. Alphab 5. litt. T. Auctore vltimo.*

VERITAS 300.

CELEBRIS Hìc, atque doctiſſimus vir circa annum Domini 1515. ſcripſit ad Leonem X. Pont. Maxim. opuſculum pro ſua opinione de ſanctificatione Virginis, vt diximus ſupra in Triturationè num. xxxv. quod diuiſit in quinque capita. Et in primo agit: De duplici via diſcernendi ea quæ Fidei ſunt, vel ei aduerſantur, in quo eruditè proponit aliqua principia. In 2. excitat quæſtionem, quomodo Conceptio non ſit de neceſſariò credendis? Et in hoc deuiat ab antiquis Scriptoribus ſuæ Religionis dicentibus, quòd hæc quæſtio pertinebat ad neceſsitatem Fidei. Do verba alterius etiam purpurati Ioann. de Turrecremata, qui part. 7. cap. 4. ſub hoc titulo. In quo aſsignantur decem rationes, quare profeſſores Ordinis Prædicatorum hanc doctrinam, videlicèt, quòd Virgo Maria concepta fuerit in originali peccato, communiter proſecuntur, ſic concludit: *Hæ profectò ſunt cauſæ, propter quas præfati ordinis profeſſores doctrinam ex aduerſo exiſtimatam, teſtimonio tantorum Doctorum, Scripturæ Diuinæ, & Sanctorum Patrum auctoritati, & gloriæ, & dignitati Saluatoris noſtri Domini Ieſu Chriſti præiudicialem tanto zelo proſecuti ſunt, paratitamen ſemper ſuſcipere, tenere, & prædicare quid quid vniuerſalis Mater Eccleſia, aut Sedes Apoſtolica in hac re duxerit diffiniendum.* Nota Lector verba ſequentia: *Aſſurgat ergo ſancta Synodus, & non permittat mentes Fidelium ampliùs in hac re tenebris dubitationum inuolui, ſed Spiritus Sãcti inuocata gratia procedat debita grauitate ad huius difficultatis examen, vt tandem omni dubitatione compreſſa, & diuerſitate ſublata, quid Chriſtianus populus credere debeat, ipſius vniuerſalis Matris Eccleſiæ aperta diffinitione cognoſcat.* Et poſt iſtũ ſcribentes dicebant nõ ſolùm pertinere, ſed iam eſſe expreſsè determinatũ de Fide, & contrariũ abſolutè hęreticũ. Hinc fuit quod Bartholomæus de Spina, eiuſdẽ Religionis Pater. anno 1533. edidit acrẽ tractatum cõtra hoc opuſculũ Caietani de Cõceptione B. Virginis, de quo etiã diximus ſuprà in Triturationè: ſemper ergo Aduerſarii antiqui inſtarũt pro vltima diffinitione, affirmãtes vno ore, pertinere ad Fidẽ, & eſſe in ſtatu diffinitionis, ſed iam omnes moderni cõtra hoc reclamant, quia vidẽt, & ſentiũt propenſionẽ totius Eccleſiæ in magis piam ſententiam: At exclamare poſſumus & nos cũ Turrecrem: *Aſſurgat ergo S. Synodus, & nõ permittat mẽtes, &c.* de hoc opuſculo Caietani, inquit Clemẽs Araneus Ra-

guſinus, in ſermonibus impreſſis Brixiæ 1586. in 4. ſerm. 15. de Aſſumpt. *Videant Cardinalis Caietani in Quodlibeto ſuo de Conceptione per pulchram declarationẽ, quam ex obedientia Leonis X. pro Concilio Lateranenſi fecit, in quo à ſua ſanctitate poſtulatur, quatenùs ſcriberet, quid circa hoc tenendum ſit, &c.* Si fuit ex mandato, vel ſponte oblatum, ſub lite eſt, & nota, quòd adhuc iſte vocat opuſculum illud Quodlibetum, ex quo etiam confirmatur quod dicitur infrà num. 306.

Præcipua autem verba, quæ habet Caietanus in illo 2. cap. ſunt ſequentia: *De parte autem altera, credente ſcilicèt, B. Virginem præſeruatam à peccato originali, licèt quidam ſcripſerit, quòd cõtrariatur ſacræ Scripturæ, & determinationi Eccleſiæ, quidã autem quòd non; mihi tamẽ Theologorum minimo diſtinguendum videtur circa ſenſum huius opinionis; nam poteſt dupliciter intelligi. Primo, vt B. Virgo ſit præſeruata totaliter à peccato originali, ita quòd fuit exẽpta ab omnibus ad dictum peccatum expectantibus. Secundo, vt Beata Virgo ſit præſeruata à ſola macula peccati originalis, per infuſionem gratiæ perſonalis. Eſt autẽ inter iſtos duos ſenſus maior diſtantia, quã inter cœlum, & terram. Nam cũ anima alicuius hominis, qui generatur, incurrit originale peccatũ, non ſolùm macula originalis peccati contrahitur ſed in primo inſtanti, in quo anima rationalis creãdo infunditur, & infundẽdo creatur, priùs ſecũdùm naturæ ordinẽ caro, ſeu materia, cui anima infunditur, eſt infecta, vtpotè genita ex cõmixtione vtriuſque parẽtis; & propterea anima, quæ infunditur illi carni, cõtrahit maculã in ſe ipſa originalis peccati, quia infunditur carni infectæ: neque ſolã maculam ex carnis infectione cõtrahit perſona in vtero genita, ſed multa alia, ſcilicèt, reatum clauſæ cœli ianuæ, fomitem peccati; & pœnam mortis tẽporalis, ita quòd infecta caro, cui infunditur anima eſt, in qua fundatur ratio non potentiæ cõtrahẽdi originale peccatum, ſed ratio contracti in propria perſona debiti, quod cõtrahatur in anima rationali ſua peccatum originale, & ſecundùm maculam, & ſecundùm reatum pœnarum ſpiritualis, & tẽporalis, imò eſt talis carnis infectio peccati originalis, initiũ inexiſtens in perſona, quæ tunc ſimul concipitur, & concepta eſt. Quocirca poſitio dicens, B. Virginem præſeruatam totaliter á peccato originali, dicit, ipſam non contraxiſſe carnem ſuam infectam: ac per hoc non ſolũ ſine macula peccati conceptam, & reatibus, & fomite, ſed etiam ſine debito in propria perſona habendi hæc. Poſitio verò dicens, B. Virginem præſeruatam ſolùm à macula peccati originalis, & ijs quæ à macula ſunt inſeparabilia (vt eſt reatus æternæ pœnæ damni) non negat, Beatam Virginem carnem habuiſſe infectam: ac per hoc in propria perſona debitum contrahendi maculam, originalis peccati, & quoad maculam, & quoad reatus omnes, & fomitem: ſed præſeruante Dei gratia, non redundauit in animã illius macula peccati originalis, licèt redũdauerit & fomes, ligatus tamen per gratiã, & reatus clauſæ ianuæ vitæ æternæ, & mortis tẽporalis, quia hæc pœna, ſcilicèt mortis, erat naturæ ex parte carnis, illa ſcilicèt clauſæ ianuæ erat naturæ ex parte temporis, quia ſcilicèt, Chriſtus adhuc non aperuerat perſuam mortẽ ianuas paradiſi clauſas per originale peccatum: & ſimiliter fomes ex parte carnis ſe tenet.* Hucuſque ſunt verba Caietani, & cõcluſio vbi nititur, cardoquè voluitur totius doctrinæ ipſius, atque ſequentis ſententiæ fundamentum.

Hinc eſt, quód capit. 3. inquirens quænam ex his duabus ſententiis aduerſetur Fidei? Inquit: *Inter has igitur opiniones hæc mihi videtur quòad Fidem differentia: quòd poſitio dicens, Beatam Virginem eſſe præſeruatam à peccato originali, & reatibus, &c. eſt contraria Fidei Catholicæ.* Nota, Lector amore Dei, in antecedenti capite ſolùm nititur probare Caietanus myſterium hoc Conceptionis non eſſe de pertinẽtibus ad Fidem. Hic verò affirmat quod poſitio dicens Beatam Virginem eſſe præſeruatam à peccato originali, & reatibus eſt contraria Fidei Catholicæ. *Quoniam repugnat his, quæ in ſacra Scriptura, & alijs documentis Fidei certis & neceſſarijs continentur, &c.* Et poſt plura ſic proſequitur: *In ſecundo autem ſenſu intellecta opinio de præſeruatione B. Virginis, ſcilicèt, quod præſeruata eſt à macula peccati originalis, & nõ ab infectione carnis, ac per hoc nec à debito in propria perſona illius maculæ, nec à fomite, & pœnis, nõ eſt cõtraria ſacræ Scripturæ, nec determinationi Eccleſiæ, nec aliquibus neceſſarijs creditis, quoniã B. Virgo præſeruata ex ſpeciali præuẽtione gratiæ à macula originalis peccati, & habẽs cætera quæ diximus, nõ eſt extra latitudinẽ mortuorũ, inimicorum, indigentium remiſſione peccatorũ, captiuorum, habentiũ carnem peccati, obnoxiorũ morti, & clauſuræ cœli. Et cõſequenter non eſt extra latitudinem eorum, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, reconciliatorũ, liberatorũ, redẽptorum, mundatorũ, introductorum deniq; per Chriſti mortẽ in vitam æternam animæ, & corporis. Et in promptu ratio eſt, quia ex eo quod habuit carnẽ infectam cum fomite ligato, & reatibus; egebat futuro remedio per Incarnationem, & mortem Ieſu Chriſti exhibendo. Et ex eo, quod in propria perſona habuit debitum contrahendi maculam originalis peccati, imò initium, vndè redundare in animam ſuam debebat originalis peccati macula, gratia illa, quæ præueniendo ſanctificauit eam, ligando etiam fomitem, habuit rationem gratiæ mundatiuæ, reconciliatiuæ, redemptiuæ, &c. Liberans namque animam à macula non actua-*

actualiter habita, ſed ex propria carne tunc debita, & in eadem carne tunc initiata, non eſt extra latitudinem liberantium à peccato, mundantium à ſorde, redimentium à captiuitate. Neque enim vno modo tantum, quodlibet horum dicitur, ſed latitudinem habet. Dicitur namq; captiuus non ſolùm qui totaliter in captiuitatem eſt redactus: ſed qui cœpit in ſui aliqua parte duci in captiuitatẽ, & obnoxius eſt captiuitati. Et ſimiliter dicitur mors peccati, non ſolũ ipſa actualis mors, ſed debitũ & initium in propria perſona habendi illam. Et ſimiliter dicitur à peccato originali mũdatus, non ſolũ, qui à contracta actuali macula mundatus eſt, ſed qui à macula, quidẽ in debito & initio in propria perſona fundato, & reliquis tot quaſi partibus peccati originalis actualiter cõtractis mũdatus eſt, & ſic de alijs. Nec putet quiſquam de mea hæc phantaſia me proferre: ſed videat Diuũ Thomã in 1.2. quæſt. 81. articul. 3. (vbi inter alia tractat etiam illud ad Roman. 5. Per vnum hominem peccatum tranſijt in omnes, & per peccatum mors) ſuſtinentem, quod per mortem ſufficit intelligere debitum, ſeu reatum in propria perſona, mortis, quamuis nunquam actualiter quis moreretur. Hæc Caietani propoſita fundamenta, pro ſtabilienda ſua doctrina, ex mente Angelici Doctoris, circa punctum Conceptionis Virgineæ, ita fauet in omnibus noſtræ præſeruationi, vt Aduerſarii, qui aliàs verba Caietani recipiunt tanquam oracula è cœlo de lapſa, illa mordicùs contradicant, & pro viribus labefactare nitantur, ægrè ferentes quod ita doctè, facilè, ac iuxta principia Thæologica concilietur præſeruatio noſtra cum ſua ſanctificatione; & opinio S. Thomæ cum ſententia Scoti. Ex hac doctrina. Præter ſuperius dicta proſequitur Caietanus: *Saluatur quoque manifeſtè in hac poſitione ſingularis prærrogatiua Ieſu Chriſti; quod ſolus conceptus eſt Sanctus, & non in carne peccati, ſed in ſimilitudine carnis peccati, non ſolùm ea ratione, quia ipſe ex vi, ſeu natura ſuæ Conceptionis, quæ natiuitas in vtero vocatur, ſanctus naſcebatur (iuxta verbum Gabrielis ad B. Virginem. Quod ex te naſcetur ſanctum) ſed etiam qua B. Virgo concepta eſt cũ carne infecta, ſed cum anima ſãcta, ex gratia impediente redũdatiam infectæ carnis in maculam animæ, ſaluantur & omnes vniuerſales propoſitiones in Scriptura, & Eccleſiæ determinationibus, vt facilè puto apparere exercitatis ingenijs ex dictis, &c.* Tandem concludit Caietanus: *Et quoniam in hoc ſenſu prædicatur hodie B. Virgo præſeruata à peccato originali, ab his, qui dicunt ipſam ſine originali peccato conceptam (ita quod per peccatum originale intelligunt maculam peccati originalis. Vt patet ex prædicta Bulla, ſeu Extrauaganti Sixti IV. edita in fauorem huius opinionis, de præſeruatione à macula originalis peccati, & ex ſtudio Scoti, in 3. Sẽt. diſt. 3 quæſt. 1. ad hoc tendentis, vt à culpa, offenſa, inimicitiaque animam B. Virginis in Conceptione præſeruaret, à qua pueri nunc per Baptiſmum, & olim per circumciſionem liberi ſunt effecti. Et ex defenſionibus Franciſci de Mayronis in 3. Senten. diſt. 3. quæſt. 2. in quibus conatur ſaluare ſanctitatem formaliter, cuius ſola eſt anima ſuſceptiua in B. Virginis Conceptione, præoccupantem peccatum originale) id circo quum de duabus opinionibus de Conceptione Beatæ Virginis erit reliquus ſermo, an mundata, an præſeruata fuerit ab originali peccato, de ipſa macula originalis peccati intelligendus eſt, &c.* His ergo propoſitis, ac diſtinctis ſecundum ſcientiam, & rei veritatem.

In quarto capite ſtabilire nititur, quod ſentẽtia tenens, B. Virginem fuiſſe in originali peccato conceptam, eſſe probabilem, & hoc probat duplici medio, ſcilicèt ex auctoritatibus quindecim Sanctorum, & ex ſolutione noſtrorum argumentorum, quod facit ſequenti capite 5. rationem verò nullam adducit. Ex auctoritatibus vero iſtorum quindecim Sanctorum non ſolum exiſtimo, ſed pro certo affirmo, quod Caietanus nullam viderit in ſuis originalibus, ſed cœca fide, & nimia credulitate, ex ſuis Ioanne de Turrecremata, & Vincentio Bãdello de Caſtronouo, ipſas ad litterã trãſcripſerit, alioquin quomodo vir doctus, prudens, & tantæ auctoritatis, adduceret Auctores, atq; auctoritates, quæ nec ſunt, nec fuerunt in rerum natura, plenas vitiis & adulterationibus, præcipuè, loquẽdo cũ Summo Eccleſiæ Pontifice Leone X. & dirigẽdo opuſculum ſuum ad ſacrum Concilium Lateranenſe? Sancti enim à ſe adducti ſunt: Auguſtinus, Ambroſius, Chryſoſtomus, Euſebius, Emiſenus, Remigius, Maximus, Beda, Anſelmus, Bernardus, Erardus, Antonius Padnanus, Thomas de Aquino, Bonauentura, Bernardinus, & Vincentius. Qua autem veritate iſti adducti fuerint, vide in hac Vẽtilatione ſuis locis. Meritò ergo libellus ille, quẽ primo vidi Romæ apud R. P. & amicum noſtrum Hyppolitum Marraccium, manuſcriptum & poſteà excuſſum ſub titulo fides Caietana, damnat: fidẽ Caietanam, ſicut hic. Turrecrematam, Bandelianam, Vicentinam, Spineam, Gryſaldam, & omnium aliorum.

Capitulum autẽ quintum, & vltimum incipit: *Alterius autẽ partis (ſcilicèt quod B. Virgo præſeruata eſt de ſpecialiſſima gratia à macula peccati originalis) probabilitas affertur ex nouem. Ex auctoritate Doctorum multorum. Ex determinatione Synodi. Exultu Eccleſiaſtico. Ex indulgentia conceſſa. Ex communitate ſequacium. Ex ſcandalo piarum aurium. Ex pietate opinionis. Ex reuelationibus nouis. Ex miraculis. Quæ ſygillatim examinanda ſunt*

pro veritatis honore. En Caietanus fatetur quod ſua opinio ſolùm nititur auctoritatibus, & quod noſtra ſententia habet nouem fundamenta diuerſa; ſuum ex auctoritatibus deſumptum, falſum eſt, & fictum, vt in toto hoc libro demonſtratum eſt *pro veritatis honore*; quia nullus Sanctus dicit de Beata Virgine in indiuiduo, quod in inſtanti animationis contraxerit peccatum. Nec talem oſtendent, niſi S. Antoninum, item etiam cap. 3. dicit Caietanus: *Vnde patet quod diſtinctio illa de redemptione præſeruatiua, vel liberatiua, quoad homines reprobata eſt per Romanæ Eccleſiæ determinationem, quamuis S. Bernardus ſuper Cantic. Serm. 22. illam vſurpauerit quoad Angelos.* In quibus verbis duo ſunt notanda. Primum, temeritas Caietani affirmantis, quòd redemptio præſeruatiua eſt reprobata per Romanæ Eccleſiæ determinationem, & vbi, ò Caietane! eſt illa determinatio? Hoc tranſcripſit ex Caietano hoc anno P. ille Carmelitanus, de quo in Tritur. num. lx. Secundum colligitur ex illis Caietani verbis, *præſeruatiua, vel liberatiua*, quod redemptio præſeruatiua, & liberatiua, præſeruare, & liberare ſunt idem: ergo Sancti, & Auctores dicentes: Maria liberata fuit à peccato originali, noſtram proteſtantur ſententiã; quo modo ergo ſemper & vbique huiuſmodi vox adducitur à veſtris pro ſua opinione? Quando & in Scriptura ſacra, liberare, ferè ſemper ſignificat eripere à periculo, & præſeruare à malo eminenti, futuro, non præſenti. Vide alia ſuprà in Trituratione num. xxxv. *pro veritatis honore*, & infrà ex eodem Caietano.

Parum poſtquam Caietanus ſcripſit prædictum opuſculum contra Immaculatam Virginis Conceptionem, edidit commentaria in 3. part. D. Thomæ, vbi iterum inculcat eandem quæſtionem, quam hic de verbo ad verbum ipſam ſolùm poſtillando, & notando contradictiones in illa conrentas tranſcribere decreui. Ad reſolutionem ergo ſecundi articuli vbi tota difficultatis vis conſiſtit, inquit S. Thomas. *Reſpondeo dicendum, quòd ſanctificatio B. Virginis non poteſt intelligi ante eius animationem duplici ratione. Primo quidẽ, quia ſanctificatio, de qua loquimur, non eſt niſi emundatio à peccato originali; ſanctitas enim eſt perfecta mũditia, vt Dionyſ. dicit in 12 cap. de Diuin. Nomin. Culpa autem non poteſt emundari niſi per gratiam, cuius ſubiectum eſt ſola creatura rationalis. Et ideò ante infuſionem animæ rationalis B. Virgo ſanctificata non fuit. Secũdo, quia cùm ſola creatura rationalis ſit ſuſceptiua culpæ, ante infuſionem animæ rationalis proles cõcepta non eſt culpæ obnoxia. Et ſic quocunque modo ante animationem Beata Virgo ſanctificata fuiſſet; nunquam incurriſſet maculam originalis culpæ, & ita non indigueſſet redẽptione, & ſalute, quæ eſt per Chriſtum, de quo dicitur Matth. 1. ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Hoc autem inconueniens eſt, quòd Chriſtus non ſit Saluator omnium hominum, vt dicitur primæ ad Thim. 2. vnde relinquitur, quòd ſanctificatio Beatæ Virginis fuerit poſt eius animationem.* Hoc modo extabat textus Sancti Thomæ non ſolùm tempore Caietani ad annum 1519. ſed etiam ætate Turrecrematæ ſcribentis ad annum 1437. Quòd autem textus iſte fuerit in aliqua ſui parte alteratus ex quadam clauſula addita, vel diminuta, ex eo conſtare videtur, quia tota reſolutio, diſcurſus, ac finis Angelici Doctoris eſt, probare ex duplici capite, quod ante animationem non erat capax materia illa ſanctificationis, tum quia ſanctificatio eſt emundatio à peccato originali, & hoc non poteſt eſſe niſi in creatura rationali, tum quia ſola creatura rationalis eſt ſuſceptiua culpæ, & ſic ſola creatura rationalis eſt ſuſceptiua ſanctificationis: ergo materia illa ante animationem, cùm non eſſet rationalis, nec erat ſuſceptiua culpæ, nec ſanctificationis; iſte diſcurſus eſt optimus, & dignus Angelico ingenio; ſed cum illo compone verba ſequentia. *Et ſic quocunque modo ante animationem Beata Virgo ſanctificata fuiſſet, nunquam incurriſſet maculam originalis culpæ, & ita non eguiſſet redemptione:* ergo in his verbis ſupponit quòd ante animationem potuit ſanctificari Virgo Maria, quod in ſuperioribus impugnat, & optimè, ex eo quòd culpa, nec ſanctificatio non poſſunt eſſe, niſi in creatura rationali? Si probat, & benè, quòd non potuit ſanctificari ante animationem, quo modo infert, & ſic quocunque modo ante animationem ſanctificata fuiſſet? Caietanus benè præuidit hanc expreſſam contradictionem in textu, & ſic pro viribus nititur illam ſaluare, ſed incidendo in alias maiores, vt iam incipio demonſtrare,

Titulus illius Articuli ſecundi Sancti Thomæ ſic ſe habet: *Vtrum Beata Virgo fuerit ſanctificata ante animationem*, vbi inquit Caietanus: *Titulus clarus eſt de animatione ſecundùm animam rationalem intellectus.* De hoc claro titulo intellecto, de animatione ſecundùm animã rationalem proſequitur Caietanus ſuam expoſitionem Angelici textus ſic: *In corpore eſt vna concluſio cum vno Corollario, concluſio eſt reſponſiua quæſito directè, Beata Virgo non fuit ſanctificata ante animationem. Corollarium eſt: Beata Virgo fuit ſanctificata poſt animationem, concluſio probatur dupliciter primo ſic ſanctificatio, de qua loquimur eſt emundatio à peccato originali: ergo eſt per gratiam: ergo in ſola creatura rationali: ergo non ante infuſionem animæ rationalis. Antecedens declaratur ex Dionyſio: Sanctitas eſt perfecta mun-*

munditia. Prima conſequentia probatur, quia culpa non emundatur niſi per gratiam. Secunda verò, quia ſola creatura rationalis eſt ſubiectum gratiæ Secundo, ducēdo ad inconueniens ſic. Proles concepta ante infuſionem animæ rationalis non eſt culpæ obnoxia. ergo quocunque modo ante animationem B. Virgo ſanctificata fuiſſet, nō incurriſſet originalis peccati maculam: ergo non indiguiſſet redemptione, & ſalute, quæ eſt facta per Chriſtum, ſed hoc eſt inconueniens: ergo. Antecedens probatur, quia ſola creatura rationalis eſt ſuſceptiua culpæ. Prima conſequentia vt clara relinquitur. Secunda autem probatur auctoritate Angeli, Matth. 1. Ipſe ſaluum faciet à peccatis, Inconueniens conſequentis probatur auctoritate Apoſtoli 1. ad Thim. 4. Ex hoc §. Commētatoris Caietani patet, qualiter concluſio Sancti Thomæ eſt, quòd Virgo Maria non potuit ſanctificari ante animationem, id eſt, ante animæ rationalis ſuſceptionem, quia ſanctificatio emundatiua eſt per gratiam; culpa autem, ſanctificatio, & gratia prolis non poſſunt eſſe niſi ſuppoſita anima rationali: ergo ante animationem non poteſt proles ſanctificari, optime: ſed hucuſque non declarat Caietanus, quomodo cum iſtis compatiantur illa verba Angelici Doctoris: *Ergo quocunque modo antè animationem Beata Virgo, ſanctificata fuiſſet, non incurriſſet maculam originalis culpæ, &c.* Quod pro nunc indagare intendimus. Nota in congruentiam illius illationis Caietani: *Secundo ducendo ad inconueniens: Proles concepta ante infuſionem animæ non eſt culpæ obnoxia: ergo quocunque modo ante animationem Beata Virgo ſanctificata fuiſſet, &c.* Inconueniens deducendum erat, ſupponendo, quòd poſſet fieri; ſed probare in præmiſſis, quod nullo modo poteſt fieri, & deducere in concluſione: ergo ſi factum eſt, admittendo poſsibilitatem, exiſtimo quòd nō ſit inconueniens conſequentia.

Ideò ſic proſequitur Caietanus. *Aduerte hinc primo, quòd ſanctificatio poteſt dupliciter ſumi. Primò, vt eſt de cōtrario in contrariū, de immunditia ad munditiam, & ſic conſtat, quòd eſt de peccato in gratiam. Secundo, vt eſt de negato in affirmatum, de non ſancto in ſanctum, de non gratia in gratiam: Et ſic non ſupponit peccatum, & inuenitur in Chriſto, & Angelis; Angeli enim ſanctificati ſunt à Deo, qui nunquam peccauerunt, & de ipſo dicit Chriſtus: quem Pater ſanctificauit, &c. In prima autem ratione hic allegata ſumitur ſanctificatio primo, gratia materiæ, quoniam ſermo eſt de ſanctificatione hominis deſcendentis ex commixtione maris, & fœminæ: ſupponimus enim, omnem huiuſmodi hominem peccatum originale contrahere, iuxta ſuperius determinata de peccato originali: Et propterea in littera dicitur, quòd ſanctificatio, de qua loquimur, & emundatio à peccato originali, ex auctoritate Dionyſi accipiendo munditiam à contrario: probatur, ly ratione materiæ probatur, quia perfecta munditia in tali materia eſt emundatio à peccato originali.* Omia quæ hic dicit Caietanus circa ſanctificationem negatiuam, & contrariam, ſunt in Theologia veriſsima principia per ſe nota, ſed Aduerſarii ſemper, & vbique loquendo de ſanctificatione B. Mariæ, illam ſumunt, *de contrario in contrariū*, & quod Scripturæ, Sancti, omnis Theologia, & ipſimet concedunt creatori, & creaturæ, Chriſto, & Angelis, nolunt concedere creaturę Matri Creatoris, ac Reginæ omnium creaturarū: ſed cùm hoc pertineat ad opinionē, de qua nihil in hoc libro dicimus, nec poſſimus dicere propter conſtitutiones Apoſtolicas, tranſeant omnia iſta.

Caietanus accedens ad principale difficultatis punctum, ſic proſequitur. *Aduerte ſecundo, quòd licet ſanctificatio propriè ſumpta, vt ſcilicèt pertingit ad proprium terminum ad quem, qui eſt gratia reddens creaturam impeccabilem, ad minus mortaliter ſumatur duobus antedictis modis, extenditur tamen ſanctificationis nomen (ſicut etiam extenduntur alia nomina multiplicia) ad ea quæ ad ſanctitatem præparant, vel faciunt, & huiuſmodi. Et propterea Auctor in ſecunda ratione hìc allata extenſo ſanctificationis nomine vtitur, dicens: Quocunque modo ante animationem Beata Virgo ſanctificata fuiſſet. Ea autem neceſsitas ſecundæ rationis fuit, quia excluſo per primam rationem quòd ante infuſionem rationalis animæ ſanctificata fuit propriè (quia non erat capax gratiæ) ſuperat excludere, quòd tunc etiam, ſcilicèt, ante animationem non fuit ſanctificata illo modo quo ille fœtus erat ſanctificationis capax, puta quòd mundaretur ab infectione ſeu contagione, quæ erat infectura animam rationalem ſibi infundendam. Et hoc per ſecundam rationem directè excluditur, vt patet.* En, ò Lector! nititur Caietanus conciliare primam rationem Sancti Thomæ cum ſecunda: in prima abſolutè, ac ſimpliter excludit Angelicus Doctor ſanctificationem vllam in carne, vel fœtu ante animam rationalem, & hoc ipſum fatetur in ſecunda ratione, dicens: *Quia cum ſola creatura rationalis ſit ſuſceptiua culpæ ante infuſionem animæ rationalis, proles concepta non eſt culpæ obnoxia.* Quomodo ergo, ò Commentator! ingrediuntur poſt illa illa verba immediatè poſita, & immendiatè oppoſita præcedentibus: *Et ſic quocunque modo ante animationem B. Virgo ſanctificata fuiſſet, nunquam incurriſſet maculam originalis culpæ, &c.* Vnicus finis S. Thomæ in duabus rationibus illius reſolutionis eſt ſolummodò probare, quòd ante animationem nulla potuit eſſe ſanctificatio, quomodo

autem nulla interposita littera statim diceret, & sic quocunque modo ante animationem sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpæ? Si ante animationem non potest esse culpa, macula, peccatum originale, gratia, nec sanctificatio: ergo hic redundat, illud & fuit formalis implicatio in adiecto. Et sic quocunque modo ante animationem sanctificata fuisset? Dicis, quòd in superioribus agit de sanctificatione propria, & rigorosa, & quod necessitate coactus Angelicus Doctor ex secunda ratione transiit ad sanctificationem impropriam, & extensiuam, quia fœtus, seu caro ante animationem etiam est capax aliqualis sanctificationis, scilicèt, emundationis ab illa infectione, seu cõtagione existente in carne, ex qua necessarò erat inficinda anima rationalis ibi infundenda, &c. Ergo iam S. Thomas in sua littera, & secundùm tuam interpretationem admittit, in ipsa carne, & fœtu ante animationẽ, infectionem contagiosam, à qua sanctificari poterat? *Et sic quocunque modo ante animationem B. Virgo sanctificata fuisset nunquam, incurrisset maculam originalis culpæ, & ita nõ indiguisset redemptione & salute quæ est per Christum, &c.* Optimè, de redemptione postea loquemur, & sufficit nobis pro nunc scire, quod in sententia Sancti Thomæ & eius Commentatoris in ipsa carne, ac fœtu ante animationem erat infectio, & contagium, & tum capax sanctificationis illius infectionis, quæ radix est & causa peccati originalis, & hoc quod hic concedit, vt saluetis quandam contradictionem veram, euidentem, ac per se notam existentem in originali D. Thomæ (& si solùm sit contradictio apparens, & non vera, maiorem habebit vim ratio nostra) recipitis hãc doctrinam sanctificationis fœtus ante animationem: & quando nos adducimus eandemmet doctrinam, vt saluemus Dei Matrem à peccato, immunditia, & macula originali, illam despicitis, prorsus reiicitis, & pro viribus impugnatis, atque etiam ab aliquibus execratur maledicitur, ac blasfematur tanquam erronea, hæretica, &c? Pro puritate doctrinæ Angelici Doctoris recipitur id ipsum quod pro puritate Reginæ Angelorũ, reputatur, exclamãdo dico. Est ne magis littera S. Thomæ, quam spiritus S. Mariæ, o originalia quam apte dicere poteram illud: littera occidit spiritus autem viuificat: sed transeant omnia hæc & alia sub silentio; & solùm dico quod Caietanus ista conciliare nitebatur, quia sic illa inuenit in textu Sancti Thomę, ego verò existimo clausulam illam: *Et sic quocunque modo, &c.* Vt que ad finem fuisse additam ab aliquo antiquiore, propter superiùs dicta; & potissime quia in hac resolutione recapitulauit S. Thomas quæ docuerat in resolutione 3. Sentent. dist. 3. artic. 1. vbi pro eadem numero quæstione, ac difficultate adducit eãdem auctoritatem S. Dionysii, dicens. *Respondeo dicendum quod sicut dicit Dionysius 12. cap. de Diuin. Nom. Sanctitas est ab omni immunditia, &c.* Et concludit sic: *Et quia proprium subiectum gratiæ est rationalis natura, ideò ante infusionem animæ rationalis B. Virgo sanctificari non potuit.* Cùm ergo rationes, & verba vtrobique sint eadem, & non sit in Sententiariis illa clausula: *Et sic quocunque modo ante animationem, &c.* Credo firmissimæ hanc fuisse intrusam: sed quidquid sit de hoc, quia siuè sit S. Thomæ, siuè non, semper claudicare videtur vltra progrediamur.

Caietanus in eadem clausula aliam maiorem sensit difficultatem, quam sic proponit. *Circa secundam rationem dubium occurrit de illa consequentia: ergo non indiguisset redemptione Christi: Nam videtur non valere ex eo quod multi cũ sint modi quibus redemptio & salus per Christũ sit etiam à peccato, ratio ista vnum tantum modum excludens, quasi omines excluserit, infert negatiuam totaliter, quod non indiguisset redẽptione Christi. Quod autem non sit vnicus tantus modus quo redemptio à peccato sit per Christum, ex eo patet, quòd vltra illum communem modum, quo saluat delendo inuentam peccati maculam in anima, datur alius quo tollendo contagionis labem à carne susceptura animam, præseruat à peccato animam, ne incurrat in illud Ac per hoc, licèt B. Virgo non indiguisset illo modo, scilicèt, per delectionem maculæ incursæ, redimi, & saluari per Christum; indiguit tamen redimi, & saluari per eundem alio modo, scilicèt per emundationem infectionis fœtus, vt sic præseruaretur à culpa.* Hæc Caietani instantia est euidens supposita verba intrusa S. Thomæ in ista clausula cotenta, in qua nihil notatione dignum inuenio, quia recipit, & admmittit emundationem, sanctificationem, ac redẽptionem in fœtu, & carne ante animationẽ, illatio proposita à Caietano est per se nota, sed attende Lector, ad eiusdem solutionem, seu conciliationem.

Prosequitur igitur sic Caietanus: *Ad huius euidentiam aduertendum est, quod aliud est personam B. Virginis indiguisse redimi à peccato per Christum, & aliud est; fœtum illum ante animæ infusionem indiguisse sanctificari per Christũ. Nam personam ipsam indigere saluari à peccato, est liberari à peccato quod habet, vel haberet, oportet enim aut quod habeat peccatũ, vel quod sit in proximo, seu periculo habẽdi peccatũ quis quis eget saluari à peccato, si enim periculum nõ habet, nec & in periculo habendi peccatum, saluari à peccato non indiget, vt patet. Fœtum autem egere sanctificatione, est quia nisi sanctificetur, immundus erit. Si B. igitur Virginis fœtus sanctificatus fuisset ante infusionem animæ rationalis, cum fœtus nõ sit homo nisi per animam ra-*

rationalem, non ipſa B. Virgo, quæ non erat adhuc, ſed fœtus ille indiguiſſet ſãctificari per Chriſtum, ſed ipſa B. Virgo fuiſſet concepta ſine peccato originali abſque quacumque alia gratia, ita quod ex hoc ipſo, quod anima ſua infuſa eſſet materiæ mundæ, originale peccatum non contraxiſſet, etiamſi nulla ſuper appoſita fuiſſet gratia, ac per hoc ipſa B. Virgo non indiguiſſet gratia redemptionis, ſeu ſaluationis à peccato per Chriſtum facta: Exemplum, Apoſtolus Paulus, quia natus eſt ciuis Romanus, nũquã indiguit Cæſarea gratia ad ciuilitatẽ Romanam, quamuis aliquis ex patribus ſuis hac gratia indiguerit. Simile eſt in propoſito, quia licèt caro antecedens perſonam B. Virginis indiguerit redimi tali modo per Chriſtum, ipſa tamen B. Virgo, quia nata in vtero eſſet expers peccati abſque infuſa ſibi gratia præſeruãte, ne incurreret, non indiguiſſet ſimpliciter, & abſolutè redimi, ſeu ſaluari à peccato per Chriſtum. Et hinc habes quod ſi dicatur, quod B. Virgo indiguiſſet in carne præcedente redimi à peccato quamuis non in ſe, hæc diſtinctio non obſtat dictis, quoniam indigere in antecedentibus, non eſt ipſam indigere, ita quod ly, in antecedẽtibus eſt conditio diminuens rationem indigentiæ perſonalis. Et propterea non valet conſequentia, indiguiſſet in ſui fœtus carne: ergo ipſa B. Virgo indiguiſſet. Eſt ergo ſimpliciter vera doctrina in littera tradita, quod ſi B. Virgo fuiſſet ante infuſionẽ animæ ſanctificata à quod non eguiſſet redẽptione, & ſalute à peccato facta per Chriſtũ. Et bene nota, quod non dicitur quod nõ indiguiſſet ſalutegratiæ, aut gloriæ facta per Chriſtum, ſed ſalute à peccato, à qua dictus eſt Ieſus, hoc eſt Saluator, vt Angelus reuelauit Ioſeph, dicens Matth. 1. vocabis nomẽ eius Ieſum, ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Et per hæc patet reſponſio ad obiectionem, quoniam B. Virginem in præcedente fœtu, vel parente, &c. indigere redemptione, non eſt ipſam B. Virginem indigere, ſicut Paulum in ſuis parentibus indiguiſſe gratia ciuilitatis Romanæ, non eſt Paulum illa indiguiſſe, ſed maiores ſuos indiguiſſe illa. Hucuſque Caietanus pro conciliatione litteræ Angelici Doctoris, & licèt ſemper fuerit magnus Theologus in hac parte, nec fuit, nec potuit eſſe, quia nitebatur conciliare non verba S. Thomę, ſed quandam clauſulam aſſutam ab aliquo non magno Theologo, & vt videas in quantis diſcrepet eius interpretatio ab ipſa littera, veritate, ac Theologia, operepretium duxi aliqua currenti calamo inſinuare, nam omnia eſſet impoſsibile.

Primo, totus connatus Caietani eſt demonſtrare ex littera S. Thomæ, quod aliud eſt ſanctificare fœtum, aliud ſanctificare ipſam perſonam, nam non ex eo quod ſanctificetur fœtus ante animationem fuit ſanctificata ipſa Beata Virgo in propria perſona, &c. Et hoc eſt expreſsè contra textum S. Thomæ, cuius verba ſunt, *& ſic quocumque modo ante animationem Beata Virgo ſanctificata fuiſſet, nunquam incurriſſet maculam, &c.* Nota quod non dicit: & ſic quocumque modo ante animationem, fœtus, aut caro ſanctificata fuiſſet, ſed ſignatè, & expreſsis verbis dicit, & ſic quocumque modo ante *animationem B. Virgo* ſanctificata fuiſſet: igitur totum aſſumptum Caietani, quod per ſanctificationem ante animationem non erat, nec poterat dici B. Virgo ſanctificata, eſt apertè, & clarè contra litteram textus, quia ſuus Angelicus Doctor non dicit, & ſic quocumque modo ante animationem *fœtus*, vel *caro*, ſed *Beata Virgo* ſanctificata fuiſſet, &c. ſicque antè animationẽ iam Angelicus Doctor admittit ſanctificationem B. Virginis in propria perſona, vndè ruit totum, & vnicum fundamentum Caietani ex ipſamet littera. Secundo, diſtinguit redimi perſonam, ſeu indiguiſſe ſanctificatione ab altera redemptione, ac ſanctificatione fœtus ante animationem, quia redimere perſonam eſt à peccato, & redimere, vel ſanctificare fœtum eſt ab immunditia: Tum ſic illa immunditia fœtus, vel eſt peccatum, vel non, ſi eſt peccatum: ergo ante animationem eſt in fœtu peccatum, & per conſequens poteſt eſſe gratia formalis ſanctificans, quod eſt expreſsè contra litteram S. Thomæ, contra tuam doctrinam, & quod plus eſt, contra veritatem. Si autem illa immũditia fœtus non eſt peccatum, vt in rei veritate non eſt; igitur adhuc in ipſo fœtu ante animationem, vbi non eſt peccatum, datur ſanctificatio, ſalus, & redemptio per Chriſtum: & hinc interrogo, an hæc ſalus, ſanctificatio, & redemptio fœtus ſint diſtinctę, necnè ab illa à qua dictus eſt Ieſus, hoc eſt Saluator, vt Angelus reuelauit Ioſeph, dicens Matth. 1. vocabis nomen eius Ieſum, ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum? Si eſt diſtincta: ergo iam admittis in ſalute, ſaluatione, ſanctificatione, ac redemptione per Chriſtum duplicem modũ redemptionis diuerſum, vnũ in fœtu, & alterũ in perſona, & coincidis nobiſcum, & noſtra ſententia dicente, quod ſanctificatio, & redemptio in fœtu eſt antecedens, & præſeruatiua, ſecunda verò perſonę, ſubſequens, & ſubleuatiua; ſi autẽ non ſunt diuinctæ ſanctificationes, & redemptiones, ſed vna; vide quid propoſuiſti pro vnico fundamento tuæ interpretationis: *Ad huius euidentiam aduertendum eſt, quòd aliud eſt perſonam B. Virginis indiguiſſe redimi à peccato per Chriſtum, & aliud eſt fœtum illum ante animæ infuſionem indiguiſſe ſanctificari per Chriſtum.* Vbi enim eſt aliud, & aliud neceſſariò eſt diuerſitas, & diſtinctio, vndè ſanctificatio, & redemptio fœtus neceſſariò eſt diſtincta, ac diuerſa à ſanctificatione, ac redemptione perſonæ. Quòd autẽ ſanctificari, & redimi per Chriſtum,

ſtum, ſint idem, cõſtat etiam ex tuis verbis: nam infra inquis: *Simile eſt in propoſito, quia licèt caro antecedens perſonam B. Virginis indiguerit redimi tali modo per Chriſtum, ipſa tamen Virgo*, &c. Si autem non diſtinguuntur redimi, & ſanctificari per Chriſtum, & das redemptionẽ, & ſanctificationem in fœtu Beatæ Virginis ante animationem: ergo & in ipſa Virgine: hæc conſequentia te premebat in littera S. Thomæ, ſed expecta, quia ampliùs te premet in noſtra. Tertio, dicit Caietanus, quod perſona tunc indiget ſaluari, & redimi per Chriſtum, quando habet peccatũ, vel eſt in procinctu, aut eminenti periculo habendi illud: ſi perſona ſaluatur, ac redimitur à peccato habito, & exiſtente, illa eſt redemptio ſubleuatiua: Si autem redimitur, & ſaluatur à peccati periculo, & eminenti, eſt redemptio præſeruatiua: hæc expreſsè Caietanus. Et imprimis reddo illi innumeras gratias, quia cùm omnes ſui anteceſſores Turrecremata, Ioannes, Bandellus, Vincẽtia, &c. tenaciter negauerint redemptionem præſeruatiuam imo, & Bartholomæus de Spina, qui ſcripſit poſt Caietanum in ſuis duobus Opuſculis acerrimè illam impugnet; iam Caietanus à veritate conuictus illam nobis cõcedit: & progredior vltra. Cum duplex ſit genus peccati; aliud actuale, & aliud originale, quando perſona liberatur à peccato, ſiuè originali, ſiuè actuali, in quo de facto lapſus eſt; illa dicitur, & eſt redemptio ſubleuatiua; quandò verò non eſt de facto lapſus in peccato, ſed tantum eſt in procinctu, in via, & periculo habendi peccatũ originale, vel actuale, & tunc eripitur, liberatur, & ſaluatur ab illo, tunc perſona dicitur præſeruata, & ſaluata redemptione præſeruatiua. Sed B. Virgo non potuit in propria perſona ſaluari, aut liberari à peccato originali, niſi eſſet ſanctificata in fœtu ante ipſam animationem: ergo ſanctificatio, vel redemptio fœtus fuit formaliſsima præſeruatio perſonæ Virginis Mariæ? vel dico clariùs; tunc præſeruatur aliqua perſona à peccato, quando tempore antecedenti, vel in ipſo inſtanti lapſus eripitur gratia Chriſti ab illo peccato: hæc maior eſt euidens, ſed per tè fœtus B. Mariæ erat ſanctificatus gratia Saluatoris ante, vel in ipſo inſtanti lapſus peccati originalis: ergo Beata Virgo Maria fuit præſeruata à peccato originali. Dicis, quòd indiguit redemptione, ſeu fuit redẽpta in tali caſu in carne antecedenti, non verò in propria perſona, repeto tua verba: *Et hinc habes, quòd ſi dicatur, quòd B. Virgo indiguiſſet in carne præcedente redimi à peccato, quamuis non in ſe. Hæc diſtinctio non obſtat dictis, quoniam indigere in antecedentibus, non eſt ipſam indigere, ita quòd ly in antecedentibus eſt conditio diminuens rationem indigentiæ perſonalis, & propterea non valet conſequentia: indiguiſſet in ſui fœtus carne: ergo ipſa Beata Virgo indiguiſſet.* Hìc ſiſtit ſecundùm Caietanum totus difficultatis cardo, an valeãt iſtæ conſequentiæ: B. Maria indiguit redemptione a peccato originali in ipſo fœtu, & carne ante animationem: ergo indiguit in ſua propria perſona: Beata Maria fuit ſanctificata, & redempta in carne: ergo fuit ſanctificata, & redempta in ſua propria perſona; B. Maria fuit liberata à macula, & immunditia in fœtu: ergo fuit liberata à macula, & immunditia in ſe ipſa. Caietanus affirmat, quòd iſtæ non valent; ego verò exiſtimo, quòd ſunt neceſſariæ, ac infallibiles conſequentiæ.

Quòd ſic demonſtrò, tum ex verbis S. Thomæ dicentis: *Et ſic quocumque modo ante animationem Beata Virgo ſanctificata fuiſſet, nunquam incurriſſet maculam originalis culpæ*, quis non incurriſſet? ipſamet Virgo Maria, *nec indiguiſſet redemptione*, quis non indiguiſſet redẽptione, an fœtus, vel caro? non nìſi ipſiſsima perſona Virginis. Item, quia ſi hæc non valet: fœtus, vel caro Mariæ fuit ſanctificata, & redempta ante animationem: ergo ipſamet Beata Maria in ſe fuit ſanctificata, & redempta: ergo nec iſta valet; Virgo Maria fuit genita à Ioachimo, & Anna, quia etiam eſt ſuppoſitio antecedens, & remotior? nec iſta erit vera: Beata Virgo Maria fuit genita per concupiſcentiam, & libidinem, ſiuè per copulam maritalem? Nec iſta, quæ etiam eſt antecedens, & remotior: ergo Virgo Maria contraxit debitum peccati originalis in Adam; quòd ſi iſtæ ſunt veræ, ac catholicæ, & verificantur ſecundùm fidem de B. Virgine, quare non & iſta; fœtus, ſeu caro Beatæ Mariæ fuit ſanctificata, & redempta: ergo & ipſamet Virgo Maria? Item valet hæc: anima Beatæ Virginis fuit creata à Deo ſine culpa, & macula; fœtus, ſeu caro Beatæ Virginis erat ſanctificata, & munda: ergo & ipſamet B. Virgo fuit ſine culpa, & macula, ſanctificata, & munda; nam totum nõ diſtinguitur à partibus. Item ad hominem, & à te conceſsis: hæc eſt formaliſsima conſequentia: fœtus fuit ſanctificatus: ergo ipſa Virgo Maria fuit præſeruata. Item in ipſo inſtanti animationis iſta propoſitio erat vera, & identica: hæc caro eſt caro ipſiusmet Mariæ: ergo & hæc caro ſanctificata, redempta, & munda, eſt caro ipſiuſmet Mariæ. Item, quòd intrinſecè, & eſſentialiter pertinet ad rei complementum, & quidditatem perſonę, non eſt additum diminuens; ſed redemptio præſeruatiua perſonæ, intrinſecè, ac formaliter requirit, quòd ante formalitatem perſonæ detur redemptio: ergo redemptio, & ſanctificatio ante perſonalitatem factam, non eſt additum diminuens; ſed conſtituens. Declaratur hoc, quia in omni metaphyſica perſona ſupponit eſſentialiter individuum, vnionem partium, & vnió ſupponit animam, & corpus, ſicut ergo omnia

iſta

iſta non ſunt cõditiones diminuentes, ſed cõſtituentes perſonam. Sic nec illæ vt perſona Virginis Mariæ præſeruaretur à peccato originali, neceſſe fuit, quòd individuum, anima, & corpus ante vnionem mundarẽtur; vel liberaretur, ab immunditia radix infecta. Item quia Caietanus fatetur hoc: nota eius verba *Si B. igitur Virginis fœtus ſanctificatus fuiſſet ante infuſionem animæ rationalis, cùm fœtus non ſit homo, niſi per animam rationalem, non ipſa B. Virgo, quæ non erat adhuc, ſed fœtus ille indiguiſſet ſanctificari per Chriſtum, ſed ipſa B. Virgo fuiſſet concepta ſine peccato originali alſque quacunque alia gratia: ita quòd ex hoc ipſo quod anima ſua infuſa eſſet materia mundæ, originale peccatum non contraxiſſet; etiam ſi nulla ſuperappoſita fuiſſet gratia, nec per hoc ipſa B. Virgo non indiguiſſet gratia redẽptionis, ſeu ſaluationis à peccato per Chriſtũ factæ.* En fatetur Caietanus, quod ſanctificato fœtu, abſq; aliqua alia gratia ſuperaddita perſonæ Mariæ, ipſa Mariæ perſona naturali, ac infallibili ſequela eſſet cocepta, & animata ſine originali peccato: ergo ſanctifitio fœtus ad præſeruationem perſonæ Mariæ non eſt conditio dim inuens, quia cauſa, ex qua neceſſario, & naturali ſequela ſequitur effectus, non eſt conditio diminuens, ſicut nec Sol, vt oriatur lux, nec anima, vt homo ſit rationalis. Item ſi hæc eſt neceſſaria illatio ſecundùm tuã doctrinam ſanctificatio fœtu perſona Virginis Mariæ, abſque aliqua alia gratia non coutraxiſſet peccatum originale: ergo vice verſa, & hæc perſona Virginis, ſecluſa alia quacũque gratia, concepta eſt ſine peccato originali, quia fœtus fuit ſanctificatus, in additis enim diminuentibus conſequentiæ iſtæ non valent.

Deindè exemplum de ciuilitate Romana Pauli non eſt ad rem, quia indigere in parentibus, nõ eſt indigere in ſe, cùm enim parentes, & filius ſint diſtinctæ perſonæ, eſt diuerſiſsima ratio; fœtus autem non eſt diuerſa perſona à filio; quare exemplum aptum erat hoc: ſi quãdo mater Pauli eſſet grauida, diceret Cæſar: Concedo filio tuo exiſtente in vtero ciuilitatem Romanam: quamuis Paulus eſſet in fœtu; quis poterit negare, quòd illa gratia facta fuerit perſonæ Pauli? & verè, ac realiter diceretur: Paulus eſt iam ciues Romanus? Lex, quæ præcipit, vt fœmina grauida non damnetur capitali ſentẽtia, quouſque pariat, licèt fœtus ſit in embryone; cui facta eſt illa gratia? nonne perſonæ filii? Et ſic poteram adducere alia innumerabilia? ſed pro maiori euidẽtia admittamus tuum exẽplum: *Paulus, quia natus eſt ciues Romanus, nunquam indiguit Cæſarea gratia ad ciuilitatẽ Romanam, &c.* Sicque hæc propoſitio in tua ſententia eſt vera, & formalis: Paulus in propria perſona verè, & realiter fuit ciues Romanus, quia natus eſt ciues Romanus: Igitur & hæc erit vera: Paulus in propria perſona verè, & realiter eſt ciues Romanus, quia conceptus fuit ciues Romanus. Si enim parentes eius ipſum genuiſſent, facti ciues Romani, ſiuè natus, ſiuè conceptus filius adhuc ſub embryone, ſemper fuit vera hæc propoſitio: Paulus eſt ciues Romanus. Dices (nam hoc eſt totum tuum effugium) conceptus in embryone nõ erat Paulus, quia nõ erat rationalis perſona; natus verò iam erat animata perſona, & Paulus: optime, ſed embryon ille non erat Pauli? Et non erat melius Paulo, quòd ab embryone fuiſſet ciues? Hoc exẽplo totum declaro myſterium. Chriſtus Dominus in Cruce redemit omnes homines præteritos, preſẽtes, & futuros; redemit enim ex præteritis Adamum, & Dauid à peccatis ſuis; redemit ex præſentibus Petrum, & Latronem, &c. redemit ex futuris Dominicum, & Fraciſcum: Interrogo de his futuris, an quia Dominicus & Franciſcus non exiſtebant, nec erant rationales, pro illa differentia temporis, qua Chriſtus eſt exaltatus in Cruce, non fuerunt redempti ſecundùm ſuas proprias perſonas, vel eorum redẽptio fuit cum addito diminuente? Et de hoc ſatis, quia hæc ſolùm dicta fuerunt, vt oſtenderem, quòd clauſula ſuprà ſignata fuit intruſa in operibus S. Thomæ, ſiquidẽ nullo modo ipſã cõciliare eius Cõmentator genuinè potuit: affirmabant enim noſtri antiqui Scriptores, quòd fœtus, caroque Virginis fuerat purificata, ac mundata ante animationem, & ſic præſeruata, ac libera fuerat ab originali culpa, & pro hoc varios excogitabant dicẽdi modos, ſed vt hoc retunderent, ex doctrina S. Thomę, addiderũt illud: *Et ſic quocunque modo ante animationem B. Virgo, &c.*

Deindè proſequitur ſic Caietanus: *Circa corollarium dubium occurrit, quia non videtur ſequi ex præmiſſis. Nam ex hoc quòd B. Virgo nõ fuit ſanctificata ante animationem, non ſequitur quòd ſanctificatio eius fuerit poſt animationem; ſtat enim quòd nec ante, nec poſt, ſed in ipſo inſtãti infuſionis animæ fuerit ſanctificata, vt multi moderni tenẽt. Ad hoc dicitur, quòd aliud eſt diſcutere materiam hanc abſolutè, & aliud in quã tum ex hac littera infertur talis concluſio Corollariẽ. Nam abſolutè loquendo inter illas duas poſitiones extremas, ſcilicẽt, quòd fuerit ſanctificata vel ante infuſionem animæ, vel poſt infuſionẽ animæ eſt poſitio media, quòd fuit ſanctificata in inſtanti infuſionis animæ, cuius opinionis Auctor hìc nõ meminit, quia tẽpore ſuo non erat adinuenta, omnibus communiter tenentibus, B. Virginem cõceptam in peccato originali, & ideò, vt videtur reprobantibus ſanctificationẽ carnis eius ante infuſionẽ animæ, vt in hac littera patet. Et propterea, loquendo ſecundùm præſentis litteræ contextum conſequentia tenet, quia à negatione ſanctificationis anteriotis cum*

ſua

ſua ratione, quia ſcilicèt contraxit peccatũ originale, infertur, quòd fuerit ſanctificata poſt animationem. Et clarè patet, quòd ſequella hæc eſt efficax, quoniam impoſsibile eſt in vno, eodemque inſtanti contrahere peccatum originale, & ſanctificari ab illo. Aliqua proponit hic Caietanus ſcitu digna. Primo fatetur, & concedit, quòd inter has duas propoſitiones, an Maria potuerit ſanctificari ante animationẽ, vel poſt animationem, eſt noſtra poſitio media, quod potuerit ſanctificari in ipſo inſtanti animationis. Secundo, eodem modo fatetur, & concedit, quod tempore Sancti Thomæ, & omnium antiquorum poſitiò iſta de ſanctificatione in eodem inſtanti animationis non fuit inuenta, nec opinabilis, de Sancto Thoma patet euidẽter, quia tàm in 3. Sententiarum, quam in hac 3. parte ſolùm inquirit: An B. Virgo fuerit ſanctificata ante animationem. ad quod reſpondit negatiuè, & ex hac tranſiit ad alteram, an ſanctificata fuerit poſt animationem, & reſoluit affirmatiuè, vnde conſtat, quòd ſecundum Caietanum, & ſecundùm veritatem S. Thomas nullibi ſub propriis terminis tangit quæſtionẽ ex profeſsò, ac punctum principale Conceptionis Virginis, atque controuerſiæ nunc exagitatæ in ſcholis, & chriſtianitate tota. Tertiò colligitur, quod Caietanus nititur demonſtrare, quod ex doctrina S. Thomæ, & ex eius negatiua, Maria non potuit ſanctificari ante animationem, efficaciter, ac per legitimam conſequentiam ſequatur hæc: ergo fuit ſanctificata poſt animationem? inquit enim: *Quia à negatione ſanctificationis anterioris, cum ſua ratione, quia ſcilicèt contraxit peccatum originale, infertur, quòd fuerit ſanctificata poſt animationem.* Hæc Caietani ratio aperta peccat contradictione, quia expreſsè ſupponit, & ſtatuit, quòd ad hoc, vt valeat hæc conſequentia: ergo fuit ſanctificata poſt animationem ſupponenda ſunt duo, & negationem ſcilicèt, quod non fuerit ſanctificata ante animationem, & rationem videlicet, quòd cõtraxerit peccatum originale, hoc enim eſt apertè dicere, quod ex cõtextu Sancti Thomæ ſequitur efficaciter, quòd poſt animationem fuit ſanctificata à peccato originali, quia contraxit peccatum originale: iſte enim eſt ridiculus circulus, & petitio principii. Item nota hanc noſtram inſtantiam pro confirmatione antedictorum: Iſtæ propoſitiones ſunt veræ in ſententia S. Thomæ, & efficaces ſequellæ: Virgo Maria fuit ſanctificata in propria perſona poſt animationem, quia contraxit peccarum originale; Virgo Maria in propria perſona contraxit originale, quia non fuit ſanctificata ante animationem, ſi iſtę ſunt efficaces ſequellæ: ergo & viceverſa valent, & ſunt efficaces, ſi Virgo Maria fuit ſanctificata ante animationem: ergo in propria perſona non contraxit originale: non contraxit in propria perſona peccatum originale: ergo in propria perſona fuit præſeruata per ſanctificationẽ ante animationẽ. Nota etiam vltimam clauſulã Caietani: *Et clarè patet, quòd ſequella hæc eſt efficax quoniam impoſsibile eſt in vno eodemque inſtanti contrahere peccatum originale, & ſanctificari.* In primis multi antiqui non reputarunt hoc impoſsibile, vt Henricus de Gandabo, Scotus, & alii. Sed hoc admitto, quomodo ſequella eſt efficax, ſi tu fateris quod S. Thomas nunquam loquutus fuit de inſtanti animationis? Hæc, & alia videntur incongruentia in littera Caietani.

Sed iam ad punctum principale: S. Thomas nunquàm excitauit hanc quęſtionem: vtrùm Virgo Maria fuerit ſanctificata, vel potuerit ſanctificari in ipſo inſtanti animationis, vel infuſionis animæ, & hoc conſtat ex omnibus eius operibus, inſuper Caietanus affirmat, quod tẽpore Angelici Doctoris talis quæſtio non erat adinuenta, nec opinata: ergo Sanctus Thomas ex vi ſui contextus nec fuit pro vna, nec pro altera opinione, & ſolùm reducitur ad contrariam ex illa non recta ratione Caietani: ſicque tempore Caietani (niſi ipſe fuerit cœcus Commentator, vt ſtatim videbimus) nihil erat expreſsum in textu Sancti Thomæ circa ſanctificationem in animatione, ſiuè in infuſione animæ? Legens, & notans hoc Bartholomæus de Spina, Ordinis Prędicatorum, qui ſcripſit poſt mortẽ Caietani, & cõtra eum, & verba iſta Caietani, edidit acre Opuſculum, vt ſuo loco diximus, quando typis mandauit opera S. Thomæ, vbicumque inuenit occaſionem, introduxit illa verba, *nec etiam in ipſo inſtãti infuſionis*, vt ſic reconueniret Caietanum, quod in hac parte ipſe neſciuit quid dixerit, & quod Angelicus Doctor omnia inuenit, & quod nihil ipſi tribuit ex opinabilibus. Sed quidquid ſit de Auctore additionum, ſaltem hoc ęylema concludit: vel illa verba in 3. Sent. S. Thomæ ad ſecundã quæſtionem: Dicendum, quod ſanctificatio B. Virginis non potuit eſſe decẽter ante infuſionẽ animæ, quia gratiæ capax nondum erat, *ſed nec etiam in ipſo inſtanti infuſionis*, & illud in 3. argumento: Aut igitur caro ſanctificata fuit ante animationem, *vel ſaltem in ipſo inſtanti confuſionis, vel infuſionis*, atque illa, quæ modo reperiuntur in 3. Senten. ad Hannibaldum, ſcilicèt: *Nec etiam in ipſo inſtanti infuſionis animæ, &c.* Erant tempore Caietani in textu S. Thomæ, vt modo ſunt, vel non erant. Si erant nimis caligauerunt oculi illius egregii Commentatoris, ſiquidèm non vidit verba exiſtentia in textu S. Thomæ expreſſa, & clara in tribus diuerſis locis: ſi non erant: ergo concluditur fuiſſe addita & intruſa.

In ſequentibus aliqua dicit Caietanus, quæ ma-

magis ad Triturationem, quam ad Ventilationem pertinent: & ideò tantum illa maiuſculis characteribus ſignabimus: *Stat ergo littera ſolida*: Inquit Caietanus, *quamuis non ſolicitè de illa media opinione tunc in opinabili, quæ hodiè* MVLIERIBVS. VVLGO, *affectuque* NON NVLLORVM *pio,* MVLTORVM *autem* INDVSTRIA, *ac* QVÆSTV *cogẽtibus, ita prævaluit, vt* DOCTRINÆ SANCTORVM, ÆSTIMATA *pietas præferatur, & quòd in communi aſſeritur in his ſcilicèt, quæ* CREDENDA *ſunt, ſectandos magis eſſe antiquos Doctores, quàm modernos in hoc particulari* POSTHABETVR, *dum moderni antiquis, &* NON *ſancti Sãctis* PRÆFERVNTVR. *Teſtatur autem* ERATICVS *hic proceſſus ſimiles eſſe iſtos* PECCANTIBVS *ex ignorantia electionis, dum in vniuerſali ſcientes, applicando ad particulare, ab vniuerſali declinant. Verum opinio iſta media, quamuis* NOVA, *quamuis* ALIENA *à doctrina antiquorũ Doctorum, & à doctrina* SANCTORVM *communiter, quia tamen nihil contra fidem ſuſtinet, & Apoſtolica Sedes decreuit, donec fuerit deciſum abſque hæreſi, criminiſque labe vtranque contradictionis partem teneri poſſe vnaquæque prouintia in ſuo ſenſu abũdet, modo prompta ſit Eccleſiæ Sanctæ* DIFINITIONI *ſubeſſe.* Propter hæc vltima verba dicta in fauorẽ magis piæ ſententiæ ſurrexit contra Caietanum, Bartholomæus de Spina, egrè ferens, quòd diceret Cardinalis, & Commentator S. Thomæ, magis piam opinionem non eſſe contra Fidem, nec hæreticam.

Concludit igitur Caietanus ſuum Commẽtarium ſic. *Scripſimus de hac materia tractatulum quendam ad Leonem X. Pont. Max. qui viuit, & regnat, & ideò ſat ſit hic monuiſſe omnes de re hac differentes, aut prædicantes; vt meminerint ſe non de Fidei neceſſarijs, ſed de probabilibus tractare; neutra ſiquidem pars Fidei documentis aduerſatur. Nam ſi tenetur B. Virginẽ contraxiſſe originale peccatum (vt* SANCTI, *& antiqui* DOCTORES *tenent) ſtat omnia* CONSONA *inueniri. Si autem tenetur, B. Virginem non ex vi Conceptionis, ſed ex gratia ſingulariſſima in ipſo inſtanti infuſionis animæ, infuſa illi animæ præſeruatam ab originali peccato, quod tũc incurriſſet, niſi illa gratia affuſſet, nihil contra Fidem tenetur, ſed ſpecialis modus redimendi, ac ſaluãdi à peccato originali, Chriſto attribuitur reſpectu ſuæ Matris. Sic enim ipſa B. Virgo indiguit redimi, & ſaluari à peccato per Chriſtum, quoniam ipſa tunc incurriſſet peccatum, niſi munus gratiæ, præuenientis non tempore, ſed natura affuiſſet. Et ita puritas eius fuit maxima ſub Chriſto, qui nullo modo indiguit redimi, qui ex vi ſuæ Conceptionis fuit ſanctus. Fuitque in Beata Virgine quod animale eſt priùs natura, non tempore, quam quod ſpirituale eſt: quoniam infuſio gratiæ in ipſius anima ſuponit productionem animæ, quamuis, vt dictum eſt, præueniat peccanti maculam, quæ tunc incurrenda erat, niſi gratia illam impediſſet. Probabilis profectò opinio, niſi* SANCTORVM *antiquorum auctoritas* OBSTARET, *longè* PROBABILIOREM *reddens contrariã poſitionem.* Et hic concludit Caietanus ſuum Commentum editum ann. 1520. nam Leo X. vitæ debitum ſoluit ann. 1521. Primum autem tractatum pro ſua opinione, vt ſuprà diximus, edidit ann. 1515. & vtrobique contendit ſuam opinionem eſſe probabiliorem propter auctoritates Sãctorum antiquorum, ſed vbi ſunt iſtæ auctoritates? Non in S. Thoma, nec in ipſo antiquioribus, quia tu affirmas, quòd tempore ſuo non erat adinuenta iſta quæſtio, ſeu media illa opinio, an fuerit ſanctificata in ipſo inſtanti animationis, vel in illa animæ infuſione contraxerit originale peccatum, quia omnes ſolùmmodo inquirebant, an fuiſſet ſanctificata ante animationem, & an tunc habuerit, nec ne peccatũ originale (de alio vero extremo, an ſcilicèt fuerit ſanctificata poſt animationem, omnes reſpondebant affirmatiuè) ergo omnes auctoritates Sanctorum antiquorum loquuntur ante animationem, & extra difficultatis punctum, & ſic dum in vniuerſali ſciebas veritatem applicando ad particulare, ab vniuerſali declinaſti in tua electione; & comprobatur ex tuis verbis, quod in toto hoc libro deregitur, nullum ſcilicèt ex antiquis Patribus, & Theologis ante D. Thomam loquutum fuiſſe de formali controuerſia, atque animationis puncto.

Melius loquitur Caietanus in Commentario primæ ſecundæ quæſt. 81. art. 3. dicens: *Aduerte duo circa vniuerſalitatem peccati originalis. Primum eſt, quòd ad Fidem Catholicam ſpectat, quòd omnes, præter ſolùm Chriſtum, contrahant peccatum originale: quod dictum non intelligendum eſt aliter quàm de morte, quæ eſt pœna peccati originalis: ita quòd ſicut omnes incurrunt mortem, id eſt, neceſſitatem moriendi, ita omnes incurrunt peccatum originale, id eſt, neceſſitatem habendi peccatum originale. Et ſicut non expectat ad Fidem, an ſinguli moriantur actualiter, an diuina diſpoſitione aliquis non moriatur: ita non expectat ad Fidem, an aliquis ex ſpeciali prærrogatiua gratiæ non incurrat actualiter originale peccatum de vtroque enim ſimul inquit Apoſtolus ad Romanos 5. Per vnum hominem peccatum introiuit in mundum, & per peccatum mors. Eſt igitur neceſſarium ſecundùm Catholicam Fidem, credere, quòd omnis vtriuſque ſexus ab Adam ſecundùm rationem ſeminalem prouenientes, ex ipſa ſua generatione ſit obnoxius peccato originali, & contra Pelagianos dicentes oppoſitum, Auguſtinus differit, & diffinit.*

De

De ſolo autem Ieſu Chriſto verum eſt, quòd ex ipſa generatione nulli obnoxius eſt peccato, iuxtà verbum Angeli ad B. Virginem ante Filij Conceptionem, quæ vocatur natiuitas in vtero dicẽtis: Quòd ex te naſcetur ſanctum: & iuxta hũc ſenſum militat ratio auctoris, ſcilicèt, quia aliter non indigerent redẽptione, quæ per Ieſum Chriſtũ facta eſt. Si enim peccatum originale, vel in actu, vel in neceſſitate habendi illud, quis non incurreret, non egeret redemptione, quod hæreticum eſſet dicere: Sed ſi omnes obnoxij ſunt peccato originali, ſufficit ad indigentiam redemptionis. Neque enim ſolùm redemptione eget actualiter captiuus, ſed etiam obnoxius captiuitati. Et hæc benè notabis tu THOMISTA, ne nimio zelo, non ſecundùm ſcientiam accenſus, erronea dicas quæ erronea non ſunt, cùm de Beatiſſimæ Virginis Conceptione diſputas, aut prædicas. Secundum notandum eſt, quòd licèt, vt dictum eſt, ad Fidem non ſpectet tanquam neceſſariò credendum; vtrum aliquis actualiter non habuerit ex ſpeciali gratia originale peccatum per hoc non excluditur, quin ſpectare poſſit tanquam probabile propter AVCTORITATES Sanctorum. In principio namque primæ partis diſtinxit Auctor, quomodo multipliciter aliqua ſpectent ad ſacram Theologiam: propter quod oportet ſobriè ſe habere hominem in re hac, ſicut & de actuali morte eorum, de quibus loquitur Apoſtolus 1. ad Theſſal. 4. & DIABOLICAS æmulationes, DETRACTIONES; RIXAS que tàm ſub zeli, quàm ſub pietatis vmbra euitare, ac Spiritui Sancto obicem non ponere iureiurando firmando hoc, vel illud. Hæc ſunt verba Caietani in propoſito: Articulo, & à quo in indiuiduo cœpit verificari illud: Ordo Prædicatorum paulatim accedet ad magis piam opinionẽ, nam cùm in ſuo Opuſculo Conceptionis acerrimè impugnaſſet præſeruationis ſententiam, iam hic factus eſt ipſius diſſertiſsimus Interpres, & ſuorum Conſiliarius optimus, ac mentis omnium antiquorum veridicus explanator; profitens expreſsè, quod omnes loquebantur non de contractione actualis culpæ, ſed de reatu, obnoxietate, obligatione, ac debito, & hãc Caietani mentem ego, inſpecta antiquorum Patrũ doctrina, minimè negarem. An autem obligatio illa, & debitum ſit de Fide, vt vult Caietanus, & ipſius veſtigia ſequens P. Carmelitanus, de quo in Triturationẽ nu. LX. maiori indiget examine, reſolutiuè autem pronunc affirmo, non eſſe de Fide, quia S. Auguſtinus contra Pelagianos aliquid aliud determinat, vt ſuprà ſuis locis diximus. Item clarè, & expreſsè fatetur Caietanus, quòd ad redẽptionem perfectam ſufficit reatus, obnoxietas, & obligatio, in cauſa, vel radice, quod nullus Aduerſariorũ antiquorum, videlicèt Turrecremata, Anonymus, Bãdellus, &c. voluerunt admittere, imò Bartholomæus de Spina, qui ſcripſit poſt mortem Caietani, & contra ipſum: ex hac ſola Caietani concluſione exiſtimat dirutam fuiſſe maceriem, & penitus ſolo coæquatum murale, & antemurale ſuæ opinionis, atque ſuum purpuratum Gigantem in noſtras trãſiſſe partes. Colligitur denique ex his Caietani verbis, quòd adhuc ſuo tempore, poſt Sixti IV. extrauagantes, & aliorum Summorum Pontificum fauores, & decreta, de quibus egimus in Armamentario, vocabant Thomiſtæ magis piam opinionem, erroneam, &c.

THOMAS De Vualleis Anglus, Ordinis Prædicatorum, in Poſtilla ſuper Pſalterium Pſal. 27. *Turrecrem. cap. 29. fol. 120. Anonymus Auctore 69. Bandel. cap. 23. Deza fol. 42. Vincent. & Gryſald.*

VERITAS 301.

MVLTA Sunt ſupponẽda pro exacta huius Auctoris notitia, & primo, quòd Turrecremata vocat hunc Thomam de Vualleis Anglicum: alii autem, vt Bandellus, Vincentia, & Gryſaldus, ſolùm ipſum appellant Thomam Anglicum. At omnes conueniunt in citatione ſuper Pſalmum 17. Secundo, ſupponendum quod Ant. Senenſis in ſua Biblioth. fol. 242. ex vno indiuiſibili Thoma finxit quinque diſtinctos: nam primo refert quendam Thomam Anglicum, Cardinalem tituli S. Sabinæ, qui ſcripſit ſuper quatuor libros Sententiarum, & librum de Conceptione B. Virginis, & aliam contra Scotum, &c. qui claruit ad annum 1305 & hunc etiam vocat Thomam Iorſium, dicens: *Præfatum Thomam aliqui ſcribunt cognominatum fuiſſe Iorſium, & illi nonnulli ſcriptores ſupponunt opera aliqua, quæ alios Thomas etiam noſtri ordinis habuerunt Auctores,* &c. Secundo adducit alium Thomam de Vualleis, vel de Vuallis etiam Anglicum, qui ſcripſit ſuper 4. libros Senten. & ſuper Pſalmos, & Prouerbia Salomonis, atque alia, qui floruit ad annum 1320. Tertio, loco adducit Thomam Gualenſem, etiam Anglicum, qui ſcripſit ſuper Pſalterium, ex Abbreuiatore Geſneri. Sed tamen hunc indicat Senenſis non eſſe diſtinctũ à præcedenti. Quarto, adducit quendam alterum, Thomã Anglicũ, Magiſtrum in Theologia, qui ſcripſit etiã ſuper Pſalterium, & claruit anno 1320. & hunc ex ipſo Abbreuiatore Geſneri. Quinto, infrà fol. 250. adducit Thomam Anglicum, Cardinalem Tituli S. Petri ad vincula, qui ſcripſit Quodlibeta varia, licèt non ſignet tempus quo vixerit; in Chronicon autem, fol. 160. inquit: *Eodem anno 1303. Benedictus*

XI.

XI. Fratrem Gualterium, natione Anglum, qui erat Regi Angliæ à ſacris confeſsionibus, ſub titulo S. Sabinæ Cardinalem creauit, &c. Et infrà: *Eodem anno ad Cardinalatus dignitatem ſublimauit Summus Pontifex Fratrem Thomam Anglicum, quem D. Antoninus Theobaldum vocat, &c.* S. Antoninus 3. part. hiſt. tit. 23. capit. 11. §. 1. fol. 679. vſque ad annum 1458. quo ipſe ſcribebat, dicit fuiſſe in ſua Religione viginti tres Cardinales, & ex Prouincia Angliæ enumerat tantum quatuor, ſcilicèt, Robertum, Gualterum Cardinalem S. Sabinæ. Guillielmũ etiam Tituli S. Sabinæ, & Theobaldum itidem Tituli S. Sabinæ. Si ergo Theobaldus eſt idem quòd Thomas Iorſius, vt dicit Anton. Senenſis, iam habemus alteram cõfuſionem huius Cardinalis, in Chron. fol. 178. ſic inquit: *Anno 1332. Fr. Thomas, natione Anglus, cognomento Vvalens, comperto quod Ioannes XXII. opinabatur, & ſaltem per modum diſputationis aſſerebat quòd animæ Beatorum ante Reſurrectionem non videbant Deum, zelo Fidei ſuccenſus, ipſo feſto D. Ioannis Euangeliſtæ, publicè contra illum in concione inuectus eſt, maxima prælatorum Eccleſiæ ſtante caterua, &c.* Et refert, quomodo propter illam concionem in carcerem fuerit coniectus, & quomodo poſt multas inſtantias Regis Frãcorum, & Vniuerſitatis Pariſienſis fuerit honorificè liberatus, &c. Compone ergo Lector iſta: ſi hic fuit diſtinctus à præcedẽtibus, iam habemus ſex Thomas Anglicos, cognominatos de Vvaleis, inſignes in Religione Prædicatorũ ab ann. 1305. vſque 1332. ſi autẽ eſt idem cum antecedentibus, quomodo Thomas Anglicus de Vvaleis, qui ad ann. 1305. erat Cardinalis ad annum 1332. concionabatur frater coram Papa? fuerunt igitur iſtæ multiplicationes, vt ex dicendis cõſtabit. Tertio notandum, quòd Abbreuiator Geſneri fol. 271. col. 1. adducit Thomam Anglicum, qui ſcripſit Sũmam Theologiæ, ſuper Pſalterium, & ſuper Prouerbia Salomonis, & ſimiliter affirmat, quòd quædam in B Thoma cõpleuit. Et infrà fol. 295. col. 2. adducit Thomam Gualleníem, qui ſcripſit ſuper Pſalterium, & infrà fol. 796. col. 1. adducit Thomã Iorſiũ Anglum, qui ſcripſit ſuper Sent. & in Pſal. infrà f. 800. inquit: *Thomas Valos idẽ qui iam dictus eſt Thomas Gualleſis, &c.* Et ſic ex vno Auctore facit tres. Quarto notandũ, quòd Ioan. Pitſeus in lib. de illuſtribus Angliæ ſcriptoribus, ætate 14. f. 401. ann. 1311. adducit Thomam Iorſium, Ioyce cognominatum, qui ſcripſit Poſtillam in Pſalmos 25. quorum principium eſt: *Beatus vir qui cuſtodit, &c.* ſuper Magiſtrum Sententiarum, & de Conceptione B. Virginis, ac fuiſſe Cardinalem S. Sabinę, & addit: *Huic autẽ Thomæ vàrij libri adſcribuntur, quos aliqui putant à D. Thoma Aquinate cõpoſitos, alios etiam à D. Thoma inchoatos, ab iſto Iorſio completos multi aſſerũt, &c.* Infrà verò f. 429. ad ann. 1338. addducit Thomam de Vvaleis, ſeu Gualleníem, qui ſcripſit ſuper Pſalmos, cuius liber incipit: *Beatus vir qui cuſtodit veritatem, &c.* Super Sẽtentias, & Prouerbia, quæ incipiũt: *In abſcõditis Parabolarum*, & alia quàm plura, & fol. 389. ad annum 1305. adducit Gualterum Vvinterbonum, Cardinalem S. Sabinę, à Benedicto XI. qui ſcripſit Sũmam Theologiæ, quæſtiones Theologicas, & de peccato originali, & citat Anton. Senenſem. Item fol. 525. ad ann. 1380 Adducit Thomam Cardinalem Anglicum, Monacum S. Dominici, Tituli S. Petri ad Vincula cum Anton. Senẽſi vt ſuprà. Quinto, notãdum, quòd Ioann. Michael Pius, de viris illuſtribus Religionis ſuæ, par. 1. lib. 4. col. 559. agens latè de Thoma Iorſio Anglo, affirmat fuiſſe Cardinalem S. Sabinę, & ſcripſiſſe lib. de Conceptione Virginis Mariæ, ſuper Sententias, & Pſalterium, & ſuperaddit: *Et altri Vogliono, ch egli habbia ſcripto ſcolaſticamente, multi Cõmentarij ſopra la ſcrittura, & aggiongono, chel eſpoſitione della Geneſi, de Iſaia, Heremia, delle Epiſtole Canoniche dell' Apocalipſi, e di Boetio di cõſolatione Philoſophica atribuite à S. Tomaſo de Aquino, ſi eſtimano diaqueſto is teſo Auctore, & che la ſõmiglianza delle voci Anglico, & Angelico con l'identita de inomi, habia cagionato a puo a puoco l'errore, e ſi ſia attrito a S. Tomaſo, detto per eccellenza Angelico, quello che ſcriſſe Tomaſo Anglico, &c.* col. autem 203. ad ann. 1375. adducit Thomam Anglicum, qui ſcripſit ſuper Sẽtentias. De Thomaſio verò Iorſio Anglo, agit inter ſcriptores col. 214. ad ann. 1390. quãdo ipſemet dixerat inter Cardinales, deceſiſſe è vita ann. 1311. col. verò 227. ad ann. 1410. adducit Thomam Gualleníem Anglicum ſcriptorem ſuper Pſalmos, & col 130. ad ann. 309. agit de alio Thoma Anglico, qui ſcripſit ſuper Pſalmos. Et in Appendice col. 411. adducit Thomam Vvalenſen, vel Vvalẽtem, qui ſcripſit ſuper Sententins, Prouerbia, & Pſalmos ad annum 1320. Turrigius in Bibliot. Cardinalitia litt. G. fol. 22. inquit: *Guillielmus Iorſius à Benedicto XI. ſ. per triginta Pſalmos, hoc opus eſt apud me*, & litt T. fol. 55. inquit iterum: *Thomas Ioizcet, ſiuè Iorſius à Clemente VI. ſcripſit ſuper 4. lib. Sent. Poſtillam in Pſalterium ſeu Comentarios in Pſal. 37. De Conceptione B. Mariæ. Poſtillam in Prouerbia Salomonis, ſex libros S. Auguſtini de ciuitate Dei, &c.* Ecce ergo vnus, & idẽ Cardinalis vocatur Thomas Theobaldus, Guillielmus, Gualterius, &c. Ioann. Baleus cent. 3. fol. 126. adducit Thomam Iorſium Cardinalem ſuper Sent. & Pſalterium, & infrà cent. 4. fol. 187. Thomam Gualẽſem, ſeu Vvalleis ſuper Sententias, & Pſalterium, Prouerbia, & Cãtica, & dicit claruiſſe ad ann. 1410. & inſuper exiſtimat eſſe illum à Ioanne XXII. carceribus incluſum: eſt ergo hic Auctor ſepties multiplicatus.

Sit ergo concluſio certa, ac indubitata, quod

in ſacra Prædicatorum Religione ſolus fuit vnus Thomas Iorſius, vel Ieorgius nomine, Vvalenus, vel Gualenſis ex Patriâ, Anglus natione, & Cardinalis S. Sabinæ ex dignitate. Hic ſcripſit inter alia expoſitionem, ſeu Poſtillam ſuper decem libros S. Auguſtini de ciuitate Dei, quæ incipit: *Fluminis impetus*, & extat manuſ. in Eſcorial. 11. D. 20. & dubitatur, an etiam in Prouerb. Salomonis, vt diximus num. 275. ſuper Pſalterium quandam Poſtillam typis mandatam Romæ anno 1611. in fol. ſub recognitione R. P. Sixti Lamberti Lucenſis eiuſdem Ordinis, & R. P. Pauli Berci, Ordinis S. Auguſtini: contra Scotum, vt videbimus infrà, & quomodo hic poterat ſcribere contra Scotum, niſi vixiſſet poſt annum 1308? Similiter eſt certum, quòd hic Thomas Iorſius Anglicus edidit quamplura opera, quæ decurſu temporis (propter hanc, vel illam cauſam, ex incuria Impreſſorum, vel ex cura aliorum) fuerunt adſcripta Angelico Doctori, & inter opera eius excuſſa: & ſi non hic Thomas Iorſius, ſaltem alter ex duodecim Auctoribus Anglicis vocatis *Thomas*, vt aduertit Michael Pius vbi ſuprà; vnus ergo ex his edidit Poſtillam ſuper Pſalterium, & Compendium Theologiæ, quod inter opuſcula S. Thomæ eſt 2. & incipit: *Æterni Patris verbum, &c.* Hoc autem opuſculum ex multis circũſtantiis videtur elaboratum, & ſcriptum fuiſſe poſt mortem Angelici Doctoris. Si autem expoſitio ſuper Epiſtolas Pauli, eſt Thomæ Anglici, vt dicunt Aduerſarii, iam hic pro nobis eſt expreſsè, nam in Epiſt. ad Galat. cap. 3. Lect. 3. inquit: *Virum de mille vnum reperi, ſcilicèt, Chriſtum, qui eſſet ſine omni peccato; mulierem autem ex omnibus non inueni, quæ omninò à peccatis immunis eſſet, ad minus originali, vel veniali, excipitur puriſſima, & omni laude digniſſima Virgo, &c.* Quibus etiam adiũge tractatum illum de Cõceptione. Nota, ò Lector! pro hoc Auctore, & opere ſuper Epiſtolas Pauli, nam propter hanc expreſſam auctoritatem pro Immaculata Virginis Conceptione, aliqui ex Aduerſariis hoc opus adſcribũt Thomæ Anglici; nolentes quod Thomas Angelicus coopereturin hoc myſterio. Alii verò volentes, quod S. Thomas non priuetur honore tãti operis, admittunt expoſitionem, & affirmant eſſe Thomæ Angelici, ſed dicunt auctoritatem eſſe ſuppoſitam & intruſam, alii admittunt expoſitionem ſuper Epiſtolas, vt propriũ fœtum S. Thomæ, ſed radicitùs euellunt auctoritatem. Patres, Patres, quis intelliget, vel componet hæc? Sed iam ad noſtrum aſſumptum.

Auctoritatem huius ſic adducit Turrecremata: Item ad idem eſt eiuſdem Ordinis Magiſter Thomas de Vvalleis, Anglicus, qui in Poſtilla ſolemni ſuper Pſalterium, tractans illud Pſal. 17. *Deus meus impolluta via eius*, dicit ſic: *Via ſcilicèt, qua ad nos Deus venit, fuit B. Virgo. Iſta fuit via impolluta, quia munda fuit in ſily Conceptione. Veniens enim Sol iuſtitiæ in Virginem omnem fomitem peccati totaliter abſtulit. Ideò inquit Hieronymus, in Sermone Aſſumptionis eiuſdem: Quidquid in ea geſtum eſt, totum puritas, & ſimplicitas; totum veritas, & gratia, totum iuſtitia, & miſericordia, quæ de cœlo proſpexit. Hæc ille.* Et antequam vlteriùs progrediamur, miror quomodo Turrecremata aliàs doctus, ex hac auctoritate colligere voluerit, Virginem Mariam conceptam fuiſſe in originali peccato? Nam hic loquitur Thomas Anglicus de Incarnationis tempore. Sed dices: ſi tunc habebat Virgo Maria fomitem: ergo aliquando habuit peccatum originale: nam hoc eſt cauſa illius; non poteſt enim eſſe effectus, vbi nõ extitit cauſa. Optimè, ſed nonnè paſsim docet D. Thomas, vt ſupra vidimus, quod eſt fomes naturæ, & præſeruatio particularis ſolius peccati originalis, fomitis, & reatus, vt ex Caietano diximus numero præcedenti? Sed quidquid ſit de hoc, attende, ò Lector! & vide, qua veritate tranſcripſit Turrecremata ſuum Thomam de Vvalleis Cardinalem. In Pſalmo ergo citato, verſ. 33. fol. 194. ſic inquit: *Alio modo dicitur, via eius qua ad nos venit, & iſta via fuit impolluta, quia B. Virgo munda fuit, & in Conceptione filij, & in conuerſatione. In Conceptione quia in Pſal. 76. dicitur: In mari via tua, id eſt, in Maria. Dicit enim Ambroſius in libro quodam: Tranſit per mare nauis, & nulla in vnda veſtigia: venit Chriſtus de cœlo, & aure concipitur, & in vtero Verbum formatur. Talis Maria remanſit. Fuit etiam hæc via impolluta in tota conuerſatione; cauſa fuit, quia ſemper habuit Solem iuſtitiæ incedentem, & dificantem in ſuo cõſpectu; inſuper & longo tempore ipſum intra ſe corporaliter habuit, & ideò nulla macula luti in ea potuit eſſe, imò ſi fuiſſet, ſtatim in inſtanti conſumpta fuiſſet, quia ſi Sol eſſet infinitus, ageret in inſtanti, Sol autem iuſtitiæ infinitus eſt. Et ideò veniens in Virgine, & agens per ſuam lucem, & calorem, ſtatim in eodem inſtanti omnem luctuoſitatem in ea conſumpſit, nam & fomitem peccati corporaliter extinxit, & abſtulit. Hieronymus in libro de Aſſumptione: Quidquid in ea geſtum eſt, totum puritas, & ſimplicitas; totum veritas, & gratia fuit, totum miſericordia, & iuſtitia, quæ de cœlo proſpexit.* Hæc ſunt verba Thomæ Ieorgii, vel Iorſii, ex quibus ſimplici intuitu cognoſcitur, in quantis fuerint vitiata, & grauiſsimè adulterata à Turrecremata. Primo, prætermiſit illud: *& iſta via fuit impolluta*, vt ſic auferret vim à ſubſequenti cauſali, *quia*; nam ſenſus eſt: *Maria fuit impolluta*, id eſt, nũquam cõtaminata, & ſemper mũda, & ratio eſt, *quia* in Conceptione Filii Dei, & conuerſatione ſemper fuit impolluta, & munda.

Quaſi

Quaſi diceret: Quomodo potuit eſſe polluta, vel immunda, quæ in Conceptione, & conuerſatione fuit impolluta, & munda. Aut vt clarius loquar, propoſitionem illatiuam fecit determinatam. Ideo ſecundo, tranſmutauit illam vocem, *Beata Virgo*. Tertio, abſtulit ly, *Et*. Quarto, etiam ſubticuit illud, *& in conuerſatione*. Quinto, atturè prætermiſit omnia verba ſequentia, quia in illis continebatur omnimodo puritas Mariæ, vt infrà dicam. Sexto, vbi Thomas, *Sol autem iuſtitiæ infinitus eſt, & ideo veniens in Virginem*, Turrecremata ſolùm, *veniens enim Sol iuſtitiæ in Virginem*. Septimo, prætermiſit totum illud, *Et agens per ſuam lucem, & calorem, ſtatim in eodem inſtanti omnem luctuoſitatem in ea conſumpſit*. Octauo, vbi Thomas, *nam & fomitem peccati corporaliter extinxit, & abſtulit*, Turrecremata abſque vllo timore tacuit illud, *corporaliter*, & illud, *extinxit*, nam auferre, & extinguere fomitem corporaliter, vel corporis, reſpicit indecentiam corporis, ſeu carnis, quæ ineſſe poterant in illo actu. Nono, non dixit *in ſermone*, ſed, in *libro*, ſed hoc parum intereſt. At nota Lector, quàm legalis proceſsit Turrecremata in verbis Hieronymi, quia nihil conducebant ad ſuum intentum. Et hæc de littera auctoritatis.

Quantum ad ſenſum, exiſtimo, quòd auctoritas illa potiùs eſt pro noſtra ſententia, vt denotãt illa verba, *impolluta, & munda*. Item quia illud de Conceptione Filii Dei, finem facit in illo verbo, *remanſit*. Deindè verò abſolutè, & ſimpliciter loquitur de Maria, pro omni tempore, & ſtatu: *Fuit etiam hæc via impolluta in tota conuerſatione*, ſcilicèt vitæ ſuæ, nota illud, *etiam*, & ly, *in tota*, & illud, cauſa fuit, *quia ſemper habuit Solem iuſtitiæ*, quæ non poſſunt explicari de Incarnatione, ſeu præſentia corporali Verbi, ſed de eius gratia, & ſi *ſemper*: ergo & in Conceptione paſsiua. Quid deindè dicemus de illa clauſula: *Et ideò nulla macula luti in ea potuit eſſe*. Si non potuit eſſe: ergo non fuit. Si nulla *macula luti*: ergo nec peccati. Deindè quid dicemus de illa? *Imò ſi fuiſſet, ſtatim in inſtanti conſumpta fuiſſet*, qui ſuperaddidit illam conditionalem, *imò ſi fuiſſet*, ſupponit negare abſolutam. Sed dato quod hæc verba non ſint expreſſa pro noſtra ſententia, infrà Pſalm. 32. part. 2. verſ. 7. fol. 64. inquit Thomas Iorſius: *Extendens cœlum ſicut pellem, intelligitur ipſa Virgo, quæ de homine mortuo, ſcilicet peccatum, nihil habuit niſi pellem, id eſt quamdam exteriorem ſimilitudinem: nihil enim in ea fuit de carnis infectione, vt ſibi competeret illud Pſalm. 103. extendens cœlum ſicut pellem*. Quis ergo videns hanc auctoritatem, non verè dicet, Thomam Anglicum potiùs eſſe pro Virginis incontaminata puritate, quàm contra illam? Item Pariſiis anno 1515. prodit liber in 4. ſub hoc titulo: *Prouerbia Salomonis Roberti Holchoti, ſeu Thomæ Guallenſis, &c.* Et ad finem habet hæc verba: *Finis Prouerbiorum Salomonis, cum facundiſsima explanatione, vt nonnulli ſentiunt, Magiſtri Roberti Holchoti, vt alij Magiſtri Thomæ Vvalois, de Galia Anglica, Ordinis Prædicatorum, &c.* In quo libro capit. 20. lectione 140. expreſsis verbis affirmat Thomas Vvalois, vel Guallenſis, Virginem Mariam fuiſſe ex priuilegio præſeruatam a peccato originali, cuius auctoritatem ſuprà dedimus ad litteram numer. 275. in Roberto Holkoto, videat ibi Lector, nè actum iterum agamus. Deindè ſi Thomas ſcripſit tractatum de Conceptione Virginis Mariæ, vt ferè omnes fatentur ſcriptores, cùm Aduerſarii illum non adducant in medium, ſignum eſt quòd opus illud non erat in fauorem ſuæ opinionis. Pro his ergo quatuor verbis adductis ab Aduerſariis: *Fomitem peccati corporaliter extinxit*, habemus pro nobis quatuor expreſſas auctoritates, in quibus Vvalenſis affirmat, Virginem Mariam fuiſſe prorſus puram, & ſine vllo peccato.

Hucuſque egimus de auctoritate Pſalmi 17. vt adducitur à Turrecremata, alii autem ſcribentes poſt ipſum omnes prætermiſerunt illam vel quia cognouerunt fuiſſe vitiatam, vel veriùs quia iudicarunt eſſe extra rem. Paulus autem Gryſaldus prætermiſſo Pſalm. 17. citauit Pſalm. 21. nullam adducens auctoritatem, ſed Gryſaldus, vt in omnibus aliis ſomniauit, etiam in hoc: nam in præallegato Pſalmo nec verbum habet Thomas Anglicus, directè, vel indirectè pertinens ad hanc materiam Conceptionis. Nota etiam Lector, quòd cùm Thomas de Vvalleis, ſeu Iorſius Anglicus fuerit Cardinalis Sanctę Sabinæ, hoc Aduerſarii non ſumunt in ore, & hoc vt exiſtimo, fuit, quia ex lectura in quatuor Sententiarum libros huius Cardinalis S. Sabinæ, multiplicarunt Richardum Anglicum, de quibus egimus num. 269. & 273. Sed cùm multiplicatio hæc demonſtrari non poſsit, quia nec iſtius, nec illorum Lecturæ ſuper 3. Sententiarum, extant in rerum natura, ſufficit nobis oſtendiſſe, Thomam Iorſium fuiſſe pro nobis. Verum eſt Thomam Anglicum ſcripſiſſe contra Ioannem Duns Scotũ, ſuper 1. Sententiarum, quod opus extat impreſ. Venetiis ann. 1523. apud Octauianum Scotum in folio, & incipit: *Cupientes aliquid de penuria, ac tenuitate, &c.* Deſiderani videre ſuper 3. Sen. quia ibi Thomas Anglicus ſuam expreſsè manifeſtaret opinionem, ſed illum inuenire nõ potui. Cùm ergo Aduerſarii ipſum nõ adducant pro ſua opinione in 3. Senten. ſignum eſt vel quòd non ſcripſit in 3. vel quòd ibi noſtram ſuſtinuit ſententiam.

TITVS Boſtrenſis Epiſcopus, Beatus ſuper Lucam. *Ita Anonymus Auctore 27 Bandel. cap. 14. Deza fol. 21. à tergo, Paulus Gryſaldus.*

VERITAS 302.

NOTVS Hic, atque communis Auctor eſt, qui inter alia ſcripſit Commẽtarium in Euangelium Lucæ, vt videre eſt in Bibliotheca VV. PP. impreſ. Coloniẽſis tom. 4. à fol. 337. & ſeorſim Ingolſtadii cum Victore Antiocheno ann. 1580. in 8. cuius initium eſt: *Quoniam quidem multi, &c* Vixitque ſecundùm Nominclatores ad annum 310. Sed Robertus Bellarminus ad annum 365 fol. 58. ſic inquit: *Obſeruandum eſt autem, Cõmentaria in Matthæum, & Lucam, non poſſe eſſe huius Titi, quoniam Auctor horum Commentariorum paſſim citat Chryſoſtomum, Cyrillum Alexandrinum, & Peluſiotam, qui pueri erant, cùm Titus moreretur.* Sed ſit, vel non, ſufficit, quòd illa Commentaria in Lucam ſub eius nomine circunferantur. Anonymus ſic eum adducit: *Idem tenet Beatus Titus ſuper Lucam, quem ſæpiùs allegat Sanctus Thomas in opus Aureum.* Et nihil ampliùs. Et quantum ad Sanctũ Thomam, verum dicit Anonymus: nam Angelicus Doctor eum ſæpè citat in ſua Aurea Catena, præcipuè ſuper Lucam. Bandellus autem vltra progreditur, & ſic hunc adducit: Idem tenet Beatus Titus, Epiſcopus Botrenus, Doctor Illuſtris ſuper Lucam: *Nullus*, inquit, *homo ſine peccato inuentus eſt, niſi ſolus Chriſtus, qui ſine peccato venit. Hæc ille.* Ex ipſamet auctoritatis ſtructura ſtatim dubitaui de veritate illius, recognoſcens in ea ſtylum Bandelli, nec ſuſpicio mea vana fuit: nam in toto Commentario Titi ſuper Lucam talis auctoritas non extat. Recognoui Catenam auream Sancti Thomæ, ſed minimè talia verba, nec ipſis ſimilia inuenire potui. Quid ergo dicemus ad hæc? Niſi quod Bandellus audacior fuit, quàm Anonymus, nam hic ſolum finxit Auctorem, timens adducere auctoritatem. Sed audaciſsimus Bandellus, abſque timore, vt macularet ſacratiſsimam Mariam, finxit ſuperiùs poſita. Vt nullus ſit qui ſe abſconderet à calore eius Latinus, nec Græcus.

VBERTINVS De Caſali, Ordinis Minorum in libr. Arboris crucifixi: part. 1. *Ita Anonymus Auctore 109. Bandel. cap. 24. Deza fol. 46. à tergo.*

VERITAS 303.

HVIVS Notiſsimi Auctoris, qui in Religione Minorum vixit ad annũ 1300. ſic aduerſarii adducunt auctoritatem: Idem tenet Magiſter Vbertinus de Caſali, Ordinis Minorum, in 1. parte libri, quem appellauit Arborem crucifixi, ſic dicens: *Licèt in authentica non inueniatur hiſtoria, non tamen dubitat Eccleſia, Virginem Mariam poſt animationem in vtero Matris à peccato fuiſſe ſanctificatam, & antẽ fuiſſe ſanctificatam, quàm natam, vt dicit Bernardus.* Hæc dicit Bandellus, ſed eius Continuator in quadam Additione ſic proſequitur: *In hac autem ſanctificatione datum fuit ſibi tãtum gratiæ munus ad vincendum ex omni parte peccatum, vt nullum nec mortale, nec veniale peccatum in perpetuum commiſerit: ſed ſolùm omnium virtutum gratia ex tunc pleniſsimè abundauit, ſanctificata autem fuit per Spiritum Sanctum in Matris vtero, quàm citò decuit, & potuit fieri, & quantum decuit honori Filij. Cùm ipſa Virgo electa Genitrix ei vniatur ſicut membrum principaliſsimum capiti, & ſicut redempta ſuo Redemptori. Vndè oportet firmiter tenere, quòd quidquid honoris decuit fieri Matri, factum eſt ſibi in hac ſanctificatione, in diſpoſitione ad ſecundam ſanctificationem. Ita tamen quòd nihil attribuatur Virgini ſub titulo honoris falſi, quod deroget gratiæ capitis Chriſti Ieſu, & propter quod excludatur à beneficio redemptionis.* Et infrà eodem capite: *Hæc eſt illa benedicta Arca Noè de lignis leuigatis, & imputribilibus fabricata ab illo verò Noè Ieſu, qui ſolus inuentus eſt iuſtus, atque perfectus in generatione humana.* Et infrà loquẽs de matrimonio Virginis, & quod debuit Chriſtus naſci de Virgine. *Tertio*, inquit, *fuit conueniens dignitati humanitatis Chriſti, in quam ſolum peccatum habere non debuit, per quam peccatum mundi tollere venit. Quod fieri non poſſet, ſi non ex incorruptione naſceretur. Propter quod & congruum fuit, quòd ſicut Reſurrectio gloriоſa non fuit in humana carne, donec caro fuit glorificata: ſic etiam de humana carne non fuit fomes peccati, nec cõcupiſcentia eradicata, donec Chriſtus venit in carne, & ideò ſolùm in ſecũda ſanctificatione, per ſuperuentionẽ Spiritus Sancti, creditur Virgo mundata, vt eiuſdem munditiæ, & ſimilitudinis, licèt impari gradu fuerit caro Chriſti, & Virginis, in ipſius Verbi Dei conceptu.* Hucuſque Deza.

Vbertinus autem in præallegato libro Arboris vitæ crucifixi Ieſu, impreſſo Venetiis per Andream de Bonelis anno 1485. libr. 1. cap. 6. cuius etiam lib. 4. fuit Italice traductus per Fr. Laurentium de Toſſano, & impreſ. Venetiis 1564.

1564. in 4. Vbertinus verò ſcripſit librum anno 1305. in menſe Septembris in vigilia S. Michaelis, vt ipſemet dicit in 1. Prologo: *Hæc igitur talis*: & nota quod hic etiam ſcripſit aliũ tract. de Nomine Ieſu, qui incipit: *Cum Nomen Ieſu meliſtuũ*, & extat MS. in Biblioth. S. Ioan. Reg. Toletan. AA. 77. dicit ergo in citato Arbore, titulo, *Ieſus faber virgineus*, cap. 6. fol. 8. ſic: *Sanè Ieſus benedictus, ſicut omnia mira creauit ſapiẽtia, ſic illam benedictam Virginem Matrẽ ſuam talem cõdidit in tempore, qualẽ eam elegit in ſua ſacratiſsima æternitate. Et talẽ tã nobilitate naturæ, quã perfectione gratiæ cõdidit matrẽ, qualẽ decebat habere ſuã infinitiſsimã Maieſtatẽ, quia in ea, & de ea debebat ſumere, quod in æternum ſibi eſſet vnitũ vnitate perſonæ, & de quo exiret preciũ totius liberationis, & iuſtificationis, & beatificationis humanæ, propter quod iſte benedictus Ieſus hanc ſublimiſsimã Virginẽ tanta perfectione produxit, vt iſtius ſacratiſsimæ Virginis perfectio ſoli Deo cognoſcenda ſeruetur: vt de illa verificetur illud Eccleſiaſtici 1. Ipſe creauit illam in Spiritu Sancto & vidit, & dinumerauit, & menſus eſt. Hanc autẽ Beatiſsimã Virginem, licèt in authentica nõ reperiatur ſcriptura, ſub narratione hiſtoriæ, non tamen dubitat ſancta Mater Eccleſia eam ſanctificatã in vtero Matris, & antè fuiſſe ſanctificatam, quàm natam. In hac autem ſanctificatione datum fuit ſibi tãtum gratiæ munus ad vincendum ex omni parte peccatũ, vt nullum, nec veniale, nec mortale peccatũ in perpetuum cõmiſerit, ſed ſolùm omnium virtutũ gratiæ ex tunc pleniſsimè abundauit. Sanctificata autem fuit per Spiritum Sanctum in Matris vtero, quam citò decuit, & potuit fieri, & quantum decuit honori filij: cùm ipſa Virgo electa Genitrix ei vniatur ſicut mẽbrum principaliſsimum capiti, & ſicut redempta ſuo Redemptori. Vndè oportet firmiter tenere, quòd quidquid honoris decuit fieri Matri, factum eſt ſibi in hac ſanctiſicatione, in diſpoſitione ad ſecũdam ſanctificationem. Ita tamen quòd nihil attribuebatur, ſic extat hoc verbum in originale impreſſo, Virgini ſub titulo honoris falſi, quod deroget gratiæ capitis Filij ſui Ieſu, & per quod excludatur à beneficio redemptionis. Totus autem impetus iſtius ſanctificationis primariè impellebat mentem huius ſacratiſsimæ Virginis, ad deſiderĩu Incarnationis Filij Dei, & ſalutis omniũ electorum.* Et infrà ſic inquit: *Hæc eſt illa benedicta Arca Noè de lignis lenigatis, & imputribilibus fabricata ab illo vero Noè Ieſu, qui ſolus inuẽtus eſt iuſtus, atque perfectus in generatione humana.* Et infrà loquens de matrimonio Virginis Mariæ: *Quia ergo caro fuit ſic à Verbo Dei aſſũpta, vt eſſet caro Verbi Dei, cõueniens fuit, vt ipſa ſine corruptione mẽtis cõciperetur. Tertiò fuit conueniens dignitati humanitatis Chriſti, in quam locũ peccatũ habere non debuit, per quam peccatũ mundi tollere venit, quod fieri non poſſet, ſi non ex incorruptione naſceretur; propter quod etiã cõgruum fuit, quòd ſicut Reſurrectio glorioſa non fuit in humana carne, donec caro fuit glorificata, ſic etiã de humana carne non fuit fomes peccati concupiſcentia eradicata, donec Chriſtus venit in carne; & ideò ſolùm in ſecunda ſanctificatione per ſuperuentionem Spiritus Sancti, creditur Virgo mundata, vt eiuſdem munditiæ, & ſimilitudinis, licèt impari gradu fuit caro Chriſti, & Virginis in ipſius Verbi Dei conceptu.* Hæc ſunt Vbertini verba.

Quoad litteram ergo ſunt ſequẽtia vitia. Primo, prætermiſerunt illa verba: *Talem condidit in tẽpore, qualem eam elegit in ſua ſanctiſsima æternitate.* Sicut & illa: *Propter quod iſte benedictus Ieſus hanc ſublimiſsimam Virginem tanta perfectione produxit, vt iſtius ſacratiſsimæ Virginis perfectio ſoli Deo cognoſcenda ſeruetur.* Et alia huiuſmodi quæ extant in prima clauſula, quia, vt ex ipſis conſtat, cedebãt in laudem Virgineæ formationis, & productionis. Secundo, prætermiſerunt illud: *Hãc autem Beatiſsimam Virginem*, à quibus incipit oratio. Tertio, vbi Vbertinus, *in authentica non reperiatur ſcriptura*; Aduerſarii ſic, non inueniatur *hiſtoria*. Reſpicit enim Vbertinus in ſuis verbis ad Scripturam ſacram, in qua nihil reperitur de ſanctificatione Virginis, vt etiam fatentur omnes Scriptores ſcholaſtici, cum D. Thoma, vt diximus num. 1. Aduerſarii vero cauillosè ſatis voluerunt hoc etiam protendere ad hiſtoriam, vt ſic labefactarent Hiſtorias omnium antiquorum Patrum. Sed admittamus illam fictionẽ: ſi nulla exiſtente Scriptura, neque Hiſtoria recepit Eccleſia, & vos cũ illa ſanctificationẽ in vtero: quomodo vos ſemel, & iterum, & ſemper clamatis pro præſeruatione in vtero, dicẽtes: oſtẽdant priuilegium, & credemus ipſis? Vbi eſt ergo priuilegiũ ſanctificationis? Si in nulla Scriptura, neque Hiſtoria ipſius inuenitur ſaltem notitia: ergo Eccleſia ſine Scriptura, & Hiſtoria recepit ſanctificationem. Quarto, propter eandem cauſam tacuerũt illud: *Sub narratione Hiſtoriæ.* inquit enim Vbertinus: In ſacra Scriptura nihil reperitur de ſanctificatione Virginis in vtero ſub narratione hiſtoriæ, licèt allegoricè, ac myſticè quamplura poſsint deduci teſtimonia, nullum tamen extat litterale, ſeu ſub narratione hiſtoriæ; in quo verum dicit. Quinto, prætermiſerunt illud, *ſancta Mater.* Sexto, ſine vllo timore addiderunt illud, *poſt animationem*, videntes enim, quòd tota Vbertini auctoritas nihil dicebat, niſi addita illa clauſula, illã ſuperſeminarunt. Septimo, eadẽ intẽtione introduxerũt illud, *à peccato*, vt ſic eſſet illa ſanctificatio, *poſt animationem*, et *à peccato*. O Domine Deus! ad te clamo; vſque quo? vſque quo? Octauo, addiderunt illud: *vt dicit Bernar-*

dus, vt ſic vtrumque includerent in ſua ſententia Vbertinum, & Bernardum. Nonò, vbi Vbertinus, *in quam locum peccatum habere non debuit*; ipſi malitioſiſsimè: In quam *ſolùm*, mutantes ly *locum*, in ly *ſolùm*, vt ſic introducerent in ſolo Chriſto non fuiſſe peccatum, O Domine! tu ſolus patiens es in omni loco, &c. Iſtæ ſunt capitales adulterationes ad litteram, excogitatæ contra veritatem.

Quoad ſenſum verò videntur maiores, nam ibi ſolùm proponit Vbertinus expreſsis verbis & aſſertiuis, quòd ſacratiſsima Virgo Maria fuit in vtero matris ſuæ ſanctificata, quantum autem ad ſanctificationis modum, & tempus, tria dicit modeſtiſsimis, & ſuccinctis verbis. Primum, quòd fuit ſanctificata, *quàm citò decuit, & potuit fieri, & quantum decuit honori Filij*, ſed decuit, & potuit fieri in primo inſtanti, in ipſa ſcilicèt animatione, & non poſt animationem, vt ipſi aſtutè addiderunt: nullus enim hucuſque negauit potentiam, imò rariſsimus (& ille eſt ex veſtris) negat decentiam. Ergo Vbertinus ex hac parte pro nobis eſt. Secundò, dicit quòd, *quidquid honoris decuit fieri matri, factũ eſt ſibi in hac ſanctificatione.* Eſſet nè honor, quòd illam Deus ſanctificaret poſt animationem, & peccatum? Ergo maior decẽtia, & honor fuit quòd hoc fieret in ipſamet animatione ante peccatum? Eſſet nè honor, & decentia filii, quòd ſolùm tribueret Matri Mariæ, quod dedit ſeruo ſuo Ioanni, & hoc mediante ipſamet Maria? Tertio, dicit Vbertinus, quòd dũmodo: *Nihil attribuatur Virgini ſub titulo honoris falſi, quod deroget gratiæ capitis Filij ſui Ieſu, & per quod excludatur à beneficio redemptionis*, omnia alia adſcribi poſſunt, ſeu data ſunt Virgini in illa ſanctificatione, ſecũdùm Vbertinum; ſed quòd in primo inſtanti in ipſa animatione fuerit ſanctificata, & preſeruata à peccato, non derogat gratiæ capitis Filii ſui, ſed potiùs exaltat eam, quia oſtendit ſe non ſolùm ſubleuatorem, ſed etiam præſeruatorem, quod in alia non demonſtrauit creatura; nec per hoc excluditur Virgo à beneficio redemptionis, ſed potiùs demonſtratur redempta excellentiori redemptione? Ergo in his omnibus Vbertinus noſtræ fauet ſententiæ? Neque obſtant illa quæ adducit Continuator Bandelli: *Ab illo verò Ieſu, qui ſolus inuentus eſt iuſtus, atque perfectus, in generatione humana*, hæc verba in primis loquuntur de generatione, in qua millies fatemur, quòd in illa ſolus Chriſtus inuentus eſt iuſtus, id eſt, iuſtè, ac ſanctè genitus; ſed verba Vbertini ad aliud tendunt, quia ſunt reſpectiua, per ordinem ad illa: *Noe vir iuſtus, atq; perfectus fuit in generationibus ſuis*, Geneſ. 6. verſ. 9. Sicut enim Noè fecit Arcam ex lignis leuigatis, & imputribilibus, qui fuit iuſtus, atque perfectus in generationibus ſuis, ita Chriſtus fabricauit Arcam ſuam ex lignis imputribilibus, cùm eſſet ſolus iuſtus, atque perfectus in generatione humana. Ex his quomodo deducitur: ergo Maria contraxit originale? quando potius deducenda eſſet contraria, ex cauſa efficiẽte, materiali, & finali. Nec obſtat illud: *Sic etiã de humana carne non fuit fomes peccati concupiſcentiæ eradicata, donec Chriſtus veniret in carne*, quia loquitur de concupiſcentia generationis, & fomite carnis, in conceptione prima prolis, nam abſque his ſola Virgo concepit Verbum, & cum his ſecundùm Vbertinum fuit Maria concepta à parentibus ſuis, ſeu hoc non obſtat Immaculatæ Conceptioni. Denique notet Lector illa vltima verba Vbertini: *Et ideò ſolùm in ſecunda ſanctificatione, per ſuperuentionem Spiritus Sancti, creditur Virgo mundata.* Prima ſanctificatio fuit illa, in qua Maria fuit concepta. Secunda ſanctificatio, in qua ipſa Maria concepit Verbum. Si in ſola ſecunda ſanctificatione fuit mũdata: ergo non in prima? In ſecunda fuit mundata a fomite peccati concupiſcentiæ, vt in illo inſtanti generationis Verbi non eſſet: ergo illa mundatio fuit præſeruatio à fomite peccati concupiſcentię: ergo mundare non ſemper ſupponit immunditiam. Hoc inſinuaui ex verbis Vbertini, alii alia enucleare poſſunt.

Hucuſque locuti ſumus de Vbertino iuxta auctoritates adductas ab Aduerſariis, reſtat vt ſecundùm rei veritatem ex aliis eiuſdem libri locis indagemus ſententiam, & mentem; pro qua aſſequenda ſuppono ſequẽtia. Primo, quòd de ſanctificatione Virginis Mariæ in vtero Matris ſuæ loquitur non ſolùm in prædallegato cap. 6. ſed etiam in 8. & 9. atque in lib. 4. cap. 38. ſed ſemper affirmat, Virginem fuiſſe ſanctificatã in vtero, nunquam autem exprimit, an hæc ſanctificatio fuerit in primo, vel ſecundo inſtanti; vel an fuerit concepta ſine, vel cum peccato originali, preſeruata, immunis, vel maculata, &c, ſicque expreſsè, & formaliter neque eſt pro vna, nec altera ſententia. Secundo ſuppono, quòd cap. 8. ſic loquitur de Conceptione Chriſti: *Attende autem quòd hæc Beatiſsima Virgo huic conceptioni materiam puriſsimam miniſtrauit Spiritu Sancto ſuper eam veniente, & in ea eradicante totaliter fomitem, & eam ſupernaturaliter fecundante; ita quòd actione Spiritus Sancti illa materia, de qua formatum eſt Corpus Ieſu, digeſta, & ad vterum Virginis abſque aliqua ſui corruptione, & libidine adducta fuit, & formata, & organizata: itaque totum illud, quod actiuè facit ſemen viri in formatione humani corporis, totum ſuppleuit, & fecit in Virgine virtus Spiritus Sancti cum inæſtimabili mũditia, & puritate, ſicut ipſe Deus eſt mũdus, propter quod Chriſtus dicitur conceptus de Spiritu Sancto, &* c. Sicque, Chriſtus dicitur conceptus

de

de Spiritu Sancto, quia disposuit sua virtute Matrem Virginem cum omni puritate, & coaptauit materiam vsque ad vltimam corporis organizationem, nam indè secuta, scilicèt, vnio hypostatica corporis, & animæ diuinitati fuit opus Verbi Diuini: post pauca verò Vbertinus prosequitur sic: *Habuit autem hæc conceptio tria nobilissima priuilegia, scilicèt, quòd esset sine peccato originali, quod esset non puri hominis sed Dei, & hominis; & quòd esset Conceptio Matris, & Virginis. Ista tria à natura non habuit, sed ab Spiritu Sancto, & ideò dicit Damascenus, quantum ad primum quod Spiritus Sanctus superueniens Virgini purgans ipsam, id est, præseruans, ne cum peccato originali conciperet, fomitem totaliter extirpando, &c. Attende autem, quod caro Christi semper dicitur à peccato fuisse immunis.* Ex quibus notare debes, quod in illa superuentione Spiritus Sancti fuit purgata, seu præseruata Virgo Maria, ne cum peccato originali conciperet Christum. Vndè factum est; quod caro Christi semper fuerit à peccato immunis. Tertio, suppono quòd paulo infrà loquens de excellentiis Virginis, inquit: *Et puto, quòd omnis ignorantia non solùm culpabilis, quia de illa non est dubium, nunquam enim habuit: sed etiã omnis ignorantia quomodolibet dicens defectum ex peccato originali tantum, fuit sibi ex tunc ablata, &c.* Deindè probat, *quod caro Virginis, & prolis est eadem caro, & similis puritatis; vndè videtur, quòd nullum defectũ, quem non assumpserit benedictus Iesus in carnis assumptione, dimiserit in sua sanctissima Matre.* Deindè probat, quòd omnis plenitudo gratiæ, quæ fuit in Christo, venit in Maria, quamquam aliter, & tandem concludit: *Nec per hoc mens infirma aliquid arguat contra prædicta; quia omnes suprà positæ perfectiones, & aliæ incomparabiliter maiores inducuntur in dignitate materna, nec per hoc adæquatur Christo, &c.* Istas auctoritates non viderunt Aduersarii, quia absque dubio illas adducerent, sed secundùm veritatem: Ex his suppositis deducitur sequens cõclusio, scilicèt, quòd hæc propositio absolutè, & simpliter prolata: Maria fuit cõcepta in peccato originali, secundùm antiquos Doctores non erat, nec est protestiua opinionis cõtrariæ, quia secundùm ipsos æquiualebat huic: Maria in sua carnali generatione fuit cõcepta ab Anna cum corruptione, libidine, concupiscentia, & delectatione, &c. sicut è contra ista: Christus fuit conceptus sine peccato originali, æquipollebat huic: Maria genuit Christum sine corruptione, & libidine cum summa munditia, ac puritate. Vndè sola ista Conceptio, inquit Vbertinus, habuit priuilegium, *quòd esset sine peccato originali*, id est, in concipiente Matre. *Quia Spiritus Sanctus superueniens Virgini, purgans ipsam, id est, præseruans, ne cum peccato originali conciperet*, id est, Maria administrando materiam. Nota hunc loquendi modum; Maria *non* concepit cum peccato originali, cuius oppositum est Maria concepit cum peccato originali, nota nunc sequentia, vndè *caro Christi semper dicitur*, & fuit *à peccato immunis*, in matre, decidente, & in prole, iam decisa: sed caro Mariæ nõ sẽper fuit à peccato immunis, quia licèt fuerit immunis in prole, nõ tamẽ in matre: sed in hoc loquendi modo, & acceptione peccati originalis propositiones istę: Maria fuit cõcepta in peccato originali, transeat; caro Marię (vel adhuc dicendo absque addito, sed absolutè, & simpliciter) Maria non fuit immunis à peccato originali, transeat; quia omnia ista, vt sæpè diximus, atque demonstrauimus, sicut hìc in aliis antiquis Doctoribus, loquuntur de peccato originali, originaliter, actiuo, causali, materiali, initiatiuo, & parentum, quod solùm probat debitum proximum. Sed Aduersarii omnia ista reducunt ad peccatum originale formaliter in animatione, macula, & culpa contracta à prole, & sic se, & alios confundunt.

VGO Ecclesię Doctor, in libro de Sacramentis. *Ita Gabriel Barelete in Serm. Conception. fol. 225. col. 2. ad finem.*

VERITAS 304.

INTER Doctores Sæculares doctissimos, & scientia famosissimos, tanquam primum, ac præcipuum, adducit Gabriel Barelete fol. 126. col. 1. Vgonem de S. Victore in lib. de Sacramentis lib. 2. part. 2. cap. 6. & antea inter Ecclesiæ Doctores, post Anselmum, Bedam, & Cassiodorum adduxerat Vgonem in libr. de Sacramentis, sic nudè, & absque alio addito nominis, loci, vel auctoritatis. Quis autem fuerit hic Vgo Ecclesiæ Pater, qui scripsit librum de Sacramentis, distinctus ab Hugone de S. Victore, de quo egimus suprà nu. 128. nec inuenire potui, nec existimo quòd fuerit in rerum natura. Imò & assertiuè affirmo, quòd est multiplicatus, vel penitus fictus. Et hoc ipsimet Aduersarii tacitè videntur confiteri: nam cum Barelete scripserit ante Anonymum, Bandellum, & alios, nullus ipsorum adducit, nisi solùm Hugonem de S. Victore. Ex quo euidenter colligitur, quòd hic alter Vgo fuit fictus, vel multiplicatus, & si adhuc contenderint esse distinctum, illum ostendant: nam parati sumus ad correctionem: & spectabimus ad Kalendas Græcas.

VGO-

VGOLINVS DeVrbe-Veteri, Ordinis S. Augustini in 2. Sen. dist. 30. quæst. 3. *Anonym. Auctore* 137. *Bandel. cap.* 25. *Deza fol.* 49. *Vincent. & Gryfald.*

VERITAS 305.

DE Hoc Auctore aliqui Nomenclatores honorificam faciunt mentionem, vt Polleuinus fol. 773. Thom. Gratianus in Analiati fol. 98. cuius opus super sententias stare affirmant in Bibliotheca S. Marci ciuitatis Mediolanensis. Et sic supponimus Auctorem, & opus. Sed cum Aduersarii nullam adducant auctoritatem, sed nudam, ac solam citationem, sic dicentes: *Idem tenet Magister Vgolinus de Vrbe-Veteri, in 2. Sent. dist. 30. quæst. 3.* Et nihil amplius: existimo Aduersarios, vel non vidisse Auctorem, vel si viderunt eius verba parum, vel nihil dicere pro ipsorum opinione, vel forte (quod verius iudico) Auctor iste contra ipsos est: nam, vt semper demõ strauimus in toto hoc opere; quotiescumque Aduersarii, adducto Auctore, tecent auctoritatem, aliquod latet occultum mysterium. Sed gratis admitto, quod Vgolinus suam secutus fuerit opinionem, cùm opera ipsius non fuerint typis mandata, nec Auctor fuerit approbatæ auctoritatis, vel nominis: nullus enim antiquus Scriptor Ecclesiasticus, vel Theologus de ipso mentionem facit, ideò vt spica vana, & omnibus modis sicca arista, vel palea, ab Area erit reiiciendus.

VINCENTIVS Banchellus Pratensis, Ordinis Prædicatorum, in Quodlibeto de peccato originali. *Ita Paul. Gryfald. Alphab.* 5.

VERITAS. 306.

POSTQVAM Paulus Gryfaldus in Alphabeto Ordinis Prædicatorum, adduxerat Vincentium Bandellum, de quo infrà num. sequenti, in eodem Alphabeto, Auctore vltimo habet hæc verba: *Vincentius Banchellus Pratensis, in Quodlibeto de peccato originali, qui de Fide probat esse dicendum, & huius doctissimi, atque absolutissimi Præceptoris sententiæ subscribo.* Hic Auctor fictus videtur, nam in nullo Nomenclatore antiquo, vel moderno talis Vincentius Banchel reperitur. Ex Ordine enim Prædicatorum fuit quidam Seraphinus Banquellus, vel Bandellus, sed non fuit Pratensis, sed Florentinus, neque scripsit de peccato originali Quodlibetum, nec de alia materia, sed Theoremata varia super Philosophiam Aristotelis, de quo Antonius Senensis fol. 221. & Ioan. Michael Pius in Appẽdice col. 414. cùm ergo talis Auctor non fuerit in rerum natura, si non est fictus, est multiplicatus, & ex vno Vincentio Bandello fecit bonus vir Gryfaldus, vel inconsideratè, vel propter aliam causam mutata littera D. in ch, & addito illud, Pratensis, & cooperto libro Bandelli de veritate Cõceptionis, vbi probat, suam opinionem esse de Fide, cum titulo illo de Quodlibeto peccati originalis iterum eundem Auctorem adduxit ad Palestram. Et sic hic Auctor absque dubio multiplicatus est. Sed ventilemus illa Gryfaldi verba: *Et huius doctissimi, atque absolutissimi Præceptoris sententiæ subscribo.* Si præallegatus Vincentius Banchellus fuit Vincentius Bandellus, vt in rei veritate fuit, Bãdellus in rei veritate non fuit doctissimus, sed solùm absolutissimus, in quo, vel quibus vide numero sequenti. Si autem Banchellus non fuit Bandellus, sed alius distinctus, quomodo potuit esse doctissimus, atque absolutissimus, Auctor cuius opera, nec nomen inuenitur in rerum natura? O subscriptio phantastica, & chimerica! vide hominis genium: Gryfaldus scripsit post Sixtũ IV. & Concilium Tridentinum, scilicèt circa annum 1580. Et post tot Constitutiones Apostolicas, Bullas, ac Decreta, atque damnationẽ librorum Bandelli, asserentis opinionem suam de sanctificatione Virginis post maculam, & contractionem peccati originalis esse de Fide, & contrariam hæreticam; bonus vir Gryfaldus subscripsit huic sentẽtiæ, sed nota, cuius sit subscriptio hæc, vel quis iste inuoluens sententias, &c. non S. Iob, sed F. Gryfaldus, qui in omnibus scriptis suis semper, & vbique errauit.

VINCENTIVS Bandellus, Ordinis Prædicatorum, in tractat. de Conceptione, Serenissimo, Magno Duci Ferrarensi. *Ita Paulus Gryfald. Alphab.* 5. *Caietanus cap.* 5. *& Spina.*

VERITAS 307.

VINCENTIVS Bandellus de Castronouo, Generalis Magister totius Ordinis Prædicatorum in ordine 36. non vnum tantum, sed quatuor diuersos scripsit tractatus, seu libros contra Immaculatam Virginis Mariæ Conceptionem, quos sigillatim ventilare decreuimus, licèt breuiter, quia hic fuit omnium quæ diximus in hoc libro, atque detegimus, causa, & origo. Primus ergo fuit Anonymus ille, qui supresso nomine prodiit Mediolani anno 1475. in 4. & incipit: *Veritatem meditabitur cor meum*, de

quo

quo egimus ſuprà in Trituratione numer. xix. & citamus in toto hoc Ventilabro ſub titulo Anonymi. Quod autem opus illud fuerit Bandelli, eſt per ſe notū: tum, quia omnes Nomenclatores ſuæ Religionis hoc affirmant: Leander enim Albertus contemporaneus ipſius, inquit lib. 1. fol. 47. *Scripſit, præcipuè duo volumina de Conceptione B. Virginis, &c.* tum, quia ipſemet in ſecundo opere de Coceptione, cap. 9. fol. 16. loquens de quadam auctoritate S. Auguſtini hoc profitetur dicens: *Expoſitionem autem prædictæ auctoritatis diffusè poſui in alio libello, quem Comiti Petro de Gambara intitulaui, in ratione vndecima, tertiæ viæ, &c.* atque liber ille Anonymus eſt dicatus Comiti Petro de Gambara, & eſt diuiſus per partes, Vias, atque Rationes, & in illa 11. viæ 3. agit de propoſita auctoritate Auguſtini; igitur liber ille Anonymus abſque dubio eſt Bandelli, vel illum ſibi vſurpauit, cùm eſſet alterius, & vtinam eſſet alterius, & non cuiuſdā Generalis Ordinis Prædicatorum. Et quando non tot ſtarent euidentia argumenta, ſtylus, fictiones, & adulterationes in tali libro contentæ indicant, nullum potuiſſe illius libri eſſe auctorem, niſi Bandellum, vel alium ipſi ſimilem, ſed quisquis ille fuerit, occultauit nomen, vt ſecuriùs poſſet ſuperſeminare zizania, quæ ferè per duo ſæcula creuerunt ſimul cum tritico, vſque rd præſens meſsis tempus.

In hoc ergo primo ſuo opere, finita prima parte (cuius aliqua verba dedimus in Trituratione) ſic proſequitur: *Secunda pars continet hanc concluſionem: Impium eſt dicere, B. Virginem non fuiſſe in originali peccato conceptam, quæ probatur tribus vijs. Prima, per comparationem ad Patrem. Secunda, per comparationem ad Filium. Tertia, ad Spiritum Sanctum.* Nota hanc diabolicam (nec enim aliud meretur nomen) comparationem: cum ſacratiſsimo, ac ineffabili Sanctiſsimæ Trinitatis Myſterio, quid habet originalis macula peccati? Cum Patre, Filio, & Spiritu Sancto: quomodo componitur illud, impium eſt dicere Beatam Virginem non fuiſſe in originali peccato conceptam? O impia via! quæ per peccatum tendere auſa eſt ad Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Sed taceamus propter Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Deindè proſequitur affirmans, quod dicere, Beatam Virginem Mariam fuiſſe ſine peccato originali, *eſt contradicere ſacræ Scripturæ, & eſt reſiſtere fundatiſsimæ Fidei, & chriſtianæ Fidei fundamenta ſubuertere*, atque concludit: *Qui Beatam Virginem ſine omni peccato dicit, horrenda peruerſitate Chriſtianæ religioni infeſtus erit.* Et totum hoc dicit ſe probare pulcherrimis rationibus. Finitis vero Prooemio, & partitionibus ſui libelli, ſic proſequitur: *Incipit libellus recollectorius auctoritatum de veritate Conceptionis B. Virginis glorioſæ, &c.* Et in prima parte plura dicit, quæ breuitatis cauſa omittuntur, in 2. verò parte inquit: *B. Virginem in originali peccato fuiſſe conceptā ducenti quinquaginta Doctores tenent famoſiſsimi.* Et hoc de ducentis quinquaginta Doctoribus ſemel, & iterum repetit: poſtea verò ſolùm adducit ducentos, ſuperaddens quinquaginta, quod ſic demonſtratur per ſuas claſſes.

Sic ergo adducuntur. *Pontifices.* 1. B. Innocētius. 2. B. Zozimus. 3. B. Leo. 4. B. Gregorius. 5. B. Innocentius Tertius. 6. B. Innocentius Quintus. 7. Innocentius alius. 8. B. Clemens. 9. B. Bonifacius. 10. Eugenius. *Sancti.* 11. B. Hyræneus. 12. B. Retitius. 13. B. Cyprianus. 14. B. Olympius. 15. B. Illarius. 16. B. Ambroſius. 17. B. Gregorius Nazianzenus. 18. B. Innocentius. 19. B. Cryſoſtomus. 20. B. Baſilius. 21. B. Hieronymus. 22. B. Auguſtinus. 23. B. Iſidorus. 24. B. Græcus. 25. B. Gregorius Nyſſenus. 26. B. Caſianus. 27. B. Titus. 28. B. Fulgentius. 29. B. Damaſcenus. 30. B. Euſebius. 31. B. Maximus. 32. B. Caſiodorus. 33. B. Theophilus. 34. B. Cyrillus. 35. B. Remigius. 36. B. Seuerus. 37. B. Beda. 38. B. Boetius. 39. B. Berardus. 40. B. Ildephōſus. 41. B. Anſelmus. 42. Origenes. 43. B. Bernardus. 44. B. Thomas. 45. B. Vincentius. 46. B. Catherina. *Doctores ſacri Ordinis Prædicatorum.* 47. Albertus Magnus. 48. Vgo Cardinalis. 49. Petrus de Tarantaſia. 50. Hugo Gallicus. 51. Durandus. 52. Petrus de Palude. 53. Iacobus de Voragine. 54. Iacobus de Lauſana. 55. Guillielmus Epiſcopus. 56. Martinus Polonus. 57. Hervæus. 58. Vlricus. 59. Ioannes Lictimber. 60. Ioannes de Neapoli. 61. Thomaſinus. 62. Ioannes Pariſienſis. 63. Bernardus de Clara-Monte. 64. Guillielmus de Alcono. 65. Ioannes Sterligatii. 66. Hugo de Argentina. 67. Nicolaus Traueth. 68. Robertus OlKot. 69. Thomas Anglicus. 70. Petrus de Polonia. 71. Nicolaus Gorran. 72. Vincentius Hiſtorialis. 73. Thomas de Suetonia. 74. Iacobus de Beneuēto. 75. Ioannes de Verdiaco. 76. Ioannes de Biblia. 77. Iacobus de Pruſio. 78. Iacobus de Loſona. 79. Petrus Galdini. 80. Oldornandinus de Tuſcanella. 81. Angelus de Bononia. 82. Iacobus Balbus. 83. Raymundus Compilator. 84. Albertus de Brixia. 85. Ioannes Theutonicus. 86. Bartholomæus de Piſis. 87. Raynerus de Piſis. 88. Ioannes de S. Geminiano. 89. Ioannes Dominicus de Raguſio. 90. D. Antoninus. 91. Ioan. de Turrecremata. 92. Iacob. de Cathalonia. 93. Ioan. de Mōtenigro. 94. Raphael de Parnaſio. 95. Petrus Ieremias. 96. Leonardus de Vtino. 97. Dominicus de Cathalonia, *Ordinis Minorum.* 98. Alexander de Ales. 99. Bonauentura. 100. Reginaldus. 101. Ricardus de Media-Villa. 102. Guillielmus OKam. 103. Aluarus Hiſpanus. 104. Nicolaus

de

de Lyra. 105. Bertrandus de Turre. 106. Ioannes Richardi. 107. Thomas de Ales. 108. Nicolaus de Hanquiuilla. 109. Vbertinus de Casali. 110. Fraciscus de Ast. 111. Bindus. 112. Ægidius Zamorensis. 113. Ioannes de Rupella. 114. Robertus Concio. 115. Lucas Paduanus. 116. Iacobus Pictauiensis. 117. Bertholomæus de Pisis. 118. Geraldus de Odonis. 119. Iacobus de Cata. 120. Conradus Saxo. 121. Ioannes Gallicus 122. Ioannes Scotus. 123. Iacoponus, *Ordinis Eremitarum.* 124. Ægidius de Roma. 125. Angustinus de Ancona. 126. Gerardus de Senis. 127. Facinus de Ast. 128. Iacobus de Viterbio. 129. Gregorius de Arimino. 130. Bernardus Clueri. 131. Ioannes Theutonicus. 132. Iordanis Theutonicus. 133. Ioannes Sterigarii. 134. Henricus de Vrimario. 135. Ioannes Diachot. 136. Vgolinus de Vrbeveteri. 137 Henricus de Vri. 138. Albertus de Padua. 139. Ioannes Gallicus, *Ordinis Carmelitarum.* 140. Guido Maioricen. 141. Paulus de Parusio, *Ordinis Carthusiensium.* 142. Ordo Carthusiensium. 143. Raudolphus. 144. Ioannes Calcar. 145. Ioannes Mocachus. 146. Socrus. *Ordinis Cisterciensis.* 147. Odo Abbas. 148. Hannibaldus 149. Ioannes Anglicus. 150. Doctor, cuius nomen non inuenitur, *Doctores sæculares.* 151. Hugo de Sancto Victore. 152. Richardus de S. Victore. 153. Petrus Lombardus. 154. Petrus Comestor. 155. Guillielmus Altiliodoren. 156. Henricus de Gandauo. 157. Guillielmus Cancellarius. 158. Præpositus. 159. Guillielmus Durandi. 160. Ioannes de Poliaco. 161. Guillielmus Episcopus Antiliodoren. 162. Armachanus. 163. Garricus. 164. Ioannes Valeti. 165. Alanus. 166. Ioannes Cliukot. 167. Porchetus de Saluaticis. 168. Ioannes de Albavilla 169. Adam Anglicus. 170. Ioannes de Villa-Abbatis. 171. Stephanus Parisiensis. 172. Michael de Furno. 173. Richardus Radulphi. 174 Guido Portogalen. 175. Petrus de Parma. *Doctores Canonista.* 176. Gratianus. 177. Ioannes Theutonicus. 178. Hugutio. 179. Bertholomæus Brixiensis. 180. Hugo Glossator. 181. Bernardus Glossator. 182. Petrus Mediolanen. 183. Guido Archidiaconus. 184. Ioannes Cõpilator. 185. Ioann. Gallicus. 186. Guillielmus Speculator. 187. Ioann. Andræas. 188. Hostiẽsis. 189. Ioann. Caldinus. 190. Petrus de Bruco. 191. Guillielmus Meten. 192. Cõpilator Speculi. 193. Vviliermus. 194. Gilbertus Porrectanus. 195. Petrus Capuanus. 196. Petrus Rauenas. 197. Collectarius. 198. Gilbertus. 199. Dominicus de Dominicis. 200. Laurentius Calcanus. Isti sunt omnes Auctores adducti in illo libro, & nullum alium inuenies, licèt ipsum premas in torculari. Cùm ergo hic solùm sint 200. qua veritate proposuit, & dixit esse 250. includẽs in solo vno verbo, vel numero, quinquaginta mendacia? Addendo quinquaginta testes, vt sacratissimam macularet Matrem, aereos, fantasticos, & fictos?

Postquam autem in ratione 13. adduxit 43. auctoritates Sanctorum, infrà ratione 2. suæ 3. Partis proponit hoc argumentum: *Secundo, arguunt sic: Quod concessum est Euæ, non fuit decens denegare Matri Christi, sed Euæ fuit collata gratia, vt in suo ortu esset innocens: ergo & Virgini debuit conferri.* Et ad hoc argumentum statim respõdit sic: *Ad istud respondetur 1. &c. Si autem B. Virgo fuisset immediatè creata à Deo, non habuisset peccatum originale, sicut nec Eua: & ideò quòd Eua non habuerit peccatum originale, non fuit per gratiam, vel per priuilegium, sed per naturam; sicut nec plantæ, nec bestiæ fuerunt creatæ cum peccato originali, vndè comparare Virginem Euæ, quantum ad peccatum originale, est, sicut si compararem Sanctum Franciscum ad vnum asinum: certum est enim quòd asinus non habet peccatum originale, non tamẽ sequitur quòd sit purior, vel dignior B. Francisco, &c.* Vide ergo, nota, ac perpende hanc Bandelli comparationem, vt non dicam blasphemiam! sed specta, nam alia maiora videbis. Infrà ratione 6. proponit hoc argumentum: *Si B. Virgo fuisset in originali peccato concepta, sequeretur, quòd Christus fuisset filius adulteræ, fornicationis, & corruptæ: hæc autem sunt nephanda: ergo, &c.* Argumentum hoc fuit fictum à Bandello, quia nullus ex nostris Scriptoribus vtitur illo, nec ipsum inuenies in aliquo antiquo: intentionem autem Bandelli deprehendes ex responsione, quæ talis est: *Ad hoc dicitur primo, quòd si hæc ratio concluderet, sequeretur quòd B. Franciscus, & omnes Fratres Minores essent filij adulteræ, & fornicationis, & sic omnes essent spurij, quod tamen ipsi non libenter concederent, &c.* Notas, ò Lector! hæc iniqua verba, nota; sed expecta; nam infrà ratione 10. dicit: Decimo arguitur: *Si B. Virgo non fuisset præseruata à peccato originali, non peruenisset ad illam summam innocentiam, ad quam peruenit, quia innocentior est ille, qui nunquam fuit peccato obnoxius, quàm ille qui postquam fuit obnoxius, reconciliatus est.* Cui sic respondet: *Ad hoc dicitur, quòd consequentia nulla est. 1. quia clarum est quod pueri, qui post Baptismum ante vsum rationis moriuntur, sunt magis innocentes, quam B. Franciscus, qui peccauit mortaliter, & tamen non concederent, quòd illi pueri essent suprà Sanctum Franciscum.* Bandelle, quis tibi reuelauit, quòd Seraphicus Franciscus peccauit mortaliter? Non sistit hic ille bonus vir, nam infra ratione 12. proponens hoc argumentum: *Si B. Virgo fuisset in originali peccato concepta, melius fuisset ei non esse, vel damnatam esse, quàm conceptam esse; & per consequens quàm Matrem Dei esse:*

hæc

hæc autẽ ſunt nepharia: ergo, &c. Reſpõdit ſic: *Dico, quòd dato, quòd concederetur, quòd tamẽ non concedo, quòd non eſſe, vel damnatum eſſe, eſt maius malum, quàm in peccato eſſe per tempus modicum, & poſtmodum eſſe ſine peccato in gratia, & gloria; alioquin opporteret dicere, quòd melius fuiſſet B. Franciſco, & omnibus Fratribus Minoribus, quòd nũquam fuiſſent, vel quòd damnati fuiſſent, cùm omnes cõcepti ſint in peccato originali, quod eſt manifeſtè abſurdum, & inconueniens.* Tandem his omnibus non contentus, in ratione 17. poſt alia multa ſic inquit: *Præterea ſi iſta ratio concluderet, ſequeretur, quòd omnes infantes, & multæ Virgines, qui fuerunt præſeruati à peccato mortali, fuiſſent nobiliori modo redempti, quàm B. Franciſcus, qui vſque ad vigeſimum ætatis ſuæ annum laſciuè viuẽs, id eſt, multis peccatorum martalium ſordibus ſe implicauit, & tamen hoc non concederent libenter, &c.* O Bandelle! quid tibi fecit, aut in quo moleſtus tibi fuit Seraphicus Pater meus Franciſcus? Quare tot improperiis ipſum oneraſti? Fuit ne Franciſcus iſtius controuerſiæ Auctor? Si furebas in filios exiſtentes in terra, quare arma linguam vibras in Patrem reſidentem in cœlo? Sed qui in Virgine Dei Matre Angelorum, & hominum Regina Maria, tot adulterationibus, fictionibus, ac mendaciis, conatus eſt ponere peccatum originale, & maculam; quid mirum, quòd in Seraphico Franciſco, aſpero verbo mendacii, conatus ſit collocare ſordes, laſciuias, atque multa peccata mortalia?

De doctrina verò contenta in hoc primo Bandelli libro, neſcio quid dicam? Nam ſi omnia ibidem reperta abſurda, ad examen reuocanda eſſent, alterum conficeremus tomum, vis hoc ſolo vno cognoſcere exemplo? Attende. In prælegata ratione 17. vbi proponit, quòd ſi Beata Virgo fuiſſet ab originali peccato præſeruata, Chriſti pretioſo ſanguine non fuiſſet redempta, conſtituit ad ſtabiliendam ſuam doctrinam, hoc pro irrefragabili principio: *Item pretium redemptionis non datur niſi pro his, qui ſeruitutem incurrunt de facto, vel obligati ſunt ad ſeruitutem, ſed Chriſtus per paſſionem ſuam dedit ſanguinem ſuum in pretium redemptionis omnium, quia, vt dicit Apoſtolus: Dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus. Et Apoſtolus Petrus: Non auro, inquit, & argẽto, ſed pretioſo ſanguine Agni immaculati redempti ſumus: ergo omnes, qui redempti ſunt per ſanguinem Chriſti, de facto ſeruitutem incurrũt.* En quomodo ad redemptionem ſolùm requirit obligationem in antecedenti dicens: *Qui ſeruitutem incurrunt de facto, vel obligati ſunt*; & in conſequentia ſolùm deducit ſeruitutem de facto. His, ac ſimilibus cõtradictionibus totus ſcatet liber. Atque infra ratione 28. explicans verba Angelici Doctoris in 3. part. quæſt. 27. artic. 2. ad 2. expectet lucem, &c. Et quòd in 1. lib. Sentent. diſt. 44. quæſt. 3. dicat, quòd Beata Virgo fuit immunis à peccato originali, & ab omni peccato actuali, inquit Bandellus: *Ex quibus patet, qualiter in 1. Sent. intellexit, B. Virginem fuiſſe immunem à peccato originali, non quidem in ſui Conceptione, ſed in ſuo ortu, id eſt, in ſua natiuitate. Non igitur S. Doctor ſibi contradixit, vt quidam falſi conantur aſſerere; ſed quòd in vno loco ſuccinctè dixerat, in alio diffusè, tranquilleque declarauit. Demùm hæc duo ſimul vera ſunt: B. Virgo fuit concepta in peccato originali, & fuit immunis à peccato originali, in ſua Natiuitate, ſed nõ in ſui Conceptione. Manifeſta eſt igitur falſitas, & fictio eorum, qui hanc fictionis maculam Sancto, & Catholico imponunt Doctori, nec excuſantur à grauiſſimo delicto. Si enim volentes de originali peccato prædicare, cupiunt ſcire, quid de hoc S. Thomas ſentiat, debent legere, & ſtudere, vbi de originali peccato, & ſanctificatione B. Virginis diffusè pertractat, & non ad ſcartabellos recurrere, vel quærere in 1. Sententiarum, vbi de potẽtia Dei tractans, aliqua verba de originali peccato interſerit, ſecundùm quod argumenta exigebãt. O ſcartapatia! quàm damnoſa, quot, & quantis referta erroribus, quæ audent aſſerere Doctorem grauiſsimum, & omnium errorum debellatorem infatigabilem tenuiſſe id quod erroneum, fideique aduerſatiſsimum, in pluribus ſuæ doctrinæ locis clarè, apertèque, diffusè monſtrauit. Sed cùm hæc ſcartapatia ruſticana, ſummæ inertiæ, ac ignorantiæ nutritta, non niſi apud ignaros, veritatiſque indagandæ tardiſsimos reperiatur, aggreſſu calamo trãſeamus.* Hucuſque Bandellus: in quibus quamplura occurrunt notanda. Primo certiſsimum eſt, quòd Angelicus Doctor nõ in ſcartapaciis, ſed in 1. Sent. n. diſt. 44. artic. 3. ad 3. ſic inquit: *Ad tertium dicendũ, quòd puritas intenditur per receſſum à contrario, & ideo poteſt aliquod creatum inuentri, quo nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis, ſi nulla contagione peccati inquinatum ſit, & talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit. Fuit autem ſub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum.* Ab hoc Sententiarum libro S. Thomæ tranſcribimus auctoritatem, eſt ne hoc ſcartapatium? In ipſo eodem modo dicit, quòd Virgo Maria fuit immunis à peccato originali, & actuali, ſi ab actuali fuit abſolutè immunis ante Conceptionem (vt ſic loquar) & poſt Conceptionem, ante natiuitatem, & poſt natiuitatem: ergo etiam ab originali. Sanctus Thomas non diſtinguit inter Conceptionem, & Natiuitatem, ſed abſolutè, & ſimpliciter, cum omni vniuerſalitate dicit, quòd à peccato originali fuit immunis: ergo ſcartabellarius eſt ille, qui accipit

ortum

ortum pro natiuitate, & non ortum pro Conceptione? Cùm ortus æqualiter vtrumque respiciat, imò potiùs indicat Conceptionem, quã Natiuitatem. Alias quomodo saluari possunt aliquæ auctoritates ex vestris dicentes: Virginem Mariã in ortu suo habuisse originale peccatum, si ortus sumitur pro natiuitate ex vtero. Ergo tu es, ò Bandelle! qui ex verbo, *ortus* facis scartabellum, siuè vt clarius dicamus hispanicè: *Veleta de texado, ò palillo de suplicacionero.*

Sed quidquid sit de hoc semper, & vbique, tàm in S. Thoma, quam in aliis Doctoribus, hæc vox, *immunis*, denotat, & ponitur pro omnimoda carentia, vide suprà in S. Thoma auctoritat. 15. Item in sacra Scriptura non semel reperitur hæc vox, immunis, & semper denotat carentiam absolutam, & totalem; est ne sacra Scriptura scartapatium? Si ergo tu semper, & vbique dicis, & proclamas in tuis libris: Virgo Maria non fuit immunis à peccato originali: ergò qui dicit: Virgo Maria fuit immunis à peccato originali, ex diametro tuæ opponitur sententiæ? Hoc dicit tuus S. Thomas, & non in scartapatiis. Deindè quomodo tua interpretatio stare potest cum aliis verbis S. Thomæ? Ipse enim affirmat, quòd illa est summa puritas in rebus creatis, *quod nulla contagione peccati inquinatum sit*, & quod hæc puritas fuit in B. Virgine: notasti Bandelle, illud, *nulla*, quomodo hæc erit vera, si habuit contagionem peccati in Conceptione? Item non dicit, est, sed, *fuit*, pro omni tempore præterito. Deniq; assignas distinctionem puritatis Dei, & Mariæ, profert hanc: *Fuit autem sub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum*, differẽtiam constituit in potentia, non in actu, poterat enim dicere Angelicus Doctor: fuit autem sub Deo, quia de facto contraxit originale, nonne factum negat, qui ad potentiam recurrit?

Sed progrediamur vlteriùs. Dicit Bandellus: *Manifesta est igitur falsitas, & fictio eorum, qui hanc fictionis maculam Sancto, & catholico imponunt Doctori, nec excusantur à grauissimo delicto.* Quæ est hæc falsitas, fictio, ac macula imposita sanctissimo Doctori? Si illa verba extant in S. Thoma, loco citato in omnibus originalibus, nullo dempto, & illa transcribunt nostri Scriptores nulla mutata syllaba, aut apice: quæ falsitas, fictio, & macula est hæc imposita vestro Sancto, ac catholico Doctori? Quod ipse dixit, ac scripsit ad litteram, & absque vlla interpretatione, additione, vel diminutione recipimus nos. Vos verò additis, diminuitis, & alteratis textum, in quibus est ergo, vel à quibus proficiscitur falsitas, fictio, & macula vestri Sancti, ac catholici Doctoris? Item si propter hoc solum, quod intelligimus, & admittimus vestrum Sanctum Thomam, contra intentionem, desiderium, ac mentem vestram, pro honore, gloria, ac laude Beatissimæ Virginis Mariæ Matris Dei, non excusamur à grauissimo delicto? Quid dicemus de vobis, qui in vestro Sãcto, ac catholico Doctore, falsificastis, adulterastis, atque finxistis centum nonaginta octo fictiones, vitia, ac mendacia capitalia: vt demonstrauimus suprà numer. 296. videte ibi: in aliis verò Sanctis Patribus, & Auctoribus, vitiastis, & adulterastis eorum verba sine mensura, & numero, adulterationibus capitalibus, eo solo fine, & intentione, vt macularetis Dei Matrem. Quomodo autem excusaberis, ò Bandelle! à delicto, qui in hoc tuo libro, seu scartabello, tot, tantasque falsitates, & ficta, falsaque testimonia contra Matrem, ac filios interseruisti? Item dicit Bandellus, quòd ad cognoscendam veritatem, recurrere debemus ad Sanctum Thomam, vbi ex professo agit de peccato originali, & de sanctificatione Virginis, vbi apertè, clarèque, ac diffusè pertractat, Virginem Mariam contraxisse peccatum originale. Recurrimus Bandelle, ad 3. Sententiarum distinct. 3. & ad 3. part. quæst. 27. & primam secũdæ, & ad reliqua suæ doctrinæ loca, vbi agit de peccato originali, & sanctificatione Virginis, sed ibi neque clarè, neque apertè, neque diffusè demonstrat, Virginem contraxisse in sua animatione originale peccatum: hoc enim solùm bis indicat succinctis verbis, vt suprà demonstratum est, prælegato num. 296. Denique nota, quot, quantaque conuitia, ac opprobria habeant reliqua Bandelli verba, & ex hoc infer, ò Lector! quòd si omnia contenta in illo libro essent figillatim ventillanda, hic noster procederet in infinitum.

Tandem loquendi modum in toto hoc primo Bandelli opere cognosces ex sequentibus verbis: impugnando enim solutiones, seu (vt ipse dicit) euasiones nostras, peruenit ad quãdam ex Francisco de Mayronis, Doctore illuminato communiter dicto, contra cuius solutionem sic insurgit Bandellus: *Sed hæc euasio certè est nimis absurda, certè non illuminatus Doctor est ex hac parte dicendus, sed verius tenebrosus est appellandus, qui sententias claras, & apertas confundit, ac sermonibus obscuris, & imperitis inuoluit. O huiusmodi viri pectus obcæcatum! O mentem chimæricis, vt aiunt, tenebris attrahere disciplinis, hic fortasse Annaxagoræ fuit, cuius niues attramenta fuerunt. O dogma diabolicum! quod in sui perniciem diuersa mendacia fingens, peruertere nititur veritatem. Falsum igitur est, & hæreticum, quòd anima in instanti suæ creationis nõ maculetur, quia anima non creatur, nisi dum corpori infunditur, vt dicit Augustinus, &c.* Hæc sunt verba Bandelli, contra Mayronem doctè, atque eruditè interpretantem quandam D. Anselmi auctoritatem

tatem, cuius lucem illuminātem non ſuſtinens lippiditas exiſtimauit eſſe chimærā tenebroſā, dogma diabolicum, atq; hæreticum mendaciū Sed Vah miſer! ſi tergeres tibi oculos, deponeres paſsiones, & veritatis verba agnoſceres: in nullo fuiſti Anagoras quia attramētū tuum nū quam fuerūt albæ niues, ſed carbones teterrimi nec reſpectu Doctorum, quia omnes maculaſti adulterationibus, nec in ordine ad Dei Matrē, quàm macula originalis tenebræ, ſine fundamēto, & veritate, ſed mendaciis deturpare conatus fuiſti. Et hoc ſufficiat tranſcripſiſſe de hoc primo libro, ſeu ſcartabello.

Secūdus liber fuit ille impreſſus in ciuitate Bononiēſi, per Hugon. de Rugeriis de Regio ann. 1481. etiā in 4. ſub expreſſo nomine Fr. Vincētii Bādelli de Caſtron. Tordō ſub titulo: *Diſputatio ſolēnis de Cōceptione B. Virginis Mariæ*, vbi poſt relata in Triturationē nu. xxiii. inquit: *Huic autē ſingulari puritatis excellētiæ detrahere nephādiſsimè videtur, qui cōtra Sāctorum Patrum clariſsimas ſētentias, Beatiſsimā Virginem in ſui Cōceptione ab originali peccato immunem conātur adſtruere, &c.* Deindè adducit ſuas cōcluſiones, & corollaria ſic: *Virgo Maria fuit ſicut cæteri homines in originali peccato cōcepta, &c. Dicere, B. Virginem nō fuiſſe cōceptā in pecato originali, nō eſt pium, &c. Opinio quæ aſſerit B. Virginē originale pecatū in ſui Cōceptione cōtraxiſſe maximè, cōgruit Fidei pietati, &c. Nō eſt licitū credere, aut pertinaciter aſſerere, B. Virginem nō fuiſſe conceptā in originali peccato, &c. Nō eſt licitū prædicare aſſertiuè, quod B. Virgo fuerit in ſui Conceptione immunis à peccato originali, &c. Periculoſum eſt accedere ad prædicationes illorum, quādo actu prædicāt B. Virginem nō fuiſſe cōceptam in originali peccato.* Deindè pro equitur proponēs aliqua fundamēta, pro ſua ſtabiliēda opinione vſque ad c. 7. à quo incipiūt auctoritates Sāctorum, vt ſupra ſuis locis dedimus, vſque ad cap. 26. incluſiuè, illa verò, quę dicit deinceps, maxima indigebāt ventilatione, quia ſcatent vermibus velle enim omnia ventilare eſſet labor immenſus; ideò aliquas tantum modo propoſitiones ipſius in medium adducam.

Sed antequàm ad examen accedamus ad memoriā reuocet Lector, quæ diximus in Triturat. nu. xxxi. nam hic liber impreſſus à Bandello Bononiæ ann. 1481. iterum prodiit cum Additionibus ann. 1502. in Hipania, in ciuitate Hiſpalenſi, etiam in 4. ſiuè à Didaco Deza, ſiuè à quolibet alio P. Dominicano, ſub titulo Correctoris Bādelli, qui licèt multa addiderit, nec vnā ſaltem litteram correxit; & inſuper ad oſtēſionem ſuæ indignationis contra Frates Minores propter aſsūptam defēſionem myſterii Immaculatę Cōceptionis in eadem typographia Hiſpalenſi (vt conſtat ex caracteribus, & originali exiſtēte in Biblioth. Rll. atque doctiſsimi Patris Didaci Niſſeni, Religionis S. Baſilii Magni) ſub dolè abſque anno, & loco impreſsionis, prodit libellus ille famoſus cōtra Fratres Franciſcanos, cuius titulus eſt: *Summa vtiliſsima errorum, & hæreſum per Chriſtum, & eius Vicarios, & per Inquiſitores hæreticæ prauitatis in diuerſis mundi partibus dānatarum.* Et ſtatim inquit: *Incipit quoddam opuſculum ex directorio Fidei ſumptum, ſiuè extractum, &c.* Et totum eſt cōtra Fratres Minores, vocādo ipſos in cōmuni, ac in particulari hæreticos, crematos, &c. ac totam Seraphicam Religionē diffamādo mēdaciis, impoſturis, ac falſitatibus, quæ ſuperant omnem humanam pōderationem, Auctorem illius opuſculi fuiſſe Dominicanum, nō cadit ſub dubitatione, vt ex multis in ipſo cōtentis colligitur, ſed an fuerit Deza, vel alius, inueſtigare nō potui. Sed trāſeat totum hoc, & videamus, qua veritate ſcripſerunt de Matre Dei, quod noſtri inſtituti aſſumptum eſt.

Ratione 1. inquit Bandellus, & ſimiliter eius Corrector Hiſpanus, ad argumentum de redemptione preſeruatiua, ſic: *Ex quibus patet quòd nullus autem mortem Chriſti fuit per eum redēptus, & quòd omnes, qui ſunt per Chriſtum redēpti, fuerūt aliquādo ſub peccato, & ex hoc patet, falſum eſſe, quod dicūt quidam, B. Virginem per mortem Chriſti præuiſam, vel promiſſā, fuiſſe redēptam.* Et ad marginem alterius exemplaris inquit: *Cōtra orationem huius feſtiuitatis* Et infrà: *Ex quibus patet, quòd illa diſtinctio de de redēptione præſeruatiua eſt vana, & fatua, procedēs ex ignorantia ſignificationis nominis, &c.* Vide quid dicat de præſeruatione, & oratione Officii, quādo vna, & altera erāt iam approbata per Eccleſiam, & Sūmum Pōtificem dicentem: *Sicut eam ab omni labe præſeruaſti, &c.* Et recitātibus illam collectam, cōceſſerat Indulgentias per Breue expeditum ann. 1476? Ratione verò 10. ſumpta ex feſtiuitate Cōceptionis inquit: *Et hoc modo dico, quòd ſanctiſsimus D. N. Papa dat Indulgētiam his, qui faciūt feſtum Cōceptionis B. Virginis, ratione perſonæ cōceptæ in proximo ſanctificādæ, non autem ratione Conceptionis, quæ cum peccato fuit, quia cùm ſit vir doctiſsimus, & fideliſsimus, credendum eſt, quòd nō intendit per illam Bullam cōtradicere ſanctis Patribus, & Doctoribus illuſtribus, qui omnes, nemine diſcrepāte, aſſerūt, B. Virginem in originali peccato fuiſſe cōceptam. Vbi aduertēdum eſt, vt cōmuniter Doctores dicūt, & tāgitur in Gloſa 25. quaſt. 1. quæ ad perpetuam: quod Papa non poteſt aliquid determinare contra diuinam Scripturam, vel cōtra determinata per vniuerſalia Cōcilia, vel per Sanctos Patres, quorum doctrina eſt per Eccleſiam approbata, vel per Summos Pontifices, in hijs quæ ſunt Fidei, vel pertinent ad ius diuinū, &c. vndè dicta Auguſtini, & aliorum Sanctorū Doctorum, in his quæ pertinent ad fidē, & ad bonos mo-*

mores, in maxima reuerentia à Sũmis Pontificibus habẽtur, ſicut ſemper ab omnibus habita fuerunt. imò eorum dicta in ſacris Scripturis exponendis, & in cauſis decidendis, maximè quando fundãtur in ſacra Scriptura, in his quæ pertinẽt ad fidem, & ius diuinum, videntur eſſe præferẽda conſtitutis Summorum Pontificũ, &c. Et infrà: *Sed quãdo dicta Sanctorum ſunt fundata in auctoritate ſacræ Scripturæ promulgante ius diuinum, tunc ſunt conſtitutis Pontificum, & Cõciliorum præferenda, &c. Imò præferuntur determinationi Concilij, vt habetur cap. Placuit, vbi præfertur ſententia Hieronymi Cõcilio Calcedonenſi. Et ideò fuit, quia auctoritas Hieronymi erat in ſacra Scriptura fundata, & ideò cùm Auguſtinus, & alij DD. ſancti, ac Summi Pontifices, fundantes ſe in ſacra Scriptura promulgãte ius diuinum, dicant, B. Virginem in originali peccato fuiſſe conceptam, videtur ex prædictis ſequi, quòd ſententia Sanctorum Doctorum, in hac parte ſit dictis, & conſtitutis quorumcumque præferenda, &c.* Et infra: *Et ideò ſanctiſſimus D. Papa Sixtus vir deuotiſſimus, & ſapientia plenus, nolens tranſgredi terminos, quos poſuerunt Sancti prædeceſſores ſui in ea Bulla, in qua dat indulgentiam his, qui faciunt feſtum Conceptionis B. Virginis, ratione perfectæ conceptæ, videtur aſſerere implicitè tamen, & prudenter illam in originali peccato fuiſſe conceptam.* Et hoc vltimum multis conatur probare, ita vt iterum deducat hanc conſequentiam: *Ex quibus patet, quòd ſanctiſſimus D. noſter in verbis prædictis implicitè aſſerit, Beatam Virginem in originali peccato fuiſſe conceptam, &c.* Nota, quanta hic inuoluat Bandellus, non ſolùm falſa, ſed etiam à Fidei principiis aliena, a quibus ſuperſedeo, quia ipſa ſe manifeſtant, quorũ doctam cẽſuram vide apud Chriſt. de Vega Paleſt. 3. cert. 9. fol. 103. à nu. 342. Et infrà loquens de feſtiuitate Conceptionis, inquit: *Eſt etiam ſciẽdum, vt quidam dicunt, & benè, quòd feſtũ iſtud potiùs eſt gratiarũ actionis, quàm Conceptionis. Cùm enim hoc feſtum fiat per nouem menſes ante natiuitatẽ Virginis; oportet dicere, quòd in tali die nulla ſanctitas erat in B. Virgine, quia non erat adhuc anima rationalis ei infuſa, quæ eſt ſubiectũ ſanctitatis, vel peccati, ſed tali die Ioachim, & Anna carnaliter commixti ſunt. Niſi quis dicat, eam de Spiritu Sãcto fuiſſe conceptã, quòd eſt hæreticum. De ſolo enim filio Dei credit Fides catholica, quòd in eodem inſtanti, quo ſanguis puriſſimus B. Virginis fuit deductus ad locũ generationis, tunc operatione Spiritus Sancti corpus Chriſti, fuit formatũ, & organizatũ, & ſimul anima rationali animatum, vt dicitur in 3. Sen. Corpus autem B. Virginis fuit per virtutem formatiuã, quæ eſt in ſemine organizatũ, & formatum ſicut corpus aliorum, vt dicit B. Auguſtinus 10. ſuper Gen. & alij Doctores: & ideò anima rationalis fuit ei infuſa 80. die à ſuſceptione ſeminis, quia, vt dicunt Philoſophi, in tot diebus organizatur corpus fœminæ ad ſuſceptionem animæ rationalis. Vnde ſi feſtiuitas Conceptionis habuiſſet ortum à reuelatione Angelica, cùm Angelus Bonus optimè cognoſcat, quãdo anima B. Virginis fuit corpori infuſa, mandaſſet vtique, quòd feſtiuitas illa fieri debuiſſet 25. die February, quando anima ſibi fuit infuſa, & ſtatim poſt infuſionẽ ſanctificata, & non 8. Decemb. quãdo B. Anna ſemen à Ioachim ad concipiendũ ſuſcepit. Nulla enim ſanctitas fuit in B. Virgine, niſi poſt quã corpus eius fuit anima rationali informatum, & poſt animationẽ per ſanctificationem ab originali peccato mundata, &c. Hoc autẽ non fuit 8. Dec. vt falsè dicitur in Epiſtola de Cõceptione, ſed 25. Febr. igitur in tali die, in quo fit feſtum Conceptionis, nulla ſanctitas in B. Virgine fuit, &c. Et ideò benè dicitur, quòd feſtum hoc non eſt Conceptionis, ſed gratiarum actionis. Quia tamen inter Conceptionem Virginis, qua fuit animata, & ſanctificationẽ, qua fuit ſibi gratia infuſa modica, & quaſi imperceptibilis morula fuit, poſſemus diem animationis eius, ſi eſſet nobis certus, ſecurè celebrare, permaximè cùm ſolùm per tempus quaſi momentaneum ſub originali peccato fuerit, & in toto reſiduo ſemper ſub gratia, &c. Fuit enim B. Virgo in toto tempore menſurante durationem ſui eſſe ſemper ſancta, ſplendida, & immaculata; excepto dumtaxat tempore quaſi inſtantaneo ſuæ animationis, in quo contraxit originale peccatum, à quo citiſsime per copioſum munus gratiæ mundata fuit. Et propter hoc, vt dixi, celebrare poſſemus diem animationis eius, in quo pro maiori parte fuit ſancta, ſed talis dies non eſt 8. Decẽb. ſed 25. Febr. Sed quia dies Cõceptionis ſeminum, quando Ioachim, & Anna commixti ſunt, eſt certus dies verò animationis, & ſanctificationis ſubſecutæ eſt nobis incertus, ideo in tali die commixtionis, in quo inchoata eſt Conceptio Virginis, poteſt Eccleſia referre gratias Deo in ordine ad diem ſanctificationis, &c. Quamuis enim Conceptio B. Virginis fuerit mira, non tamen fuerit ſancta, &c.* Hucuſque Bandellus, ſed benedictus Deus, quia vniuerſalis doctrina Bandelliana habet etiam exceptionem, nam hic præter ſuum communem, ac vſitatum modum, loquutus eſt iuxta regulas Fidei, Theologicæ, ac veritatis. Fatemur tecum, ò Bandelle! quod dies 8. Decembris eſt certa, & ac indubitata dies: *Quando Ioachim, & Anna carnaliter commixti ſunt,* & in qua inchoata fuit carnalis Conceptio Mariæ. Fatemur etiam tecum, quod in illa die 8. Decembris, non fuit animata Virgo Maria, nec ſanctificata à peccato originali, quia *nulla ſanctitas fuit in Beata Virgine, niſi poſtquam corpus eius fuit anima rationali informatum.* Fatemur etiam tecum, quòd dies, hora, & inſtans animationis Mariæ penitùs eſt incertum, & quod fuit poſt 40. vel 80. dies à die, hora,

8. Decembris, ſeu congreſſu Ioachimi, & Annæ (licèt alii aliter ſentiant, Guerra Poza, & Nouatus) tu aſſertiuè affirmas ter, & quater, quòd fuerit dies vigeſimaquinta Februarii, trãſeat pro nunc admittimus tuum Kalendarium. Admittimus etiam tecum, quòd feſtum illud celebratum ab Eccleſia die 8. Decemb. non ſit gratiarum actio pro cõceptione ſeminum: *Et ideò benedictum eſt, quòd hoc feſtum eſt magis gratiarũ actionis, quàm cõceptionis carnalis, ſcilicet, factæ die 8. Decemb, quia tali die, in quo fit feſtum Conceptionis, nulla ſanctitas in B. Virgine fuit.* (cuius oppoſitum ferè omnes antiqui Doctores, exiſtimarunt, ſed tu nũquam in antecedentibus voluiſti intelligere) ſed eſt laudes, ac gratias referre Deo pro ſanctificatione facta in ipſa animæ infuſione, ſeu Conceptione ſecunda, hucuſque vna eſt tua, & mea ſentẽtia? & ſolùm diſentimus in illa clauſula: *Quia tamen inter Cõceptionẽ Virginis, qua fuit animata, & ſanctificationem, qua fuit ſibi gratia infuſa, modica, & quaſi imperceptibilis mõrula fuit.* Ego dico, *nulla, nec imperceptibilis morula fuit.* Ergo inter nos ſolùm modica, & imperceptibilis differẽtia eſt? Tu dicis: *Fuit enim B. Virgo in toto tẽpore menſurante durationem ſui eſſe, ſemper ſancta, ſplendida, & immaculata; excepto duntaxat tẽpore quaſi inſtantaneo ſuæ animationis, in quo contraxit originale peccatum, à quo certiſsimè per copioſum munus gratiæ mundata fuit.* Ego verò dico ſic: ſemper ſancta, ſplendida, & immaculata, nec excepto dumtaxat tẽpore illo inſtantaneo ſuæ animationis, quia in illo nõ contraxit originale peccatum, &c. Ergo differentia noſtra ſolùm eſt circa vnicum inſtans? an ſanctificatio fuerit in primo, vel in ſecundo. Tu dicis quòd Eccleſia non celebrat die 8. Decemb. coceptionem ſeminum illo die factam; concedo. Quia non erat ſubiectum capax ſanctitatis, vel peccati, vſque ad animationem: cõcedo. Sed quòd fuerit animata in vno inſtanti, & ſanctificata in alio, hoc ſolùm ex toto tuo diſcurſu, nego. Quia Eccleſia celebrat animationem, & ſanctificationem factam in vno, eodemque inſtanti. Igitur Doctores antiqui, qui ſolùm dixerunt Cõceptionem celebratam die 8. Decemb. non eſſe feſtiuandam, niſi per ordinem ad ſanctificationem factam in animatione, nobiſcum, id eſt, tecum, mecumque ſentiebant? Dicamus ergo vnanimiter illis, vt vltrà progrediendo declarẽt, an ſanctificatio illa fuerit facta in ipſo primo inſtanti animationis, vel in ſecundo poſt aliquam morulam; ſi dixerint primum, erunt pro me; ſi ſecundùm, pro te; at ſi nihil dixerint de illo inſtanti, vel ſubſequenti morula, in rei veritate nec ſunt pro me, nec pro te, vtpotè indifferentes. Quo ergo fuadamento tot, tantoſque huiuſmodi adduxiſti in tuo Cathalogo? qui nec de primo inſtanti, nec ſubſequenti morula loquuntur?

In ventillatione aliorum verborum prætermitto illud: *Corpus autem B. Virginis fuit per virtutem formatiuam, quæ eſt in ſemine organizatum, & formatum ſicut corpus aliorum, vt dicit B. Auguſtinus 10. ſuper Geneſ. ad litteram, & alij Doctores, &c.* Quia licèt propoſitio ſit vera, eſt tamen falſum, quod S. Auguſtinus hoc dixerit in allegato libro. Item illud: *Ita Spiritus Sanctus non intrauit ad ſanctificandum B. Virginem, niſi poſtquam fuit perfecta, & informata anima rationali: hoc autem non fuit 8. Decẽbris vt falsè dicitur in Epiſtola de Conceptione, &c.* Quod falliſsima impoſtura eſt, quia in Epiſtola de Conceptione nec verbum extat de die 8. Decemb. niſi illud quod infrà dabimus. Denique ſigno tantum modo illud: *Quamuis enim Conceptio B. Virginis fuerit mira, non tamen fuit ſancta, &c.* Sæculo 14. tẽpore Ioann. de Monteſono, & Ioann. Thomæ non erat mira, nec ſancta; nec immaculata Mariæ Conceptio. Sæculo 15. tẽpore Turrecrem. Bandelli, & aliorum fuit mira, ſed non ſancta; Sæculo verò 16. tẽpore Iuſtini Michouienſis, & Libellatoris Romani, iam Conceptio eſt mira, ſancta, & ſanctiſsima, ſed non immaculata. Spero autem firmiter in Deo, quòd ſæculo 17. erit apud vos Conceptio etiam immaculata, vt ſic adimpleatur prophetia illa: Ordo Prædicatorum paulatim accedet ad ſententiam magis piam, &c.

Hæc omnia prætermitto, ſed non illud: *Vnde ſi feſtiuitas Conceptionis habuiſſet ortum à reuelatione Angelica, cum Angelus bonus optimè cognoſcat, quando anima B. Virginis fuit corpori infuſa, mãdaſſet vtique quòd feſtiuitas illa fieri debuiſſet 25. die Februarii, quando animæ ſibi fuit infuſa, & ſtatim poſt infuſionem ſanctificata, & non 8. Decembris, quando B. Annæ ſemen à Ioachim ad concipiendum ſuſcepit, &c.* In tota hac ratione 10. quæ latiſsima eſt, reprehendit Bandel. omnes Fideles, & ſupremum ipſorum caput in terris Summum Eccleſiæ Pontificem, vt vidimus; nunc iam aſcendit ad cœlum, vt reprehendat etiam Angelum bonum: non eſt Angelus bonus, inquit, quia mandauit, quòd feſtiuitas Conceptionis celebraretur die 8. Decemb.? Quid ergo dicemus, ò Bandelle! de Eccleſia Dei, quæ obſeruat, quod Angelus non bonus præcepit? Angelus non eſt bonus, quia mandauit, quòd Eccleſia tenet; & Eccleſia quæ tenet, ſequitur, & obſeruat quæ Angelus non bonus præcepit, quid eſt, an bona, vel non bona? Si bonus eſſet, Angelus inquit Bandellus, mandaret, quòd feſtiuitas Conceptionis celebraretur die 25. Februarii: hoc non mandauit: ergo non eſt Angelus bonus: igitur tu Bandelle, qui hoc dicis, es Angelus bonus Eccleſiæ? Recurrite ergo omnes, Eccleſia, & Angeli ad vnum Bandellum, Correctorem bonum Angelorum, & Eccleſiæ, quia ſciuit, dicit, reuelat, & mandat, quòd nec Angeli, nec

Ecclesia cognouerunt, sed de hoc satis, relinquat aliquid iustitiæ Sol veritatis in pennis suis. Sed vt videant Bandelli sectatores, quòd licèt Virgo Maria non fuerit animata, nec sanctificata sublenatiuè, aut præseruatiuè die 8. Decembris; quia tunc solummodo fuit inchoata eius corporea Cõceptio, in qua nulla fuit sanctitas, siue gratia, quia nondum erat Maria; sed in alio die, hora, & instanti huiusque Ecclesiæ ignoto; siuè illa fuerit dies 17. Ianuarii, vt aliqui dicunt, siuè 25. Februarii, vt vult bonus Bandellus, aut in alio quocunque die; tamen fuit decens, conueniens, atque necessarium, & vt à Deo mandatum per Angelum suum, & ab Ecclesia seruatum, omnibus modis præcisum, vt festiuitas Conceptionis ipsa die 8. Decembris, & nõ alia celebraretur, quando Ioachim, & Anna congressi sunt carnaliter, & fuit Mariæ inchoata materialis conceptio, ob plures rationes, quarum aliquas, vt Angelum vendicemus à Bandelliana calumnia, hic breuiter indicabo.

Et prima sit: ideò Angelus bonus præcepit (siuè Deus Optim. Maxim. per ipsum) vt celebraretur festiuitas Conceptionis die 8. Decembris, quia vt Angelus, & bonus optimè cognoscebat, quòd in Ecclesia Dei futura erat magna controuersia circa Virginis Conceptionem, & quòd contra eius puritatem edendi erant multi libri, & adducendi 315. Doctores, & noluit enumerari inter ipsos, vt essent 316. quia si ipse diceret: Festiuitas Conceptionis celebretur die 25. Februarii; illicò surrecturus esset aliquis Angelus nõ bonus, & arrepto calamo, sicut de aliis sic etiam diceret: *Idem tenet Dominus Angelus Bonus, Doctor Parisiensis, qui in reuelatione facta Helsino Abbati sic dixit: Festiuitas Conceptionis celebretur die 25. Februari, &c. Hæc ille* Ex quibus euidẽter deducitur, quòd Virgo Maria cõtraxit peccatũ originale, quia si Ioachim & Anna congressi fuerunt die 8. Decembris, & Virgo Maria fuit formata in vtero paulatim, per octoginta dies; & post illos animata, sicut cæteræ fœminæ, ergo etiam cõtraxit sicut illæ peccatum originale, quia quæ fuit alias fœminis similis in formatione, & animatione, à fortiori, fuit ipsis etiam similis in cõtractione peccati originalis. Sic inquam ex verbis Angeli Boni argumentaretur Angelus non bonus, & non absque fundameto: abstulit ergo occasionem doctus, atque prudens Angelus desideriis non bonis per Bandellum reuelatis, dicens ad Helsinũ: *Promitte Deo, & mihi, quòd diem Conceptionis, & creationis Matris D. N. Iesu Christi solemniter celebrabis, & celebrandum prædicabis, &c. Sexto idus Decembris, hoc festum solemnizandum tenebis, &c. Officium, quòd dicitur in eius Natiuitate, dicetur in Conceptione, excepto quod nomen Natiuitatis mutabitur in nomen Conceptionis.*

Secunda ratio sit: quia Angelus bonus optimè cognoscebat, quod Ioachim, & Anna cõgressi fuerant ex ipsius mãdato, in longæua senectute, emortua iam libidine, ac penitùs extincta concupiscentia, atq; sine vlla delectatione carnali, &c. & vt bonus cognouit etiã, quòd licèt generatio illa fuerit ex viro, & fœmina, extitit tamen pura, sancta, atque iuxta legẽ status innocentiæ peracta, & sic voluit, vt ab ipso 8. die Dec. in quo inchoata fuerat prima Mariæ delineatio, inciperet etiam festiua Ecclesiæ lætitia, reddendo gratias Deo (nota verba Angeli, *Promitte Deo, & mihi, quòd diem Conceptionis, & creationis Matris D. N. Iesu Christi solemniter celebrabis* vtrumque cõmemorat, & conceptionem, & creationem, tãquam res distinctas) primario de Mariæ creatione, animatione, ac præseruatione in anima; secundariò vero, vt medium, & via ad finem de eius conceptione carnali, ac pura generatione. Sicut enim Ecclesia in die Natalis Domini celebrat primariò natiuitatem Christi D. & secundariò partum Mariæ, ac eius intactam virginitatẽ ante partum, in partu, & post partum; & in occursu Domini primo præsentationẽ filii in Templo, deindè purificationẽ Matris secũdùm legem Moysis, Simeonis iustitiam, & Annę prophetiam, ac continentiã; & sicut die 25. Martii celebrat principaliter Verbi Diuini Incarnationem, & cõcomitanter Mariæ Annuntiationẽ, atque administrationem materiæ; quæ via fuit ad ipsam Incarnationem, ac præuia conditio; sic voluit Angelus, vt die 8. Dec. pro vtraque coceptione carnali generationis, & spiritualis animationis diceretur illud: Cõceptio tua Deigenitrix Virgo gaudium annuntiauit vniuerso mũdo, ex te enim ortus est Sol Iustitiæ Christus Deus noster, secundum carnem, ex carne tua gẽnita hodiè à Ioachimo, & Anna, & ideo præcepit celebrare 8. die Decembris, Conceptionem, & creationem.

Tertia ratio: præcepit Angelus bonus, vt Cõceptio Mariæ celebraretur die 8. Dec. quando fuit genita, non 25. Febr. quando fuit animata, quia vt bonus cognoscebat, quòd Ecclesia in festiuitatibus suis in omnibus, & per omnia studet se cõformari mysterio patrato in illa festiuitate; cùm ergo Cõceptionis mysteriũ, fuerit quædã gratiæ præueniẽtis anticipatio, vt peccatum originale non cõprehenderet Dei Matrẽ; vult Ecclesia in suo anticipato gaudio, preueni re etiã gratias Deo, & reddere ei gloriam *de antemano*, sicut pro beneficio receperat gratiã; & sicut pro Mariæ Conceptione, nesciuit tarda molimina, Spiritus Sanctus ipsam præseruans, sic Ecclesia eius sponsa prẽuenit etiã Conceptionis diẽ, & sic antequàm pariat, parturit.

Quarta ratio est, quia Angelus vt bonus, optime cognouit, quòd ex duplici capite tantum-

modo

modo futuris tẽporibus, oppugnanda erat Mariæ immaculata Cõceptio; scilicèt, ex eo, quòd fuerit concepta, sicut cæteri homines: & quòd solus Christus fuit conceptus purus, & immunis à peccato originali, & vtrique medio clausit ostium bonus Angelus; præcipiendo, vt sicut Cõceptio Christi celebratur ab Ecclesia die 25. Martii ante nouem integros menses natiuitatis suæ; sic celebraret Conceptionem Mariæ die 8 Decembris, ante alios nouem integros menses à sua natiuitate; vt sic dies dici eructaret verbũ, & nox nocti indicaret scientiam; quòd si Ecclesia ex mandato Angeli celebrat Cõceptionem Virginis, sicut Christi Conceptionem, Cõceptio Virginea non est numerãda cum Conceptionibus aliorum hominum, quæ omnes sunt noctes de nocte originalis peccati, sed computari debet cum pura Conceptione Christi, quæ tota fuit dies de die, de sancta, & immaculata Maria, quam tenebræ peccati originalis non comprehẽderunt, & ex hoc Angelico præcepto discerent omnes, quòd si Conceptio Mariæ non fuit ex operatione Spiritus Sancti, ex Virgine, & tota simul, sed ex concubitu viri, ac fœminæ, & per temporum interualla disposita, & sic non diuina, fuit tamen Angelicæ puritatis, quidquid in ipsa factum est.

Pro complemento circa festiuitatem Conceptionis, & verbis hic relatis à Bandello contra ipsam, sciat Lector, quòd Cornelius Schultingius in sua Bibliot. Ecclesiastica tom. 2. fol. 45. affirmat, quòd illa reuelatio facta Elsino contigit anno 1064. cuius dicit fuisse nuntium, non Angelum, sed S. Nicolaum Episcopum, quòd etiã multi alii affirmãt, vt dicemus in nostra Militia, receptamque fuisse prædictam Conceptionis festiuitatem à Canonicis Lugdunensibus anno 1145. & ibidem inquit: *Philippus Kerſben, Carmelita, scripsit contra vesaniam Vincẽtij de nouo Castro aduersus purissimam Conceptionem B. Mariæ Virginis latrantis. Obijt anno D.* 1485. Vnde constat, quòd Philippus scripsit contra hunc Vincentii Bandelli librum, qui, vt dixi, fuit excussus anno 1481. Item nota, quod idem Bandellus. fol. 88. à tergo, sic inquit: *Respondeo, quòd liber ille, & Epistola non sunt Anselmi Cantuariẽsis, sicut diffusè per nouem rationes probaui in solut. 32. rationis alterius Tractatus, quem intitulaui Comiti Petro de Gambara.* Cùm ergo in libro Anonymo loco citato reperiantur ista: ergo Anonymus, & Bandellus idem sunt.

Ratione sequenti sic inquit: *Vndecima, ratio sumpta ex hoc quòd Papa dat indulgentiã ijs, qui dicunt Officium Conceptionis. Ad hoc fuit responsum, quòd (posito, quòd D. Papa viderit illud Officium, quod multi negant, propter multa verba nugatoria, quæ in illo continentur) quòd duplex fuit Conceptio B. V. carnalis, & spiritualis; carnalis est duplex: vna quæ importat cõmixtionem seminum, &c. Ad orationem in qua dicitur: Deus, qui immaculatam Virginis Conceptionẽ, &c. Respõdeo, quòd B. Virgo ex Cõceptione spirituali præparata est, vt esset dignum habitaculũ Filij Dei, non autem ex conceptione seminũ, neque ex conceptione carnali, & ideò cõceptio spiritualis fuit immaculata, non autem conceptio carnalis.* Vide, ò Lector! quomodo ipsemet Bãdellus laborat in æquiuocum; nam suprà dixerat, quòd die 8. Decẽb. Anna recepit semen à Ioachimo ad concipiendum, hæc autem seminis receptio, fuit carnalis conceptio, quòd verum, ac indubitatum est; hic autem dicit, quòd hæc conceptio seminum carnalis non fuit immaculata, sed si aliqua dicẽda esset immaculata, erat illa spiritualis facta die 25. Februar. quis ergo, ò Bandelle! dicit conceptionem carnalẽ seminum fuisse immaculatã, vel de hac loquutum fuisse Summum Pontificẽ in oratione illa? Conceptionem immaculatam vocat Ecclesia, & Sum. Pontifex, non conceptionẽ carnalem vel seminis, factam die 8. Dec. sed conceptionem naturalem, & propriã animationis fœtus, & instans illud, in quo anima fuit creata, & vnita corpori; siuè facta fuerit die 25. Febr. vt tu dicis, siuè 17. Ianuarii, vt alii volunt, siuè in quolibet alio die Decembris, Ianuarii, vel Februarii, de quo Ecclesia nõ indicat, quia hucvsque occultum est. Si ergo tu, post tot controuersias, ac disputationes de hac materia habitas, vocas generationem carnalem, & seminũ commixtionẽ factam die 8. Dec. in coitu Ioachimi, & Annæ, ore pleno Conceptionẽ maculatã, de qua non est cõtrouersia nostra, quòd illa fuerit maculata, vt tu dicis, vel immaculata, vt insinuare videntur Damascenus, S. Brigitta, Cucharus, Catharinus, & post ipsos alii quàm plures huius sæculi Scriptores, & nos in antecedẽtibus docuimus. Quid miraris, si antiqui Doctores laborauerint eadem æquiuocatione? Tu duo dicis, quòd cõceptio seminum & carnalis, facta die 8. Decẽbr. quando Anna semen à Ioachimo ad concipiendum susceptit fuit maculata, mira, sed non sancta: transeat totũ hoc, quia non stat hic scopus cõtrouersiæ (vt optimè notauit Leonardus de Nogarolis in Prologo sui Officii dicẽs Sixto IV. *Maculatam fortassè legisti Conceptionem embryonis, & seminis, ac propagantium; non maculatæ animæ, &c.*) sed in illa secunda clausula: *Et ideò Conceptio spiritualis fuit immaculata*, si Conceptionem spiritualem, vocas illud primum punctum animationis, quia tunc spiritus fuit infusus, verum dicis: Si autem Conceptionẽ spiritualem vocas illud instans in quo gratia fuit infusa animæ post vnionem, & cõtractionem peccati originalis, absolutè erras, quia hoc modo etiã Ioannis Baptistę diceretur Conceptio immaculata;

imò, & Hieremiæ, & aliorum si fuerunt aliqui sanctificati in vtero. Illud vero quod dicis Sixtum IV. non vidisse Officium Conceptionis à suo Prothonotario Leonardo Nogarolis compositum, falsa videtur chimera à te fabricata; tum, quia iussu ipsius illud fuit elaboratū; tum, quia non desunt, qui affirment Lectiones tertii Nocturni, incipiētes in illo Officio ante reformationem hic: *Legimus charissimi, magni Dei librum intus, & foris scriptum esse, &c.* fuisse ab ipsomet Sixto IV. compositas. Tum, quando in Romana Curia approbatur, non dico Officium Diuinum Breui Apostolico; imò neque minima Religionum constitutio, quæ exactissima recognitione semel, & iterum no examinetur? Denique, quia Nogarolis dicauit, & obtulit suum officium Summo Pontifici, & sacro Consistorio, vt illud emendarent, ac corrigerent, vt ipse dicit ad finem Prologi, & videre est in nostro Armament. Regest. col. 55. igitur fuit visum, & reuisum.

Quod Bandellus negauit Summo Ecclesiæ Pontifici, fecit ipsemet, quia examinauit minutissimè totum illud Officium, & inter alia dicit: *Ad illud quod in eadem Lectione imponitur B. Dominico, vbi sic dicitur: sicut primus Adam fuit ex terra virgine immaculata formatus, ità decuit in secundo Adam fieri. Respondeo primo, quòd mentitur in caput suum, quod talis auctoritas reperiatur in aliquo libro cōposito à B. Dominico. Ex hoc enim apertè cōcludere possumus, quòd illud Officium multis conspersum est mendacys, cum alleget librum, quē natura nescit, nec ab ipsis, nec ab alys potest ostendi. Mendaces enim faciunt, vt nec vera dicentibus credatur. Possem & ego eadem facilitate dicere, quòd B. Franciscus in quodam Sermone sic dicit: B. Virgo, & si originale peccatum in sui animatione contraxerit, ab omni tamen actuali peccato immunis extitit, & filium sine iniquitate concepit, &c.* De tua in hac materia facilitate potius est mirandum, quod nō adduceres etiam pro tua opinione Seraphicum Patrem, sicut adduxisti Scotum, sed si propositam à te auctoritatē non finxisti in B. Francisco confessore, finxisti tamē illam in S. Erardo Martyre, vt videre est num. 73. & ferè eandē in Thoma de Linchino, nu. 298. & alteram illi simillimam in Nicolao de Achiora num. 220. quia cum essent Auctores incogniti, & fortè etiam ficti, veritas in tenebris in æternum maneret sepulta. Item si non hanc auctoritatem numero, alias eiusdem farinæ finxisti in 150. Doctoribus, vt ex tuis Catalogis in hoc Ventilabro Veritatis Sol demonstrauit; imo nullus, & iterum dico nullus fuit, nec est, ex aliis vsque ad num. 315. quia calore fictionum, &c. in toto, vel in parte se absconderit. Si mendaces faciunt, vt nec vera dicentibus credatur, quid dicemus de te, qui nūquam, vel ferè nunquam, quia rarissimè veritatem dixisti? Sed iam ventilare oportet illud à te dictū contra Leonardum de Nogarolis, vel potiùs contra Officium à Sede Apostolica approbatum. *Respondeo primo, quod mentitur in caput suum, quod talis auctoritas reperiatur in aliquo libro cōposito à B. Dominico, ex hoc enim apertè concludere possumus, quòd illud Officium multis conspersum est mendacys, cum alleget librum, quem natura nescit, nec ab ipsis, nec ab alys potest ostendi:* igitur eodem modo quando tu, vel tui allegant libros, quos natura nescit, & nec a te, nec ab alio possunt ostendi, dicere debemus. *Respondeo primo, &c.*

Sed attende librum S. Dominici contra Albigenses, seu de corpore Christi, negant pariter tecum Ioannes de Montesono in illa sua Resumpta contra immaculatam Conceptionem ad ann. 1380. Ioannes de Turrecremata scribens ad ann. 1437. par. 13. cap. 2. fol. 162. à tergo, dubitat de libro, sed non absolute negat: Barleta in serm. de Cōceptione fol. 224. scripto ad ann. 1470. Barth. de Spina scribens contra Conceptionem ad ann. 1535. absolutè negat par. 6. cap. 6. fol. 83. Denique Maluenda in libro de Paradiso cap. 60. fol. 191. dicit, librum illum non fuisse S. Dominici, sed cuiusdam Dominici de Pantalconibus Florentini, Ordinis Prædicat. qui ad ann. 1262. scripsit de corpore Christi, & contra immaculatam Conceptionem, vt diximus in Triturationē etiam hoc negauit quidam Fran Siluius in 3. par. fol. 92. Ecce tota classis negatiua. Sed attende ad affirmatiuam. Antonius Senensis in sua Bibliot. fol. 68. Ioann. Mich. Pius par. 2. lib. 1. col. 2. & ipsemet Maluēda in Annal. ad ann. 1206. fol. 63. & fol. 72. & citat Flaminum, & Petrum Monachum, cap. 8. vnanimiter affirmant, quod S. P. N. Dominicus de Guzman scripsit non tantum vnū, sed duos libellos Fidei Catholicæ contra Albigenses, qui in ignem coniecti diuersis vicibus ab igne resilierunt illesi. Sistamus hic parumper in Auctoribus. Historiam de libro illo proiecto in ignē à S. Dominico, & illeso resiliente, atque super trabem cuiusdam domus mirabiliter collocato semper, & vbique depingunt tui Patres Prædicatores (& meritò) in claustris suorum Conuentuum, compone ergo modo ista? quādo agitur de scriptis, vita, ac miraculis S. Dominici apparet liber, & duplicatus quando loquimini de Conceptione sacratissimæ D. Mariæ non fuit talis liber in rerum natura, nec vnus? nec vnus. Quid est hoc Patres mei? Conceditis calamo, & penicillo ad vestri Patris Dominici gloriam, & honorem, quòd negatis litteris, ac verbis, quando agitis de Virginis Virginum, ac Dei Matris immunitate, & puritate? Quid est hoc Patres? Vultis videre, conceditis, ac prædicatis librum illum illæsum fuisse ab igne, quia

erat

erat opus S. Dominici, & continebat intus verba Dei, & non vultis videre, concedere, aut prædicare, quod liber ille Virginalis opus Domini ſcriptus intus, & foris ipſo Verbo æterno fuerit illæsè cuſtoditus ab incendio peccati originalis? Defuit ne Deo aliqua trabes in domo ſua, vt liberaret Matrem à læſione peccati? Sed ad rem, vt liberemus Nogarolum, & officium Diuinum à flamma Bandeliana. De iſto libro S. P. N. Dominici loquuntur S. Antoninus 3. part. tit. 19. cap. 1. §. 1. fol. 91. colum. 1. Theodorus de Apoldia lib. 1. cap. 6. & apud Surium tom. 4. Leand. Albertus lib. 1. fol. 9. à tergo de vita S. Dominici. Vincent. Bellouacenſis lib. 29. cap. 96. Iacobus Ianuēſis in legenda Lōbardica. Claudicus de Rota ibidem lection. 108 fol. 84. col. 4. Ferdinādus del Caſtillo lib. 1. cap. 8. Ioannes Garzon de Bononia in vita S. Dominici in principio fol. 9. Petrus de Natalibus lib. 7. cap. 22. Lippomanus part. 2. vitæ Sanctorum. Pelbartus à Themeſuar 4. part. Stellarii artic. 1. & part. 2. art. 3. Caniſius de B. Virgine lib. 1. cap 7. Cocius in Theſauro tit. 3. num. 1. Galatinus lib. 7. cap. 5. Antonius Cucharus in Elucidario, fol 63. col. 3. Henricus Helmeſius Serm. 7. de Concept. Bernardinus de Buſtis, Serm. 5: & in ſuo officio Salmeron ad Roman. 5. diſt. 52. Mauritius Hyllaretus Serm. de Conceptione. Suarez 3. par. quæſt. 27. diſput. 3. ſect. 5: Gab. Vaſquez diſput. 117. Petr. Ojeda in Apolog. cap. 8. Salazarius Sæculo 13. fol. 421. Ioannes Tamaius in S. Epitatio ad annum 1209. fol. 245. Alanus Pariſienſis in Prologo, & ancill. 2: Ioann. Vitalis ibidem. Frāciſcus de Torres fol. 397. Ludouicus à Turri de Verona part. 2. Cōpendii Virginei honoris fol. 61. col. 1. Ludouicus Carvajalius in declamat cap. 31. Petrus Poſinus cap. 13. fol. 168. Andræas Duvallius tom. 1. in 1. 2. pag. 267. Tartaretus in 3. diſt. 3. Angel. Manrrique in Annalibus Ciſter. tom. 3. ad ann. 1207. cap. 2. nu. 8. Martinus Philippus in Theatro excellentiarum SS. Deiparæ, tom. 2. pagin. 1209. Bartholomæus Guerrero fol. 6. Frāciſcus Maria Piſtoia fol. 161. Dominicus Moerbetius fol. 137. Ludouicus Tena in Sermone Coception. Seraphinus Razzi in vita S. Dominici fol. 5. licèt affirmet fuiſſe folium carthæ tantum. Franc. Amolaz in lib. Triumphus Virginis ab originali fol. 30. num. 57. Antonius Palao cap. 7. Laur. Surius tom. 4. Armamētarium noſtrum Seraphicum col. 553. Cliſthouæus tract. de Concep. Feuardentius in cap. 5. ad Rom. Bernardinus de Vzan. fol. 58. Petrus Thomæ citatus ab Vzano fol. 59. Tabula antiqua Barchiconenſis. Ioann. Antonius Velazquez lib 4. fol. 367. Sebaſtianus Nobaes fol. 291. Chriſtophorus de la Vega Paleſt. 3. Certam. 3. Ioann. Obando in 3. fol. 129. Ioannes à S. M. in ſupplici libello fol. 274. Antonius de Leon Pinelo latè in Bibliothec. man. claſſe 12. Didacus Alph. Maluenda in tract. de Concep. Stephanus Mendez. Anonymus de Concept. Godeſcalcus ſerm. de Concep. Hyppolitus Marraccius, in fundatores Marian. fol. 159. Ioann. Euſebius Nieremberg in lib. Exceptionum cap. 23. fol. 351. Vincent. Iuſtinianus Antiſt. Petrus Cœnobi Vallis-Sarnenſis in Hiſtoria Albigenſium cap. 7. fol. 23. licèt in nouiſſima editione facta Trecis ann. 1616. dicatur fuiſſe ſchedulam. Breuiarium Monialiū Conceptionis. Breuiarium Hiſpalenſe, anni 1563. Breu. Abulenſe. Breu. Compoſtellanum. Breu. Placentinum. Breu. Carmelitarum. Fuit nè, ō Bandelle! vnus Leonardus Nogarolis, qui mentitus eſt in caput ſuum? Væ illi, qui etiam eſt mentitus in caput aliorum.

Vltra progreditur Bandellus dicens: *Vbi eſt aduertendum, quòd vir iſte, qui cōpoſuit hoc Officium, videtur reprehēſione dignus. Primo, quia cum in Epiſtola illa, quæ B. tribuitur Anſelmo, ex qua hæc feſtiuitas ſumpſiſſe videtur exordium legatur, quod Elſino quærenti ab Angelo, quo in hac feſtiuitate vti deberet officio? Reſpondit ei Angelus mandando, vt omne officium, quod dicitur in eius Natiuitate, totum in feſto Conceptionis diceretur; excepto quod nomen Natiuitatis in nomen Conceptionis mutaretur. Sed cum iſte in compoſitione huius officij prædicta non ſeruauerit, de duobus alterum ſequi de neceſsitate videtur, vel quod Epiſtola illa nullius eſt auctoritatis; vel quod vir iſte tanquam temerarius contemptor extitit Angelicæ, & Diuinæ reuelationis. Secundo arguendus eſt, quia cum à iuuentute, vſque ad hanc decrepitam ætatem, non multa in ſe ſigna ſpiritualitatis oſtēderit, ſicut teſtes ſunt omnes qui vitam & eius præclara geſta nouerūt, nō eſt veritus ſe iactare, aliquid per reuelationem intellexiſſe, quod Doctores antiqui vita ſanctiſſimi, ingenio præclari, Fide feruentes, virtute perſpicui non intellexere: O ſtupendum & inauditū prodigium! vt fumus cādelæ hunc hominem tam facilè erudierit! Quod tam ampliſsimos viros, carne puriſsimos, mente deuotos, morum grauitate venuſtos, atque omni humana, diuinaque ſcientia præclaros, lumen Diuinæ gratiæ non inſtruxit. Videtur tertio redargutione dignus, quia in re tam graui, tamque periculoſa, falſas auctoritates adducit, Doctores nominat, reticendo libros (quia eos non vidit) quos certè natura non habet, nec ipſe, nec alius poteſt oſtendere, & ideò propter huiuſmodi, quidam dicunt, quòd ſanctiſſimus D. Papa illud officium non vidit, quia cum ſit vir doctiſsimus, & Doctores Sanctos nunc & ſemper in ſumma veneratione habuerit, non eſt faciliter credendum, quod intendat præſtare fauorem ijs, qui ſententijs Doctorum Sanctorum contradicunt, ſi tamen illud officium viderit, omnia prædicta ſic intelligenda ſunt, ſicut per nos ſunt ſuperiùs expoſita.* Hæc Bandellus contra Leonar.

de

de Nogarolis, Prothonotarium Apostolicum; cōitia & opprobria exprobrantis per se nota sunt: egit enim cum Nogarolo, sicut fecerat cū Panormitano, vt vidimus num. 295. sed si ibi male, hic pessimè. Nam Leonardus fuit pius, ac doctus vir, vt indicant libri illi à se compositi de Beatitudine, & de Mundi æternitate impress. Venetiis 1486. in folio.

Impostura verò præcipuè, sunt tres, & in omnibus illis cecidit miserabiliter ipsemet Bandellus. Reprehendit Nogarolum: Primo, quia edidit Officium diuersum, ab illo reuelato per Angelum Elsino Abbati, & sic fuit temerarius contemptor Angelicæ, atque Diuinæ reuelationis. Heus tu Bandelle, qui hæc dixisti, cum ad annum 1505. esses tui Ordinis Generalis Magister, edidisti Officium pro die Conceptionis sub titulo Sanctificationis, vt diximus in Trituratione, & infrà dicemus: seruasti ne in illo Officio reuelationem Angelicam, & Diuinam? Tu illud elaborasti absque mandato, scientia, vel pernissione Sedis Apostolicæ, & illud inseruisti in Breuiariis tuæ Religionis, iuxta quam reuelationem Angelicam, vel Diuinam fecisti hoc? Leonardus Officium suum addidit mandato Pontificis, illud præsentauit Summo Ecclesiæ capiti, & sacro Cardinalium Cōsistorio: Videns autem quod non solùm fuit approbatum, sed etiam concessæ Indulgentiæ, per manus ipsius Sedis Apostolicæ, fuit diuulgatum & receptum, tam ab Ecclesia Romana, quàm ab omnibus ferè aliis particularibus; cùm autem nihil horum obseruaueris in tuo Officio, quis ex vobis temerarius cōtemptor fuit Angelicæ, atque Diuinæ reuelationis? Nogarolis illud subscripsit sub titulo Conceptionis, iuxta Angelicum præceptum, tu sub titulo Sactificationis, quis ergo est reprehensione dignus? Secundo, arguit Nogarolum, quia nō est veritus se iactare de Diuina reuelatione, &c. Hæc falsa impostura est Bandelli, quia Nogarolis nullibi dicit neque insinuat se per reuelationem aliquid dediciſſe, imò deuotissimè, ac modestissimè loquitur in sua peroratione ad Pontificem, quæ incipit: *Beatissimo, ac Domino, verè*, & si non credis, lege ipsam in Officio excusso Romæ anno 1477. à quo illam transcripsi in nostro Armamētario, Regesto col. 49. Tertio, redarguit Nogarolum, quia cùm adduxisset aliqua dicta Sanctorum in suo Officio, non assignat libros, vel capita, vnde ipsorum auctoritates extraxerit. Sed, tu Bandelle, quare in tuo Officio non obseruasti, quod in Leonardo reprehendis? Ille ex dictis Sanctorum solùm compaginauit sex lectiones primi & secundi nocturni, tu omnes nouem Lectiones formasti ex auctoritatibus: ergo si Leonardus fuit temerarius, & reprehēsione dignus vt sex, tu vt nouem. Ille adduxit auctoritates Hieronymi, Augustini, Ildephōsi, Hillarii, Cypriani, Basilii, Ambrosii, Originis, Anselmi, Cyrilli, Bernardi, Thomæ, Dominici, Richardi de S. Victore, & ex illis 14. Doctoribus adducit sexdecim auctoritates, non signando citationes; tu Bandelle in tuo Officio adduxisti sequentes, Bernardum, Ambrosium, Magistrum Sententiarum, Augustinum, Gregorium Eusebium Emissenum, Leonem, Hieronymum, Athanasium, Theophilum, Anselmum, & ex his vndecim Doctoribus adduxisti viginti, & amplius auctoritates, etiam absque vlla citatione, prout suprà posita relinquimus, & etiam in nostro Armamētario Seraphico in Regesto, col. 220. vbi quàmplures detegimus fictiones, vitia, & adulterationes capitales: quis ergo reputari debet pro temerario, atque falsario? Si aliqualis in Officio Nogarolis fuit defectus, ipsum excusant pietas, deuotio, amor, & gloria Dei Matris, quæ omnia in tuo desunt Officio, quod magis videtur Panegyricum, & Encomium peccati originalis, quàm Conceptionis sacratissimæ Mariæ Officium: quis ergo est reprehensione dignus? Quis cœcus? Audite insuper vestrum Ambros. Catharin. in 2. opusc. lib. 3. de 4. testim. fol. 59. loquentem de hoc Officio Nogarolis, ac dicentem: *Nam Ecclesiæ quæ celebrant de sanctificatione, sunt pauciſsimæ, & in Italia & solùm, nisi fallor, in ordine nostro? omnes aliæ Religiones cœperunt tandem, vt intelligo absque controuersia festum, & celebritatem Conceptionis, & huic officio, & Missis est applicatus honor indulgentiarum: vt latè patet ex dictis vtrinsque Decretalis Sixtinæ, & ita fuit bene intellectum ab initio ab illis præsumptuosis, qui cœperūt aduersus illud officium prædicare, & blasphemias dicere, &c.* Istæ blasphemiæ dictæ, scriptæ, & prædicatæ contra Officium ab Apostolica Sede approbatum, ortum habuerunt ab vnico Bandello.

Deindè infrà inquit Bandellus: *Duodecima ratio fuit talis Vniuersitas Parisiensis determinauit, quòd B. Virgo fuit in originali peccato concepta: ergo ita est. Ad hoc fuit responsum, quòd Vniuersitas Parisiensis tempore, quo Doctoribus clarissimis florebat, determinauit hæreticum fore, tenere B. Virginem non fuisse cōceptam in peccato originali, vt dicit D. Albertus Magnus in 3. Senten. & Guillelmus Altisiodorensis in libro Summæ suæ, & Ioannes de Poliaco in quodlib. 3. Et ideò non est verisimile, quòd Doctores moderni oppositum determinauerint. Quòd si fecissent, dicendum est, eos fuisse temerarios, & præsumptuosos; quia contra Scripturarum monita terminos sunt transgressi, quos posuerunt Patres eorum, qui omnes vnanimiter tenuerunt B. Virginem fuisse in originali peccato conceptam, vt dicit Dominus Bonauētura. Maior enim fides adhibenda est Doctoribus antiquis, qui sua doctrina, &c.* In quibus verbis sequentia notantur,

Pri-

Primo, quòd in vtroque originali ſic extat hæc auctoritas, in qua videtur deficere ly, *non*, ſic enim oratio facit legitimum ſenſum. *Quòd B. Virgo non fuit in originali peccato concepta*, ſed nec hoc caruit ſumma malitia, qua confirmatur, quod diximus in Ventilabro pagina 152. col. 2. vide ibi. Secundo, falſum eſt, quod Albertus Magnus, Guillielmus Altiſiodorenſis, & Ioannes de Poliaco dixerint, ab Vniuerſitate Pariſienſi determinatum fuiſſe: *Hæreticum fore, tenere B. Virginem non fuiſſe conceptam in peccato originali*, vt videre eſt ſuprà ſuis locis. Tertio, notare debes illud, *Vniuerſitas Pariſienſis tempore, quo Doctoribus clariſsimis florebat* quaſi iam illa inſignis Vniuerſitas abſolutè caruerit Doctoribus clariſsimis, ſolùm quia ſubſtinuerunt ex Decreto, & voto, Virginem Mariam fuiſſe conceptam abſque originali peccato. Quarto, quod non ignorabat Bandellus, Vniuerſitatem Pariſienſem, Decretis, ac Conſtitutionibus, nec non ſpeciali voto, determinaſſe, Virginem fuiſſe conceptam abſque originali peccato, imò actibus poſitiuis coegentem, Ioannem Thomam, atque Ioannem de Monteſono, & alios in hac materia, vt palydoniam recantarent. Et tamen vt introduceret ſuum imperium, loquitur conditionaliter: *Quòd ſi fecißent, dicendum eſt, eos fuiſſe temerarios, & præſumptuoſos.* Hinc eſt, quod Bãdellus omnes Auctores, quos inuenire potuit pro ſua ſententia, vocauit Doctores Pariſienſes, & clariſsimos, licèt nunquam viderint Pariſios, in claro, vel in obſcuro, vt ia ipſis carperet, & reconueniret præſentes.

Infrà ratione 25. ſic inquit: *Beata Virgo fuit ſuper Choros Angelorum exaltata: ergo fuit ſine peccato concepta. Ad hoc negatur conſequentia, quia vt quidam Minores dicunt: B. Franciſcus fuit exaltatus ſuper omnes Choros Seraphicos, & ſecũdùm veritatem fuit exaltatus ſuper multos Angelos, & tamen fuit in originali peccato conceptus, & ante conuerſionem ſuam, vt in eius ſacra legitur hiſtoria, multis peccatis actualibus inuolutus, &c.* Hucuſque nullum ex noſtris Doctoribus legi, qui ab exaltatione Virginis Mariæ ſuper Choros Angelorum, voluerit deducere immunitatem ipſius à peccato originali; & ſic hæc ratio ſuppoſita fuit à Bandello, vt contra S. P. N. Franciſcum inueheretur, & ipſum à cœlo in peccatorum cœnum dimitteret, qualis fuit hæc ſacra Hiſtoria? Si eius legenda: ibi ſolùm dicitur: *In vanitatibus nutritus indecenter*: quis ergo tibi reuelauit, quod ille vanitates indecentes fuerunt multa peccata actualia? Deindè ratione 33. reprehendit nos, quia in confirmationem noſtræ ſententiæ adducimus Machometi auctoritatem dicens: *Quòd Machometani teſtimonium adducunt Machometi; Chriſtiani verò teſtimonium Chriſti, & Sanctorum eius requirunt.* Si hoc fuit malitioſè dictum, vt ſe, & ſuos faceret Chriſtianos, alios verò non ita, ſed Machometanos, ipſe videat. Turrecremata par. 11. cap. 10. vocant etiam hoc turpiſsimum argumentum. Fratres mei, non fuit turpe adducere Ioannem de Poliaco, Auctorem dãnatum pro veſtra ſententia? Non fuit turpe adulterare vt Sanctos qui ſancti non decerunt? Non fuit turpe, quòd iſta verba adducantur a Paulo Burgenſi in ſcrut. Scrip. part. 2. cap. 2. diſt. 2. & aliis 36. Doctoribus? Sed, &c. Deindè prc ſequitur ſic: *Et ideò à fide Chriſti alienos ſe eſſe oſtẽdunt, qui in his quæ ad fidem pertinent relicta Scriptura ſacra, ſeu Sanctorum Doctorum Machometi teſtimonium requirunt, qui inimicus Fidei chriſtianæ extitit, & legem ſuam multis erroribus impleuit. Non enim mirum eſt ſi ipſe primus hunc errorem ſeminauit, &c.* Nota amore Dei hæc vltima Bandelli verba.

Ratione verò 34. ad argumentum illud: Cõceptio B. Virginis præcelsit in mente Diuina, cuiuſcumque puræ creaturæ cõceptionem. Reſpondit ſic: *Ad hoc dicitur, quòd illud antecedens poteſt intelligi dupliciter, vno modo, quòd Conceptio B. Virginis priùs fuerit in mente Diuina intellecta, quàm conceptio cuiuſcumque creaturæ fuerit in ſe ipſa in rerum natura, & hoc modo antecedens eſt verum, non ſolùm de Conceptione B. Virginis, ſed etiam de conceptione omnium hominum, & aſinorum, &c. Alio modo poteſt eße ſenſus, quòd Deus in mente ſua priùs cõceperit, & intellexerit Conceptionẽ B. Virginis, quàm conceptionem cuiuſcumque alterius creaturæ, & ſic antecedens eſt falſum, & hæreticum, quia Deus vnico actu omnia intelligit, &c.* Nota, quomodo comparat Conceptionem Virginis conceptioni omnium hominum, & etiã aſinorum, ò, ò, ò Bãdelle? Hec, & alia innumerabilia adducit in illo libro, & ſic concludit: *Hæc igitur ſunt rationes, quæ coram excellentia tua fuerũt adductæ per Dominum Epiſcopum, & Magiſtros ſacri Ordinis Minorum, Carmelitarum, & Seruorum, quas omnes partim in diſputatione, partim in Lectione breuiter, clarè, apertèque diſſolui: Verum quia Magiſter Bartholomæus Feltrenſis, Ordinis Minorum, quaſdam rationes, nihil ad propoſitum facientes adduxit, mihi viſum eſt illas hoc vltimo loco adducere, &c.* Epiſcopum illum pro illibata Virginis Cõceptione dimicantem, exiſtimo fuiſſe Ferrarienſem, qui diſputationi interfuit. De hoc litterario congreſſu ſic loquitur Michael Pius part, 2. lib. 3. col. 93. loquens de Generali Vincentio Bandello: *Valſè aſſai nelle diſpute: diſputò alla preſenza de Innocentio Ottauo, che conoſciuto il valore, lo creò ſubito Maeſtro. Diſputo della ſanctificatione, dinante ad Ercole Eſtenſe, Principe di Ferrara e coſi egregiamente, che come à vincitore applaudendogli gli aſtãti ſu le brac-*

cia

cia da loro portato dalla Cathedra, al Conuento, &c. Hoc credunt scioli, & nouitii suæ Religionis.

Hic liber de disputatione Ferrariensi fuit iterum impressus sub nomine ipsius Bandelli, & est ille, qui prodiit anno 1502. cum iam esset sui Ordinis Generalis, absque loco impressionis, cõtinens omnia ad litteram, quæ in antecedẽti nulla mutata syllaba, saluo quod in hoc Corrector, seu Cõtinuator addidit in principio Epistolam præliminarem sub hoc titulo: *Reuerendissimis ac colendissimis Patribus sacri Ordinis Prædicatorum Professoribus, huius libri Corrector, humile obsequium, & promptam obedientiam, &c.* Hunc autem Correctorem existimo fuisse Hispanum, atque Didacum Deza, vt dixi in Trituratione num. xxxi. Insuper liber ille adducit in principio Bullam, seu Constitutionem Sixti IV. incipientem: *Graue nimis*, in corpore autem habet quàmplures additiones, ac marginales notas, à Correctore additas. Ad finem autem libri adducuntur duodecim rationes, quare Religio Prædicatorum illam de sanctificatione Virginis post contractionem peccati originalis, ita tenaciter defendat. Deindè agit de auctoritate Concilii Basilientis. Denique cõcludit aferendo quandam reuelationem S. P. N. Francisci, ac Religionis eius sic: *De Statua mirabili quæ apparuit B. Francisco simili illi Statuæ Nabuchodonosor, in qua fuit prophetatum de quinque statibus Fratrum Minorum, cum expositione mirabili, & stupenda. Quæ quidèm visio extracta est à libro Floretorum S. Frãcisci, Venetijs à quodam notabili, & docto viro: liber autem ille est antiquissimus, & multa admiranda continentur ibidèm, & fuit transcripta præsentibus quinque testibus fidedignis, in anno Domini MCCCC. LVIII. idibus Septembris. Ponitur autem dicta visio in Floretis, impressis vulgari lingua capitulo Lxxxiii. licèt quædam verba malitiosè illic subticeantur, quæ in antiquis de manu inueniantur.* Et adducit visionem quæ sic incipit: *Cum semel S. Franciscus deuotè oraret, &c.* Hæc sunt quæ in illo libro Bandelli, iterum typis mandato, addidit illius Corrector, nam omnia alia extant in primo originali, ita vt neque accidentaliter quoad errata, & vitia impressionis, saltem vnam correxerit litteram: neque quoad essentialia, quia Auctores veros, & falsos, atque auctoritates vitiatas, & fictas, intactas dereliquit. Et sic nescio, quo titulo vocetur Corrector, sicut neque quo fundamento adduxerit illam visionem de statua Nabuchodonosoris figuratiua Religionis Seraphicæ? cum in prædicta reuelatione nihil sit pertinens ad Conceptionem Virginis Mariæ. Nisi vt omnibus modis macularent Fratres Minores? Sed propter hanc cœli, terræque Dominam, ac Verbi Diuini Matrem, obque defensionem eius incontaminatæ puritatis, libentissimè, ò Fratres, omne sustinemus, & sustinebimus opprobrium. At non obstante nostra patientia, necesse est ventilare paleas illas, ad indagandum solùm vnum veritatis granum. Et in primis certum est, quòd de visione illa mirabili, ac de statua visa à S. P. N. Francisco, suam Religionem præfigurante, dicitur, non solùm in Floreto, sed etiam in omnibus nostris Chronicis, in omnibus Legendis S. Francisci, in Annalibus, Speculis, ac Cõformitaibus: nihil enim inter nos est magis decantatum adhuc in cocionibus, colloquiis que. Hoc suppositio, totum illud, quod hic dicit Corrector Bandelli de transcriptione illa Venetiis facta à quodam notabili viro, præsentibus quinque testibus fidedignis, & quod in impressis quædam verba malitiosè subticeantur, &c. Totum est fictum, falsum, & malitiosè adductum. Voluit enim Corrector aliqua addere ex propriis in illa visione, in opprobrium Religionis Seraphicæ, & vt hoc posset efficere, absque eo quod deprehenderetur eius mendacium, aufugit ad antiqua originalia de manu existentia Venetiis. Ratio est concludens: hic Hispanus Corrector scripsit anno 1502. vt diximus in Trituratione, & constat ex eius libro. Anno verò 1492. prodierat Hispali excusum Floretum lingua Hispanica apud Menardum Vngut Alemanum in fol. & cap. 83. adducit illam visionem, à qua ipse transcripsit, ac finxit pro libito quidquid sibi in buccam venit: nam Floretum impressum Venetiis, neque antiquius, neque editum anno 1576. apud Petrum de Franceschi in 8. non habent caput 83. nec de tali statua mentio fit in toto libro Floreti. Mentietur ergo opus oliuæ, & arua non afferẽt cibum neque Floretum dedit fructum suum.

Tertius liber editus à Bandello pro sua opinione, est ille qui absque loco, & anno impressionis prodiit sub nomine Petri de Vincentia, Ordinis Prædicatorum, de quo egimus in Trituratione num. xxi. & xxv. quod autem sit Bandelli, atque nomen Petri de Vincentia fictum, & suppositum, persuadetur his rationibus. Prima, quia de tali Petro de Vincentia scriptore, nullus Nomenclator Ordinis Prædicatorum mentionem facit, neque ex professo, nec incidẽter. Secunda, quia non solùm Auctores, & auctoritates, sed etiã verba ipsa, vt sunt in Petro de Vincentia, extant ad litteram in Vincentio Bãdello, saluo quòd Bandellus addit aliquos Auctores, non existentes in opere Petri de Vincentia. Tertio, quia liber Petri de Vincentia est excusus characteribus Brixianis, vbi Bandellus residebat. Quarto, quia cùm liber ille fuerit excussus ante secundum, & tertium opus Bandelli, nunquam citat, & adducit pro sua opinione hunc Petrum de Vincẽtia. Quinto, quia neque Deza, nec Grysaldus de tali Petro Vincentino

men-

mentionem faciunt. Sexto, ex ſtylo, titulo, ac aſſumpto. Septimo, dato, quod fuerit Petri de Vincentia, vel Hieronymi Albertuccii, iſti tantummodo fuerunt Compilatores, ſeu Abbreuiatores operis Bandelli, & ſic ſemper refundētur in ipſum falſitates in tali libro contentæ. Ex his, & aliis exiſtimo Vincentium Bandellum, in ſua iuuentute edidiſſe hunc librum, & ficto nomine Petri, appoſuiſſet cognomē de Vincentia per reſpectum ad ſuum Vincentii, vt ſic ſub nomine alterius poſſet ſine aliqua erubeſcētia, periculo, & nota falſarii, fingere, & adulterare omnes auctoritates Sanctorum. Hoc ergo fundamento poſito, hic fuit primus. Deindè edidit ſecundum Anonymum, dicatum Comiti Petro de Gambara, in quo etiam ſuppreſſo nomine, auxit ſuas chimericas falſitates. Deindè edidit tertium, in quo reuelata facie adduxit Auctores, & auctoritates, exiſtentes in duobus antecedentibus Libellis, vitiatas, fictas, atque ſuppoſitas. Vt ſic ad omnem interrogationem poſſet dicere; Auctor iſte, vel auctoritas hęc, adducitur à Petro de Vincentia, & Anonymo in ſuis libris de Conceptione; ſicque in ſua ſacra Religione plures inuenirentur ſcriptores contra Immaculatam Virginis Conceptionem deriuati ab vnico fonte. Totum hoc confirmatur ex Antonin. Senenſi fol. 263. vbi loquens de Bandello ſic inquit: *Scripſit de Conceptione B. Virginis temporibus diuerſis, duo volumina, aliy verò aſſerunt quod tria, & vnum ex iſtis creditur eſſe illud, quod ſine Auctoris nomine habetur impreſſum, quod eſt recollectum ex auctoritatibus SS. Patrum, ad probandum ſententiam D. Thomæ, de Conceptione B. Virginis, & incipit: Veritatem meditabitur cor meum, &c. Aliud Opuſculum ſcripſit de eodem argumento, in quo ducētorum & ſexaginta Sanctorum & Doctorū teſtimonia citat, quibus eadem D. Thomæ ſtabilitur ſententia, & liber fuit diuerſis vicibus impreſſus, &c.* De his nulla eſt dubitatio, quia ipſemet Bandellus fatetur eſſe ſuos. Si autem ſcripſit tertium librum, ſeu volumen, vt dicit Senenſis, nō poteſt eſſe aliud, niſi ille Petri de Vincentia. Sed ſi Petrus de Vincentia eſt diſtinctus à Vincentio Bandello, tranſeat, quia de hoc nolo contēdere, præcipuè cùm Vincentia, & Vincentuis ſicut in nomine fuerint etiam ſimiles in decapitatione auctoritatum, & verborum adulteratione, ſicut Herodes, &c.

De hoc opuſculo edito ſub nomine Petri de Vincētia, ſcire debet Lector, quod Secundò fuit excuſus Tholoſæ. Tertio Panormi, & Quarto Venetiis in octauo, vt ſic illud occultè deuemineret per mundum ad decipiendum pauperes imperitos. Sed cognita aſtutia, ac falſitatum aggregatione in ipſo cōtenta à Supremo S. Inquiſitionis Tribunali die 30. Nouēb. ann. 1659. per publicum edictū fuit prohibitum eiſdēmet veris, quibus iam olim fuerat damnatum ab Academia Tolotana, vt videre eſt fol. 148.

Quartus liber, ſeu opus elaboratum à Vincētio Bandello pro ſua opinione, fuit Officium illud de ſanctificatione, de quo locuti ſumus in Trituratione, vbi potiùs videtur voluiſſe laudare peccatum originale, quàm exaltare merita, & prærrogatiuas Dei Matris; compoſuit Antiphonas, & Hynos, atque ex diuerſis dictis Sanctorum compaginauit nouem Lectiones Matutinales, in quibus non pauca interſeruit vitia, falſitates, atque adulterationes, vt ſuis locis manet indicatum, addens aliqua verba ex proprio cerebro, quaſi eſſent Sanctorum dicta, vt ſic nō ſolùm in ſcholis, ſed etiā in choro iuuenes, ac nouitii lac originaliter infectum ſub titulo ſanctificationis biberent. Hoc Officium ex inſtituto examinaui in noſtro Armamentario Seraphico, à colum. 220. vſque 277. ideo de ipſo nihil dicimus in hoc Ventilabro: illud tamen tacere non debeo dictum Ambroſ. Catharini in 2. opere in expurg. 2. Acici fol. 21. *Quidam verò, quod etiam grauius eſt, non fideliter has Auguſtini ſententias producunt, qui vocabulum Natiuitatis, quo vtitur Auguſtinus, in vocabulum Conceptionis commutant, ſicut ego offendi in eorum, & Opuſculis, & Officijs, quæ contra Immaculatam Dominæ Conceptionem de proprio ſpiritu edidere, &c.* Si ſpiritus fuit Bandelli infer quale erit Officium? Et hæc ſufficiant de Bandellianis fictionibus.

VINCENTIVS Herculanus, Ordinis Prædicatorum, & Epiſcopus Peruſinus, ſuper Lucam. *Ita Paul. Gryſald. Alphab. 5.*

VERITAS 308.

DE Hoc Auctore mentionem faciunt Antonius Senenſis fol. 267. Placentinus fol. 420 Michael Pius part. 2. lib. 4. col. 305. inter Epiſcopos, ad annum 1586. & infrà inter Scriptores ad ann. 1583. de operibus autem iſtius ſic inquit Ant. Senenſis: *Relatu autem aliquorum grauium virorum didici, quòd ſcripſerit ſuper Logicales libros Ariſtotelis, ſuper libros Metaphyſicæ eiuſdem ſuper libros de Anima Ariſtotelis, & quòd huiuſmodi Lecturæ in pretio habebantur Florētiæ.* Mich. Pius addidit, quòd ſcripſerit aliqua ſpiritualia. Gryſaldus verò ſic eum adducit: *Vincentius Herculanus Peruſinus, & Epiſcopus Peruſinus ſuper Lucam, & ſi ad manus meas non deuenerit.* Es his colligo aliqua. Primo, quòd Vincentius Herculanus non ſcripſit ſuper Lucam, ſi credendum eſt Nomenclatoribus Ordinis Prædicatorum. Secundo, quod nec etiam Gryſaldus vidit illud opus, vt ipſemet fatetur.

Sed

Sed illum adducit, ſicut adduxerat alios, in hoc Ventilabro ex ſola relatione. Tertio, quod videtur ridicula illa Gryſaldi nota: *Et ſi ad manus meas non deuenerit*, quaſi ſupponeret alios omnes ducentos triginta ſeptem Doctores à ſe adductos, omnes peruenille ad manus ſuas, ſed ego exiſtimo, quòd ex illis nec ſeptem ad manus ſuas peruenerunt, aut viderit vnum tantùmodo, & ſi vidit, fuit peſsimus ſcriptor, quia ſcripſit contra mentem. Si ergo de Herculano Peruſino viuente tempore ſuo contemporaneo, ac compatriota, nihil ſciebat, quid diceret de aliis, quos nec vidit, nec audiuit? Perge Lector infrà, & nota quæ dicimus num. 310. de altero Vincentio Septartio adducto ab eodem Gryſaldo. Concludimus ergo, quod Herculanus non ſcripſit ſuper Lucam, & ſi ſcripſit, nihil dixit contra Immaculatam Virginis Conceptionem, & ſi dixit, quòd fuit ex Ordine Prædicatorum, & ſic nihil probat in veritatis iudicio.

VINCENTIVS Hiſtorialis, Ordinis Prædicatorum, in Tract. glorioſo, quem de laudibus Virginis compilauit, in capit. de Sanctificatione. *Turrecrem. part. cap. 29. fol. 120. à tergo, Anonym. Auctore 72. Bandel. cap. 23. Dezà fol. 40. Vincent. & Gryſal.*

VERITAS 309.

HIC Communiter ab omnibus appellatus Vincentius Hiſtorialis, eſt Vincentius Burgundus, Epiſcopus Bellouacenſis, qui vixit ad ann. 1244 & compoſuit illos celebres libros Speculi, ſiuè Bibliothecę mundi, qui prodierunt Venetiis anno 1493. & Coloniæ 1494. atque vltimo Duaci, anno 1624. cum ergo Auctor notiſsimus ſit, pro opere notandum eſt: quòd ſub nomine huius Vincentii Bellouacenſis, ſiuè Hiſtorialis, prodiit quondàm Opuſculum de Laudibus Virginis Mariæ, excuſſum anno 1481. in folio, abſque loco impreſsionis, contextum ſolùm ex auctoritatibus Sanctorum, ita vt Auctor, ſiuè Compilator ex ſe, nec vnum ſolùm verbum in illo appoſuerit, ſed concatenando Patres, & dicta ipſorum in laudem Virginis Marię, adducit capita, ſiuè titulos 142. quorum caput 6. eſt de ſanctificatione Virginis in vtero Matris ſuæ, & incipit cum S. Ildephonſo, & illa auctoritate. *Denique ſi non in matris vtero.* Deindè adducit aliam auctoritatem S. Bernardi de Sermone Aſſumptionis ſic dicentis: *Hanc enim, vt dictum eſt, omnimodè conſtat ab omni originali cõtagio, ſola Dei gratia, priùſquam naſceretur, eſſe mũdatam, quam nimirum pietas chriſtiana, &c.* Inſuper ſcias Lector, quod hic idem numero liber prodiit etiam impreſſus in folio abſque anno, & loco impreſsionis ſub hoc titulo: *Incipit liber de Laudibus, ac feſtis, glorioſæ Virginis Matris Mariæ, aliàs Mariale dictus per Doctores Eximios editus, & compilatus.* Prologus autẽ eſt. *Quoniam de geſtis Beatiſsimæ Virginis &c.* Opus verò incipit: *Liber in laudem Mariæ Virginis glorioſæ, ex authenticis Scriptoribus contra apochripha editus, & cõpilatus.* Caput 1. *St Deum ore prophetico iubemur in Sanctis, &c.* cap. 6. agit de ſanctificatione Virginis in vtero, habetque etiam capita 142. & concludit ſic: *Explicit Petrus Damaſceni, de Laudibus glorioſæ Virginis Matris.* En iam vnus, idẽque liber habet duplicem Patrem, ſeu Auctorẽ Vincentium Hiſtorialem Bellouacenſem, & Petrum Damaſceni. Denique nota, quod Nicolaus Grenierus, Cænobita religioſæ Domus S. Victoris, hoc idem Opuſculum, ſeu librum edere curauit Pariſiis anno 1540. in 8. ſub nomine: *Theſaurus præconiorum Deiparæ Virginis Mariæ ex dictis authenticis contextus.* Et dicit eſſe cuiuſdam Monachi antiqui, & cap. 3. agit: *De puritate Conceptionis B. Virginis Mariæ*, à fol. 6. vſque ad 12. Ex his ergo conſtare videtur, Opuſculum illud de Laudibus Virginis, vel non eſſe Vincentii Bellouacenſis Hiſtorialis, Ordinis Prædicatorum, vel ſi eſt, ſaltem habemus vnum originale, in quo eſt caput expreſſum pro Immaculata Virginis Conceptione, & pariter magnum fundamentum, vt abſque vlla temeritate aliquis preſumat, dicat & affirmet, quẽdam P. Dominicanum non rectæ intentionis, abraſiſſe à Vincentio Hiſtoriali, & eius libro de Laudibus Virginis, titulum, ſeu caput, de puritate Conceptionis, & loco illius appoſuerit illud de ſanctificatione, nec hoc erit ipſis nouum ſuper terram, vt vidimus in Ventilabro, §. 1. ſed quidquid ſit de Auctore, & opere,

Auctoritatem ſic adducit Turrecremata: Item ad idem eſt eiuſdem Ordinis Pater Vincentius Hiſtorialis, in Tractatu glorioſo, quem de Laudibus Virginis compilauit, contextum ex auctoritatibus Sanctorum, qui in capite de ſanctificatione in vtero Virginis in teſtimonium, quòd in vtero ab originali peccato fuerit ſanctificata, inter alia inducit illud Bernardi in Sermone Aſſumptionis eiuſdem ſacratæ ſemper Virginis, quod manifeſtum eſt teſtimonium propoſiti, videlicèt: *Omnimodis conſtat ab originali contagio, ſola Dei gratia priùſquàm naſceretur, eſſe mundatam, &c.* Quod ſuperiùs ad longum extitit allegatum. Hæc ſunt ad litteram verba Turrecrematæ, Sed nota, & perpẽde, quomodo hunc eundem Auctorem, & autoritatem adducit Bandellus: Idem tenet D. Vincentius Hiſtorialis, Doctor Pariſienſis, & Epiſcopus, in quodam tractatu glorioſo de Laudibus B. Virginis, in titulo de Sanctificatione, ſic dicens: *Beata Virgo poſt ſui animationem*

nem fuit ſanctificata,& à peccato originali munda ta, vt puriſsima naſceretur. Hæc ille. Et hæc eadē verba adducunt Vincentia,& Deza, nulla mutata ſyllaba, ex quibus cōſtat euidēter, quod omnes illi fuerunt peſsimi vitiatores, ita vt ex tota auctoritate ab ipſis adducta ſolùm reperiatur in Vincētio ly, *naſceretur*, quia omnia alia ſunt ficta: qui ergo abſque Dei timore addiderunt in Vincentio verba illa, *poſt ſui animationem*, cur non eadem adderent in Sancto Thoma, & aliis ſuæ Religionis Auctoribus? Et qui ita adulterarunt auctoritatem, abſque dubio etiam vitiarunt titulum: *De puritate Conceptionis*, in illum, *de ſanctificatione*. Et hæc de littera.

Quātum verò ad mentem Vincentii Hiſtorialis. Dico primo, quod ex illa auctoritate Bernardi non colligitur, Virginem Mariam fuiſſe ſanctificatam ab originali contagio contracto poſt animationem, vt latè diximus ſuprà num. 44. auctoritate 1. quia ſi Aduerſarii ſemper, & vbique ſumunt natiuitatem pro natiuitate in vtero, quare non eodem modo vſurpant illam hìc? Et præcipuè, quando extat cum illa voce, cōtagium, quod omnes Doctores antiqui conſtituebant in carne & fœtu ante animationem: nam ſumpta hoc modo auctoritas pro nobis eſt. Secundo dico, quòd gratis admiſſo, quòd ibi loquatur S. Bernardus expreſsè contra Immaculatam Virginis Conceptionem, ex eo quòd Vincentius adducat illam auctoritatem; non ideò colligitur illum fuiſſe eiuſdem opinionis, dummodò ipſe nihil ibi ex propriis dixerit, vt non dicit; Compilatoris enim, & Collectoris ſolùm eſt fideliter tranſcribere auctoritates. Tertio, in eodem cap. 6. incipit Vincentius adducendo auctoritatem S. Ildephonſi Archiepiſcopi Toletani ſic: *Denique ſi non in matris vtero ſanctificata fuiſſet, eius Natiuitas colenda non eſſet: nunc autem quia in veneratione habetur auctoritate totius Eccleſiæ, conſtat eam ab ipſo peccato originali immunem fuiſſe, per quam non ſolùm Euæ Matris ſoluta eſt maledictio, verum etiam omnibus condonata benedictio. Nullis ergo, quando nata eſt, delictis ſubiacuit, nec originale peccatum in vtero ſanctificata contraxit.* Cùm ergo hæc ſit prima auctoritas illius capitis, prętermittere hanc & adducere illam Bernardi, fuit Aduerſariorum &c. Quòd autem Vincentius Hiſtorialis ſenſerit cum S. Ildephonſo, non autem cum S. Bernardo patet: nam in ſuo Speculo, ſeu Bibliotheca Mundi to. n. 4. lib. 6. cap. 64. loquens de ortu B. Mariæ Virginis prænuntiato per Angelum, & de inſtitutione feſti Natiuitatis, & quomodo in Eccleſia fuit introducta, cap. ſequēti, quod eſt; de bona indole eiuſdem Virginis Mariæ, ad finem habet hanc notulam: *B. Virgo ſine omni peccato. Auguſtinus in libro de Natura, & Gratia: Excepta itaque ſancta Virgine Maria, de qua, propter honorem Domini, nullam prorſus (cum de peccatis agitur) habere volo quæſtionem, &c.* Et proſequitur adducendo totam integram auctoritatem. Et cap. 65. Etiam adducit auctoritatem S. Ildephonſi ſupra relatam, ſed ſic: *Maria niſi in vtero Matris ſanctificata eſſet, minimè eius Natiuitas colenda eſſet, nunc autem quia auctoritate totius Eccleſiæ veneratur, cōſtat eam ab omni peccato originali immunem fuiſſe, per quam non ſolùm maledictio Euæ Matris ſoluta eſt, verum etiam benedictio omnibus condonata eſt. Nullis ergo, quando nata eſt, ſubiacuit delictis, neque originale peccatum in vtero ſanctificata cōtraxit.* Hæc ſunt verba Vincenti, in illo ſuo celebri, ac proprio opere Speculi Hiſtorialis, & ad marginem habet hanc notam: *Maria Virgo in vtero Matris ſanctificata, & immunis ab omni peccato originali.* Ergo Vincentius ſentiebat cum S. Ildephonſo, Virginem fuiſſe immunem à peccato originali, non quomodocumque, ſed *omni*. Et nota obiter Lector, vt iterum confirmes, librū illum de laudibus Virginis, & cap. 6. de ſanctificatione fuiſſe vitiatum, ex hac vna auctoritate S. Ildephonſi; quia iſtæ duæ auctoritates ex Speculo, & Mariali, in multis diſſonant, præcipuè, ac principaliter, quia vbi in Speculo dicitur: *Cōſtat eam ab omni peccato originali immunem fuiſſe*, in alio de laudibus Virginis dicitur ſic: *Cōſtat eam ab ipſo originali peccato immunem fuiſſe*; illę autem propoſitiones diuerſiſsimæ ſunt propter illam vniuerſalē ablatā, *ab omni*. Quarto dico, quòd in illo cap. 6. de ſanctificatione adducuntur auctoritates Ildephonſi, & Bernardi, atque etiam Alcuini, in lib. de Trinitate dicētis: *Ipſa*, id eſt, Maria *nēpe lana fuit mundiſsima, & virginitate clariſsima, &c.* Atque etiam Sancti Auguſtini in libro de Natura, & Gratia, dicentis: *Excepta Sancta Virgine Maria, &c.* Cùm ergo in illo capite adducantur quatuor ſancti Patres, & eorum auctoritates, quorum, & quarum tres extant pro omnimoda puritate Beatæ Virginis Mariæ, abſque vlla dubitatione, vel controuerſia; quare, vel vndè probant Aduerſarii, quòd Vincentius Hiſtorialis ſenierit cum vna Bernardi æquiuoca auctoritate, & non cum illis Ildephonſi, Auguſtini, & Alcuini? Eo maximè, quando in ſuo proprio opere Speculi (vt vidimus) adducit illas Auguſtini, & Ildephonſi, prætermittendo illam Bernardi?

Concluſio ergo eſt, quòd opus illud ab Aduerſariis citatum de laudibus Virginis, non eſt certum fuiſſe ſui Vincentii Hiſtorialis, ſed vel Petri Damaſceni, vel alterius Monachi, & dato, quòd fuerit Vincentii, præſumitur fuiſſe caput illud vitiatum, quoad totum, apponendo loco, *Conceptionis*, verbum, *Sanctificationis*, & quòd Aduerſarii prætermiſerunt auctoritatem Sancti Ildephonſi, & adduxerunt illam Bernardi, & hanc adulteratam; ac denique quòd Vincentius, ſiuè Auctor illius libri, in prædicto capite ſolùm intendit probare, Mariam fuiſſe ſanctificatam, ante quam de vtero exiret: hoc enim intendebant ſtatuere, & fundare in Eccleſia Catholica

Ecce anti-

antiqui ſcriptores, abſtrahendo ab illo, an fuerit poſt primum, vel ſecundum inſtans. Sanctificationem quærebāt in auctoritatibus, & nihil aliud, vt ex illis Spiritu Sancto afflatis Doctoribus cōſtaret, quod in ſacra Scriptura reperiri non poterat. Item quod Vincentius Hiſtorialis etiā numeratur inter noſtros à Petro Mōtio Auctore antiquo, c. 75. ſic dicēte: *Frater Vincētius Hiſtoriographus, &c. S. Dominici Conobita, &c. Tamen tenet Dominam noſtram ſine aliqua macula fuiſſe cōceptam, licèt non multas auctoritates adducat.* Et Patres mei vbi ſunt hodiè in Vincētio iſta verba, & iſtæ auctoritates, quæ in ipſo erant, licèt non multæ? Cogitate, dum ego ad aliud pergo.

VINCENTIVS Septartius Peruſinus, Ordinis Prædicatorum, in lectionib. 3. par. D. Thomæ. *Ita Paul. Gryſald. in Alphab. 5.*

VERITAS 310.

HVIVS Auctoris nulla extat notitia, aut memoria in ſcriptoribus Dominicanis, quare exiſtimandum eſt, Vincētium Septartium fuiſſe aliquem Lectorem communem, vel Magiſtrum Gryſaldi etiam Perutini, qui in Lectionibus quotidianis, factis ſtudentibus, dixit, vel ſcripſit, Virginem Dei Matrem fuiſſe in originali peccato conceptam. Niſi dicamus, hunc Auctorem etiam fuiſſe fictum à Gryſaldo: dixi enim, niſi, quia, quos adducit iſte bonus vir, ſunt in duplici differētia, aliquos tranſcripſit ex Turrecremata, Bandello, & Vincentia, alios verò licèt paucos, adduxit ex propriis, & iſti ferè omnes ſunt ficti. Nam ſolus ipſe adducit Alesnum. 1. & eſt fictus, Anſelmum Conturbienſem num. 24. ſimiliter fictū. Bruchardum Minoritam num. 54. fictiſsimum. Dominicum de Soto 68. ſine fundamento. Franciſcum Ferrarienſen nu. 78. abſque fundamento. Frāciſcum Herculanum nu. 79. ſemifictum. Gabrielem Bareletam num. 82. cum fundamento, & veritate. Ioannem Apeſtrin nu. 152. fictum, ac mendaciter adductum. Ioannem Bacconitanum nu. 153. Leonardum Manſuetum, nu. 206. fictum. Melchiorem Canū 217. æquiuocum. Nicolaum. Aleſium 221. ſuſpectum. Paratum nu. 235. falsò ac mendaciter. Paulinum Bernardinum 236. incertū. Sinibaldum Romanum nu. 286. fictum. Stephanum Canoniſtā nu. 290. fictum. Thomam de Vio Caietanum 300. cum fundamēto. Vincētium Bāchellum nu. 306. fictum. Vincentium Herculanum 308. ſuſpectū. Inter tot Auctores fictos, quid mirum quod hic vltimus, Vincētius Septartius, ſit etiā in rei veritate fictus, ſicut eſſe videtur, quādo de ipſo nulla notitia parua, vel magna in Nomēclatoribus Dominicanæ familiæ reperitur? Qui aliter ſenſerit, ipſum oſtendat manuſcriptum, nam impreſſum nullomodo faciet.

VINCENTIVS Valētinus, Sāctus, Ordinis Prædicatorum, in Serm. de Cōcept. & S. Annæ & Natiuitatis, & in multis Sermonibus. *Anonym. Auctore 45. Bādel. cap. 23. Deza fol. 38. Caietan. cap. 3. fol. 72. Vincēt. Gryſald. Melch. Can. 5. Iuſtin. Miechouien.*

VERITAS. 311.

SANCTI Vincentii Ferrer, cōmuniter dicti, Valētini, in Hiſpania, cuius opera fuerunt diuerſis in locis typis mādata, Lugduni 1525. & 1530. recognita per R. P. Fr. Simonē Bertherium, Ordinis Prædicatorū, & 1521 in 8. regali, & 1550. in 4. & 1539. in 8. & alibi primam auctoritatem ſic adducūt: Item ad idem eſt S. Vincentius, in Serm. de Cōceptione Virginis, ſic dicēs: *B. Virgo Maria fuit in originali peccato cōcepta, ſed eadem die, & hora, ſtatim poſt animationem fuit per ſanctificationē à peccato cōtracto mūdata, & ideò feſtum hoc debet referri ad ſanctificationem, & non ad Cōceptionem. Hæc ille.* Verba autem S. Vincētii, præallegato Serm. qui incipit: *Nondū erant abyſsi*, poſt quū egit de Virginis Cōceptione Diuinali, Angelicali, humanali, & ſcripturali, ſunt: *Quinta Cōceptio eſt maternalis, quando B. Anna in vtero ſuo ſancto ipſam cōcepit, & de iſta fit hodiè ſolēnitas. De nullo Sācto fit feſtū Cōceptionis, niſi Chriſti, & Virginis Mariæ. De Virgine autem fit triplici ratione. Prima, quia fuit impetrata digne. Secunda, quia fuit ſanctificata altè. Tertia, quia fuit cōſeruata firmè.* Deindè adducit aliquos modos ſanctificationis, & aſsignatis tribus, qui nō faciunt ad rem, ſic proſequitur: *Quartus eſt in vtero matris, vt Hieremias. Antequā exires de vulua ſanctificaui te, Hierem. 1. Sanctificatus eſt in vtero, quia dicit: Antequam exires de vtero. Quintus gradus eſt maior, & nō legitur niſi de B. Ioanne Baptiſta, qui poſt tres mēſes ante eius Natiuitatem fuit ſanctificatus: Spiritu Sācto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ. Luc. 1. Dicit Chriſoſtomus, quòd in Salutatione Virginis & Eliſabeth, quādo exultauit Ioannes in vtero, tunc fuit ſanctificatus. Sextus gradus, & ſuper omnes alios, eſt ſanctificatio Virginis Mariæ, quia nō quādo debuit naſci, nec in vltimo die, neque hebdomada, nec mēſe, ſed in eodem die, & hora, formato corpore, & anima creata, quia tunc fuit rationalis, & capax ſanctificationis, fuit ſāctificata. Auctoritas propria: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, &c. Quādo enim corpus glorioſæ Virginis fuit organizatum, & lineatum, & anima coniuncta corpori per creationem, tunc Altiſsimus ſanctificauit Tabernaculum ſuum.* Tandèm ſic cōcludit Sermonem. *Nōdum erant abyſsi, ſcilicèt, Euāgeliſtarum, Prædicatorum, Apoſtolorum, & Eccleſiæ determinatio-*

tionum, & ego iam concepta eram. Iſta ſunt omnia, quæ habet S. Vincentius in illo Sermone Conceptionis. Ex quibus patet, quòd aut auctoritas adducta ab Aduerſariis, eſt tota iniquè, ac mendaciter ficta, aut debent oſtendere alium S. Vincentium Valentinum, Ordinis Prædicatorum, qui ſcripſerit Sermonem alium de Conceptione, & in illo auctoritatem ab ipſis propoſitam demonſtrare, quòd quidèm impoſsibile erit: nam in hoc non extat illa clauſula: *Beata Virgo Maria fuit in originali peccato concepta*, nec illa: *Statim poſt animationem fuit per ſanctificationem à peccato contracto mundata.* Nec illa: *Et ideò feſtum hoc debet referri ad ſanctificationem, & non ad Conceptionem.* Habet ergo hæc prima auctoritas tot adulterationes, ac mendacia, quot verba. Et ſi hoc fecerunt in Sancto, ſuo, & noto Auctore, & comuniſsimo, quid agerent in non Sanctis, extraneis, & ignotis. O Domine Deus! & quando complebitur menſura hęc?

Quantum ad mentem S. Vincentii in hoc Sermone, & auctoritate, nota. Primo Lector, illa verba: *Quinta Conceptio eſt maternalis, quando B. Anna in vtero ſuo ſancto ipſam concepit, & de iſta fit hodiè ſolemnitas.* Quod hìc dicit Vincentius de cōceptione carnali, & ſeminis receptione in vtero Annæ, facta die 8. Decembris, vt verba iſta indicare videntur, & ſic clauſula illa: *Et de iſta fit hodiè ſolemnitas*, laborat in æquiuocum: quia licèt diceret: Et de iſta non debet fieri ſolemnitas, vt dicunt aliqui Doctores antiqui, nihil indè concluderetur contra Myſterium. Secundo, nota verba illa: *Sed in eodem die, & hora, formato corpore, & anima creata, quia tunc fuit rationalis, & capax ſanctificationis, fuit ſanctificata.* Si hìc diceret, vel adderet S. Vincentius ſolùm vnum verbum, ſic: Sed in eodem die, & hora, & inſtanti, vel puncto, ſanctificata fuit, finita erat tota cōtrouerſia, & ſolùm propter hoc Vincentius non eſt clarè, & expreſsè pro noſtra ſententia. Sed cùm dicat, quòd formato corpore, & anima creata, tūc fuit ſanctificata, quia tunc fuit rationalis, & capax ſanctificationis: ergo S. Vincentii mens, & ſententia fuit, quòd formato corpore, & anima creata, quando fuit rationalis, & capax ſanctificationis, tunc fuit ſanctificata: ſed in primo inſtanti fuit rationalis, & capax ſanctificationis, quòd Aduerſarii non negant, nec negare poſſunt: ergo in illo primo inſtanti ſanctificata fuit, ſecundùm Vincentium. Quod etiam confirmat ſequentibus verbis: *Quando enim corpus gloriosæ Virginis fuit organizatum, & lineatum, & anima coniuncta corpori per creationem, tūc Altiſsimus ſanctificauit Tabernaculum ſuum.* Quid clarius dicere poterat? Nota illud *tunc*: ergo in illo inſtanti, in quo corpus fuit vltimo organizatum, & anima coniuncta illo corpori organizato, tunc, Altiſsimus ſanctificauit illud Tabernaculum Marianum. O Patres mei! nihil ampliùs dicimus nos, nec aliquid ampliùs deſideramus à vobis: dicite ergo quod veſter ſanctiſsimus Vincentius Ferrer dicit, & profitetur ſinceriter, non verò quòd alius Vincentius finxit, & excogitauit contra veritatem.

Secundo, citant S. Vincētium in Serm. S. Annæ dicentes: *Idem dicit in Sermone S. Annæ*, & nullā adducunt auctoritatem. Sed ſi prima eſt ſuppoſita ficta, & falſa, vt vidimus, non minus hæc citatio: nam in prælegato Serm. qui incipit: *Habetis fructum, &c.* Solùm inuenio hæc verba circa finem: *Dico tertio, &c conſeruando Virginem tripliciter. Primo in vtero, quo formato corpore, & creato ſpiritu à Deo in eadem die, & hora fuit ſanctificata. Nouem mēſibus fuit in vtero matris ſancta, & benedicta, &c.* Et nihil aliud habet de hac materiam. Vide ergo, ô Lector! an hæc auctoritas ſit eadem, cum illa: *Beata Virgo Maria fuit in originali peccato concepta, ſed eadem die, & hora, ſtatim poſt animationem, fuit à peccato cōtracto mundata?* Ergo falſum eſt illud quod dixerunt Aduerſarii: *Idem dicit in Sermone S. Annæ*, cum in illo ſolùm reperiātur illa duo verba: *eadem die, & hora.* O Patres! *hora* eſt iam nos de ſomno ſurgere, vt in *die* honeſtè ambulemus. Deindè hæc auctoritas eſt pro nobis: nam ſi *nouem mēſibus fuit Maria in vtero matris ſancta, & benedicta*: ergo in illis nouem menſibus nec habuit peccatum originale, nec illa communi culpa maledicta nec fuit ſolùm ſancta, quando animata, ſed etiam in ipſo ſemine.

Tertio citāt Sermonem Natiuitatis Virginis Mariæ, & in hoc magis decepti ſunt, vel nos decipere voluerunt: nam in Sermone illo Natiuitatis qui incipit: *Ego Mater pulchræ dilectionis*, agit S. Vincentius de ſeptem gaudiis Virginis, ita vt de Conceptione, vel eius ſanctificatione, nec minimum habeat verbum, imò nec de ipſa Natiuitate: ſolùm enim loquitur de gaudiis Virginis, incipiendo ab Incarnatione Verbi vſque ad Virginis Aſſumptionem: vndè miror, quomodo Aduerſarii auſi fuerint dicere: *Idem dicit in Sermone Natiuitatis B. Virginis?* Hoc idem, & aliud idem, vos fingendo idem feciſtis; quia idem in quantum idem, ſemper natum eſt facere idem: prima auctoritas fuit mala, ſecunda peior, & tertia peſsima.

VLRICVS, Argentinenſis Epiſcopus, Theologus, Canoniſta Ordinis Prædicatorum in Sūma ſua lib. 5. cap. 2. & 3. & 5. & 7. & 27. *Turrecrem. cap. 29. fol. 119. & alibi Anonym. Auctore 58. Bandel. cap. 23. Dezā fol. 41. Vincent. Gryſald. Brixienſis.*

VERITAS 312.

NOMENCLATORES Ordinis Prædicatorum, ex vna parte deſiderantes ex ingenti multitudine Doctorum ſuam magis, ac magis illuſtrare Religionem; & Aduerſarii ex altera anhelantes, vt

agglomerarent in dies nouos teſtes contra Immaculatam Virginis Cõceptionem ex ſola tranſmutatione litterarum in omnibus Auctoribus variatione titulorum, in operibus tot, tantoſque multiplicarunt, vt ex vno indiuiſibili ferè ſemper quatuor, & aliquando ſex diuerſos introducant: extat præmanibus exemplum in hoc Vlrico Argentinenſi. Suppono ergo pro indubitato principio, quòd Auctor iſte fuit, & præcipuè ſcripſit ſuper Sẽtentias, & Summam valdè notabilem, licèt opera iſta nũquam fuerint typis mandata: omnes dicunt fuiſſe Alberti Magni diſcipulum, & vixiſſe ad ann. 1280. ſic Ioannes Trithemius Nomenclator Germanus in Cathalogo illuſt. viror. Germ. fol. 141. & in Cathal. de ſcriptor. Eccleſ. fol. 71. Ioann. de Friburgo, Ord. Prædic. in 1. Prolog. ſuæ Summæ referens opera à ſe viſa pro ſuo opere, inquit: *Item Patris Vlrici quondam Lectoris Argẽtinenſis, eiuſdem Ordinis, qui quamuis Magiſter in Theologia non fuerit, ſcientia tamen Magiſtris inferior non extitit, vt in libro ſuo, quem de Theologia, quam Philoſophia ſcripſit euidenter innoteſcit, & famoſorum Lectorum de ſcholis ipſius egreſſorum numerus proteſtatur, vndè poſteà Prouintialatus Theutonicæ laudabiliter adminiſtrato officio Pariſijs ad legendum directus ante lectionis inceptionem, ibidem à Domino eſt aſſumptus.* Et de inceps de hoc Vlrico paſsim in ſua Summa tranſcribit ſententias integras, ſicut etiam Dionyſius Carth. ſuper Sententias, & ſic de Auctore, & opere non eſt dubitandum.

Sed iam incipiamus videre, quantos introduxerunt ad vmbram iſtius? Leander Albert. à quo omnes Nomenclatores tranſcripſerũt, lib. 4. fol. 137 inquit: *Hulrico Theutonico Sineti Baccalario cũ Sũma magna Theologiæ ſubtili, & Cõmentarijs ſuper Sẽtentias eodem anno florẽte*, & ſtatim quaſi de alio. *Hugonẽ olim Præfidẽtem Cœnobij Argentinatis cum ſuo Theologiæ Cõpendio* 1278. Et iterũ infrà. *Nec Vlricum Theutonicũ, cognomento Elgelbertum, virum doctrinæ præſtãtiſsimum, qui licèt non fuerit Doctoribus Theologiæ adſcriptus, nequaquam tamen eis extitit inferior, vt videri poteſt in libro ab eo edito, quo enodantur nodi plures tã in Theologia, quàm in Philoſophia, &c. Tãdem poſtquam Prouinciæ Theutonicæ præfuerat omnium cum immenſis laudibus Paryſium accitus, vt litteras profiteretur, priuſquam id attingeret, vita ceceſſit anno Domini* 1277. Et iteram infrà fol. 139. à tergo, inquit: *Et illũ Argentinenſem Vlricum nomine, num vides olim Magni Alberti Diſcipulum deferentẽ Summam Theologiæ, cum nonullis opuſculis à ſe ſcriptis.* In his quatuor repetitionibus iã habemus quatuor diſtinctos Vlricos Theutonicos Argentinenſes, diſcipulos Alberti Magni, & ſcriptores Summarum Theologiæ. Antonius Senenſ. qui ſcripſit poſt Leandrum, fol. 119. adducit Hugonem de Argentina ex Epitome Geſneri ad ann. 1268. & infrà fol. 120. Hulricum de Argẽtina ad ann. 1272. ex Monum. Ordinis, & fol. 268 adducit Vlricum Engelbertum Theutonicum ad ann. 1277. ex Monument. Ordin. & Leandro, & infrà adducit Vlricum, vel Vldaricum Germanũ Argentinenſem, Alberti Magni diſcipulũ ad ann. 1280. & infrà alium Vlricum Theutonicum, qui ſcripſit Sũmam, & ſuper Senten. ad ann. 1262. ecce qui apud Leãd. Bononienſem erant quator, iam in Anton. Senẽſi ſunt quinque. Mich. Pius par. 2. lib. 1. ab anno 1262. vſque ad ann. 1281. adducit eoſdem. Alph. Fernan. Placẽtin. in ſua Cõcertatione Præd. adducit eoſdem, & ſuperaddit alterũ Hẽricum, diſcipulum Alberti Magni ex Ant. Poſſeuino, vt videre eſt fol. 373. qui etiam ſcripſit ſuper Senten. & ſic iam ex vno facti ſunt ſex. Fratres mei non tantum ſex, ſed multiplicatè ſexcentos, dum tamen non ſit contra honorem, ac puritatem ſacratiſsimæ Virginis Mariæ.

Auctoritatem huius Vlrici ſic adducit Turrecrem. Item, ad idem eſt eiuſdẽ Ordinis P. Dominus Vlricus Argentinenſis, qui licèt nõ fuerit Magiſter mortè præuentus Pariſius tẽporẽ Bacchalariatus, veruntamen ſicut Religione, ita doctrina fuit clariſsimus, ſicut opera multa, & glorioſa ab eo edita euidenter teſtãtur in Sũma ſua lib. 5. cap. 2. poſtquam probauerat, quòd nullus ſanctificari poterat in parentibus, neque in ipſa Conceptione dicit: *Matrem Dei credimus ſubitò poſt animationẽ eſſe ſanctificatam, vt verè poſſit dicere illud Eccleſ. 24. ab initio durationis meæ in eſſe naturali, eo modo, quo dicitur Ioannis 8. iſte homicida fuit ab initio, id eſt, parum poſt initium ſuæ durationis, & ante ſæcula, quãtum ad dignitatis prioritatem, creata ſum, id eſt, de nihilo peccati producta ad eſſe gratiæ ſanctificationis.* Et infrà in eodem ait: *Ex hac ſanctificationis cauſa feſtum alicubi colitur, licèt ab Eccleſia nõ approbetur propter vicinum errorem, tamen ſuſtinetur, quòd alij celebrent Cõceptionem B. Virginis, non referentes hoc gaudium ad conceptionem ſeminum, ſed naturarum quæ eſt in infuſione animæ. Nec illam celebrãt, quia fuit in peccato, ſed ex ratione ſanctificationis ſibi ex vicino cõiunctæ. Hæc ille.* Etiam eiuſdem ſententiæ eſt in 3. capitulo ſequẽti, diſtinguens triplicem ſanctificationem eiuſdem. Hucuſque ſunt verba Turrecrem. par. 6. cap. 29. ſed infrà par. 9 cap. 11. fol. 180. à tergo loquens de Concilio Baſilienſi, & Cõceptionis feſto, ſic iterum illam adducit. Et Dominus Vlricus in Summa 3. lib. cap. 2. primi tractatus ita de hoc dicit: *Licèt ab Eccleſia non approbetur propter vicinum errorem, tamen ſuſtinetur quòd alij celebrẽt Conceptionem B. Virginis, non referentes hoc gaudium ad cõceptionem ſeminum, ſed naturarum, quæ eſt in infuſione animæ. Quia vt dicitur, ff. de diuor, l. diuortij vxor in breui reuerſa, nec diuertiſſe videtur. Idem, etiam dicitur in Decret. de Pœniten. diſt. 1. Nihil inter eſſe reputatur, vbi parũ intereſt. Hæc ille.* Iam vides Lector, quod hæc auctoritas ex omni parte eſt eadem cum antecedenti.

Ano-

Anonym. qui ſcripſit poſt Turrecrem. ſic inquit: *Idem tenet D. Vlricus, Epiſcopus Argentinus in Summa ſua lib. 5: cap. 27.* & nihil ampliùs: quia nullam adducit auctoritatem. Bandellus vero, & Vincentia ſic vnanimiter: *Idem tenet D. Vlricus Argẽtinus magnus Theologus, & Canoniſta in 5. lib ſuæ Summæ cap. 5. & 7.* Gryſaid ſolùm dicit: *Vrrigo de Argentina lib. 5. ſuæ Summæ cap. 5. & 7.* His ergo ſecundùm veritatem conſtitutis, ex Aduerſariorum dictis,

Dico primo, quòd ſolus fuit vnus Vlricus Argentinenſis, diſcipulus Alberti Magni, qui ſcripſit Summam, & fortè etiam ſuper Sententias, & Hugo de Argentina poſitus ſupra nu. 124. eſt idem cum iſto: quòd probatur ex tempore, in quo vixerunt, ex nomine, & cognomine, opere atq; circunſtantia diſcipulatus Alberti Magni. Non enim eſt credibile quòd ab anno 1262. vſque 1281. haberet Albertus Magnus ſex diſcipulos Theutonicos, ſeu Germanos, Argentinenſes, & omnes in Religione Dominicana, appellatos ferè eodem nomine, ſcilicèt, Hugo, Vlrico, Hulorico, Vrrigo, Hurrico, & Henrico, & quod omnes ſcriberent Summas Theologiæ? Secundo dico, quod illud Anonymi de Epiſcopatu Vlrici fuit gratis dictum, habens ſolùm pro fundamento, quod Turrecremata vocauerit illum Dominus. Et iudicauit Anonymus, quòd Dominus, & frater non compatiebantur: tum quia nullus Nomenclator vocat illum Epiſcopum. Tum quia ſi cùm eſſet Bacchalaureus antequam inciperet legere Pariſiis, morte fuit præuentus, quomodo fuit Epiſcopus? Tertio dico, quòd ſolus Turrecremata ex omnibus Aduerſariis vidit Vlrici Summam, quod conſtare videtur ex eo quòd ſolus ipſe adducit auctoritates, niſi fortè illas prætermiſerint ob aliam ſuperiorem rationem ſtatim aſsignãdam. Item quia nullus cohæret alteri in citationibus: quomodo enim eſt veriſimile, quòd Vlricus florens tempore SS. Thomæ, ac Bonauenturæ in eademmet Sũma & libro ageret de Conceptione in quinque locis diuerſis, ſcilicèt, cap. 2. & 3. & 5. & 7. & 27. ſed quidquid ſit de his, & aliis incongruentiis, per te notis,

Auctoritas Vlrici, vel Vdalrici in præallegata Summa lib. 5. (& exat in Dionyſio Carthuſiano in 3. Senten. diſt. 3. quæſt. 1. fol. 26. col. 2. in principio fideliter tranſcripta) ſic ſe habet: *Quia præuentio iſta in benedictionibus dulcedinis ad laudem pertinet præuentoris, ſequitur quòd quanto quis maiori gratia ſanctificationis laudabilior efficitur, tãto plus in eo hæc gratia acceleratur. Qua propter Matrem Chriſti omni laude digniſsimam credimus ſubitò poſt animationem, id eſt, animæ ſuæ infuſionem eſſe ſanctificatam. Ioannes verò citiùs Ieremia, ſed tardiùs Maria fuit ſanctificatus, vtpotè ſexto menſe à ſua conceptione, quando Mater eius à Matre Chriſti eſt viſitata. Suſtinetur tamen ab Eccleſia quòd aliqui celebrant Conceptionem B. Virginis non referendo hoc ad conceptionem ſeminum, ſed naturarum, quòd fuit in animæ infuſione: nec illam celebrant ſecundùm ſe, quoniam fuit in peccato, ſed ratione ſanctificationis ſibi è vicino adiunctæ. Triplex autem ſanctificatio data eſt Virgini gloriosæ. Prima in vtero ſuæ Matris. Secunda in Conceptione Filij Dei, in qua fomes in ea extinctus eſt penitùs, & tota natura eius in anima, & corpore perfectè ſanctificata eſt, ita vt ex ipſa acciperetur, & formaretur Corpus Chriſti. Tertia ſanctificatio eius fuit ex inhabitatione Filij Dei in vtero eius, qui tanquam ignis conſumens requieuit in vtero eius ſex menſibus, ſicut ignis in rubo conſumens in ea omnem poſsibilitatem ad malum, ipſam confirmando in bono perfectionis, vt non ſolum à bono deflecti non poſſet, ſed nec à bono perfectiori ad ſtatum minus perfectum poſſet tranſire: ſicque tota eius natura luce diuinitatis extitit perluſtrata, ac mirare ſplenduit puritate.* Hæc eſt Vlrici auctoritas, ex qua Turrecremata tres ſuas ſupra poſitas tranſcripſit. Sed qua fidelitate quoad litteram, tu Lector iudica, conferendo verbatim vnam cum altera, quia ſi illæ duæ clauſulæ, *vt verè poſsit dicere, &c.* vſque ad finem primæ auctoritatis, & aliæ: *Quia vt dicitur, &c.* vſque ad finem etiam vltimæ fuerunt fictæ, ac ſuppoſitæ à Turrecremata, vt euidenter conſtare videtur ex ſupra dictis; ab initio mundi non eſt excogitata æqualis temeritas; dixi conditionaliter; ſi ille duæ clauſulæ fuerunt intruſæ à Turrecremata, quia ego minimè credo, quòd homo doctus, catholicus, ac Religioſus talia potuerit machinari contra veritatem, & ſacratiſsimam Dei Matrem, ſed quòd in aliquo originali manuſcripto illa inuenerit verba, at in tali caſu, ad canonicam purgationem tenentur oſtendere tale originale, & hæc de littera.

Quantum ad ſenſum duæ ſunt clauſulæ, quæ in hac Vlrici auctoritate videntur eſſe pro opinione contraria, & cõtra noſtram præſeruationem. Prima eſt illa: *Credimus ſubitò poſt animationem, id eſt, animæ ſuæ infuſionem fuiſſe ſanctificatam;* ſed hæc non eſt expreſſa, nam ly *ſubitò*, poteſt referri ad poſterioritatem naturæ. Secunda eſt illa. *Non referendo ad cõceptionem ſeminum, ſed naturarum, quod fuit in animæ infuſione, nec illam celebrant ſecundùm ſe, quoniam fuit in peccato*, id eſt, illa conceptio expreſſa ſeminum. Cùm ergo noſtra controuerſia non ſit de illa cõceptione ſeminum, ſed de hac naturarum, ſeu animatione; nihil in rei veritate dicit Vlricus expreſsè, aut formaliter cõtra noſtram ſententiam. Imò potiùs ex prædicta auctoritate cõfirmatur euidenter, quòd ſæpè diximus, & paſsim demonſtrauimus in toto hoc libro, ſcilicèt quòd Doctores antiqui ſolùm dicebant, conceptionem ſeminum factam die 8. Decembris non eſſe feſtiuãdam, niſi per ordinem ad conceptionem naturarum, quæ fiebat in infuſione animæ. An verò hæc ſanctificatio fuerit in ipſamet infuſione animæ, vel poſt ipſam infuſio-

sionem animæ, posterioritate naturæ, vel temporis, vt inplurimum omnes omittunt, aliqui vero vltra progrediendo se explicarunt. Primi absque fundamento adducuntur, secundi secundùm eorum verba iudicandi sunt.

VVILIERMVS Doctor Canonista, in Summa sua, in titulo de Feriis. *Ita Anonymus par. 2. via 3. Auct. 193.*

VERITAS 313.

POSTQVAM Anonymus in Classi vltima de Auctoribus Canonistis adduxisset Guillielmum in Speculo iudiciali, in titulo de Feriis, & deindè Guillielmum Episcopum Metensem, ac tàdem Compilatorem Speculi Iuris, quod dicitur Summa Summarum, in titulo de Feriis, immediatè post Auctore sequẽti sic dicit: *Idem tenet Vviliermus in Summa sua, in titulo de Ferijs*, & nullam adducit auctoritatẽ. Gryfaldus autem cum Turrecremata, & Bandello, in Indice de Canonistis, Auctore 1. inquit: *Auctor Speculi, qui Summa Summarum dicitur, tit. de Ferijs, quæst. 8. &c.* Auctor ergo hic non solũ est fictus, sed octies est multiplicatus, vt videre est num. 61. & 105. 106. 107. 108. 109. & 288. nam hic Vviliermus est ille communissimus Doctor, vocatus Guillielmus Durandi, Episcopus Metensis, compilator Iuris Canonici, Auctor illius libri dicti: Speculum Iuris, siuè Summa Summarum: nam vt inquit Gesnerus, fol. 296. col. 2. ad finem: *Solent autem Itali, & Galli VV. litteræ Germanicæ, quæ valet digramma Æolicum G. eon sonantem præponere, & V. simplex scribere, vt Guilielmus pro Vvilielmus.* Hic ergo Guillielmus, vel Vviliermus, titulo de Feriis agit de festiuitate Conceptionis: vnde Anonymus ad multiplicandos Doctores pro sua sententia, transmutando G. in V V. ex Guillielmo fecit alterum Vviliermum. Et hæc non est cõiectura, sed res per se nota, quia talis Vviliermus in tota Nomenclatura Iuris Canonici non inuenitur: ideò Anonymus tacuit auctoritatem, vt ex ipsa non comprehenderetur eius fallacia. Alii autem scribẽtes post ipsum, cognoscentes hanc claram, ac per se notã multiplicationem, prætermiserunt Vviliermum, & sic in ipsis solùm septies est multiplicatus, in Anonymo verò octies, vt videre est in suprà citatis numeris; & hæc de Auctore.

De Auctoritate nihil possumus affirmare, supposito quod illam tacuit Anonymus; habet enim Guillielmus, siuè Vvillielmus duplicem Sũmam: vna dicitur Speculum iuris, siuè Sũma Sũmarum, & in titulo de Feriis habet auctoritatem, quam dimus nu. 108. Item ad Summam Raymũdinam edidit Apparatum, & in tit. de Feriis, etiam loquitur de festiuitate Cõceptionis, illa quæ videre poteris num. 109. & sic de hoc Auctore nihil speciale occurrit.

ZACHARIAS Gryfopolitanus Episcopus, super Lucan, cap. 1. *Ita Bandell. cap. 20. Deza fol. 34. & Gryfald. Alphab. 3.*

VERITAS. 314.

HIC Auctor communis est, vixitque secundùm Nomẽclatores ad ann. 1100. & scripsit libros quatuor in Concordiam Euangelicam Ammonii, & extant in Bibliotheca VV. PP. editionis Colonienfis tom. 12. in principio, & etiam seorsim Basileæ anno 1535. in folio, cuius primam auctoritatem sic adducũt Aduersarii: Idem tenet Dominus Zacharias, Gryfopolitanus Episcopus, qui de Concordia Euangelistarum opus insigne edidit, & ex sententiis Sanctorũ Doctorũ subtiliter exposuit. Hic exponens illud Lucæ 1. Spiritus Sanctus superueniet in te, sic dicit: *Nos quippè & si Sancti efficimur, non tamen Sancti nascimur. Dicente Propheta: In iniquitatibus conceptus sum. Iesus verò solus veraciter Sanctus natus est, quia ex cõmixtione carnalis copulæ cõceptus non est.* Hæc auctoritas ad litteram extat in Zacharia cap. 3. nisi quod adulterarũt vnũ verbum principalissimum, quod est totius auctoritatis, & sententiæ cardo, scilicèt, *verò solus veraciter*, quòd nõ extat in Zacharia. Item quod hæc auctoritas nõ est ad illa verba, *Spiritus Sanctus superueniet in te*, vt dicũt Aduersarii, sed ad illa, *ideòque quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur*, mutarunt enim titulum, vt sic indicarent, quòd non loquebatur Zacharias de Natiuitate, sed de Conceptione. Sed fortè dicent, quòd hanc auctoritatem non trãscripserunt ex ipso Zachariæ textu, sed ex Catena S. Thomæ, vbi ad illa verba, Spiritus Sanctus superueniet in te, ex S. Gregorio lib. 18. Moral. inquit: *Ad distinctionẽ autem nostræ sanctitatis Iesus singulariter Sãctus nascituru asseritur. Nos quidem, & si Sancti efficimur, non tamen nascimur, quia ipsa naturæ corruptibilis contagione cõstringimur: ille autẽ solus veraciter sanctus natus est, qui ex cõiunctione carnalis copulæ conceptus non est.* Si ex hac auctoritate trãscripserũt Aduersarii illud, *solus*, hæc verba non extant in Catena sub nomine Zachariæ, sed S. Gregorii, & sic hæc auctoritas iam est duplicata, quia illam adduxerũt nu. 95. auctor. 3. in originali autem Zachariæ ad marginem habet, *Bedam*, & ex hac parte etiam est triplicata, quia in rei veritate est Bedæ, vt videre est suprà num. 41. auctor. 3. vide ibi.

Secundam auctoritatem sic adducũt: Item idem in eodem: *Quia*, inquit, *Pater omnipotens humano modo locutus ait: Pœnitet me fecisse hominem; videtur sibi displicuisse in peccatoribus, in solo autem Chri-*

Chriſto ſibi cõplacuit, quia eum hominem creaſſe nõ pœnituit, in quo ſolo nullũ peccatum inuenit. Hæc ille. Hæc autem auctoritas ſic extat in Zacharia cap. 14. *Quod verò Matthæus dicit: In quo mihi cõplacui, ita exponitur: Qui pœnitendo, corrigit, quæ male fecit, in quo pœnitet, ſibi diſplicet quod fecit. Et quia Pater omnipotens humano modo locutus ait: Pœnitet me feciſſe hominem, videtur ſibi diſplicuiſſe in peccatoribus. In ſolo autem Chriſto ſibi complacuit, quia non ſe eum creaſſe hominem pœnituit, quando quidèm nullum in eo peccatũ fuit.* In hac auctoritate de prioribus verbis nihil curamus, quia non ſunt ad rem; ſolùm de vltimo notare debes, quod vbi Zacharias, *nullũ in eo peccatum fuit*; ipſi vitiando textum appoſuerunt, *in quo ſolo* nullum peccatum *inuenit*, addẽdo ly, *ſolo*, & vitiãdo illud *fuit*, nam verbũ hoc denotat peccatũ actuale, ipſi verò, vt omnia vniuerſaliter coprehẽderẽt, tranſcripſerunt, *inuenit*. Sed etiam poſſunt dicere, quòd verba deſumpſerũt ex Catena Aurea S. Thomæ, in qua ad cap. 3. Lucæ, ad illud: *Factũ eſt autẽ cum baptizaretur, &c.* col. 848. ex auctoritate S. Gregorii ſuper Ezechielem, inquit: *Et quia omnipotens Pater humano modo de peccatoribus locutus eſt dicẽs: Penitet me feciſſe hominem, quaſi ſibimet ipſi diſplicuit in peccatoribus, quos creauit, in ſolo autem Chriſto ſibi cõplacuit, quia in ſolo eo noa inuenit culpam, in qua ſe reprehendat quaſi per pœnitentiam.* In hac Gregorii auctoritate extant duo verba illa, *ſolo*, &, *inuenit*, ficta in Zacharia, ſed ſi hæc ſunt Gregorii, & vt talia citantur à Sãcto Thoma, & ab ipſis Aduerſariis, vt vidimus ſupra num. 95. auctor. 5. & in venerabili Beda, vt etiam vidimus nu. 41. auctor. 4. & tãdèm in Rabano Mauro, vt diximus nu. 262. ex vno indiuiſibili teſtimonio quatuor diuerſos teſtes adducunt cõtra Immaculatam Virginis Cõceptionem, quid reſtat, niſi dicant ſuæ opinioni: ego te augebo, & multiplicabo à ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinem Zachariæ: nã Abel primus in hoc Cathalogo eſt multiplicatus, ſicut hic Zacharias, vltimus eſt, multiplicatus, & vitiatus, & penultimus in opere.

ZOZIMVS Papa, Sanctus, in quadam Epiſtola, vt recitat Auguſtinus in Epiſtola ad Optatum, de origine animæ. *Anonym. Auct. 2. Bandell. cap. 18. Deza fol. 27. Vincent. & Gryſald.*

VERITAS 315.

ZOZIMVS, qui poſt Innocentium Primum rexit Eccleſiam Dei, anno vno, & menſes nouem, damnauit hereſim Pelagij; litteras miſit ad vniuerſos Epiſcopos: cuius auctoritatem ſic adducit Anonymus: Idem tenet B. Zozimus Papa, qui etiam determinauit: *Quòd omnes pueri ex quibuſcumque parentibus ſe minaliter nati, contrahunt originale peccatum, vt dicit Auguſtinus, in Epiſt. ad Optatum de origine animæ.* Bãdellus, & Vincẽtia ſic: Itẽ idem tenet B. Zozimus, qui ſucceſsit Innocentio, & damnauit etiam Pelagium, in quadam Epiſtola directa ad quoddam Concilium in Africa celebratum, vbi ſic habetur, vt recitat Auguſtinus in Epiſtola ad Optatum de origine animæ: *Sumus*, inquit, *Chriſti ſanguine liberati, nullus enim, niſi qui peccati ſeruus eſt, liber efficitur, nec redẽptus dici poteſt, niſi qui verè per peccatũ fuit ante captiuus, ſicut ſcriptũ eſt: Si filius vos liberauit, verè liberi eritis; per ipſum enim renaſcimur ſpiritualiter, per ipſum crucifigimur mundo, ipſius morte, mortuis ab Adam omnibus nobis, introductæ, atque tranſmiſſæ vniuerſæ animæ illud propagine contractum chirographum rumpitur, nec vllus omninò natorum eſt, qui antequàm per Chriſti gratiam liberetur, peccato nõ teneatur obnoxius. Hæc ille.* Verba autem Zozimi, vt recitantur ab Auguſtino tom. 2. in prælegata Epiſtola in ordine 157. quæ incipit: *Domino Beatiſſimo*, in qua agit de origine animæ impugnans duas hæreſes Pelagii, videlicèt animas parvulorũ nihil mali ex Adam trahere; quod ſit lauacro regenerationis expiandum, inquit Auguſtinus de illa Pelagii hæreſi: *Conantur efficere, animas parvulorum nihil mali ex Adam trahere, quod ſit lauacro regenerationis expiãdum*, & de altera: quod anima, & caro erant ex traduce, inter alia illas impugnat Auguſtinus ſic: *Nõ eſt enim falſa etiam in parvulorũ baptiſmate remiſſio peccatorum, nec verbotenus dicitur, ſed veraciter agitur. Nam vt iam verbis vtar, quæ in ipſa Epiſtola Beatiſſimi Antiſtitis Zozimi legũtur. Fidelis Dominus in Verbis ſuis, eiuſque Baptiſmus re, ac verbis, id eſt, opere, cõfeſsione, & remiſsione vera peccatorũ in omni ſexu, ætate, cõditione generis humani eandem plenitudinem tenent. Nullus enim, niſi qui peccati ſeruus eſt, liber efficitur, nec redẽptus dici poteſt, niſi qui verè per peccatũ fuerit ante captiuus, ſicut ſcriptũ eſt: Si vos filius liberauit, vere liberi eritis. Per ipſum enim renaſcimur ſpiritualiter Per ipſum crucifigimur mũdo. Ipſius morte mortis ab Adam omnibus modis introductæ, atque tranſmiſſæ vniuerſæ animæ, illud propagatione cõtractũ Chirographum rũpitur, in quo nullus omninò natorum, antequam per Baptiſmum liberetur, nõ tenetur obnoxius.* Hucuſque eſt auctoritas Zozimi, & proſequitur Auguſtinus ſic: *In his enim verbis Apoſtolicæ Sedis, tam antiqua, atque fundata, certa, & clara eſt Catholica Fides, vt nefas ſit de illa dubitare chriſtiano &c.* Hæc ſunt Zozimi verba, & Auguſtini, ex illa Epiſtola, quæ iam nõ extat, vt notatur in margine ipſius Auguſtini fol. 273. nouiſsimæ impreſsionis. In quibus Aduerſarii adulterarunt ſequentia.

Primo, addiderunt illud, *ſumus Chriſti ſanguine liberati*, nam licèt hoc ſit de Fide, tamẽ nõ extat in auctoritate Auguſtini. Secũdo, prætermiſerunt totam illam clauſulã, *Fidelis Dominus, &c.* Vbi Auguſtinus, & Zozimus manifeſtãt, quòd loquan-

quantur de generatione Baptiſmi. Tertio, mutauerunt illud, *propagatione*, in, *propagine*, vt alibi ſæpè fecerunt, ſunt enim diuerſa. Quarto, grauiſsimè vitiãtes, vbi textus habet, *in quo nullus omninò natorum*, ipſi ſic, *nec vllus omninò natorũ*; abſtulerunt enim illud relatiuum, *in quo*, quia in illo exprimebatur, *in quo*, fueramus obnoxii, ſcilicèt in Adam, & appoſuerunt illam negatiuam, *nec*. Quinto, illud, *antequã per baptiſmum*; ipſi ſic, antequam per *Chriſti gratiam*, vt ita occultarent hęreſim damnatam. Sexto, addiderunt ly, *peccato*. Iſtæ ſunt ſex adulterationes principales quoad litteram, & aliæ multò maiores ſunt quoad ſenſum: nam ibi probat Auguſtinus, quòd animæ nõ ſunt ex traduce, nec anima contrahit peccatum originale, quia proueniat à parentibus, ſed quia omne genus humanũ erat in Adam, cuius morte mors in omnibus introducta eſt, à qua nullus natorum liberatur, niſi per baptiſmũ, & regenerationem in Chriſto, in quo renaſcimur ſpiritualiter poſt natiuitatem. At Virgo Maria renata eſt ante baptiſmum in vtero Matris ſuæ, ante natiuitatẽ. Et ſic hæc auctoritas, ſi aliquid probat, æquè militat contra ſanctificationem, ac præſeruationem. Deindè hæreſis Pelagiana, contra quam Auguſtinus adducit hanc auctoritatẽ Zozimi, vt ipſemet refert paulò ante, erat hæc: *Vndè omninò apertiſſimi hæretici iudicãtur; qui animas paruulorũ nihil mali ex Adã trahere, quod ſit lauacro regenerationis expiandum, &c.* Sed quid hoc cum præſeruatione Virginis ſingulari, ex gratia, & priuilegio? Deniq; hic ſolùm dicit Zozimus: *Nullus omninò natorum, antequam per baptiſmum liberentur, non tenetur obnoxius.* At teneri obnoxiũ, eſt eſſe debitorem, vel eſſe obligatum pœnæ propter delictũ, vt dicit Theſ. linguæ latinæ fol. 1007. & Ioan. de Ianua in Catholicon fol. 210. quod autem ponamus in Virgine obligationẽ, & debitum proximum, vel remotũ, nullum præiudiciũ infert præcipuæ, ac principali cõcluſioni. Accipe pro nunc explicationem huius auctoritatis Zozimi ex tuo Iuſtino Miechouiẽſi in Litanias Lauretanas diſc. 136. fol. 298. *Secundo certum eſt, B. Virginẽ ex vi ſuæ Conceptionis, obnoxiam fuiſſe peccato originali, ſeu debitum habuiſſe contrahendi illud, quandoquidèm id debitum annexum eſt carni humanæ, ordinaria via ex Adamo propagatæ, quia ſuppoſito lapſu in primo parente, ex vi conceptionis naturalis, ſemper concipitur proles carens gratia, & iuſtitia, atque ideò in peccato, niſi gratia Dei fuerit impeditum. Suppoſito itaque, B. Virginẽ propagatam fuiſſe via ordinaria ex Adam, hoc debitum negari nõ poteſt ſalua fide. Nam inter catholicos cõuenit, B. Virginem per Chriſti ſanguinẽ verè fuiſſe redemptã, & quod Apoſtolus ait 2. Corinth. 5. Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, ſine vlla exceptione eſſe accipiendum. Et ſi B. Virgo neque actu, neque potentia, neque in ſe, neque in parente ſeruituti peccati obnoxia fuit, neque (vt dicam) in Adamo vendita eſt, quomodo, quaſo, redempta dici poteſt? Ad veram redemptionẽ requiritur, vt redemptus anteà fuerit ſeruus, vel captiuus, vel ſaltẽ eſſe debuerit, niſi eum Redemptoris gratia præueniſſet. Iuxta illam communem Zozimi Papæ ſententiam, quam refert S. Auguſtinus Epiſt. 157. Redemptus dici non poteſt, niſi qui verè per peccatum fuerit anteà captiuus.* Ergo ex hoc veſtro Auctore verba Zozimi ad ſummum probant debitum.

Sed vltra progrediẽdo videamus, an ex iſtis B. Zozimi verbis conſtet, vel poſsit affirmari, eſſe de fide, ſacratiſsimam Virginẽ Mariam contraxiſſe debitum proximum, vel remotum, in Adamo, vel in ſe ipſa, vt hìc expreſsè dicit Iuſtinus, & latiùs cum iſto P. Dominicano probare nititur quidam P. Dominicus, de quo egimus in Triturationc nu. lx. dicens in ſuo curſ. Salm. quæſt. 81. diſp. 15. dub. 3. n. 60. *Dicendum eſt, exceptionẽ Deiparæ à debito culpæ originalis ſi detur omninò præiudicaturã eius redemptioni: adeòque verificari non poſſe, quòd fuerit Chriſti morte, & ſanguine verè, & propriè redempta, ſi ſemel ponatur à prædicto debito præſeruata. Hæc concluſio eſt nobis adeò certa, vt credamus eſſe de fide diffinitam per Zozimum Papã, cuius verba infrà referemus.* Infrà vero §. 8. num. 105. refert auctoritatem Zozimi ſic: *Nullus, niſi qui peccati ſeruus eſt, liber efficitur, nec redemptus dici poteſt, niſi qui verè per peccatũ fuerit ante captiuus.* Et num. 251. *Ad vltimã reſpondetur, excellentiã præſeruationis à debito eſſe de numero illarum, quæ nequeunt ſalua fide, Virgini concedi, cũ ex fide habeamus, & quod fuit verè redempta, & quòd redemptus dici non poteſt, qui vel re, vel debito non fuit per peccatum ante captiuus, vt ex determinatione Zozimi Papæ vidimus.* Hæc & alia ſimilia reddant aliquorum ſcripta contemptibilia, & iure optimo, quia arguunt in Auctore, vel ignorantiam, aut malitiã, niſi iam ſit vtrumque. Videamus ergo vndè hic veritatis ſeuerilsimus vindex, atque noſtrarum falſitatum, ac mẽdaciorum ſtrenuus ſcrutator, vt diximus in Triturationc, deducit diffinitionẽ Pontificiam, & ſuam cocluſionem eſſe de fide, cõtra tot, tantoſque inſignes Theologos, qui ipſam vt probabiliſsimam ſectati ſunt.

Et in primis Auctor iſte non tranſcripſit totam Zozimi auctoritatẽ, ſed ſolùm partem illius, prætermittendo eius principium, & finem, vt ſic nõ cognoſcerent paruuli, ac idiotæ finem auctoritatis, nec principium ſuæ intentionis. Secundo ex ipſis Auguſtini verbis conſtat, quòd ſuprà poſita verba erant ex quadam Epiſtola B. Zozimi, inquit enim, *vt iam verbis vtar, quæ in ipſa Epiſtola B. Antiſtitis Zozimi:* quis ergo tibi dixit, vel vbi didiciſti, quòd Epiſtolæ Summorum Pontificum ſunt Canones de fide? Vidiſti ne Epiſtolas decretales Summorum Põtificum? Si vidiſti, notaſtinè, quanta ſint ibi doctrinaliter dicta, quæ recipiuntur, vt ſana conſilia, non autem vt Canonica, &

de

de fide? Tertio, dato, quòd omnia contenta in illa Epiſtola Zozimi eſſent recipienda, vt dogmata fidei, in qua clauſula tuæ adductę auctoritatis, vel integra, vt eſt in Auguſtino legiſti, illud: & hoc tenendum, vel credendum eſt de fide, vel ſecundùm Fidem catholicam? Dices, quòd in nulla, quia aliàs diceres contra veritatem, ſed colligis eſſe de fide, quia cùm Auguſtinus poſt allegata verba proſequatur ſic: *In his verbis Apoſtolicæ Sedis tàm antiqua, atque fundata, certa, & clara eſt catholica fides, vt nefas ſit de illa dubitare chriſtiano*, optimè: ſigna ergo, o inſignis Doctor Salmanticenſis! vbi dicat S. Auguſtinus auctoritatē illam, ſeu tuam ſelectam propoſitionem eſſe de fide? Et hæc dicta ſufficiant de Auctoribus, & auctoritatibus adductis ab Aduerſariis.

CONCLVSIO SVA.

Cardinalis Ioannes de Turrecremata excitans hoc dubium: quare PP. Ordinis Prædicatorum, cū ſint deuotiſſimi Virginis Mariæ, ſuſtinent opinionē de eius maculata Conceptione, reſpondit in ſuo libro de Veritate Conceptionis par. 7. cap. 4. fol. 128. ſub hoc titulo: In quo aſſignantur decem rationes, quare profeſſores Ordinis Prædicatorum, hanc doctrinam, videlicēt, quòd Virgo Maria cōcepta fuerit in originali peccato, communiter proſequitur, &c. Didacus Deza, ſiuè Corrector Bandelli ad finē ſui libri ſub hoc titulo: Capitulum vnicum, in quo ponuntur decem rationes declarantes, quare ſacri Ordinis Prædicatorū Fratres doctrinam hanc (videlicēt, quòd Beatiſſima Virgo Maria in originali peccato fuiſſe concepta) defendendam, tuendamque ſuſceperint, &c. & nulla mutata ſyllaba, trāſcripſit vnus ab alio, decem rationes, ſic.

Mouentur autem præfati Ordinis profeſſores ad huius doctrinę proſecutionem decem ex capitibus: Primo quidèm, quia mundam, ſiuè immunem habuiſſe Conceptionem ab originali peccato ſolius Chriſti eſt prærogatiua, ſicut auctoritate multiplici Scripturæ, & Sanctorum patuit in hoc libro: quo conſiderato arbitrantur præfati Ordinis profeſſores iuxta Beatiſsimi Bernardi ſententiam, quod hanc immunitatis prærrogatiuam Virgini attribuere, nō ſit eam laudare, ſed magis eius honori detrahere, dicenti Sinodio in Epiſtolari ſuo: quantum vera laus ornat, tantum falſa caſtigat. Quare pro debito quoad defenſionē honoris, & gloriæ tàm Redemptoris noſtri, quàm feliciſsimæ Matris eius aſtringuntur ante dictam doctrinam, quæ ſeruata Chriſti prærogatiua, Virgini laudes debitas impendit, debita cum reuerentia proſecuti ſunt.

Secundò, ad hoc mouētur, quia Scriptura ſacra apertiſsimè docet, omnē hominem ab Adam ſeminaliter deſcendentem, cuiusmodi fuit B. Virgo in originali peccato conceptum eſſe, ſicut in ampliſsimo numero nedum ſacræ Scripturæ, ſed etiam Sanctorum Patrum teſtimonio ſuperiùs in hoc libro demonſtratum eſt, à qua vniuerſalitate nullum eſſe excipiendū B. Auguſtinus ad Fidei catholicæ pertinere aſſerit fundamenta; vt ſuperiùs dicta in hoc libro inculenter offendunt: quibus in hac re teſtimoniis tàm apertè loquentibus conſideratis præfati Ordinis profeſſores (attendentes ſanctiſsimè, quòd nulla ſit dicenda vera laus, quæ ſacræ Scripturæ repugnat, cuius integritas noſtræ ſanctiſsimæ Religionis eſt fundamentum; conſi-

de-

CONCLVSIO NOSTRA.

Frater Petrus de Alua ad finem etiam huius operis è regione reſpondendo, vult demonſtrare has decem rationes eſſe friuolas, abſque vllo fundamento, aut veritate adductas, & abſolutè ſuppoſitas: eſſeque tātummodo vnam, & vnicam repetitam ex Auctoribus, & auctoritatibus, & multiplicatam, ſolùm ad inanem apparentiam, incipiendo ab ipſo titulo: quia hæc doctrina, videlicēt, quòd Virgo Maria concepta fuerit in originali peccato, non communiter proſequitur à Fratribus ſacri Ordinis Prædicatorum, nec ipſam defendendam, tuendamque ſuſcipiunt, quia Bandellus in tota ſua Religione ſolàm inuenit 72. Gryſaldus nouiſſimè iſtos auxit vſq; ad 92. quorum maior pars eſt ficta, & multiplicata; pro ſententia verò magis pia inueniuntur 290. vert, & ſubſiſtentes, vt videre eſt in Ventilabro.

Hæc prima ratio laborat in æquiuocum, & fuit ſine conſideratione, & veritate adducta: nam omnes Sancti, qui de materia Conceptionis Chriſti tractant (illud enim de Scriptura eſt gratis, & ſine fundamento adductum) loquuntur expreſsè de munditia, ac immunitate Conceptionis Mariæ actiuæ, quando, & quomodo adminiſtrauit materiam, vt ex illa formaretur corpus Chriſti, in qua quidèm Conceptione non fuit immunditia illa, indecentia, ſenſualitas, libido, & delectatio, quæ communiter, & ſemper inueniuntur in Conceptionibus aliarum fœminarum, & hoc vocant originale, vel originaliter peccatum, quia eſt in cauſa, & origine, & hoc modo concipi ſolius fuit Chriſti prærogatiua: tranſitū ergo feciſtis ex Conceptione actiua Matris ad animationē filii contra mentem Bernardi, & aliorum: in hoc libro ſunt ipſorum auctoritates ipſas legite.

Secunda, hæc ratio fundatur in auctoritatibus, ſicut antecedens, ſed præcipuè ſacræ Scripturę, & eius appertiſsimis teſtimoniis, at vbi ſunt iſta appertiſsima teſtimonia Scripturarum? Decem & octo loca ſacræ Scripturę adducitis, quæ ad litterā cum ſuis Gloſsis dedimus verbo, Scriptura ſacra, & ex hoc ampliſsimo veſtro numero ſignate ſaltem vnum appertiſsimum, vbi extet illa millies veſtra repetita, ac propoſita cōcluſio: Virgo Maria in ſua Conceptione habuit peccatū originale, cum igitur hanc non poſitis oſtendere, attendentes ſanctiſsimè iſtam ſaltem indicate: omnis homo ab Adam ſeminaliter deſcendens, contraxit peccatum originale, quia adhuc illam oſtendētes demonſtrabimus vobis appertiſsimam excep-

tionem

derato insuper, quod, vt ait Augustinus libro de mendacio, maximè pernitiosum. sit mēdacium; quòd fit in his, quæ ad Religionem christianam pertinent) prędictam doctrinam singulariter cōplexi sunt.

Tertio, ad hoc mouentur ex Sanctorum Patrū, & Beatissimæ Virgini deuotissimorum, doctrinaque luce clarissima, Virginem benedictam originale peccatum contraxisse testantur, sicut de Beatiss. Augustino, Maximo, Eusebio, Leone, Anselmo, Bernardo, & S. Thoma superiora demonstrant. Quorum Sanctorum Patrum considerata doctrina, præfati Ordinis professores (attendentes, quòd dicitur Prou. 22. non transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui, Glos. 1. Terminos catholicæ Fidei, quos ab initio constituerunt Doctores. Et illud in cap. Si ille, 50. dist. Quidquid contra illorum diffinitionem in quibus Spiritum Sanctum credimus esse loquutum, dictū fuerit, non solùm temerarium, sed etiam periculosum esse, non dubito: & quòd prima salus est rectæ fidei regulam custodire; & à constitutis Patrū nullatenus deuiare 25. q. 1. cap. Prima salus) prefatam doctrinam tanquam Sanctorum Patrum, & Ecclesię Doctorum prosequentes vestigia, docuerunt, & prædicarunt.

Quarto, ad hoc mouentur, ex eo quòd hęc doctrina videtur antiqua fuisse Fides Ecclesiæ, quòd superius tam ex communi Sanctorum sententia, quàm ex his quæ Ecclesia multis in locis per orbē decantat in festo sanctificationis Beatissimę Virginis colligebatur. Quibus consideratis præfati Ordinis professores (attendentes quod dicit Iob 31. filii Sanctorum sumus, & vitam expectamus, quam Deus daturus est illis, qui nunquam vitam suam mutant; & illud Prouer. 6. serua fili mi præcepta patris tui, Glos. id est, Dei, & ne dimittas legem matris tuæ, Glos. id est, Ecclesiæ) præfatam doctrinam, vtpotè zelatores, defensores, & præcones fidei vniuersalis Ecclesiæ, tam constanter sunt amplexi.

Quinto, mouentur ad hoc ex aliquibus diffinitionibus factis in Cōciliis vniuersalibus vniuersalem repræsentatibus Ecclesiam, quæ nullo modo solida esse videtur, si aliqua alia persona à Christo in humano genere à peccato penitùs libera fuisse dicatur: sicut patet ex his, quæ superiùs inducta sunt de Concilio Mileuitano, de quo habetur in in cap. Placuit, de Consecrat. dist. 4. Et de Epistola Leonis Papę, per Concilium Calcedonēse acceptata, & approbata. Quibus consideratis præfati Ordinis professores (attendentes, quòd, vt dicitur in cap. Violatores 24. quæst. 1. contra Spiritum Sanctum blasphemare non incongruè videntur, qui contra sacros Canones aliquid proteruè arguunt, aut loqui præsumunt) prefatam doctrinam tanquam Canonibus sacrorum Conciliorum cōformem studio, & doctrina sustinere curarunt.

Sexto, mouentur ad hoc ex aliquibus diffinitionibus Apostolicæ Sedis, & maximè ex illa sæpius in nem ex Augustino, quem vos allegatis, dicente excepta Virgine Maria, &c. Et si turpissimum est introducere mendacia in pertinentibus ad Religionem christianam, quis introduxit quæ in hoc libro deteguntur?

Tertia ista ratio, vt ex ipsa patet, est similiter de Auctoribus, & auctoritatibus: an verò in ipsis luce clarissima contineatur, Virginē Mariam contraxisse originale peccatum, nec hoc opus, nec hic labor, supposito hoc libro quod constat, luce clarissima est; quòd omnes auctoritates istorum septem, quos, vt præcipuos, primos, & antesignanos adducitis, sicut & aliorū, omnes ferè nulla dempta extant vitiatæ, & adulteratæ: quod etiā constat luce clarissima est, quòd in nullo istorum, neque aliorum talis propositio reperitur, nec aliqua alia ipsi similis: quod hic demōstratur luce clarissima, est, quòd sine vlla consideratione transgressi estis terminos antiquos, quos in suis verbis posuerunt Patres Ecclesiæ inaudi is falsitatibus, & impostu is, non verentes, quod Spiritus Sanctus loquutus sit per eos, si autem hoc fuerit temeraria audacia, vel periculosum in fide, ac verè, & realiter deuiare à vestigiis Sanctorum, à quibus recedere non debent Catholici Religiosi Doctores Fidei, vos videte, ac iudicate.

Hęc ratio etiam nititur in auctoritatibus Ecclesiarum recitantium Officium diuinum sub titulo sanctificationis, sed in superlatiuo gradu est prorsus à veritate aliena, quia nulla fuit Ecclesia in totum terrarum orbe, quæ recitauerit sub titulo sanctificationis, vt demonstrauimus nu. 231. verbo, Officia Ecclesiastica; imo in Ecclesia Dei hucusq; nullum visum est Breuiarium, aut Missale, Breue, aut Bulla, iubilæum, indulgentia, aut gratia expedita sub tali titulo sanctificationis, & plus dico, quòd nec inuenitur capella, altare, confraternitas, imago depicta in papyro, nec Medalla in ære incisa: & hanc renitentiam vniuersalis Ecclesiæ sue sanctificationis notare debuerant filii Sanctorum zelatores, defensores, & precones fidei.

Quæ in ista continentur ratione circa auctoritates nonnullorum Conciliorum, & nominatim Mileuitani, quòd diuersis nominibus quater reduplicant, ac de illa Epistola Leonis Papæ, ex qua inducunt quatuor auctoritates, iure optimo, ac sine vlla exceptione dico, & affirmo comprehensa esse in illo Decreti cap. Violatores, quia testimonia ex prædictis adducta ita sunt violata à primo vsque ad vltimum verbum, vitiis, falsitatibus, atq; adulterationibus pessimis superantibus qualemcumque humanam ponderationem, vt in ipsis patratis non incongruè dicerentur proteruè blasphemasse contra Spiritum Sanctum, qui in ipsis talia, ac tanta superseminauit zizania. Ne mireris ex verbis istis, Lector, parua est distantia, & facillima comprobatio, si recurrere vis ad num. 209. & 291.

In hac ratione cōtenta de aliquibus diffinitionibus Sedis Apostolicæ, ex quibus solùm indiui-

quant

in ſuperioribus repetita Zozimi Papæ, quæ, vt refert Auguſtinus, talis eſt: nullus, niſi qui peccati ſeruus eſt, liber efficitur, nec redēptus dici poteſt, niſi qui verè fuit per peccatum antè captiuus, ſecundū quam diffinitionem neceſſe eſt aſſerere, B. Virginem peccati originalis captiuitatis vinculum in Conceptione ſua contraxiſſe, cùm de numero redemptorum per Chriſtum vna exiſtat. Quo conſiderato prætati Ordinis profeſſores (attendentes diffinitiones fidei Apoſtolicæ Sedis maximæ eſſe auctoritatis iuxta profeſsionem B. Hieronymi, cap. Hæc eſt fides Papa Beatiſsimè 24. quæſt. 1. & quod ab omnibus ſunt proſequendæ iuxta cap. 1. diſt. 12. vbi ſic dicit Calixtus Papa: nulli dubium eſt, quoniam Apoſtolica Eccleſia Mater ſit omnium Eccleſiarum, à cuius regula nullatenus conuenit deuiare) doctrinam ante dictam de Cōceptione B. Virginis ſunt tanto zelo proſecuti.

Septimo, ad hoc mouentur ex eo quod multò plures Doctores principaliores auctoritate, ſapiētia præſtantiores, ſiuè in ſchola Theologiæ, ſiuè Iuris Canonici hanc doctrinam habuiſſe, docuiſſe, ac pro eruditione populi chriſtiani in ſuis libris comendarunt, ſicut clariſsimo teſtimonio patuit ſuperiùs in hoc libro. Quo conſiderato, prætati Ordinis Doctores (attendentes illud Eccleſ. 39. Sapientiam antiquorum requiret ſapiens: & narrationem virorum nominatorum, id eſt, famoſorum conſeruauit) prædictam doctrinam de Conceptione Beatiſ. Virginis, vtpotè quam vniuerſa ferè famoſiſsimorum Doctorum Theologorum, & Iuriſperitorum ſchola perdocuit ſtudio, & doctrina ſunt complexi.

Octauo, mouentur ad hoc zelo ſeruandi, & defendendi gloriam, & integritatem honoris Saluatoris N. Dei, & per conſequens glorioſę Matris eius. Plane omnium ferè Doctorum, qui ſuperiùs inducti ſunt in huiuſcemodi doctrinæ approbationem, & teſtimonium veritatis, eſt communis cōſequentia: quòd ſi Virgo Maria non fuerit in originali cōcepta, attento quòd nullum actuale peccatum commiſerit, non indiguerit redemptione, & ſaluatione facta per Chriſtum, de quo dicitur Matth. 1. Ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum, quod inconueniens eſſet dicere. Quo conſiderato præfati Ordinis profeſſores (attendentes, quòd, vt dicit S. Thomas in quodl. 6. q. 7. non debet dari tantum Matri, quòd abſtrahatur aliquid honoris Filii, qui eſt Saluator omnium 1. ad Thim. 4.) doctrinam prædictam, quæ nihil debito honori Virginis Beatiſsimæ ſubtrahit, & integritatem gloriæ Chriſti, maximè quoad vtilitatem redemptionis humanæ defendit, ſtudio deuotionis proſecuti ſunt.

Nono, ad hoc moti ſunt ex doctrina illa ſaluberrima, quam dux, & Pater inclytus B. Dominicus in principio Ordinis, verbis, & litteris Fratribus perſuadebat, videlicèt, quòd in vtroque teſtamento in ſacris litteris, & ſolis antiquorum Patrū ſententiis, & communibus Eccleſiæ doctrinis ſuum duant illam Zozimi Papæ, quæ in generali, ac de lege communi cum aliquali fundamento adducatur, licèt non ſit diffinitio: & in particulari de concluſione propoſita, ſcilicèt, Virgo Maria cōtraxit in ſua Conceptione peccatum originale, nec minimum habet verbum, vt in hoc vltimo numero demonſtratum eſt, & cùm pro ſua opinione recitent alios quatuordecim Summos Pōtifices, quorum nomina, & verba damus ad litteram in hoc libro: recurrite ad ipſos amore Dei, & ſignate in illis alteram diffinitionem Pontificiam, vt ſaltem ſaluetis pluralitatem, ſed attendite, nè quærēdo diffinitiones proſequendę, obuient diffamationes perſequendæ, à quibus conueniat deuiare, quia nulla dēpta omnes ſunt læſiones ſupremæ dignitatis Pontificiæ, quia ipſorum verba extant ficta, adulterata, & capitalibus vitiis corruptæ in omnibus, & per omnia.

Ad euertendam confidentiam, qua loquuntur in hac ſeptima ratione, & proſternendum aſſertum de principalioribus Doctoribus Theologis, atque Iuriſperitis auctoritate, & ſapientia, qui in ſuis libris commendarunt, habuerunt, & docuerunt, Virginem Mariam fuiſſe conceptam in peccato originali, neceſſe erit totum hoc opus recapitulare, vel legere, vbi nos ſapientiam antiquorum requirendo, narramus, quanta fecerunt viri illi nominatiſsimi, & in ſacra Religione Prædicatorum famoſiſsimi, & ſimul oſtendimus, quale fuerit ipſorum ſtudium, doctrina, atque intentio; ſi recta, vel non, clariſsimo teſtimonio manifeſtatur ſuperiùs in hoc libro, ipſe loquatur, quia ætatem habet.

O Patres! (loquor ſemper cum Scriptoribus) quomodo ſeruatur & defenditur integritas honoris Saluatoris, & glorioſæ Matris eius in veſtris libris, vbi tot finguntur Doctores ad maculandam Dei Matrem? Eſt ne iſte honor Saluatoris, tot multiplicare incongruentias, ſolùm ad collocandam maculam in Chriſtipara? Fuit nè pro eius gloria, tot adulterationes auctoritatum ex Sanctorum Patrum ſcriptis, vt conſtituatis peccatum in ſuprema Angelorum regina? Eſt pro zelo Dei noſtri illa communis veſtra cōſequentia, quę extrahenda erat ex veris, & non ex falſis, & contra negantes redemptionem, & non contra ipſam ſingulari modo exaltantes? S. Thomas docuit, & optimè, quòd non debemus dare tantum Matri, quod abſtrahamus aliquid ab honore Filii, ſed non docet, quòd ad auferendum honorem Matris Dei, excogitentur fictiones, machinentur mendacia, & addantur adulterationes, & vitia in doctrina Sanctorum, & Eccleſiæ Patrum, & ſine vlla veritate.

Ex optimo cōſilio S. P. N. Dominici circa eoſdem Auctores, & auctoritates hæc nona ratio deſumpta eſt, & vtinam ſecundùm illud in veras, ac legales Patrum ſentētias, atque doctrinam ſuum filii firmiter collocaſſent ſtudiū, & perſtitiſſent in recta veritatis via, qui cum eſſent Prędicatores, ac Do-

ſuum ſtudium firmiter collocarent. Sanum planè diuini Doctoris, & Patris optimi conſilium, vt hii, qui Chriſtiani populi Prædicatores, & Doctores inſtituebantur, no quibuſcumque friuolis doctrinis, ſed eis tantummodo animum imbuendum exhiberent, quæ à fonte diuinæ Sapientiæ in ſacra Scriptura, atque per Sanctos, & approbatos Doctores primos noſtræ fidei fundatores cognoſcerent emanaſſe: ſequentes in hoc Eccleſiam Romanam, de qua in cap. A recta 24. quæſt. 1. ita dicitur. Hæc eſt ſancta, & Apoſtolica Mater omnium Eccleſiarum Chriſti Eccleſia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauanda ſubiacuit, ſed Chriſti principibus illibata permanet. Qua conſideratione ſalutari penſata, præfati Ordinis profeſſores (attendentes etiam id quod Apoſtolus ad Hæbr. 13. cap. Ait: Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci, Gloſſ. id eſt, à veritate Fidei catholicæ, in qua fundati eſtis) prædictam doctrinam de Conceptione B. Virginis, vtpotè tàm in ſacra Scriptura, quàm in ſoliditſimis maiorum noſtrorum Patrum Eccleſiæ ſententiis fundatam integro ſtudio proſequuti ſunt.

Decimo, ad hoc moti ſunt ex eo, quòd doctrina ex aduerſo diligenter conſiderata, in nulla ſacræ Scripturæ auctoritate, aut cuiuſcumque ſancti videtur expreſsè fundari, quinimo contra eam plurima tàm ſacræ Scripturæ, quàm Sanctorum Patrum militant teſtimonia, ſicut aſsiſtente ſpiritu veritatis ſuperiùs notum factum eſt; cùm ad omnia inducta ex aduerſo ſiuè auctoritates, ſiuè rationes, data ſunt reſponſa. Quibus conſideratis, præfati Ordinis profeſſores (attẽdentes, quod non eſt ſecurum relinquere doctrinam quam Sacræ Scripturæ, tàm apertè fundat auctoritas, & Sanctorum Patrum, ac Doctorum famoſiſsimorum comendat traditio, & nouam complecti opinionem, quam neque auctoritas, nec euidentia cuiuſcumque rationis commendare videtur) doctrinam præfatam de Conceptione B. Virginis in originali peccato debita cum modeſtia ſunt communiter proſecuti. Has cauſas fore arbitror propter quas ſacri Ordinis Prædicatorum profeſſores communiter doctrinam hanc de Cõceptione B. Virginis in originali peccato tanto zelo, ſtudio, eruditione, ac defenſione proſecuti ſunt. Hæc ſunt planè cauſæ ob quas in huius doctrinæ defenſione ſcandala varia, damna multiplicia ab æmulis æquanimiter ſuportarunt, &c. Doctores chriſtiani populi à ſanctiſsimo Patre ſuo inſtituti ad friuolas fabulas, & fictas auctoritates nutrando, ac nutrando omnia ſe conuerterunt tantumque illa tranſcriberent, quæ in fontibus Scripturæ, & Sanctorum Patrum originalibus reperirent; ſed proh dolor! quia adeo a recto tramite errarunt, & corrupto ſtudio proſecuti ſunt hanc materiam de Conceptione Virginis, vt potiùs ex deſtinato animo videantur velle tranſgredi ſaluberrima conſilia inclyti Patris, deprauando omnes, & ſingulos Eccleſiæ Doctores præteritos, vt ſeducerent futuros diſcipulos; hoc nitimur demonſtrare recta, ac ſana intentione in toto hoc libro, in quo exiſtimo me obſequium præſtare doctis, ac ſeruis Dei deſiderantibus firmum elicere iudicium in hac pro vtraque parte ab antiquis ſæculis exagitata controuerſia. Quale enim conſilium daret S. P. N. Dominicus, ſtante, quòd nulla eſſet auctoritas Scripturæ, nec Concilii, diffinitio Apoſtolica, nec alicuius Sancti, aut Patris Eccleſiæ contra immaculatam Virginis Cõceptionẽ? An vt filii eius dimicarent cõtra ſuam deuotam, ac deuotiſsimam Matrem? An quod ex vna ratione facerẽt decem, vt ſic aliquali prætextu quærerent excuſationes?

Hæc vltima ratio eadem eſt cum omnibus antecedentibus, quia etiam recurrit ad Auctores, & auctoritates. Ad iſtud quod noſtra ſententia ex aduerſo nulla habet pro ſe teſtimonia Scripturæ, vel Sancti expreſſa, multa dixerunt Ægidius, Cucharus, Salazarius, Quirinos, & Tamaius, Daza, Guerrerus, Peruzzinus, Eugenius, Martanellus de Gauardo, atque alii moderni, ſed expectate Militiam noſtram contra malitiam originalis peccati, vbi ſex millia, & ampliùs videbitis teſtimonia diuerſa, & vera, non multiplicata, & ficta, vbi nec quoad minimam litteram aſsiſtet (Deo dante) ſpiritus mendacii, ſicut ſuperiùs notum factum eſt. Deindè quoad aliud, videlicèt, ſi opinio de Conceptione Virginis in originali peccato fundatur in auctoritate Sanctorum, vel eſt traditio famoſiſsimorum Doctorum, vide in Ventilatione, ſi communis inter PP. Prędicatores in Ventilabro, ſi circa ipſa loquuti ſunt Scriptores debita cum modeſtia vide in Trituratione, ſi zelo, ſtudio, eruditione, ac vera defenſione, vel ipſimet cauſam dederint ad ſcandala, & damna multiplicia, æmulando ſine æquitate ipſam veritatem, doctrinam Patrum peruertẽdo ex toto hoc opere. Quòd iſtæ decẽ rationes ſunt etiam multiplicatæ, & omnes coincidant in vnã: diſcernite ex hac concluſione:

VENTILATIONIS FINIS.

HORREVM,

SIVE INDEX VNIVERSALIS TOTIVS OPERIS; in quo ordine Alphabetico recenſentur, quaſi in epilogo, omnes Concluſiones VERITATIS in Trituratione, ac Ventilatione examinatæ; præcipuè, ac principaliter circa Auctores, & auctoritates iam adductas ab Aduerſarijs, vel quæ adduci poterant pro ſua opinione Sanctificationis, & aliquæ aliæ incidenter demonſtratæ ex verbis, & receptis ipſorum ſententijs. Primus numerus folium indicat. Secundus verò illius paginæ columnam.

A

ABel eſt Auctor fictus, & multiplicatus cum Ales: Nullam de ipſis adducunt auctoritatem; opus allegatum eſt cuiuſdam Petri Cantoris. Bandellus ridiculè fuit hallucinatus in nomine. Auctoritates ipſius nihil probant, pag. 229. col. 1.

Abran Syrus non eſt ſcriptor; auctoritates adductæ ſunt ex S. Ephren Syro, & ſic Auctor eſt ſemifictus, & duplicatus: auctoritates penitus vitiatæ, & nihil probant, pag. 233. col. 1.

Adam Anglicus ſæcularis, eſt fictus; ac etiam auctoritas adducta, 234. 2.

Aduerſarii omnes Sanctos Patres conabantur adducere pro ſua opinione, fol. 158. Quando, vt ex hoc opere cõſtat, quòd nullus eſt, niſi vnus. Cõmuniter querentes excuſationẽ ſuarum fictionum, ac falſitatum aufugiunt ad errores impreſsionum, 637. 1. Eorum ſolicitudo in recolligendis Auctoribus pro ſua opinione, 159. Quanta egerint in hac materia, in toto hoc opere demonſtratur.

Adulterationes innumerabiles deteguntur in ſolùm ſex rationibus, à fol. 181. 1. Vt ex his aliæ iudicentur.

Ægidius Romanus latè ventilatur: ſuſtinuit opinionem ſanctificationis. Sed auctoritas adducta fuit deſumpta ex quinque locis diuerſis, & in multis vitiata, 235. 2. In quadam clauſula creditur adulteratus, 240. 1. Videtur etiam inconſtans, ibi.

Ægidius Zamorenſis irregulariter loquitur, 243. 1, Quantas in iſto machinatæ ſunt fictiones, latè ibi.

Æquiuocatio orta inter antiquos ex illis terminis oriri, naſci, generari, incipere eſſe, & cõcipi, 487. 1. Omnia iſta confundunt Aduerſarii ad libitum. Quanta fuerit circa peccatum originale, 242. 1.

Alanus quoad auctoritatem eſt fictus; & opus ſuper Symbolum ſuppoſitum, 244. 1. Viſa, & examinata omnia eius opera, conſtat fuiſſe pro pia ſententia, 246. 2.

Albertus de Brixia, ſi ſcripſit, eius ſumma nunquam vidit lucem. Eius auctoritas videtur ſuppoſita, 247. 2.

Albertus Caſtellanus, & eius Sermo de ſanctificatione habet vitia quàm plura, trituratus non apparet eius verus Auctor, 64.

Albertus Duimius quis fuerit, & quomodo ſcripſerit, 73. Vide etiam verb. Turrecremata.

Albertus Magnus ventilatur, à fol. 248. 2. Gloſſa ab ipſo allegata non extat, vnde in hac parte fortè fuit vitiatus, magna eius adulteratio detegitur, 250. 1. & 2. Sermones ſemel, & iterum ſub eius nomine impreſsi non ſunt ipſius, 768. 1. Nec quàm plura opera, quæ prodierunt in impreſsione nouiſsima.

Albertus de Padua, falsò, & contra veritatem adducitur, 251. 1. potiùs pro magis pia ſententia fuit.

Alcuinus, nec verbum habet contra Immaculatam Conceptionem; quatuor eius auctoritates deſumpſerunt ex Hugone de Sancto Victore, & inſuper ſcatent vitiis, & adulterationibus, à fol. 151. latè.

Aldebrandinus eſt Auctor incognitus, nec de ipſo adducunt auctoritatem, 255. 2. Quarè in omnibus eſt ſuſpectus.

Ales fuit fictus à Gryſaldo, eſt idem cum Abel, & Petro Cantore, 229. &c.

Alexander de Ales eſt totaliter vitiatus in octo auctoritatibus adductis, quia ſemper loquitur de ſanctificatione ante animationem, à fol. 256. 1. Inſuper eſt triplicatus cum Thoma de Ales, & ſequenti. Compendium Theologiæ in ſeptem libros diuiſum, de quo tot, tantaq; diximus in Hugone de Argentina, Ioanne Rigaldo, & Thoma de Suetonia, &c. eſt Alenſis ſecundùm Vvadingum in Cathalogo, fol. 9. Sicque Compendium illud iam habet ſexdecim Patres.

Alexander Nequam ſine auctoritate, aut vllo fundamento adducitur, quin potiùs pro pia ſententia communiter allegatur; videtur idem cum antecedenti, 262. 1.

Alphabetum ex improperiis ſcriptis contra Fratres Minores, 146.

Aluarus Hiſpanus cum ſufficienti fundamento adducitur, licèt eius auctoritas in multis ſit vitiata, 263. 1.

Ambroſii Mediolanenſis, de quo adducunt ſexdecim auctoritates plenas vitiis, ventilatur, 266. 1. Quędam eius auctoritas eſt quinquies multiplicata, 310. 1. Alia plura vide ibi.

Amædeus Sabaudiæ Dux poſteà Antipapa. Felix dictus improperatur ab Aduerſariis, atque ſaturatur oprobriis ſine cauſa, aut veritate, 571. 1.

Andræas Gianeti vitiatus, 150. 1.

Andræas Ieroſolymitanus à primo vſque ad vltimum verbum eſt fictus quoad auctoritatem, 272. 2.

Angelus de Bononia pro ficto reputatur, 275. 2.

Angelus Bononia alter abſolutè eſt fictus, 274. 1.

Angelum reuelantem feſtiuitatem Conceptionis redarguit Bandellus, vbi aliqua notantur ſcitu digniſsima, 867. 2.

Annibaldus Ciſtercienſis eſt fictus, & multiplicatus, cum ſequenti, 274. 2.

Annibaldus Dominicanus eſt multiplicatus cum antecedenti, & quoad auctoritatem cum aliis tribus, 275.2. Inſuper opus allegatum, & auctoritas non eſt ipſius, ſed S. Thomæ Aquinatis, &c.

Anonymus Ciſtercienſis, eſt Richardus à S. Laurencio, 278.2 Eius auctoritas ventilata nihil dicit. Huius Mariale ſine vllo fundamento tribuunt Alberto Magno.

Anonymus Doctor Pariſienſis ter eſt multiplicatus cum Armachano, & Richardo Rodulpho, 277.1. Auctoritas examinata nihil probat, ibi.

Anonymus Dominicanus fuit Bandellus, quid ſcripſerit, & quomodo, latè trituratur, 26. & etiam, 860.2.

Anonymus incognitus quid ſcripſerit pro opinione ſanctificationis, 157.1.

Anonymus, ſeu homo ille qui ſcripſit Officium, de contaminatione, ac corruptione Mariæ, ſi non fuit Bandellus, alter non inuenitur, 169.2

Antiqui diuerſimode loquebantur de conceptione, ac peccato originali, 359.1. & 368.1. & alibi ſæpè.

Anſelmus Cantuarienſis eſt penitùs vitiatus in viginti duabus auctoritatibus adductis, à fol. 280.1. Ac triplicatus cum ſequenti, & Elucidario.

Anſelmus Conturbienſis eſt fictus ex antecedenti, 290.1.

Antoninus Florẽtinus, Archiepiſcopus, expenditur in Trituratione, 24. Ventilatur, 290.1. Fuit expreſsè pro opinione contraria: vide aliqua ſcitu digna locis citatis, & verbo Katarina Senenſis.

Antonius de Azaro fictus eſt quoad auctoritatem, 293.1.

Antonius de Bononia pro ficto reputatur, 293.2.

Antonius de Brixia fuit pro opinione Sanctificationis, 62.

Antonius Fauentinus approbauit librum Bandelli, 157.2.

Antonius de Padua ſine vlla veritate adducitur ex quodam Sermone ſuppoſito, & auctoritate ficta ex Antonino de Florentia, 294.2.

Archangelus Rubeus fuit pro opinione Aduerſariorum, 157.2.

Area, in qua recolliguntur, & enumerantur ordine Alphabetico trecenti quindecim Sancti, & Doctores antiqui adducti ab Aduerſariis pro ſua opinione, extat in principio, vide etiam Ventilabrum, à fol 158. Area Dominicana vbi recenſentur centum quinquaginta Auctores Ordin. Prædic. à fol. 214.2.

Argumenta Aduerſariorum ſunt ex auctoritatibus, & ſcatent adulterationibus, à fol. 180.2. Argumentum ab auctoritate magnificant Aduerſarii in tota Trituratione, & in Ventilabro, à fol. 158. Et in Ventilatione, à fol. 885. in Concluſ.

Armachanus eſt triplicatus, 295.2. Fuit pro nobis, vide Richardum Rodulphum.

Armandus de Bellouiſu, potiùs in magis piam ſe inclinat ſententiam, 298.1. Eius Auctoritates, vide ibi.

Arnadus à Bellouiſu eſt fictus ex antecedenti, 68.

Arnaldus Salernitanus eſt Auctor fictus, 299.1.

Arnoldus Albertinus in quæſtione de Conceptione inuenitur peſsimè vitiatus, 149.2. nota.

Athanaſius Alexandrinus eſt fictus quoad opus, & quoad auctoritatem, 300.1.

Auctores adducti ab Aduerſariis, ſunt trecenti quindecim, vt videre eſt in Area, & in Ventil. a fol. 229. Iſti diſtributi per diuerſas claſſes ſecundùm veritatem extant à fol. 161. Quomodo ſucceſſu temporis creuerint, & à quibus aucti, 159.1. Auctores, ſeu Meſſores prædictorum, ſexaginta ex Ordine Prædicatorum triturantur, à fol. 1. vſque 135. Secundùm annorum ſeriem, in quibus vixerunt. Auctores Dominicanæ Familiæ pro vna, & altera ſententia recenſentur, à fol. 198. Expreſsi pro opinione ſanctificationis, tantùm ſunt viginti tres, 214. & 222.

Auctoritas eſt primum, ac vnicum argumentum Aduerſariorum in hac Conceptionis materia, à fol. 158. & 885. Auctoritates adductæ ab Aduerſariis ſunt ſexcentæ quadraginta, 177. & 229. in titulo, & alibi ſæpè, vnde corrigendus eſt error Typographiæ, fol. 161. linea 7. & vbi dicit treſcentis, lege ſexcentis.

Auguſtinus de Ancona cum ſufficienti fundamento adducitur, 301.1.

Auguſtinus Aurelius eſt duplicatus cum Petro Tripolitano; de ipſo adductæ triginta quinque auctoritates ſcatent, vitiis, fictionibus, atque adulterationibus, à fol. 302. vide mirabilia circa auctoritatem; de quinque Hæreſibus redarguuntur Spina, 74. Et Carmelitanus, 132.

Auguſtinus Iuſtinianus quis fuerit, 67.

B

Bandinus Metlici nihil expreſſum dicit pro opinione contraria, 157.2.

Bartholomæus de Bononia abſque vlla auctoritate adductus, vel eſt fictus, vel multiplicatus, 323.2.

Bartholomæus Brixienſis ſine vllo fundamento, aut veritate adducitur, quia potiùs ſuſtinuit magis piam ſententiam, 324.2.

Bartholomæus de Piſis, Dominicanus, loquitur de feſtiuitate, non de myſterio, 326. Eius auctoritas eſt in multis vitiata; & originalia aliqua inueniuntur corrupta, ibi.

Bartholomæus de Piſis, Minorita, quoad auctoritatẽ ſuppoſitam falsò, & contra omnem veritatem adducitur, eſtque expreſsè pro magis pia ſententia, 325.2.

Bartholomæus de Spina trituratur, vbi plura detexuntur, 70. Eiuſdẽ temeritates ventilantur, 328.1. Celebris eius fictio in textu S. Bernardi manifeſtatur, 348.1. Redarguit noſtras falſitates, 74. Sicut etiam Pater Carmelitanus, 132.

Baſilienſis Couciliabuli promotores, ac fauctores fuerunt duo ex Ordine Prædicatorum, 569.2.

Baſilius Ceſarienſis ſine veritate, aut ſalutem leui fundamento adducitur, cuius auctoritates ſunt penitùs fictæ, 331.1.

Beda Venerabilis nihil dixit contra Conceptionem, vt ex ipſius auctoritatibus conſtat, 338.1. De eius Gloſſa multiplicata, vide ibi, & in Ambroſio.

Beltrandus de Turri fuit pro opinione contraria, 337.1.

Bernardinus Senenſis ex leuiſsima quadam coniectura adducitur, 338.1. Eſt expreſsè pro pia ſententia, 340.2. Aliqua notatione digna examinantur.

Bernardus Abbas ex profeſſo ventilatur, omnes eius auctoritates inueniuntur vitiatæ, eius mens latè expenditur, 360.2.

Bernardus de Claramonte eſt incognitus Auctor, cuius opera nunquam fuerunt typis mandata, & ſic quouſque illum oſtendant, de eius auctoritate nihil eſt curandum, 361.1.

Bernardus Oliueri, vel Cliuerii eſt multiplicatus ex Ægidio Romano, eius auctoritas fuit ficta à Bandello, 361.2.

Bernardus Papienſis eſt Auctor incognitus, cuius auctoritas deſumpta eſt ex Gloſſa Decreti, quæ alias eſt ſeptemplicata, 362.2.

Bernenſium Patrum coloquium, ac determinatio, 53.

Bibliothecæ recognitæ pro præſenti opere recenſentur, à fol. 223.1.

Bindus, de quo nullam tranſcripſerunt auctoritatem, pro ficto reputatur, 163.1.
Bonauentura quo fundamento adducatur, 363.2. Vitia, & adulterationes in ipſo commiſſæ deteguntur, qualis fuerit eius mens, 368.2. Notantur hîc aliqua ſcitu digna.
Bombologimus eſt Auctor incognitus, de cuius auctoritate non eſt curandum ob plures rationes, 371.2.
Bonifacius de Cremona pro ficto reputatur, cuius nullam adducunt auctoritatem, 372.1.
Bonifacius Papa Primus contra veritatem allegatur, in quo deteguntur variæ fictiones, 372.2.
Bonifacius Papa Tertius eſt fictus, quia poſitus pro Bonifacio Nono, in vna iſtius auctoritate enumerantur viginti vitia, 374.2.
Breuiaria Eccleſiaſtica ſub titulo Sanctificationis nulla hucuſque furunt in Eccleſia Dei, à fol. 648.2. Ferè omnia impreſſa, & aliqua manuſcripta proponimus, Ordinis Prædicatorum qualia fuerint, 651.1.
Brocardus, Epiſcopus Minorita, eſt fictus, atque multiplicatus ex ſequenti, 376.1.
Buchardus Epiſcopus nihil habet contra Conceptionem, eius auctoritas eſt vitiata, 376.2.

C

CAnoniſtarum numerus adductus ab Aduerſariis, qualis, 795.2.
Caro Virginis Mariæ quando, & quomodo purgata, 279.1. de hoc ſæpè.
Carthuſienſium Breuiarium ſub titulo Sanctificationis nullum fuit. Turrecrematæ figmentum detegitur, 644.1.
Caſiodorus in aliquibus, parui tamen momenti, eſt vitiatus, nihil dixit contra myſterium, vt ex ipſius verbis patet, 377.1.
Caſtificare ſordes quid ſit ſecundùm Bedam, & S. Thomam, 336.1.
Cæſar Delphinus, Medicus, ſe inclinat in opinionem contrariam propter Bandellum, 168.1.
Cæſarius Arelatenſis vitiatus fuit, eius mens apertè conſtat, 378.2.
Celebratio feſtiuitatis Conceptionis quomodo intelligenda ſecundùm antiquos, 238.1. Vide feſtiuitas, & Conceptio.
Cenſura Vniuerſitatis Toloſanæ de libro Petri de Vincentia, 147.1.
Chriſtophorus Marcellus circa feſtiuitatem Conceptionis ab aliquo fuit vitiatus, 152.1.
Chriſtus D. non contraxit originale, quid ſonabat apud antiquos, 253.2. Propoſitio hæc: ipſe ſolus ſine peccato fuit, paſſim vitiata ab Aduerſariis, quomodo eſt intelligenda.
Chryſippus Presbyter nihil dicit pro contraria opinione, 168.1.
Chryſoſtomus Iabellus eſt pro opinione ſanctificationis, 77.
Claſſes octo, ad quas reduxit veritas omnes Auctores adductos ab Aduerſariis, à fol. 161. Nona à nobis ſuperaddita de Auctoribus ab Aduerſariis prætermiſsis, & qui ſecundùm verborum corticem pro ipſis ſtare videtur, 167. Claſſes variæ ex Doctoribus Ordinis Prædicator. pro pia ſententia, à fol. 198.1.
Clemens Papa V. abſque vllo fundamento adducitur, vt conſtat ex eius auctoritate, 379.2.
Clemens Papa VI. abſque vlla dubitatione fictus eſt quoad auctoritatem, 380.1.
Collectarius quis fuerit, eſt multiplicatus, ex eius auctoritate colligitur, qualis fuerit antiquorum mens in hac materia, 381.2.
Compendii Theologiæ variæ transformationes, 371.1. Allegatum ſub nomine Sancti Thomæ nō eſt ipſius, 735.1. Compendiatores non ſunt propriè Auctores, 552.2. & 588.1.
Compilator Speculi eſt ſepties multiplicatus cum Guillielmo Durando, &c. 383.2.
Concilia ſacra ſine vlla veritate adducta, tum quia ex vno fecerunt quatuor, Milleuitanum, Numidiæ, Africanum, & Cartaginenſe, tum propter alias rationes, a fol. 789.1. Vide verbo Synodus.
Conceptio apud antiquos ſumebatur ferè ſemper pro generatione carnali facta die octaua Decembris, 336.1. 237.1. latè, 248.1. & 289.2. & 343.2. & 346.2. & deinceps vſque 352.2. & 356.2. & 291.1. & 292.1. Quomodo accipiebatur cōceptio apud antiquos Theologos ſecundùm eius principium, medium, & finem, 620.2. & 625.2. Vide in S. Thoma à fol. 804. & 327.2. Carnalem factam die 8. Decembris, dicebant antiqui, non eſſe celebrandam, 788.2. Conceptio illa ſeminis fuit in peccato, quomodo, 385.2. Item, ſecundùm Anſelmum, 289.2. Concipi apud antiquos indifferenter accipiebatur pro oriri, naſci, generari, & incipere eſſe, 487.1. Variæ eius acceptiones ſecundùm S. Gregoriū, 426.1. Conceptio, & peccatum originale quid ſecundùm S. Fulgentium, 408.2. Conceptionis feſtiuitas quare celebrata die 8. Decembris, aſsignantur quatuor pulchræ rationes, 868.1. Illa carnalis fuit ſine concupiſcentia Ioachimi, & Annæ, 242.2. Mariæ, & Chriſti quomodo diſtinguantur, 83. Conceptio carnis qualis in Chriſto, & Maria, 317.2. Chriſti, Mariæ, & Ioannis inter ſe comparantur, 367. & 368. Denique cùm omnia, quæ in hoc libro continentur, agant de Conceptione in generali; ac ſpecialibus Chriſti, & Mariæ pro exacta intelligentia neceſsè erit cuncta conſulere.
Concluſio operis ex Aduerſariis ſolùm conſiſtit in vnica ratione deſumpta ab Auctoribus, & auctoritatibus, cuius reſponſio extat èregione poſita à fol. 885.
Concupiſcentia non fuit in generatione Ioachimi, & Annæ conceptione, 242.2.
Conradus Saxo ventilatur ſecundùm veritatem, cuius mens in hac materia demonſtratur indemnis, 384.1.
Conſtantinus de Montebudello eſt Auctor incognitus, & videtur fictus, 386.1.
Controuerſia Conceptionis qualis fuerit inter antiquos, 625.2. Illam ſolùm reducunt Aduerſarii ad Auctores, & auctoritates, 885. latè. Et in Triturationē per totam. Qualis fuerit inter Lugdunenſes, & Sanctum Bernardum, declaratur, 350.2. latè. Propria, & formalis de Immaculata Conceptione, quando, & quomodo cœpit, 804.2.
Cyprianus Cartaginenſis ventilatur, ac fictiones in ipſo commiſſæ deteguntur, 386.2.
Cyrillus Alexandrinus falsò, ſine fundamento, aut veritate adducitur, 388.1.

D

DAmnatio facta contra articulos Fr. Ioannis de Monteſono, retorqueunt contra Immaculatam Conceptionem, 152.2.
Decretum S. Tribunalis Inquiſitionis circa titulum Immaculata, de quo in principio noſtri Armamentarii, iuridicè requiſitum nunquam comparuit in Romana Curia, 157.1.

Didacus Deza quid ſcripſerit, & quomodo, à fol. 57. Et quanto à veritate alienum, ibi.

Diffinitionem controuerſiæ Conceptionis inſtanter petebant antiqui Patres Dominicani, moderni verò ipſam renuunt, imò impugnant, fol. 19. & 330. 1. & 841. 2. & 575. 2.

Doctrinæ Sancti Thomæ recomendationes ab Vniuerſitate Pariſienſi, Stephano Epiſcopo, & Vrbano Papa, an ſint veræ? 10. & 32. & 805. 2.

Dominicana Breuiaria qualia fuerint antiquitus, 651. 1. Religio laudatur quare, & quomodo, 197. 1.

Dominicus de Cathalonia non edidit paruum tractatum de Conceptione, 7. Eſt fictus, multiplicatus, & ſine auctoritate adductus, 389. 1.

Dominicus de Dominicis quoad auctoritates videtur fictus, 390. 1.

Dominicus de Grauina trituratur breuiter, 94.

Dominicus de Guzman ſcripſit libellum contra Albigenſes, 870. 2. Ad Auctores ibi relatos adde Eugenium Marttanelum. Ipſius conſilium ſanctum circa doctrinam Sanctorum Patrum non obſeruarunt aliqui Scriptores, 887. in Concuſ.

Dominicus de Monteluporum, cum tractatu de Conceptione eſt fictus, 8.

Dominicus de Pantaleonibus eſt incognitus, & videtur fictus, fol. 2.

Dominicus de Soto ſine vllo ſolido fundamento eſt adductus, 391. 1.

Dominicus à S. Tereſia, Ordinis Carmelitarum latiſsimè trituratur, à fol. 115. In quantis deuiauerit a veritate in materia Conceptionis, præcipuè circa Officium Bernardini de Buſtis, 145. vide ibi plura.

Durandellus nunquam fuit typi mandatus, nec opera eius manuſcripta aliquis vidit, & ſic nullam fidem facere poteſt, 391. 2

Durandus a S. Portiano eſt expreſsè pro opinione ſanctificationis, 392. 1. In multis fuit vitiatus, ibi.

E

Elogia magna dicunt Aduerſarii de ſe, & ſua opinione ſanctificationis, à fol. 197.

Elucidarius non eſt Auctor, ſed libri titulus, eſt Opuſculum S. Anſelmi, & ſic triplicatus, 393. 1. Quot, & quanta vitia reperiantur in auctoritatibus ex hoc libro adductis, ibi.

Epheſinum Concilium in quantis fuerit adulteratum, 796. 1.

Ephrem Syrus eſt duplicatus cum Abramo Syro, quatuor eius auctoritates ſunt vitiatæ, & ſine fundamento adductæ, 391. 1.

Epiſtola miſſa ex Romana Curia quanta contineat contra honorem Prælatorum Hiſpaniæ, 93. Etiam nititur in Auctoribus, & auctoritatibus.

Erardus Martyr, Auctor eſt fictus, & ſuppoſitus, 395. 1. De eius auctoritate quid ſentiendum ſit, varia inculcantur.

Errores ſignati in Fide in opere Turrecrematæ contra piam ſententiam, fol. 580. 1.

Eugenius Papa IIII. ſine fundamento allegatur, adhuc admiſſo eius Decreto, auctoritas nihil probat, 397. 1. vide etiam ver. Synodus auctoritate vitiata.

Euſebius Emiſſenus non fuit Sanctus, nec eius auctoritas aliquid directè probat, 399. 1.

Exceptio Virginis Mariæ a regulis generalibus ſecundùm Ægidium Romanum, 241. 2. De illa S. Auguſtini in libro de Natura, & gratia, vide 127. & 322. 2.

F

Franciſcus Arauxo quid dicat de ſua opinione, nota quæ ibi dicimus, 94.

Facinus de Aſt creditur fictus, de quo nullam adducunt auctoritatem, 400. 1.

Falſitates generaliter in aliquibus libris commiſſæ circa materiam Conceptionis, latè a fol. 247.

Faſciculi varii ad detegenda vitia intruſa, in rationibus proponuntur, à fol. 181. 1.

Faſciculus temporũ liber dictus, vitiatus inuenitur, 150. 2

Feſtiuitas celebrata die 8. Decemb. quæ ſit propriè, vbi aliqua pulchra proponuntur, 868. 2. Quomodo celebrata à Canonicis Lugdunenſibus, 350. 2. latè. Si eſt, vel non celebranda, 238. 1. latè. Quando introducta in Religione Minorum, 371. 1. Quam antiqua in Eccleſia Romana, 325. 2 Sparſim plura inuenies in hoc opere de feſtiuitate Conceptionis.

Florentini Concilii Decretum, & eius veritas examinatur, & aliqua deteguntur, 797. 1.

Franciſcus Aſsiſias P. N. paſsim improperatur à Bandello, 862. 2. & 873. 1.

Franciſcus de Aſt ſine auctoritate adducitur, ventilatus apparet fuiſſe pro magis pia ſententia, 400. 2.

Franciſcus Ferarrienſis quid dixerit circa materiam Conceptionis, 401. 2. & 67.

Franciſcus Herculanus, de quo nullam adducunt auctoritatem, videtur fictus, 403. 1.

Franciſcus Quareſmi in libro de vulneribus Chriſti mutilatur in Typographia, & quid, 157. 1.

Franciſcus Syluius mutauit primam opinionem, 168. 2.

Fulbertus Carnotenſis in multis fuit vitiatus, examinatur eius mens, 403. 2.

Fulgentius Sanctus, & fictiones in ipſo commiſſæ ventilantur, 406. 1.

G

Gabriel Barelete quis fuerit, & ſcripſerit, 25. Ventilatur, 410. 2.

Gaſpar Ram mutauit primam opinionem, 168. 2.

Galbaneus Bononienſis pro ficto reputatur, 410. 1.

Garricus creditur fictus, eius adducta auctoritas examinatur, 411. 2.

Generationem primam parentum vocabant communiter antiqui Scriptores Conceptionem, 237. 1. latè & 291. 1. Et hoc probatur paſsim in opere ex ipſiſmet auctoritatibus.

Gerardus Adæ eſt Auctor incognitus, & iuxta allegata, & probata fictus, Officium de Sanctificatione Virginis, nec viſum, nec auditum, 4.

Gerardus de Senis, de quo nullam auctoritatem tranſcripſerunt, eſt ſuſpectus, & quomodo, 414. 1.

Gerardus Odonis nihil dicit, ventilatur, 415. 1.

Germanus Sanctus nihil probat pro opinione contraria, 469. 1.

Gerundenſe Breuiarium falsò adducitur pro opinione cõtraria, 644 latè examinatur.

Gilbertus Canoniſta, de quo nullam adducunt auctoritatem, eſt fictus, vel multiplicatus cum Roberto Olkot, 416. 1. Et etiam cum ſequenti.

Gilbertus Magiſter eſt idem cum antecedenti, & cum Roberto Olkot, 417. 1.

Gilbertus Porrectanus quoad auctoritatem eſt penitus fictus, & ex vera nihil concluditur, 417. 2.

Gloſſæ exiſtentes in Decreto examinantur latè 468. 1. & 679. 1. Varietas, & confuſio illarum, 565. &c.

Gloſſa ordinaria ſine fundamento, aut veritate adducitur,

tur,418.2. Gloſſæ adductæ pro locis ſacræ Scripturæ, omnes ſunt vitiatæ,& adulteratæ,à fol.738.
Gotifredus, Auctor incognitus eſt, adducta auctoritas examinatur,420.1.
Græcus,Epiſcopus, ventilatur, & oſtenditur in quantis fuerit eius breuis auctoritas vitiata,421.1.
Granum purum poſitum hodie in Area Eccleſiæ eſt Conceptionis myſterium,in lamina.
Gratianus,Compilator Decreti expenditur, ſine vllo funto adducitur,422.1.
Gregorius de Arimino eſt pro opinione contraria, ſed loquitur dubitatiuè, & ad ſanum ſenſum reduci poteſt, 423.2.
Gregorius Magnus in non paucis eſt vitiatus; ventilantur omnes eius auctoritates,425.2.
Gregorius Nazianzenus eſt falſificatus, vitiatus, & adulteratus,425.2.
GregoriusNyſſenus ſine vlla veritate,aut fundamento adducitur,431.1.
Gualterus Anglicus,vt falſus, & ſuppoſitus Auctor reicitur,432.2.
Guidus Archidiaconus loquitur relatiuè,434.1.
GuidusGallicus eſt fictus,de quo nullam adducunt auctoritatem,435.2.
Guidus Maioricenſis fuit pro opinione contraria,436.1.
Guidus Portugalenſis de Arbona eſt ſuppoſitus, & eius auctoritas ficta,436.2.
Guillermus de Alcona pro ficto reputatur,437.2.
Guillielmus Altiſiodorenſis ſæcularis, eſt fictus, & multiplicatus ex ſequenti, 438.1. Eius auctoritas latè examinatur.
Guillielmus,Epiſcopus Altiſiodorenſis fuit,ſed auctoritas ipſi adſcripta, eſt deſumpta ex Guillielmo Duranto, 439.2.
Guillielmus Canoniſta eſt ſeptemplicatus cum ſequentibus,& aliis,441.1.
Gullielmus Durandus eſt multiplicatus;ex eius auctoritate cognoſcitur modus loquendi antiquorum,441.2.
Guillielmus Duranti eſt idem cum præcedenti, & ſubſequenti,443.2.
Guillielmus,Epiſcopus Metenſis, idem eſt cum anteceden tibus,cuius auctoritas examinatur,444.2.
Guillielmus Eſtius in contrariam ſe inclinauit opinionem, 169.1.
Guillelmus de G nnaco eſt Auctor penitùs incognitus,& fortè fictus,5.& 445.2.
Guillielmus Okam ſine vlla veritate adducitur,446.2.
Guillielmus Paraldus in Sermonibus impreſsis Auinione, nec Lugduni apud Carolum Peſnot, anno 1576. in 8. nec in originali manuſcripto extat auctoritas allegata, & ſic creditur, quòd fuerit ficta,448.2.
Guillielmus Pariſienſis examinatur, eius auctoritas extat, ſed ridiculè adducta pro Conceptionis materia, quia loquitur de virginitate,449.2.
Guillielmus Paruus fuit pro contraria opinione, ſecundùm del Rio,169.2.
Guillielmus Pepin peſsimè fuit vitiatus,133.& 154.2.
Guillielmus de Roma eſt ſine dubio multiplicatus, & fortè fictus,cuius nullam adducunt auctoritatem,453.1.

H

HAymo Alberſtattenſis in quatuor adductis auctoritatibus nihil dicit,& eſt grauiter vitiatus,& ſine vllo ſaltem fundamento allegatus,453.2.
Hæretici ſcribentes contra Immaculatam Virginis Conceptionem recenſentur,77.
Henricus de Erfodia cum ſuo tractatu de Conceptione eſt fictus,9.
Henricus de Haſsia edidit opuſculum de macula S. Bernar diſexponit ſati eruditè eius mentem circa Conceptionis materiam,355.1.Aliqua ſcitu digna lege, ibi.
Henricus de Gandabo latè examinatur, magis ſe inclinat iu piam ſententiam.455.1.
Henricus de Huri eſt multiplicatus cum Henrico de Vrimaria,457.2.
Henricus Goethals fuit pro contraria opinione,169.2.
Henricus,Minorita,vel eſt fictus,vel potiùs multiplicatus ex Huri,& Vrimaria,458.2.
Henricus de Vrimaria, cognitus Autor ventilatur, fuit problematicus,459.1.
Heruæts Natalis, ſiue Henricus Brito fuit problematicus, 461.1.
Hiacyntus Arpalegus quanta dixerit à veritate aliena, à fol. 04.vſque 115.
Hieronymus Albertuccius quis fuerit,& an ſcripſerit,51.
Hieronymus Forliuienſis eſt ſuppoſitus Auctor,50.
Hieronymus, Sanctus, in decem adductis auctoritatibus nihil dicit contra Virginis Conceptionem, 462.1. In quantis fuerit vitiatus,ibi.
Hieronymus Theutonicus trituratur,87.
Honorius Papa Tertius quoad auctoritates videtur pluſquam fictus,465.1.Deſideramus,vt ipſum oſtendant.
Hoſtienſis Cardinalis loquitur de peccato originali generationis,&c.466.1.
Hugo de Argentina cum ſuo Compendio Theologiæ eſt cum quatuordecim Auctoribus multiplicatus,466.2.
Hugo Ferrarienſis,& eius multiplicationes propter Gloſſam Decreti,cum aliis quindecim detegitur,466.2.
Hugo Gallicus eſt multiplicatus cum ſequenti,470.1.
Hugo de Sancto Theodorico, vel de Sancto Caro eſt idem cum antecedenti; eius auctoritates vitiatæ examinantur,472.2.
Hugo de Sancto Victore, quoad auctoritates eſt multiplicatus cum Alcuino,474.1. Quantis ſcateat vitiis, vide ibi.
Hugutius,Canoniſta, multiplicatus eſt cum Hugone Ferrarienſi, & aliis quatuordecim, 478.1.
Hunaldus, Doctor antiquus nihil dicit de peccato originali formali in anima,170.1.
Hyrenæus Lugdunenſis in quantis fuerit vitiatus in vna ſola auctoritate,478.2.

I

IAcobus Ægidius de Barchinona eſt fictus, & multiplicatus,& nullum edidit tractatum de Conceptione, 7.& 479.2.
Iacobus Anglicus, vel Ioannes Ciſtercienſis ſunt ficti 481. Auctor in Cantica Canticorum creditur fuiſſe Thomam Ciſtercienſem,vide ibi.
Iacobus de Veneuento abſolutè inter fictos reputari debet,481.2.
Iacobus de Caſa,abſque dubio eſt Auctor fictus,484.1.
Iacobus deCathalonia eſt fictus, & idem cũ Iacobo Ægidio: nullum edidit glorioſum tractatum de Conceptione,7.
Iacobus deLauſana fuit,ſed auctoritates ſunt ſuppoſitæ,& falſæ,485.2.
Iacobus de Loſona eſt multiplicatus ex antecedenti, ideo de ipſa nullam adduxerunt auctoritatem,488.1.
Iacobus de Peruſio ex multis capitibus exiſtimatur fictus, 488.2.

Iacobus Pictauiensis est fictus, & fortè quadruplicatus cum Pictano, & alijs, 489. 2.
Iacobus de Susato fuit in rerum natura, sed eius tractatus de Conceptione, nunquam fuit visus, 18.
Iacobus de Viterbio quoad auctoritatem creditur fictus, 490. 1.
Iacobus de Voragine examinatus secundùm omnes suas auctoritates inuenitur varius, 490. 2. eius legenda fuit vitiata, 153. 2.
Iacoponus Minorita ventilatur, nihil dicit formaliter contra Immaculatam Conceptionem, 493. 2.
Ildephonsus Toletanus adducitur secundum veritatem, 494. 2. quis eius auctoritatem vitiauerit, ibi.
Illarius, seu Hilarius in quantis fuerit vitiatus, 496. 1.
Immunis quid propriè significet, 242. 1. & 864. 1.
Ingressus in mundum quotuplex sit, 348. 1.
Innocentius Cibus fuit problematicus, 91.
Innocentius Episcopus est multiplicatus, & ex Innocentio Papa primo fictus, 497. 2.
Innocentius Papa, qui scripsit super Decretales est fictus, & multiplicatus, & quomodo, 500. 2.
Innocentius Papa I. est multiplicatus, & sine vllo fundamento adductus, 501. 1.
Innocentius Papa V. est multiplicatus ex Petro de Tarantasia, 504. 1.
Innocentius Secundus est fictus quoad auctoritatem, & multiplicatus cum sequenti, 504. 2.
Innocentius Tertius examinatur secundùm veritatem, 506. 1. est multiplicatus cum Lothario.
Innocentius Papa Quartus, Quintus, vel Sextus approbator doctrinæ S. Thomæ quæritur, & non inuenitur, 32. latè, & 805.
Ioannes de Albavilla est multiplicatus cum Ioanne de Villa Abbatis, vel potiùs fictus, 507. 1. Nullam de ipso adducunt auctoritatem.
Ioannes Andræas Canonista ventilatur, nihil formaliter dicit, 508. 2.
Ioannes Apistrin, siue de Capistrano contra omnem veritatem allegatur, & sine auctoritate: fuit expressè pro pia sententia, 509. 2.
Ioannes Baccontanus fuit pro pia sententia, licèt videatur inconstans, 510. 1.
Ioannes Balbus Ianuensis nihil habet pro contraria opinione, 512. 1.
Ioannes Belethi loquitur de festiuitate, & generatione facta die 8. Decembris, 513. 1.
Ioannes de Bibla est incognitus, & fortè est fictus, quia ipsum non ostendent, 514. 1.
Ioannes Bosnienses sub diuersis nominibus est quindecies multiplicatus, 514. 2.
Ioannes Bricius si non est Ioannes de Montesono, vel Ioannes Thomæ, Auctores damnati ab Vniuersitate Parisiensi, est fictus, 19 & 515. 2. Vide ibi plura scitu digna.
Ioannes Calcar est incognitus, & si non fictus, ostendant ipsum, quia sui Patres Carthusiani illum desiderant videre, 518. 2.
Ioannes Calderinus, neque à Zabarella citatur, & de ipso dicta sunt ficta, 519. 2.
Ioannes Capreolus est expressè pro sanctificatione, 16. & & 520. 2.
Ioannes Casianus sine fundamento adducitur, in quantis fuerit vitiatus, 521. 1.
Ioannes de Ceruo est multiplicatus cum Ioanne Monacho, & auctoritas ficta, 522. 2.
Ioannes Chrisostomus quoad omnes auctoritates est fictus, 523. 1.
Ioannes Cliukot est fictus, & multiplicatus cum Ioanne Diukot, & Ioanne Liniros, 525. 2.
Ioannes Compilator quis fuerit, & quomodo quindecies multiplicatus, 526. 1.
Ioannes de Contreras Segouia scripsit in Concilio Basilienst pro pia sententia, 576. 1.
Ioannes Damascenus ventilatur, nihil dixit de Conceptione, 527. 1.
Ioannes Diuchot, vel Liniros de Saxonia est fictus, & multiplicatus cum Ioanne Cliukot, 529. 1.
Ioannes Dominicus de Florentia quoad opus de Conceptione Virg. est fictus, & creditur etiam multiplicatus, 530. 2. Opus de vita, & morte Virginis extat in Bibliot. Medicea Pluteo XV. circa finem.
Ioannes de Francofort est incognitus, de quo nullam adducunt auctoritatem, nec illam ostendent, 532. 2.
Ioannes de Gallicis est fictus quoad nomen, sed quoad rem videtur quadruplicatus, 333. 1. nullam adducunt auctoritatem.
Ioannes Gallicus est idem qui suprà, & cum Iordano, vnde desumpserunt auctoritatem, 534. 1.
Ioannes Gallicus Glossator Decreti est idem cum Ioanne Bosnienst, Compilatore, & Theutonico, &c. 535. 1.
Ioannes Gallicus Minorita est fictus, vel ad minus multiplicatus ex Iordano, & alliis Gallicis, 536. 1.
Ioannes Gallicus Parisiensis, ex superioribus absolutè fuit fictus, 537. 2.
Ioannes de S. Geminiano falsò adducitur, quia expressè tenet piam sententiam, 540. 1.
Ioannes Genesius de Parma licèt fuerit, quia eius opus extat manusc. in Bibliot. S. Laurentii Florentini Medicea, Pluteo XIX. cùm tamen de ipso nullam adducant auctoritatem, existimo esse sine fundamento adductum, 342. 2.
Ioannes Helssels fuit pro opinione Aduersariorum, 170. 2.
Ioannes de Herfodia sine vllo fundamento est adductus, 543. 1.
Ioannes de Lictimber est Auctor confusus, cuius opera nullus vidit, ipsa tenentur ostendere, 544. 1.
Ioannes Liniros de Saxonia quis fuerit, & de eius multiplicationibus, 529. 1.
Ioannes Monachus est idem cum Ioanne de Ceruo, & falsò adducuntur, vt constat ex suo opere manuscripto, 544. 2.
Ioannes Michael Pius Nomenclator Dominicanus passim multiplicat Autores, vide aliqua exempla, 7. & 593. 1. & alibi sæpè.
Ioannes de Montenigro scripsit pro opinione contraria in Concilio Basilienst, 545. 2 vide etiam fol. 18.
Ioannes de Montesono quis fuerit, & quid scripserit contra Conceptionem 9 eius errores circa eam 15.
Ioannes de Neapoli fuit pro contraria opinione, 546. 2.
Ioannes Parisiensis est incognitus, si non est Ioannes Capreolus, est fictus, 547. 1. Vide aliqua ibi.
Ioannes de Poliaco, vel Policratis est Auctor damnatus, an adducta auctoritas sit vera, vide 548. 1.
Ioannes Richardus cum suo Compendio, & variæ eorum multiplicationes deteguntur, 550. 1.
Ioannes Rigaldus est idem cum antecedenti, 555. 2.
Ioannes de Rupella nihil dixit contra Conceptionem, 556. 1.
Ioannes Scotus sine vllo fundamento adducitur, 557. 1. Quare ab omnibus dicatur antesignanus in hac controuersia, 241. 1.
Ioannes Sernigacii multiplicatus est cum sequenti, & fictus, 558. 2.
Ioannes Sternigatii est multiplicatus cum antecedenti, & aliis 559. 2.

Ioannes Theutonicus quinquies adducitur ſub diuerſis nominibus,561. 1.

Ioannes Theutonicus, Canoniſta, eſt idem cum antecedenti, & quantum ad auctoritatem cum multis aliis,562. 2. Nota quæ de hoc deteguntur.

Ioannes de Turrecremata, Cardinalis, latè examinatur, 19. præcipuè à folio 571. 1. liber eius de Conceptione ex maiori parte fuit vitiatus,577. 1.

Ioannes de Turrecremata, Canoniſta, eſt multiplicatus cum antecedenti,567. 1.

Ioannes Thomæ quis fuerit, & de eius ſcriptis, & abiuratione,15. & 517.

Ioannes de Verdiaco incognitus, ac ſuſpectus Auctor eſt, 582. 1.

Ioannes Veri, Concionator, retractauit opinionem contrariam,55.

Ioannes de Villa Abbatis incognitus eſt, & creditur multiplicatus ex Ioanne de Abbatis Villa,583. 2.

Iordanis Theutonicus quis fuerit, quomodo multiplicatus, & qualia ſint eius verba,584. 2.

Iuſtinus Miechouienſis, & ipſius verba proponuntur 97.

Iſidorus Hiſpalenſis ſine vllo fundamento adducitur, nec legaliter,586. 2.

Iſidorus Mediolanenſis quid ſcripſerit: cum paruo fundamento adducitur pro contraria opinione,588. 1.

K

KAtharina, ſiue Catharina Senenſis adducitur in quadam reuelatione, quæ quidem ſuppoſita fuit, & intruſa, latiſſimè detegitur quomodo, quando, & à quo, à folio 489. 1.

L

LAndulphus de Saxonia, Carthuſianus cum paruo, vel potius nullo fundamento adducitur,601. 2. eius verba examinantur, & fuit pro pia ſententia.

Landulphus Minorita contra omnem veritatem adducitur,600. 1.

Laudes Dominicanæ Religionis propter ſuam opinionem recenſentur,197. 1.

Laurentius Calcaneus, Canoniſta, duplicatus eſt cum ſubſequenti,603. 2. De eius opere aliqua ventilantur ſcitu digna, ibi.

Laurentius Canoniſta eſt idem cum antecedéti, eius Gloſſa eſt ficta quoad Auctorem, & quatuordecies multiplicata in aliis Auctoribus,606. 1.

Libellator Romanus, & eius verba triturantur,102.

Legendæ antiquæ de vitis Sanctorum, omnes fuerunt vitiatæ in legenda Conceptionis, patet primò ex Lombardica Iacobi Ianuenſis,153. 2. Item, ſecundò ex illa Petri de Natalibus,154. 1. Tertiò ex illa Petri de kalo Clugienſis de qua,663. 1.

Leonardus Manſuetus eſt multiplicatus cum ſequentibus, Statio, & Vtino; & quid ſentiendum de ſermone, de quo nullam adducunt auctoritatem,607. 2.

Leonardus Nogarolis, & eius officium vindicatur à calumniis Bandellianis, 872. Vide ibi aliqua ſingularia.

Leonardus Statius eſt multiplicatus cum Manſueto, & Vtino, & pro ficto reputatur quoad opus Sermonum, 608. 1.

Leonardus de Vtino eſt ex quo Aduerſarii fabricarunt duos Manſuetum, & Statium, cùm ergo hic fuerit pro pia ſententia, vide quid dicendum ſit de aliis,609. 1.

Leo Papa, Sanctus, in quantis fuerit vitiatus, & adulteratus latè expenditur, à folio 611. 1.

Libri falſificati in hoc Conceptionis puncto in communi recenſentur in Ventilabro à folio 147. In particulari verò ſunt, ferè omnes relati in Ventilatione, ille Turrecrematæ de Veritate Conceptionis in multis fuit vitiatus,577. 1. Quod latè probatur.

Linconienſis, Epiſcopus, quo fundamento adducatur, & quomodo fuit pro pia ſententia,618. 1.

Litteræ Vniuerſitatis Pariſienſis, Stephani Epiſcopi, & Vrbani Papæ pro recómendatione doctrinæ S. Thomæ, & præcipuè illa verba Innocentii ad examen reuocantur,10.

Lotharius fuit Innocentius III. & ſic multiplicatus: in eius auctoritate aliqua ſcitu digna deteguntur pro conceptionis materia,619. 2.

Lucas Beatus examinatur, & eius auctoritates ventilantur,621. 1.

Ludouicus de Sotomaior trituratur,88.

Lugdunenſes quomodo celebrabant feſtum conceptionis,350. 2.

M

MArcus de Vlyſibona in traductione Italica Chronicarum in quodam miraculo Conceptionis fuit vitiatus,151. 2.

MARIA puriſsima, in ſua Immaculata Conceptione eſt aſſumptum totius huius operis, & ſic de ipſa nihil ſpecialè dicimus.

Marinus Ciſtercienſis eſt fictus, & multiplicatus ex ſequenti,622. 2. Auctoritas eſt ficta.

Martinus Polonus quis fuerit, an ſcripſerit Sermones, & de auctoritate allegata ſenciendum eſt fuiſſe fictam, 623. 1.

Matthias Aquarius quid ſcripſerit,87.

Mauricius, Epiſcopus Pariſienſis cum paruo fundamento adducitur,624. 2.

Mauricius de Gregorio fuit ridiculus Scriptor, & quare vide 99.

Maximus, Epiſcopus ſanctus, ſine ſpecie ſaltem veritatis adducitur,626. 2.

Melchior Canus expenditur, 82. & 628. 1.

Meffret fuit problematicus,171. 1. Quomodo fuerit vitiatus,150. 2.

Michael de Furno eſt fictus, & contra veritatem adductus 629. 1.

Michael Lot quid dixerit de Magiſtro Sententiarum, & qua veritate,170. 2.

Milleuitanum Concilium, Numidię, Cartaginenſe, & Africanum, vt diſtincta adducta ab Aduerſariis, ſolum eſt vnum Concilium,789. latè.

Minores quanta ſuſtinuerint oprobria pro defenſione Immaculatæ conceptionis,146. 1.

M. L. Iuriſperitus videtur ſuppoſitus, & fictus à Bandello, 171. 1.

Moneta Magiſter quis fuerit, & quoties extiterit multiplicatus,630. 1.

Montiſoniſtæ quando ſurrexerint, & quid egerint latè, 516. 1.

Mors Virginis Mariæ vnde prouenerit,798. 2. & 314. 2. & 694. 1.

N

NAtiuitas ſumebatur pro eodem quod naſci in ſemine à parentibus, 236. 2. Siue pro prima generatione, 332. 2.

Nicolaus de Achiora ex variis coniecturis pro ficto reputatur,631.1. Et præcipua est quod nullam ex ipso adducant auctoritatem.
Nicolaus Alexius, sine auctoritate adducitur à Grysaldo, vnde vehementer existimo esse fictum,632.1.
Nicolaus de Aquavilla,de quo nullam adducunt auctoritatem,fuit,& scripsit Sermones de tempore,sed de Sanctis non inueniuntur,vnde vel est suppositus, vel multiplicatus,632.2.
Nicolaus de Esculo videtur multiplicatus cum Aquavilla, Nicolao Gorram,& alio Carmelitano,632.2.
Nicolaus de Finali dubitatur,an scripserit de Conceptione,quousque ipsum ostendant,68.
Nicolaus Gallicus Cisterciensis fuit, sed eius auctoritas fortè est ficta à Bandello, quia Vitalis, & Alanus Parisienses ipsum adducunt pro pia sententia,633.2.
Nicolaus Gorram sine vllo fundamento adducitur, ventilatur latè,364.1. Cùm hic scripserit sermones de Sanctis,fuerit Gallus,& ex Ordine Prædicatorum, ex ipso fortè multiplicarunt Aquavillam, Cistercienſem Gallum,& Esculum.
Nicolaus Liranus non fuit in rei veritate pro opinione cõtraria,sed potiùs pro magis pia sententia,635.2. Quid de eius operibus dicant Aduersarii.
Nicolaus Ricciardus fuit varius,91.
Nicolaus Treueth loquitur de festiuitate, sed cum eius quodlibeta non sint typis mandata,nec manſc.inuenian tur,tenentur illum ostendere,638.1.
Nizephorus Constantinopolitanus nihil dicit pro opinione contraria,272.1.
Nomenclatores Dominicani multiplicant Auctores sine numero,& mensura,exépla aliqua sunt fol 7.& 593.1. 852.2.& 547.2.& alibi passim. Nomenclaturæ à nobis visæ pro veritate indaganda extant à fol.223.1.
Numidiæ Concilium Africanum, Cartaginense, & Millinitanum non sunt diuersa,sed vnum,791.1.

O

OBumbrare Virginem quomodo intelligẽdum,772.2.
Octoginta duo Doctores Parisienses congregantur pro Immaculata Conceptione,50.
Odo de Castro Rodulphi videtur triplicatus,538.2.
Odo Abbas Morimundi fuit,sed creditur idem cum antecedenti,& subsequenti,640.2.Cuius auctoritas expenditur,ibi.
Odo Gallicus sit,vel non distinctus à præcedentibus, eius integra,ac vera auctoritas expenditur,642.1.
Officium Sanctificationis in Religione Prædicatorũ fuit suppositum,sicut & S.Thomæ,4. Alterum de contaminatione, ac corruptione Virginis Mariæ nunquam est visum,169.2. Illud Bandelli extat, & quale sit,875.2. Nulla Ecclesia hucusque recitauit sub titulo Sanctifica tionis,643.2.Pro hac demonstratione adducuntur quã plura Breuiaria, ac Missalia antiqua,648.2. Officium approbatum à Sum. Pontif. Sixto IIII. impugnatur à Bandello,865.2.& 872.1.Gerundense, & Carthusianũ quàm falsò fuerint adducta ab Aduersariis,644.1. &c.
Opinionem suam volunt Patres Dominicani esse Immaculatam,non autem Sacratissimam Virginem Mariam,95. Lege hoc amore Dei. Opinio Dominicana nititur probare,quòd dicentes, Mariam non contraxisse maculam peccati,dehonorant Matrem,& Filium, & ipsi asserentes fuisse maculatam,honorant vtrumque,85.
Oprobria,quibus Aduersarii sugillant defensores piæ sententiæ,146.Quanta dicat Bandellus,864.&c.
Origenes sine vllo fundamento, nec veritate adducitur pro parte contraria,653.2.
Originale peccatum constituebant antiqui in carne seminata cum libidine,& concupiscẽtia,554.1.latè 237.1. & 253.2.Erat à parentibus secundùm Hugonem de S. Victore,253.1. & 477 2.Eius variæ acceptiones, 242. 1.De peccato originali secundùm mentem antiquorum agimus in toto hoc libro.
Ortus Auroræ quid sit propriè, 766. 1. Vox ista variè luminebatur apud antiquos,236.2.
Olympius nihil dicit pro præsenti controuersia,653.1.

P

PAganus de Pergamo fuit, sed de allegato Sermone dubitatur 657.1.
Panormitanus Abbas defenditur à falsa impostura,568.2. & 571.
Paratus Doctor antiquus sine vllo fundamento adducitur,658.1.
Parisienses Doctores quid damnarunt tanquam hæresim ex Alberto Magno,250.2.
Paulinus Bernardinus adducitur à Paulo Grysaldo,& sine auctoritate; & sic ex omni parte est suspectus, 659. 1. Ex quadam singulari notitia videtur fuisse pro pia sententia ibi.
Paulus Burgensis sine fundamento, & auctoritate adducitur,660.1.
Paulus Carraria expenditur,90.
Paulus Grysaldus sine vlla veritate scripsit in hac Concep tionis materia,86.
Paulus de Perusio quoad auctoritatem pro ficto reputatur,660.2.
Paulus Soncinas nihil scripsit contra mysterium, quia licet ediderit primò opuscula S.Thomæ,ibi non fuit Auctor,vide 42.
Pelagii error qualis fuit,321.2.& 501.1.
Petrus Bergomensis quid scripserit,41.
Petrus de Bruco sine fundamento adducitur,661.2.
Petrus Calo Clugiensis examinatur; eius propria sententia fuit abrasa à originali manuscripto,662.2.
Petrus Cantor ridicule fuit introductus sub nomine Abel, 229.1.
Petrus Capuanus est incognitus, & vt apparet, fictus, de quo nullam adducunt auctoritatem, 665.1.
Petrus Comestor, Magister historiæ sine fundamento, & veritate est adductus,667.1.
PetrusDamianus in multis fuit vitiatus,& aliqua falsa deteguntur,669.2.
Petrus Galdini est incognitus,cuius nullam adducunt auctoritatem,ego credo fuisse fictum,672.2.
Petrus de Herrera scripsit pro opinione Sanctificationis,89.
Petrus Ieremias falsificatus cernitur, vbi varia scitu digna inuenies,673.2.
Petrus Lombardus, Magister Sententiarum,ventilatur secundùm veritatem;vitia in ipso introducta demonstran tur,677.1.
Petrus Mediolanensis cum Glossa Decreti est multiplicatus,679.2.De Glosis plura,ibi.
Petrus de Natalibus in legenda est vitiatus,154.
Petrus de Palma,siue de Polonia, Dominicanus pro ficto, & multiplicato reputatur,682.1.
Petrus de Palude in Sententiariis fuit pro opinione Sanctificationis; & in Sermonibus pro pia sententia, 683.1.

Petrus de Parma Ciſtercienſis eſt Auctor incognitus; & fortè quadruplicatus cum Antonio de Azaro Parmenſi, & duobus antecedentibus, 687. 1.

Petrus Rauenas eſt æquiuocus; ſed qualiſcumque extiterit, eſt falſificatus, & auctoritas ſine veritate, 688. 1.

Petrus de la Scala, de quo nullam adducunt auctoritatem, creditur fictus, 689. 1.

Petrus de Tarantaſia eſt multiplicatus cum Innocentio V. 690. 1. Fuit pro contraria opinione.

Petrus Tripolitanus eſt multiplicatus cum S. Auguſtino; auctoritates pro ipſo adductæ ſcatent vitiis, 692. 1.

Petrus de Vincentia, Auctor huc vſque incognitus, examinatur, 39. Eius liber plenus falſitatibus, quater excuſſus, & ſemper occultè, 875. Eſt damnatus ab Vniuerſitate Toloſana, 148. 1. Et ab ſupremo Tribunali Inquiſitionis, ibi & 875.

Philippus Aruentius, Abbas habet verba pro vtraque parte, 172. Examinantur latè.

Philippus de Monte Calerio, falsò fuit adductus, 697. 2.

Phiſiologus fuit in rerum natura, ſed liber citatus, & auctoritas non inueniuntur, nec aliquid dicit, 698. 1.

Pictanus, vel Pictauus, ſi non eſt fictus, ipſum tenentur oſtendere, 699. 1.

Polidophorus etiam eſt fictus, de quo nullam adducunt auctoritatem, 699. 2.

Pontifices allegati pro parte contraria ſunt quindecim, nō tredecim: vnde corrigendum eſt, quòd dicitur fol. 794. col. 2. ad finem, quia Impreſſores præterm iſerunt duos, Eugenium, & Honorium. Quomodo oracula ipſorum fuerint ab Aduerſariis adulterata, 498. 1. & deinceps.

Porchetus de Saluaticis ſine fundamento adducitur, quia fuit pro pia ſententia, 700. 2.

Præpoſitus, vel Præpoſitiuus fuit pro opinione contraria, 701. 2.

Prædicatorum Religio, quos Auctores habeat ſecundùm veritatem pro opinione Sactificationis, à fol. 214. & 222. Maior pars ſequitur ſententiam Præſeruationis, à fol. 197. Attendat amore Dei in hoc opere ad omnia, in quibus ſui antiqui Scriptores deuiarunt calamum à veritate.

Priuilegium Præſeruationis quęſitum ab Elyſio, Bandello, Barelete, Kemnitio, & aliis oſtenditur, 84.

Propoſitiones in materia Conceptionis ſunt in triplici differentia, genericæ, ſpecificæ, & indiuiduæ, fol. 178. à col. 2. Vide, nam hic eſt ſcopus totius libri. Vniuerſales exceptionem patiuntur in Virg. Maria, 759. 2. & 241. 2. Propoſitionū, in, &, ex, differentia, 427. 2. Hæc, Maria fuit ſanctificata in vtero, eſt indifferens, 232. 1. Et hoc alibi ſæpè probatur.

Præſeruationis ſententia habet in Religione Prædicatorum defenſores ducentos octoginta octo, à fol. 198. 1 Quibus adde Franciſcum de Pietate Machiel in expoſitione in Geneſim, de quo in noſtra Militia. Præſeruare eſt idem quod purgare apud antiquos, 858. 2. & alibi.

Proſper Regienſis quid dixerit, & quomodo fuerit vitiatus, 702. 2.

Purgationem ſumebant antiqui pro præſeruatione, 859. 1. Quid ſit à tenebris peccati originalis purgare, 279. 2.

Q

QVæſtio, an Virgo Maria fuerit ſanctificata antequàm nata, frequentiſsima fuit apud antiquos, contra Arauxum, 231. 2. & 240. & 249 & alibi ſæpè. Antiquam, an Virgo Maria fuerit ſanctiſicata ante animationem, Aduerſarii transferunt ad punctum animationis, & de conceptione actiua parentum tranſeunt ad conceptionem paſsiuam prolis, hoc demonſtratur in toto opere.

R

RAbanus Maurus, Auctor claſsicus adducitur ex quadruplicata auctoritate, quæ nihil probat, 703. 2.

Raphael de Parnaſio, ſi fuit, quod nimis dubitatur, ipſum oſtendant, 25. & 705. 1.

Rationes ſex ab Aduerſariis adductæ pro ſua opinione in auctoritatibus ſcatent vitiis, à fol. 180. 2. Ex ipſis, & dictis ad finem operis conſtat euidèter, quòd vnica, totalis, ac ſola ratio Aduerſariorum, eſt ex Auctoribus, & auctoritatibus: quomodo ex hac faciant decem, vide à fol. 885. cum reſponſione ad ipſas.

Raymundus Compilator nihil dicit contra myſterium, agit enim de feſtiuitate, 705. 2.

Raynerus de Piſis ſecundùm diuerſa originalia ventilatur, 706. 2.

Redemptio ſaluatur in ſola obligatione ad ſeruitutem ex ipſomet Bandello, 863. 1.

Reginaldus Rothomagenſis variè eſt multiplicatus, de eius auctoritate aliqua figmenta deteguntur, 709. 1.

Remigius Remenſis ventilatur, quanta reperiantur vitia in eius auctoritatibus, vide 181. 1. & 712. 1.

Reuelatio S. Catharinæ Senenſis fuit ficta, & intruſa in eius orationibus, quando, quomodo, & a quo, vide latè à fol. 589. 1.

Rethicius Beatus, ventilatur ſecundùm veritatem, & nihil dicit, 715. 1.

Richardus Anglicus eſt apertè multiplicatus cum Roberto Anglico, 716. 1.

Richardus de Mediavilla, pro vtraque parte inuenitur, 719. 2.

Richardus Rodulphus de Hybernia eſt triplicatus, in quo aliqua ſcitu digna deteguntur, 718. 1.

Richardus de S. Victore in vna ſola auctoritate, & magna ferè, tot habet adulterationes, & vitia, quot verba, 722. 1.

Robertus Anglicus eſt multiplicatus cum Richardo, & opus ſuper Sententias nunquam viſum, 727. 2.

Robertus Contton ſine fundamēto eſt adductus, & paſsim allegatur pro pia ſententia, 728. 2.

Robertus Holkot eſt expreſsè pro pia ſententia, quomodo peſsimè fuerit vitiatus, 729. 2.

Robertus Mediolanenſis fictus, & multiplicatus eſt, quomodo, vide 732. 2.

Robertus de Tornaco confuſsè adducitur, & ſine auctoritatibus, potiùs fuit pro pia ſententia, 733. 1.

Romanus Magiſter eſt multiplicatus, cuius opus ſuper Sententias, nec auctoritatem oſtendent Aduerſarii; vnde fuerit extracta, 734.

Rubiginem auferre quid, & quomodo intelligatur, 769. 1.

Rupertus Tuitienſis, Abbas, cum aliquali fundamento adducitur, ſed in rei veritate nihil probat, quia loquitur de prima generatione, ſeu conceptione carnali, 735. 2.

S

SAnctificatio eſt indifferens, 691. 1. & 231. 1. Chriſtus etiam dicitur ſanctificatus in vtero, 267. Vnde non ſupponit maculam, 336. 2. De ſanctificatione in vtero in primo animationis inſtanti nullus antiquus loqui-

quitur, 240. 2. Virginis Mariæ fuit excellentior, quàm Ioannis, 231. 1. & 345. 2. De ipsa redarguuntur Aduersarii, 761. 1. latè.
Sanctos omnes volunt Aduersarii fuisse pro sua opinione, 158. expressi ab ipsis sunt sexaginta, 795. 1. Propter hoc faciunt Sanctos, ac Beatos, quàm plures, 159. 2.
Sanctius à Porta in Mariali vitiatur in Sermone Conceptionis, 150. 1.
Scotus quomo primus defensor huiuis mysterii, 241. 1.
Scriptura sacra quomodo adducatur pro opinione contraria, 737. 1. Auctoritates adductę sunt decem, & octo, & secundùm ordinem ipsorum sunt sequentes Prima, ex epistol. ad Romanos, cap. 3. ver. 22. *Iustitia Dei est per fidem, &c.* 738. 1. Secunda, Rom. 5. ver. 12. *Per vnum hominem in hunc mundum peccatum intrauit, &c.* 743. 1. Tertia, Roman. 5. ver. 18. *Sicut per vnius delictum, &c.* 746. 1. Quarta, ad Galatas 3. ver. 22. *Concluſit Scriptura omnia ſub peccato, &c.* 749. 2. Quinta, 1. ad Thim. 1. ver. 15. *Quia Chriſtus venit in hunc mundum, peccatores ſaluos facere,* 751. 1. Sexta, Luc. 19. ver. 10. *Venit Filius hominis quærere, & ſaluum facere, quod perierat,* 753. 1. Septima, Matth. 9. ver. 12. *Non eſt opus ſanis medicus, ſed malè habentibus,* 753. 2. Octaua, 1. ad Thim. 2. ver. 5. *Vnus eſt Mediator Dei, & hominum Chriſtus, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus,* 756. 1. Nona, 2. ad Corint. 5. ver. 14. *Quoniam ſi vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt,* 757. 2. Decima, Exod. 40. ver. 32. *Poſtquam cuncta perfecta ſunt, operuit nubes tabernaculum teſtimonii,* 759. 2. Et hic illa ex Pſal. 45. ver. 5. *Sanctificauit tabernaculum ſuum altiſſimus,* 761. 1. Vndecima, Iob 3. ver. 9. *Obtenebrentur ſtellæ in caligine noctis eius, & ſpectet lucem, & non videat. nec ortum ſurgentis aurorę,* 764. 1. Duodecima, Eccleſiaſt. 7. ver. 29. *Virum de mille vnum reperi: Mulierem autem, ex omnibus non inueni.* 766. 1. Decimatertia, Prou. 25. ver. 4. *Auferte rubiginem de argento, & egredietur vas puriſſimum,* 767. 2. Decimaquarta, Luc. 1. ver. 35. *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi,* 769. 2. Decimaquinta, Luc. 1. ver. 46. *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo,* 771. 1. Decimaſexta, ex Pſalm. 13. ver. 3. & 52. ver. 4. *Omnes ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum,* 775. 2. Decimaſeptima, Iſaiæ 63. ver. 3. *Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum,* 776. 1. Decimaoctaua, Luc. 1. ver. 49. *Quia fecit mihi magna,* 776. 1. Signate in prædictis, vbi eſt Maria, Conceptio, aut peccatum originale?
Scriptores antiqui, qui pro opinione ſanctificationis quoquomodo agunt directè, vel indirectè, ſolidè, aut tantùm apparenter, in toto hoc opere triturantur, & ventilantur: qui autem ſunt pro ſententia præſeruationis, in noſtra Militia iam approbata, & diſpoſita ad prelum Deo dante, videbunt lucem, in Memoriali.
Sedulius Presbyter eſt capitaliter adulteratus, ac multipli catus cum Theodoro Theutonico, ac inſuper fuit pro pia ſententia, 770. 2.
Semen dicitur immundum, & conceptum in peccatis, 289. 1. Cum mortalitate deciditur, & quomodo, 694. 1.
Septuaginta duo Auctores ex Ordin. Prædicatorum tantummodo inuenit Bandellus pro ſua opinione, 49.
Seuerianus eſt penitùs fictus, & ſimiliter auctoritas, fabricata ex quibuſdam verbis Petri Rauenatis, id eſt, Sancti Petri Chryſologi, & ſic etiam eſt multiplicatus, 777. 2.
Seuerinus Boetius à primo vſque ad vltimum verbum eſt vitiatus, vbi mirabilia deteguntur, 778. 1.
Seuerus Sanctus ignoratur, quis fuerit, auctoritatem e xtraxerunt ex Cathena aurea S. Thomæ propter has litteras SEVE, ſed in quantis fuerit vitiata, vide 782. 1.
Sexaginta Meſſores Ordinis Prædicatorum triturantur, à fol. 1. vſque 145.
Sicardus, aut Richardus Cremonenſis videtur fictus, & quare, 783. 2.
Simon de Caſia nihil dicit contra Immaculatam Conceptionem, 173.
Sinibaldus eſt fictus quoad auctoritatem, & ſimul quadruplicatus, 784. 1.
Sixtus IIII. Sum. Pon. Max. ſingulari affectu profecutus eſt iſta tria, Conceptionem Virginis, vulnera S. Franciſci, & Religionem Prædicatorum, 599. 2.
Soccus Ciſtercienſis, qualis Auctor fuerit. Vrzanus, & Eugenius Martanelus ipſum adducunt pro pia ſententia, quid dixerit, examinatur, 787. 1.
Sol, & Veritas in multis aſſimilatur, in laminæ Symbolo in primo folio. Hìc ſolùm reſpicimus ad lucis claritatem, qua expellendo tenebras omnia æqualiter, & indifferenter illuſtrant. Sol ſuper iuſtos, & iniuſtos oritur, ſicut veritas ad bonos, & malos Scriptores clamitat, eligendo ex illis bonum, reprobando in iſtis malum, inter quos ſemper in medio poſitus ſeruat iuſtitiam, & æquitatem; pergit continuo, & inceſſanter, ſed via recta non declinando ad dexteram, neque ad ſiniſtram, vnde ſanitas in pennis eius, ſiquidem in ipſis, neque eſt libor, aut plaga tumens, contentio, aut æmulationis ardor, ſed placido vultu, ſerenaque fronte gyrat per omnia, ſcrutatur, occulta flectitur, & reflectitur, ſed ad punctum reuertitur inquirendo, vnde exierint Auctores, & auctoritates in hac Conceptionis materia, obſcurè, confusè, & quaſi inter nocturnas tenebras adductæ; hæc indicat lamina noſtra in principio poſita, quoad Sol, de veritate verò, vide alia infra verbo Veritas.
Speculator quoties fuerit multiplicatus, 786. 1.
Stephanus antiquus Doctor, neſcitur quis fuerit, eius auctoritas nihil dicit, 787. 1.
Stephanus Canoniſta ſine dubiò eſt fictus, 788. 1.
Stephani Epiſcopi litteræ pro approbatione doctrinæ S. Thomæ examinantur, 10. & 36. & 805.
Stephanus de Montegazza cõuincitur de falſitate, 156. 2.
Statua Nabuchodonoſoris adducitur ab Aduerſariis, ad improperandam Religionem Minorum, 62. & 874. 1.
Syluester de Pierio ſcripſit pro opinione ſanctificationis, 55. Licèt fuerit Auctor communiſsimus, non adducitur ab Aduerſariis, fortè quia ipſum non viderunt.
Synodus ſacra, adducta pro opinione contraria ſunt ſex, ex vno indiuiſibili Concilio, ſcilicèt Africano fecerunt quatuor diſtinctos, Milleuitanum, Cartaginenſe, & Numidiæ, 781. 1. latè. Quanta in ipſis finxerint, vide ibi de Epheſino, & Florentino, mira deteguntur abſurda, & falſitates, 796. 1.

T

THodorus Epiſcopus, eſt Beatus fictus, & eius auctoritas extracta, à Theophilato, ridiculè etiam multiplicato in S. Theophilo, 799. 1.
Theologi magni præclariſsimi, illuſtriſsimi, &c. adducti ab Aduerſariis quales fuerint, 46. & 795. 1.
Theophilatus, Bulgariæ Epiſcopus ſchiſmaticus, &c. deceptoriè adducitur ſub nominibus Theodori Epiſcopi, & Theophili ſanctis, 799. & 801. 2. nota ibi aliqua ridicula.
Theodorus Theutonicus, vel eſt fictus, vel multiplicatus ex Sedulio, 800. 2.

Theophilus Alexandrinus eſt fictus,& auctoritas deſumpta ex Theophilato,801.1. In quantis vitiata,vide ibi.
Thomas de Ales eſt multiplicatus ex Alexandro de Ales, & inſuper auctoritas adducta nihil dicit,802.2.
Thomas de Aquino D Angelicus expenditur latè, à fol. 804. Approbationes de eius doctrina fuerunt ſuppoſitę, 10. & 32. latè. & 805. 2. Opuſcula, an omnia quæ modò circunferuntur ſub nomine eius fuerint ſua? 806.1. Verba eiuſdem in multis fuerunt alterata,806.2. Auctoritates S. Thomæ pertinentes ad materiam Conceptionis in quantis fuerint vitiatæ, à fol.809. Vbi etiam de eius mente ſecundùm veritatē differitur. Nota inſuper Lector, quòd Andręas de Peruzinis in Analyſi puriſſimæ Conceptionis,fol.16. Et ex ipſo Eugenius Marttanellus de Gauardo,fol.9. Affirmant,aliqua Opuſcula S. Thomæ fuiſſe in hac Conceptionis materia penitùs vitiata,præſertim 7.& 8. De quibus nihil dicimus in Ventilatione,quia authenticam comprobationem inuenire non potuimus. Cenſurā circa viginti quatuor adductas auctoritates S. Thomę inuenies à fol. 803 2 Præcipua pro hac materia auctoritas derelicta ab Aduerſariis examinatur à fol.835.1. Eius tertia pars fuit completa, & addita ab aliis,248.1. Super epiſtolā ad Galatas euidenter inuenitur vitiatus, 147 1. Eius verba fuerunt adulterata,271.2. Opuſcula ipſius primò impreſſa cura,ac ſolicitudine F.Pauli de Soncinas Ordinis Prædic. Mediolani per Benignum & Ioannem Vntonium Fratres de Honate,anno 1388 in folio ſed mendosè,nam dicere debuerāt 1488 quia tunc floruit Soncinas, & Typographia incepit ad annum 1448.) ſolùm adduxit quadraginta nouem Opuſcula; at impreſsione Lugdunenſi apud Hæredes Iacobi Iuntæ, auxerunt prædicta Opuſcula vſque ad ſeptuaginta tria, & ſimilter in nouiſsimis impreſsionibus:à quo ergo,vel vnde addita fuerunt illa viginti quatuor? Quanta machinarunt Aduerſarii, vt ſtaret,& non caderet opinio ſui Doctoris!53. De S.Thoma, & eius doctrina vide plura in Trituratione.
Thomas Elyſsius trituratur,88. Notātur aliqua incōgrua.
Thomaſinus quis fuerit,& qualis eius auctoritas, vbi nonnulla deteguntur ſcitu digna,837.1.
Thomas Iorſius non ſcripſit librum de Conceptione,5. Eſt idem cum Thoma de Vvalis Anglico,852.2.
Thomas de Lemos proponitur,& quid ſcripſerit,89.
Thomas de Linchino quoad opus adductū eſt fictus,838.2
Thomas de Suetonia eſt duplicatus; mira deteguntur; circa Compendium Theologiæ ipſi adſcriptum,839.2.
Thomas de Vio Caietanus quid ſcripſerit circa auctoritates expreſſas,& in indiuiduo,64. Quàm varius,& incōſtans,841. Redarguit ſuos,852.1. Eius doctrina qualis, ibi. Verba clauſulæ,imò & articuli fuerunt in eius textu alterati in modernioribus impreſsionibus.
Thomas de Vvaleis Anglicus, quàm ſit confuſione plenus, 851. Æquiuocatio inter Thomam Anglicum, & Angelicum,ibi. Eius verba fauent conceptioni,ibi.
Titus Boſtrenſis ſine vllo fundamento adductus,856.1.
Trituratio ſexaginta Scriptorum Ord. Præd. incipit,à fol. 1. vſque 144. Vbi ſimul collocantur eorum nomina.
Turrecremata adducit ex ſua Religione Prędicatorum pro ſua opinione,28. Anonymus,52. Petrus de Vincentia,69. Bandelſus,72. Paulus Gryſaldus vſque ad 82. vt extat fol.179 Vnde corrigend eſt linea 23. Exiſtens fol. 885.& vbi ſtat num 92.lege 82.

V

VBertinus de Caſali nihil dicit expreſsè pro vna, nec altera ſententia,ventilatur latè 856.2.
Ventilabrum Veritatis componitur ex tribus Aduerſariorum dictis,à fol.145.&c.
Ventilatio incipit, & quid ipſa contineat, à fol. 229. vſque 885.
Veritas in hoc opere contenta,vt in laminæ ſymbolo delineatur,illa eſt quæ poſt matutinas,veſpertinaſque vigilias reprobat malum,& eligit bonum in Auctoribus, & auctoritatibus adductis ab Aduerſariis pro Conceptionis controuerſia,triturando in omnium oculis,vt fulgentiſsimus Sol, à ſiniſtris Auctores adulteratos inter paleas,vitiatos in ſua origine, fictitios fugientes à luce, atque multiplicatos,qui ex vno facti ſunt duodecim,vt in Hyerogliphicis formicarum,ſerpentis,larbarum,atq; horologii ibidem demonſtratur. A dextris verò ventilat ſpicas Scholaſticorum, mundos Expoſitores, Concionatores veridicos,qui à quatuor mundi partibus,ſeu ſacræ Scripturæ ſenſibus, purum ſpirant punctum; ac denique Canoniſtas rectos, qui ſupremi capitis inuenerunt mentem,ex quibus omnibus in Area ſanctorum Patrum,atque aliorum Doctorum, deinceps excuſſa palea apparebit granum purum, id eſt, pura Conceptio, & Inmaculata Maria,vide verbo Sol.
Vgo Eccleſiæ Doctor eſt multiplicatus ex Hugone de S. Victore,859.2.
Vgolinus de Veveteri cuius nulla adducitur auctoritas, eſt ſuſpectus,860.1.
Vincentius Banchellus eſt multiplicatus cum ſequenti, 860.1.
Vincentius Bandellus,quis fuerit,quanta ſcripſerit,quanta machinatus fuerit,de eius fictionibus,ac falſitatibus, inconſideratoque modo loquendi,42 & 860.2. latiſsimè,& paſsim in toto opere.
Vincentius de Caſali eſt Auctor fictus,fol.1.
Vincentius Herculanus pro ficto reputatur,875.
Vincētius Hiſtorialis,ſiue Bellobacenſis creditur vitiatus in Speculo,150.2. Eius Mariale quale fuerit;in eo potius eſt propia ſententia,876.1.
Vincentius Septartius eſt fictus,ſicut multi alii,878.1.
Vincentius Valentinus, ſeu Ferrer, examinatur, nihil expreſsè dicit,878.2. De eius expreſſa mente in hac Conceptionis materia ſcripta propria manu in 3. part. Diu. Thomæ, extat euidens teſtimonium in noſtra Militia, vide ibi.
Vitia commiſſa in aliquibus libris contra Immaculatam Conceptionem; deteguntur,147.latè. Contenta in ſex rationibus Aduerſariorum qualia,180.2. In hoc libro detecta ſunt ſine numero.
Vlricus Argentinenſis quomodo multiplicatus,& eius verba adulterata,879.2.
Vniuerſitas Pariſienſis nunquam approbauit opinionem Aduerſariorum,à fol.10.
Vtinus Dominicanus introductus,vt Auguſtinus,203.2.
Vverneus Baſilenſis quis fuerit,& quid ſcripſerit,63.
Vvigandus Cauponis quis, & quando ſcripſerit contra Trithemium,retractauit opinionem ſuam,53.
Vvigandus Vvnurt ſi fuit diſtinctus à præcedenti, quid ſcripſerit,52.
Vvilliermus Canoniſta eſt idem cum Guillielmo Durando,& multis aliis,&c.882.

Z

ZAcharias Chriſopolitanus nihil dixit contra myſterium,882.2.
Zozimus Papa loquitur in communi, ventilatur latè,882.2. Eius auctoritas eſt multiplicata in Auguſtino.

FINIS.

ERRATA CORRIGENDA.

ANte primum folium, linea 4. dauid, lege dabit. fol. 35. lin. 37. decem, lege quindecim. fol. 43. lin. vltima eormu, lege eorum. fol 50. lin. 33. ſup. lege ſupra. fol. 53. lin. 14. comportato, lege comportatore, fol. 59. lin. 1. plures, lege pluribus. fol. 79. lin. 14. animis, lege animus. fol. 72. lin. 39 excuſsit, lege exceſsit. fol. 91. lin. 25. receptum, lege receptam. fol. 96. lin. 21. eſſe, lege eſt. fol. 99. lin. 5. §. 2. lege. §. 3. fol. 116. lin. 39. condemnaree, lege condemnares. fol. 120. lin. 17. Ephœm, lege Ephæm. fol. 122 lin. 23. quas, lege quos. fol. 126. lin. 28. ſic, lege ſit. fol. 128. lin. 10. vniuerſalimus, lege vniuerſalibus. fol. 130. lin. 23. Arcano, lege Carchano. fol. 138. lin. 9 iſta, lege iſtæ. fol. 141. lin. 7. immunitatem, lege immunitate. fol. 150. c. 2. li. 18. 1396. lege 1496. fol. 156. c. 1. lin. 11. Thomas Ilyricus de Augximo, lege Michael de Carchano Mediolanenſis. fol 161. lin. 7. occaſio, lege occaſione. ibi lin. 8. TRECENTIS, lege SEXCENTIS. fol. 162. col. 2. Petrus Canuanus, lege Capuanus. fol 179. col. 1. lin. 45. ed, lege ſed. fol 223. col. 1. lin. 15 duodecim, lege decem. fol. 230. col. 1. lin. 4. eſſe, lege eſſet. fol. 303. col. 1. lin. 57. poſt illa verba, aut loco S. Auguſtini adde: Niſi in epiſtola ad optatum de origine Animæ, quæ eſt in ordine 157. tom. 2. vbi Auguſtinus aliqua ſimilia verba adducit ex Zozimo Papa, vt videre eſt num. 315. ſed ſi eſt, illa fuit in omnibus vitiata, & multiplicata, & non eſt Auguſtini, neque extat in libro, quando, & cur, &c. & col. 2 lin. 8. propè ſitis, lege propoſitis. fol. 346. c. 1. lin. 13. ſed illud, lege ſed non illud. fol. 400. c. 1. lin. 16. debetrice, lege debitrice. fol. 444. col. 2. lin. 5. Metenenſis, lege Metenſis. fol. 599. col. 1. lin. 44. mahina, lege machina. fol. 677. col. 1. lin. 20. ab hoc, lege ob hoc. fol. 678. col. 1. lin. 44. Spiritus Sancti, lege Spiritus Sanctus. fol 688. col. 1. lin. 2. Beatæ, lege Beati. Ibi col. 2. lin. 10 pentus, lege penitùs. Ibi lin. 22. Patri, lege Patris. fol. 694. col. 1. lin. 45. ſeminant, lege ſeminent. fol. 688. col. 1 lin 7. deſtructorum, lege deſtructorium. fol. 705. col. 1. lin. 26. aiiqui, lege aliqui. fol. 713. col. 1. lin. 8. experiamus, lege experiamur. fol. 720. col. 1. lin. 54. ſubſcriptam, lege ſubſcripta. fol. 721. col. 1. lin. 42. pugata, lege purgata. fol. 723 col. 1 lin. 1. fuiſſe, lege fuiſſet. fol. 727. col. 1. lin. 55. rriginta, lege triginta. fol. 735. col. 2. lin. 37. dulcedin, lege dulcedine, & hanc litteram. e. deme à linea ſequenti, nam vbi tiebi legendum eſt tibi. Item, infra linea 47. poetuit, lege potuit. fol 737. col. 1. lin. 21. clare, lege claræ. fol. 751. c. 1. lin. 10. & in quatuor ſequentibus Maximum, lege Maximinum. fol. 755. c. 2. lin. 27. Doimio, lege Duimio. fol. 758. col. 1. lin. 10. vel Adam, lege vel in Adam. Ibi lin. 18. indigerent, lege indigent. fol. 741. col. 1. lin. 27. confirmate, lege confirmat. fol. 742. col. 1. lin. 53. pœnam, lege pœna. Ibidem col. 2. lin. 10. poſteros, lege poſteriores. fol. 750. col. 1. lin. 47. Sancte, lege Sanctæ fol. 751. col. 2. lin. 9. non, lege nos, & iſte eſt error magnus calamo corrigendus. fol. 753. c. 1 lin 7. obmiſerit, lege omiſerit. Ibi col. 2. lin. 48. 19. lege 9. fol. 757. col. 2. lin. 37. litteram, lege littera. fol. 761. col. 1. lin. 20. vnam, lege vna. fol. 765. col. 1. lin 14. retinentes, lege renitentes. fol. 773. col. 1. lin. 40 ilalm, lege illam. fol. 789. col. 1. lin. 17. qui, lege quia. Ibi lin. 33. Synoda, lege Synodus. fol. 794. col. 2. lin. 56. tredecim, lege quindecim, Nam Impreſſores prætermiſerunt Eugenium, & Honorium. fol. 801. col. 2. lin. 23. nullo, lege nulla. fol. 802. col. 1. lin. 30 duo, lege duos. fol. 805. col. 2. lin. 46. potis, lege poſitis. fol. 838. col. 1. lin. 27. non S. Thomæ, lege non fuit S. Thomæ. fol. 846. col. 1. lin. 17. infecinda, lege inficienda. fol. 852. col. 1. lin. 45. Anglici, lege Anglico. fol. 861. col. 1. lin. 30. rd, lege ad. fol. 864. col. 1. lin. 26. Ip-, lege ibi. fol. 865. col. 1. lin. 6. Anagoras, lege Anaxagoras. Ibi col. 2. lin. 24. autem, lege antè. fol. 883. col. 2. lin. 42. tranſmiſe, lege tranſmiſæ. fol. 885. col. 2. lin. 22. 92. leg. 82. fol. 886 col. 2. lin. 31. totum, lege toto. fol. 887. col. 2. lin. 17. corruptæ, lege corrupta. fol. 888. col. 2. lin. 3. ad finem redundat littera s. Item fol. 139. lin. 21. acceſſerit, lege acceſsit. Nota etiam Lector, quòd in auctoritatibus Aduerſariorum ſunt aliqua incongruentia in Grammatica, & errores Typographiæ quos ad litteram vt iacebant tranſcripſimus, vt nec ſaltem in litteris deuiaremus à veritate, & ſic non ſunt errata.

HIc liber inſcriptus: Sol Veritatis, cum Ventilabro Seraphico pro candida Aurora Maria in ſuo Conceptionis ortu, ſancta, pura, immaculata, & à peccato originali præſeruata, &c. demptis his mendis ſuo originali fideliter correſpondet. Datum Matriti die 19. menſis Februarii, anno 1660.

Lic. D. Carolus Murcia de la Llana.

TAſſaron los ſeñores del Conſejo eſte libro intitulado, Sol Veritatis, &c. a cinco marauedis cada pliego. Dada en Madrid a dos de Março de 1660.

NOTA PRO HOC OPERE.

Impreſſo Matriti ex Typographia Pauli de Val, Anno M.DC.LX.

ZELATOR Veritatis ad Lectores: Nemo vos SEDVCAT inanibus verbis: propter hæc enim venit IRA Dei in filios DIFFIDENTIÆ. Nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando TENEBRÆ, nunc autem LVX in Domino, vt filii LVCIS ambulate: fructus enim LVCIS eſt in omni bonitate, & iuſtitia, & VERITATE: probantes quid ſit beneplacitum Deo: & nolite communicare operibus infructuoſis TENEBRARVM, magis autem redarguite. Quæ enim in OCCVLTO fiunt ab ipſis, turpe eſt dicere. Omnia autem, quæ ARGVVNTVR, à lumine manifeſtantur: omne enim, quod manifeſtatur, LVMEN eſt. Propter quod dicit: Surge qui DORMIS, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Videte itaque FRATRES, quomodo cautè ambuletis: non quaſi INSIPIENTES, ſed vt SAPIENTES: redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt. Propterea nolite fieri IMPRVDENTES, ſed INTELLIGENTES quæ ſit voluntas Dei, &c. *Ex Epiſt. S. Pauli ad Epheſios, cap. 5. à verſ. 6. &c.*

LAVS DEO.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

Nº A
30-126